[illegible] ad vitam reuocato, & mortiferum [illegible] pucentes, flagitijq. pertæsos, ad saniora consilia traduceret: quinetiã terna Theodoro aduersus toxicum medicamenta porrexit, quibus quasi pillulis, affectam bilem perpurgaret; comede (inquiens,) & nihil mali residebit in venis, quod te magnopere turbare queat. Theodorus mortifero sono solutus, grates egit seruatori Christo, atque eius parenti, funestę ægritudinis curatrici, amicis, qui gratulatum deinde venerant, deliquij causam, morbiq. detexit, veneni tamen spargẽdi artifices nequaquam nominauit, quos, vt vlcisceretur, tantum abfuit, vt eorum potius salutẽ assiduis precibus immortali Deo commendaret: tales enim eos vel esse, vel fieri necesse est, quibus se Dei benignissima Mater ostendit, quam Theodorus ante, & post hanc mirabilem sanitatem, summis colebat honoribus, in eiusq. vel monasterio, vel oratorio, quantum poterat, morabatur. Quos autem vel curasset, vel curaturus esset, in Mariæ Virginis sacello preces fundere iu-

[illegible] piciter offerebat, & [illegible] uisera Dei Matris imag[illegible] defigebat, cum repẽte o[illegible] in Theodori oculos ia[illegible] orantisq. faciem, lumi[illegible] aperuit, ijs, qui viderant, acclamantibus, magnum Dei esse seruum Theodorum.

§. 161.

NAucherus generatione 34. Et Tritemius in Chronico Hisaurgensis Monasterij, & Canisius lib. 5. cap. 20. eius meminit, & fuse in speculo exemplorum dist. 9. num. 175. describitur. Vdo apud Magdeburgum, Parthenopolim etiam dictum, in Saxonia, inertis ingenij, & ad litteras parum idoneus, dum in Ecclesia maiori S. Mauritio eiusq. socijs dicata prostratus, Deiparæ clementiam, & S. Mauritij patrocinium ad ingenij acumen obtinendũ, implorat aliquantulum, obdormiuit. Cui Deipara apparens: Non solum scientiæ, inquit, munus tibi tribuo, sed etiã post huius Epi-

læa voragine se delatos ad portu[illegible] gratulentur. Implenante filio Virginis, gratulentur. Implenante tum ergo est, quod per prophetam dicitur: *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus*. Qui ergò facile seniorum suorum statuta conuellunt, ista considerent, & ne diuini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

§. 160.

Greg.presb. in vit. Theodor.

GRegorius Presbyter in vita, quam de suo magistro Theodoro scripsit. Mirabilem Theodorum, quo Mundus erat indignus, perditissimi quidã veneno perimere statuerant: quo ille imprudenter epoto, triduum sine sensu iacuit, ita vt de eius morte rumor increbesceret: quæ inimicis lætitiæ, amicis numero pluribus sententia melioribus, mœroris ingentis causam erat allatura, extremo die tertio exanimi Theodoro Beatissima Dei Mater apparuit, quæ sceleratissimis, insidiosissimisq. parricidis exitum comminata, Theodoro à mortis faucibus ad vitam reuocato, & morbi cau-

Gratia, & vindicta.

quias in vasculum coniectas, atque collectas affer ad me: facit ex tẽplo. tum Theodorus, animaduersa ciborum paucitate, precatus est Deum, vt & monachis, & hospitibus, qui plurimi conuenire solebant; (agebantur enim ramorũ feriæ, quas exterri frequentabant) præbere dignaretur annonam. Deinde ad Dionysium conuersus, farinæ (inquit) vasculum super altare sanctissimæ Virginis ponito; Deus nobis, remitte istam curam de pectore, suppeditabit alimenta. Postridie, quàm hæc Theodorus prædixerat, trigintæ Cypriæ naues onustæ frumento ad monasterium appulerunt. Eidem Sozopolitanam Mariæ Virginis ædem ingressuro, vbi diurno munere oleum ex sanctissimæ Deiparentis manabat imagine, dæmon ex energumeni paralytici ore conuicia querelis mista iactabat; ille dæmone obiurgato [illegible] in ipso templi aditu, & sign[illegible] sanauit. Post in celebe[illegible] tris ædem intrauit [illegible] pliciter offerebat, & [illegible]

chiepiſcopi locum cũctorum ſuffragio delectus, aliquantulum diu bene vixit; poſt aliquod vero tempus in omne ſcelus prorupit. nam facultates Eceleſię dilapidabat, mulieres etiam Deo ſacratas violabat, cumq. multis annis male vixiſſet, & quadam nocte cum Abbatiſſa quadam cubaret, vox ad eũ huiuſcemodi facta eſt: Ceſſa de ludo, quia luſiſti ſatis Vdo, quam ille contempſit: ſed eum ſequenti, & tertia nocte cum ingenti fragore eadem vox intonuiſſet, aliquantulum ingemuit: verum minime reſipuit: quare poſt tres menſes, quidã Canonicus Fridericus nomine, nocte orans pro Eccleſia, præſertim Magdeburgẽſi, vidit Chriſtum in Eccleſia, in aurea cathedra ſedentem, & iuxta eum Virginem glorioſam, in alia item cathedra aurea conſidentem, ſanctorum multitudine ſtipatos: cumq. S. Maurius de Vdone conqueſtus eſſet, Chriſto iubente, à latere Abbatiſſæ abſtractus, eòq. adductus eſt,

§. 162.

Cedrenus in compendio narrat. Cum Heraclius Imperator vna cum exercitu in Perſide aduerſus Coſrohem Perſarum Regem degeret, Hunni occidentales, quos Auares Thraces vocant, à Coſrohe ſollicitati anno 625, Conſtantinopolim Imperatoris præſentia deſtitutam, magnis copijs terra, mariq. inuadunt: ſed Deiparæ præſidio ſunt ſeruati, de quo Theophanes in annalibus Græcorum in hunc modum ſcribit. Auares Thraces vrbi Conſtantinopolitanæ appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis aduerſus eam commotis; ijdemq. & nauiũ ſculptarum ex Iſtro flumine multitudine infinita delata, ſinum repleuerunt maris. Decem ſane vrbem obſidentes, bellum terra, mariq. gerentes, Domini virtute pariter, & cooperatione, nec non & intemeratæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ interceſsionibus ſuperati ſunt: amiſsis vero terra ...

Cedrenus.

Gratia, & vindicta.

Theophan.

IOANNIS BVSTAMANTINI CAMÆRENSIS APVD

Complutenses Philosophiæ & Medicinæ primariæ Moderatoris publici,

DE REPTILIBVS VERE animantibus S. Scripturæ Libri sex duobus Tomis comprehensi.

TOMVS PRIMVS.

Opus cùm Theologis, maximè prædicatoribus, tum Medicis, Philosophis, & naturalis historiæ studiosis perutile, ac eruditione plenum, ab innumeris mendis vindicatum.

Cum triplici Indice, primo capitum, altero locorum S. Scripturæ, tertio rerum & verborum.



LVGDVNI,

Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE.

Sub signo sanctissimæ Trinitatis.

M D. C X X.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.





REVERENDISSIMO
AC ILLVSTRISSIMO DOMINO D. DIONYSIO SIMONI DE MARQVEMONT,

Archiepiſcopo Comiti Lugdunenſi, Regi Chriſtianiſſimo à conſiliis, Galliarúmque Primati

Antonius Pillehotte Bibliopola.

GRAVEM arrogantiæ labem iuſtè mihi nemo inſperſerit (Antiſtes ſacratiſſime tantoque culmine digniſſime) quòd ſeruata animi debita ſubmiſſione propenſum erga te meum ſtudium, ac ſedulum obſequium, cuiuſdam grati ac morigeri filij facto æquare audeam, cui dũ ſe ad litus & plagas maritimas ſæpiùs conferret, ſollicitè de patris ſui amantiſſimi iamdiu peregrinantis reditu exploraturus; tandem contigit, vt opalum trãſlucentem lapillum ſpecioſiſſimum inueniret, ſcabrum quidem, ac impolitum, variis tamen, viuidiſque nitentem, ac radiantem coloribus, quem experto cuidam artifici confeſtim poliendum, aureoque annulo intercludendum

 commi

commiſerit, in munuſculum patri ſuo deſideratiſſimo ab illa longa peregrinatione reduci deſtinans, nil aliud moliens, quàm hocce merito amorem paternum ſibi conciliare, conciliatumve augere, vel auctum confirmare. Simile quid etenim mihi contigiſſe ſi aſſeruero, à veritatis tramite longè nequaquam aberrare videar, qui vnus, non dicam, filius, ſed humillimus & obſequentiſſimus famulus de amplo ouili, quod paterna paſcis prouidentia, foues, ac protegis, cuiuſque in omnibus & per omnia curam ſollicitus geris, cùm cogitarem de munere aliquo parando tuæ præcellenti dignitati conſentaneo, quod tibi ab illa præclara legatione à Chriſtianiſſimo Rege noſtro ad Pontificem Maximum demandata, quáque ſolerter functus es, reduci tandem, oblatū optarem; perquàm opportunè, nec ſine præcipuo diuini numinis fauore, occurrit volumen de reptilibus animantibus quorum mentio in ſacris paginis habetur, nuper ad me ab Hiſpania tranſmiſſum, iamdudum à Ioanne Buſtamantino Camærenſi erudito viro, celebri artis medicæ in Complutenſi Academia Profeſſore compoſitum, & à viginti quinque annis ibidem in lucem emiſſum, opus quidem eximiæ literaturæ, ac tanquam altera opalus gratiſſima rerum varietate tanquam diuerſis intermixtum

tum coloribus. Complectitur enim crebra haud vulgaria quæ artificiosam Æsculapij doctrinam sublimiter extollere, vel potiùs superare videntur, quàm plurima quæ animalium, aliarumque rerum hactenus ignotas vulgo proprietates detegunt, tũ innumera quæ ad sacrarum literarum abstrusos & reconditos sensus eliciendos ac explanandos mirificè conferunt. Sed illa quantacumque essent, quámque vtilia & præclara, quodam tamẽ insulsarum dictionum inuolucro tegebantur, vt meritò obscurari, suóque lumine destitui affirmares. Quid igitur agerem? tantumne opus propter hos crebros næuos deterritus missum facerem, & ob illa menda grammaticalia, quibus passim refertum erat, tam iucunda lectione priuari te paterer? annon potiùs filij iam memorati exemplo, scabrum illud alicui poliendum, emendandumque tibi seruaturus, committerem? Difficile quidem consilium, sed quod sedula cura, & impenso labore, ad exitum perduci, absolutque aliquando non diffiderem. Id itaque diligenter curaui, opusque tandem emendatum, ac perfectum, tanquam si annulo gemma concluderetur, prælo datũ est, vt tibi maximè à negotiis seriis fastidito, vel expedito, valeat esse oblectamento. Nec veritus sum quòd temeritati meæ succenseres, si hoc ip-

ſum, forſitan non ſatis elimatum, in munuſculum tuo nomini dicare auſus ſim, cùm iam ex multis aliis rerum argumentis probè compertum habeam, te nihil reſpuere, nihil aſpernari ex his quæ cum delectatione, animarum ſalutem alliciunt, vel quauis ratione promouere poſſunt, ſiue crebris prædicationibus inſeruiant, ſiue frequenti lectioni, aſſiduæve meditationi parentur. Huic impenſo meo ſtudio ſi humanitatem tuam vel minima demonſtratione intelligam annuiſſe, ad maiora in poſterum addet animos. Accenduntur enim voluntates, ac impulſu maiori feruntur, dum ſuis conatibus reciproca propenſione ſecundari perſpiciunt.

APPRO

APPROBATIO DOCTORVM.

VT meritò iam aliis in lucem fuit emissum hoc Bustamantini opus de animantibus sacræ Scripturæ, sic & nobis, & aliis quibuscunque meritò potest & debet emitti. Luce dignum censeo. Act. Lugduni die vltima Decembris. 1619.

F. ROBERTVS BERTHELOT, Episcopus Damasci.

DEVILLE.

VIsa per nos præfatorum Doctorum approbatione operis de animantibus sacræ Scripturæ Bustamantini, vt in lucem edatur permittimus. Lugd. prid. Cal. Ian. 1619.

MENARD. *V. G. subst.*

CONCESSIO.

LIbrum hunc inscriptum, *Ioannis Bustamantini de animantibus sacræ Scripturæ*, &c. Ego Aduocatus Regius typis mandari, demum in lucem exponi consentio. Lugduni 2. Decemb. 1619.

BOLLIOVD.

LIbrum qui inscribitur, *Joannis Bustamantini de animantibus sacræ Scripturæ*, &c. ab Antonio Pillehotte Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus; simul, ne quis citra factam ei potestatem, denuò excudat; interdicimus. Datum Lugduni 2. Decemb. 1619.

SEVE.

ELENCHVS CAPITVM
TOMI PRIMI.

LIBER PRIMVS.

Cap.

LIBER SECVNDVS.

LIBER

LIBER TERTIVS.

ELENCHVS CAPITVM TOMI SECVNDI.

LIBER QVARTVS.



Cap.viij.

LIBER QVINTVS.

LIBER SEXTVS.

Cap.xiv.

DE



DE ANIMANTIBVS SCRIPTVRÆ SACRÆ VERE REPTILIBVS.

LIBER PRIMVS.

De generali animantium diuisione Scripturæ, & præfatio.

CAPVT PRIMVM.



COELVM suo ordine elementa con- 1
tinet; hæc verò mista, quæ tribus so-
lùm collocantur locis, terra, aqua, &
aëre (neque enim ignis intra se locat
aliquod simplex aut mistum; solùm
enim superficie tenus tenet aërem), iisque eisdem
seruantur & sustinentur, temperatis, redactis iam
ad symmetriam proportionémque naturæ; vt docet
ratio, & experientia, si hæc ipsa docent, cùm mista
mediocres quasdam obtinere qualitates, tum con-
seruationem similibus fieri, corruptionem verò con-
trariis. Extant enim modò elementa temperata om-
nia, quo apta mistorum loca constituantur. Anima-
lia enim cùm mista sint, elementis gaudent, eisdém-

que attemperatis habitant, aliàs si mista non essent, destituerentur tactu. Quem sensum omnibus primò impertiri animantibus est necessarium, vt illo se muniant & defendant à contrariis corruptiuísque virtutibus, quarum est tactus censor acerrimus, iudéxque æquissimus. Iis ergo sustinentur mista naturalibus locis, si animal loco indiget, & extra animal viuere datur, vt iam actu perfectum, & sibi sufficiens, si mistum est, & temperatis eget. Nulli extat locus ignis misto aut viuenti, cùm calidum humidúmque dissipet vitæ principia, nec alimentum ibi possit esse
3 quo absumuntur omnia: dissipatur enim & extinguitur maiori calido minus, absumpto pabulo, & alimento soluto, vt fax extinguit lucernam exoluto humido, humidum sicco deuastante, calidum calido, euanescente subiecto. Arist. de vita & morte cap. 1. de iuuentute & senectute cap. 2. Plato in Timæo, Galenus lib. de marcore cap. 2. Hippocrates de natura humana. Quod de Salamandra vulgò dicitur, est merè figmentum, commentitiúmque. Cognouit Plinius lib. 10. cap. 67. & 2. cap. 4. Arist. lib. de hist. animalium cap. 19. Ælianus lib. 2. cap. 31. Isidor. 12. etymolog. cap. 4. Cœlius Rhodiginus lib. 10. cap. 10. Oppianus, Gesnerus, Edoardus, & reliqui, qui de natura animalium disertè admodum scripsêre (2. lib. constabit cap. de lacerto latiùs.) Ignem imò aggredi expugnare affirmat Ælianus loco citato, extinguere frigidissima, ex ore totóque fluente mucilagine, ipsum superare & vincere, dum leuis est; at vehementi igne non vri, aut si plus iusto in illo commo-
4 retur, dicet nullus. Nec retardat dicta Aristoteles eo loci, vbi Chalcitis lapidis adustione in fornacibus Cypri, interim dum exuritur, vt metalla fluant, bestiolas quasdam generari pennatas & albas, magnis

muscis

muſcis maiores,medio igne(quas vocat Ælianus pyrigonia locis adductis) refert: nec linum Indicum aluménve fiſſile, aut Amiantus lapis, quæ omnia, & alia ignem experiuntur illæſa; at nō plus multo quin tandem peruſta euadant, & igne abſumantur. Neque hoc negauit Ariſtoteles,aut quiuis alter; tandem imò reſolui igne, & euaneſcere ſuſtinet, cùm omnia dempto illo putreſcere teneat, corrumpi & vri. 4. Meteor. cap. 1. & 2. qui ex ſententia aliorum de Salamandra loquitur eo capite, quo dixit *(vt aiunt)* tam beſtiolas illas emori cenſet ſemotas ab igne: at in illo ſi diutiùs morentur, abſumi non negat; vt & de reliquis idem. Salamandram in viſceribus terræ generari eiſdem locis apud Pliniū inuenies, cui fauent reliqui auctores, illicò aërem petere genitā ſemel, tranquillo tempore occultari, magnis imbribus ſuperuenire.

Terra ergo, aqua, & aëre reponuntur miſta, tam animata, quàm animæ expertia; at quæ viuunt duobus ſolùm, aqua & aëre, his locantur & degunt. cuncta quæ conſtāt anima. Altilia verò qua- 5
ſi omnia aërem petunt,& marceſcunt alio; etſi terræ figantur alimenti cauſa,in aëre præcipuè viuunt,perfectiores eorum partes ſuſtinet aër, vtiliores, altiores,flores,fructus, virgulta, ramos,reliqua elatiora & pulchriora. Hinc tubera terram aperiunt, ſubleuant & findunt, vt fruantur aëre: hinc virentia quædam intra aquas genita, ſuperficiem aquæ expetere videntur, vt potiantur aëre, vt nymphæa, potamogeton; etſi alga & muſcus aquatilis aquis immerſa oriantur & occidant, quaſi naturæ piſcium. Alia naturæ ancipitis aqua & aëre, vt ſiſimbrium, gladiolus, quorum medias aër tenet, & medias aqua; vniuerſa reliqua, aut aquas in totum colunt, vt aquatilia plurima, aut aquam & aërem,vt terreſtria omnia,& vo-

latilia; nam omnia quæ terram contingunt, gradiuntur aut reptant: ſaltus enim ad greſſum pertinet,
6 cùm pedibus ſaltent, vt caſſita, & paſſer; etſi toto corpore ſaltent alia quæ verè reptant, vt vipera, dipſas, iaculus, quæ propriè ſerpunt. Terreſtria verò terrã pectore ſolùm premunt, vt reptilia quæ pedibus carent, aut pedibus (vt quæ gradiuntur animantia) calcant; intra quæ adhuc intrat aër, vt vndique circumeat, vt omnia tandem ſint in aëre volatilia & terreſtria: quæ verò pedibus carent volatilia cuncta nunquã ab aëre diſcedunt, aut terrã adeunt; fœmina enim ſupra dorſum maris excubat, & oua parit, ibidémque fouet fœtum, educit, alit. Nimis plumea, & minimæ molis vt librentur aëre, ſuſtineantúrque facilè, vt Paradiſea vocata auis, & reliquæ eiuſmodi: terram enim vitare poſſumus, ſine hac datur viuere; poſſet terreſtre animal degere in aëre, & nunquam contingens terram, aut aquam adhuc, vt ſi ſeruaretur cauea, & aqua, dum reſpiraret tamen; vnde animantia genita in viſceribus terræ illicò petũt aërem, vt lumbrici, mures; aut terræ ſpatiis interiùs viuunt circumfuſa illo; aërem verò, aut aquam vitare nequeunt viuentia omnia, & iis deſtituta intereunt illicò, obeunt & occidunt.

7 Aquatilia ergo in aquis degunt, deficiunt aëre, & oblinita terra: terreſtria in aëre ſolùm ſeruantur, intereunt aquis vndique immerſa, aut terra obducta; neque hac datur viuere pluſquàm initio ortus quibuſdam viuentibus, vt de tuberibus & lumbricis diximus: aqua verò ex toto ambit aquatilia omnia; aër terreſtria; terra verò nullum ex toto circumit aut tenet viuens: quæ enim terra vndique circumplicantur, vt cardus, ſcariola, & alia iam ſemel genita, & potita aëre, vt matureſcant & computreſcant, quaſi

quasi humi sternuntur, vt carnes detinentur diu, vt macerentur tenerescántque, tum manibus contrectantur, vt calore citiùs fiant friabiliores, teneriores effluuio calidi detento, obturatione facta, infarctúque manuum compressione, circumpositóve corpore obuoluta; hinc nec flores, nec fructus afferunt sic humi strata, non augentur, crescunt, multiplicant; marcescunt imò, languescunt, minuuntur, & si seruentur amplius, putrescunt adhuc, priuata aëre in quo florescunt, virescunt, fructificant. Sunt ergo mistorum loca terra, aqua, & aër: terra nullum ex toto circumdat viuens, inanimata ambit, vt mineralia, metalla, lapides, bitumina, succos, sales, & alia: at quæ animæ alentis viuentia existunt, non vndique, sed ex parte circumit & tenet, reliquorum nullum; sed aquatilia aqua, aër reliqua volatilia & terrestria. Ignis nullum mistum, aut viuens obtinet; sed locat aërem solum in extimis, & non vndique amplectitur aut intra se sustinet, vt hinc colligitur. Locus tamen appellatur omnium corporalium mobilium, 8
quæ ortui & corruptioni sunt obnoxia, antiquissima terra, tum quia secundum inferiorem portionem alterat aërem, & aquam, vt sint terra officio, potentia, & virtute, actionibus, opere, temperie, altera; tum quoniam quæ mouentur omnia pondere grauia, non antea moueri desinunt quàm contingant terram, si naturali moueantur motu, mista aut viuentia, animaliáque omnia, sítque ab illa leuium motus, vt è basi & termino, circa quam mouentur cœlestia motu versionis. Est ergo terra locus, cùm ibi sit quies, & motum loci terminet, & ab illa oriatur, & motu acquiratur, saltem ea parte qua fundat & sustinet mobile, conseruat & perficit: non tamen qua ambit & cingit quæ constant anima.

Triplex ergo animantium genus inuenitur in orbe
partitione loci, qua inter alias vsus est Arist. diuisio-
ne 1. de hist. animalium cap. 1. Sunt hæc terrestria,
aquatilia, & aërea, quæ volatilia vocant, quibus om-
nibus Scriptura vtitur, vt homines instruat inter
alia quæ ad rerum naturam spectant, naturis rerum
impositis liberè ad significandum ab auctore naturæ,
vt voces ab auctore vocum imponuntur & notant.
*Omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta
sunt*, tam libro scripto, quàm libro naturæ, quo Dei
opera mirabilia narrantur, vt per visibilia conspicia-
mus æterna; Paul. ad Roma: 15. 4. quo tropologici
moraléque eliciantur sensus literaléque, allegorici
& anagogici ex naturæ historicis, artis, prudentiæ,
scientiæ, & sapientiæ arcanis. Sunt denique animan-
9 tia omnia terrestria, aquatilia, & aërea. Terrestria
quædam gradiuntur, trahuntur quædam, serpunt
alia; gressibilia quædam mouentur passu, saltu reli-
qua, passu bipeda, vel quadrupeda; saltu, vel vno
pede, vt Patagones dicti homines, qui vno pede sal-
tant, de quibus capite de homine dicemus, aut duo-
bus, vt passer, cassita; loquor de primo motu quem
ex natura sortiuntur; nam etiam homo saltat, at est
gressibilis motu; & alia saltant quadrupeda coacta
occasione, & repunt. Tractilia verò vel apedia, vt
lumbrici, vel pedestria, vt erucæ, & vermes aliquot,
quæ mouentur partibus quibusdam, illísque inni-
tuntur motu tractis, applicitis, firmatis priùs, vt tra-
hantur reliquæ postea, vt à loco cedant. Patet in
eruca, & aliis quæ solùm insistunt partibus arcuatim
mota vndosóque incessu, non terræ, aut loco, sed
sibi ipsis insistentia motu; ideo vestigium non lin-
quunt nimis sensibile progressus; trahuntur enim
proprè talia, non serpunt. docet Arist. 1. de hist. cap. 1.

Ser

Serpentia verò differunt quàm maximè ab iis. *Serpere* enim, à quo ſerpentia dicuntur, non vno, imò multis variíſque modis vſurpatur. Nam & vtimur illo pro- 10
priè, aut per metaphorá; per metaphorá latè, aut ſtri-
ctè : latè ſerpunt inanimata adhuc, vt dixit Cicero in Lælio; ſerpit enim neſcio quo modo per omnium vitas amicitia. Quid Cicero? Paulus 2. ad Timot. 2. cap. *Prophana autem, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum velut cancer ſerpit.* Hinc ſerpit ignis, ſerpit vitium, & virtus ſerpit. *Serpere* hoc ſenſu extendi, diffundi, diuagari eſt; ſtrictiùs verò ac per metaphoram ſerpere dicuntur viuentia animæ alentis. Sic Plinius lib. 2. cap. 22. ſerpillum ſerpere, ipſúmque per terram re-
pere dixit. Columella lib. 8. Arbores terra ſerpunt, 11
ſi antequam altitudo inualeſcat, non arte ducantur. Propriè verò & ſermonis lege ſerpentes dicuntur animantia pedibus deſtituta, quæ totius ſuæ molis veſtigium nobis nimis ſenſibile linquunt. Nam etſi Plinius Salamandram ſerpentem vocet pedeſtre animal, & ſæpam ſeu lacertam chalcidiam, & Celſus ſcorpionem, araneum, phalangium inter ſerpentes numeret (Græcè ἑρπετὰ) hæc impropriè ſunt ſerpentes; at propriè apedia, quæ non ſe attollunt in greſſu, & venenata propriùs, dum tamen vèſtigium linquant motus ſenſibile nimis; quo lumbricos excludo, & minuta apedia: ſenſibilioribus enim imponuntur nomina priùs; dicitur namque teſtudo, non limax, etſi teſta obtegatur, ſed quod ſenſibiliori maioríque obducitur teſta animal; & aper, quia aperit continuò, aut ſenſibiliùs terram, etſi aperiant aliæ: ſic ſerpunt notiora nobis, & quæ plus ſerpunt aliis, toto ſcilicet, hæc ſerpentia conſueuêre dici & ſerpentes, apedia animalia.

12 Sic vſus inualuit, à quo petimus nominum ſignificationes; nam etſi ſerpentes anſerinis pedibus apparuerint, Plinio teſte lib. 11. cap. 17. & alatos referat Ælianus lib. 26. cap. 42. illud monſtroſum, & irregulare non inficit regulam. Hæc enim regularia continet, irregularia excludit & monſtroſa. Idem Cicero 2. de natura deorum. Serpentia ergo animalia quæ ſunt terræ reptilia, pedum loco vtuntur coſtis, ſquamis, annulis, orbibus, plicaturis cutis, oréve infixo. Sumpſit Diuus Bonauentura ex Ariſtotele locis allatis. Refert 2. ſentent. diſtinct. 15. Auguſtinus hoc cap. de Geneſ. ad literam, Hugo cap. 7. & reliqui Patres. Iis innituntur terræ dum locum mutant, vice pedibus quaſi enixa. Eſt *repere* re pedibus ire, aut vice pedibus: reptilia enim retractis quieſcentibúſque anterioribus terræ innixis, poſteriora trahunt, vt iterũ poſterioribus quietis anteriora impellant, hócque modo incedunt continuò, ſerpunt & reptant. Quæ cohærent cum his, quæ di-
13 cuntur Geneſ. 1. vbi ſolùm terreſtriũ animaliũ, aquatiliũ, & volatiliũ productiones narrantur; nec inconuenit, quod ibidem vocet aquatilia reptilia, vbi dicitur; *Producat aqua reptile animæ viuẽtis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli. Creauítque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Nam & vocat reptilia ſerpentes Spiritus Deus cap. 7. eiuſdem hiſtoriæ, iis. *Cõſumptáque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium quæ repant ſuper terram.* Idem eodem cap. iterum, & 5. Leuitici, & locis aliis, vbi ſerpentes ſolùm reptilia vocat, animantia ſcilicet terreſtria apedia, veſtigij ſenſilis nimis. Communiter enim repere dicuntur omnia quæ ſine

ſine pedibus mouentur, aut ſaltem non pedibus, præcipuè aqtuis, aut alio, vt vitulus marinus, & aquatilia alia, quæ minutiſsimos pedes habent, cùm illis principaliter non inſtent motu. docet Ariſtoteles primo de hiſt. cap. 1. Reptant tamen propriè animantia, quæ cùm ſint terreſtria & apedia, ſenſibile ſignum nobis nimis ſuggerunt motus, corporis ſcilicet totius, non ſolùm pedum; quæ enim gradiuntur aut ſaltant, pedum tantum exhibent ſigna. Hæc ergo repunt quæ ſignum motus linquunt, non aquea, ſi propriùs loquamur, quorum non ſupereſt tractus finito motu.

Sunt ergo reptilia in aquis, & reptilia in terris. 14
Terræ reptilia ſunt ſerpentes in rigore tales, diſtintíque, & hi propriè reptant: aquatilia pinnulis, branchiis, alulis, aquis, innant, vt aues peruolant aëre; continent piſces, aues, ſerpentes, communia plurima, tum interna, tum externa, tum quiete, tum motu, opere, moribus. Ariſtoteles 6. de hiſt. cap. 10. 15
& 3. cap. 7. vbi ſerpentes pulmone ſolo ab aquatilibus differre dixit. Aquatilia enim aquas plicant corpore, ſuſtinentur alulis, iíſque innixa complicatis pernant, non ſecus atque aues denſato aëre firmatis alis corpus ſubleuant, impellunt & mouent; quo aſcendentibus alas deorſum ire videmus, contrà dum ruunt, ſurſum alas, & deorſum corpus. Oriri ex ouis, auibus, ſerpentibus, & aqualitibus plurimis, commune eſt; oculos ad latera obtinere palpebrarum velamine exertos & liberos: hæc, neque illa vrinam reddunt; aquatilibus vertitur in craſſum illud excrementum ſalſum, inſquamans teſtam, & cutem; ſerpentibus itidem, auibus in plumas. Mirabile dictu, pedes & crura ſquamoſa obtinent aues, vt ſerpentes & piſces totum; vuluam eiuſdem figu-

ræ & ſitus, incubant omnia, pauciſſima lactant vberibus, ſerpentes nulli, aquatilia cutanea quædam, auium veſpertiliones ſolùm: peruolant aëre aues, & aquas amant quàm maximè, vt plurimæ plus illis quàm alio viuant; volant piſces multoties aliculis (vocamus ſaltus) euolant ſerpentes, vt iaculi, viperæ. Lucanus lib. 9. de iaculo;

Et natrix violator aquæ, iaculique volucres.

Iſa. 30. cap. *In terra tribulationis & anguſtiæ leæna, & leo ex eis, vipera & regulus volans*; & Pſal. 148. *Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ.*

Iis & aliis conueniunt quæ dicuntur Geneſ. 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile*: reptile inquam aqueum commune, & aues, quæ vt naturæ eiuſdem, eidem cauſæ communi committuntur, eidémque materiæ, aquæ; ex vapore enim aquæ leui & facili, contento in eius ſuperficie, volitanti & agi-
16 li, aues conſtitêre. Eſt vapor aqua rarefacta, iuxta Ariſtotelem 2. Meteor. cap. 2. Nam etſi cap. 2. Geneſ. aues ex terra & humo formatas aſſeueret iis: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*; ibi humus, non terra dicitur ſola. Sed id de humente ſubſtantia intelligitur, de globo terræ & aquæ vno, de terra animantia, de aqua aues; humus enim globum factum ex terra & aqua, quaſi ſubſtantiam humentem, non terram ſolùm notat; ex craſſiori verò portione aquæ piſces, ex limoſa magis, impuriori, & obſcœna ſerpentes, ex limoſo ſcilicet recremento, quod terræ plus habet; quo dixit eodem capite: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ*, vt reptiles piſces aqua generaret, ſerpentes terra, limoſa aqua ſcilicet. Hinc videmus in locis humêtibus, ſordidis, cœnoſis

pro

procreari ſerpẽtes & gigni. Ouidius Metamorph.1. Pythonẽ lacũ habitaſſe refert, & Pauſanias Hydram in Corinth. Lernam paludem Piſander, Heſiodus. Hinc Auicenna 6. naturalium ſerpentes omnes putredine ſola eſt ratus poſſe oriri, quæ modò propagatione veniunt: Iob imò cap. 40. de Behemoth ſerpente, de quo proprio dicemus capite, ſic; *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.*

Vnde ſerpentes quaſi naturæ ancipitis aquis immerſi, viuunt terra & aëre, terreſtri vapore aqueo circumfuſi, & inuoluti, qui prima & ſecunda aëris regione continetur, & in extremis aquæ, vt aquea natura animantia, piſces, ſerpentes, & aues, vt gubernentur natura ſimili. Iis locis vapores detineri, non vltrà excedere, docuit 2. Meteor. Ariſtoteles 4. cap. Producant ergo aquæ reptile & volatile: concurrant aquæ principaliter ad hæc, dominentur, & prædominentur in reptilia & volatilia ſimul cum aliis elementis, materiam & efficientiam quam poſſunt præſtent, ſupplente Deo efficientiæ reliqua, vniuerſi initio, non ſecus ac ſi adeſſet generans, & præſens congener efficiens, ſeménque prolificum; etſi ſerpentibus præſtiterit minus, vt facilioribus ortu: vbi cùm narratio ſit de aquæ productione, epilogus eſt de productione Dei. Eſt ſic ſcriptum; *Dixitque Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile.* Epilogat: *Creauitque Deus quæ produxerant aquæ in ſpecies ſuas.* Et eodem cap. *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas, factúmque eſt ita.* Epilogat: *Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumẽta, & omne reptile terræ in genere ſuo.* Propriùs enim, perfectiùs, intimè magis nobis ipſis, molitur Deus, quæ & nos molimur, producimus, cùm verè omnia ab illo ſint, & omnium

omnium perfectiones contineat, tum actionem, tum efficiens, tum effectum productum in esse, esse eorum sustinens, producens, seruans; immediatior illis, esse & virtute, omni alia causa, omnibus præsens essentia, præsentia, potentia, efficienti, actioni, operi ipsi, quo de Deo epilogat Scriptura sacra. Confluxit enim terra ad terrestria magis, puluere formabili, facili, & miscibili, peruio; quo & de limo terræ formauit Deus hominem, vt quantum fieri potuit, seruaretur naturæ ordo, ne illi iniuriam faceret, aut naturæ legi latæ & ferendæ. Sunt ergo animalia terrestria, aquatilia, & aërea in natura omni, omniúmque productiones, terræ, & aquæ, mistáque omnia, terra, aqua, & aëre continentur: animalia duobus, aqua & aëre: viuentia tribus, terra, aqua, & aëre; aqua & aëre principaliter quædam, terra & aëre alia.

De dubiis quibusdam Scripturæ locis, quæ cum dictis videntur pugnare.

CAPVT II.

18 PRouerbiorum 30. sic est scriptum; *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Vbi sensile vestigium colubri negare videtur Spiritus Deus, cùm tamen verè repter coluber motu, sitque verè serpens; adeò vt passim in Scriptura sacra colubri nomine non solùm species vna serpentis intelligenda veniat, sed hoc eodem nomine omnes serpentes, genúsque vniuersum terrestrium reptilium, præcipuè eorum quæ maiori & sæuiori pollent veneno. Sic Sapient. cap. 16.

cap. 16. morſibus colubrorum periiſſe Hebræos idololatras teſtatur Spiritus ſanctus, id eſt, ſerpentiũ venenatorum. Iob. cap. 26. eductum eſſe iam colubrum tortuoſum per Chriſtum nunciatur hominibus. Hieronymus ad Præſidium colubrum verum eſſe ſerpentem tenet, veréque reptile, ſignúmque & veſtigium ſui motus & tractus per terram relinquere patentiſſimum. Inter naturales Plinius lib. 32. cap. 5. Ouidius 15. Metamorph. Lucillus lib. 20. Satyrarum. Exodi imò 4. & 7. dicitur, virgam Aaronis & Moſis verſam fuiſſe in colubrum ſerpentem verum. Eſt ergo coluber verus ſerpens, ſignúmque exhibet ſui motus manifeſtiſſimum, verúmque reptile; cuius via innoteſcit facilè. Diuus ſenſit Bonauentura diſtinct. 15. allata. Tam vulgaris coluber, & communis, corporeus, & viſibilis, quàm qui nobis per Adamum veſtigium liquit ſui tractus ſenſile ſatis, ſentiendum nimis; de quo Apocal. cap. 12. 9. hæc extant: *Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt*, vt ſerpat & reptet per terram.

Hæc verò nec retardant, nec inficiunt dicta. Coluber enim ſenſile nimis ſignum ſui motus offert, vt ſolo veſtigio cognoſci poſſit & inueniri; verè ſerpit, nec eſt difficilis via illius ex veſtigio: neque hoc Spiritus Dei intendit eo loci. Ideo tamen eſt difficilis, quod incertò adeò euoluitur, tot ambagibus & circuitibus, tot orbibus, ſpiris veſtigia plicat, vt principium & finis motus occulatur & euaneſcat; tum quò ierit, vbíve finierit motum, vnde inceperit aſtutiſſimum animal, ſagax, calidum moueri, ignoretur prorſus. Iis tribus vſus Spiritus Dei, vt quarti ſummam & incredibilem difficultatem aperiret: aquila enim inter omnia volatilia maiori impetu fertur. Sic Ariſt.

Arist. 9. de hist. cap. 32. Plinius lib. 10. cap. 3. & 4. Hieremias cap. 4. Thren. populi captiuitatem deplorans, vt inimicorum velocitatem depingeret, & potentiam, inquit: *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* At quanto maiori impetu corpus quoduis suum locum deserit, tanto citiùs velociúsque succedit aliud, quod ambit & circumuenit, & tanto magis coalescit vnitúrque medium ob vacui periculum, & tanto minus innotescit via quanto plus concluditur. Via ergo aquilæ in cœlo, in aëre scilicet (dicuntur enim volatilia cœli, id est, aëris) aut versus cœlum, difficilis & abstrusa: tum nauis in medio mari (dixit, in medio) nam illic citiùs conueniunt, si diuidantur semel aquæ: eo enim simul ac in latera aguntur, ex lateribus confluunt in medium maris maiori impetu, cùm sit ibi pars profundior, & deorsum gurgitis, in quam fluunt vndique in centrum quasi. Probat Arist. 2. cœli cap. 4. ostendens aquam sphærica figura circumscribi. Conueniunt ergo magis aquæ in medio mari, quo minus apparet via, naui diuisis semel. Via colubri, vt diximus, occulitur.

19

20 Subdit, *& viam viri in adolescentia ignoro prorsus.* Vir ille est qui iam est adeptus summam naturæ perfectionem, quo virtus est quasi viri actus; vir perfectus est, prudentiæ, rationis, corporis & animæ iam nactus robur. Hinc dixit Curtius: Exurgite aliquando, si viri estis, si fortes, perfecti, non passionibus subditi, non molles, imbelles, debiles. Cicero in Lælio: cùm is iam se corroborauisset, ac vir inter viros esset. Terentius in Adelph. Ah virum te iudico, id est, perfectum, fortem. Quid Gentium refero historias? 1. Regum cap. 4. *Confortamini, & estote viri.* & 18. *Esto vir fortis, præliare prælia Domini.* Iob. 34. *Viri cordati audite me.* Adolescens est mollis, furiosus, inexper

pertus, facilis, impudicus, cupidinibus actus, inconstans, superbus, arrogans. Hinc Aristoteles 2. Rethor. ad Theodect. cap. 6, & 3. Ethic. passim sermonem iniens de adolescentium moribus dixit; Iuuenis putat se omnia scire & posse: & Plato dialogo 4. de Repub. vocauit amentes & furiosos adolescentes.

Ætates omnes aliter atque aliter dispensantur, & dispertiuntur ab auctoribus; vulgus eas numerat annorum numero; infantiam ab ortu ad tertium annum; à tertio ad 14. pueritiam, seu adolescentiam; à 14. ad 25. pubertatem, quam etiam adolescentiam appellant; à 25. ad 35. iuuentutem; à 35. ad 45. consistentiam; à 45. ad 55. senectutem primam; à 55. ad 65. senectutem decrepitam, ætatem, quod postea vitæ superest. Galenus, Philosophíque omnes, Hippocrates, & alij non annorum curriculis, sed varia temperamentorum proportione, quæ annuis cõuersionibus agitur, ætates diuisere, infantiam calidam nimis & humidam constituentes; pueritiam minus quantulum; pubertatem calore acquisito & naturali compositam, comparato ex alimento, acquisito; naturali verò ex principiis ortus, semine & materno sanguine, & humiditate ascititia & innata temperatam: iuuentutem calidam & siccam, consistentiam temperamenti iuuentutis paulo minus calidam & humidam: senectutem frigidam & siccam, vt & vitæ residuum. Docuit Galenus 3. aphoris. aphorismo 27. Hippocrates 5. aphoris. 7. & 1. aphoris. 13. & 3. apho. 31. & 1. apho. 3. Diuiduntur & ab Spiritu Deo sic Scripturæ locis, Iob. 38. de infantia, *& caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem.* Prouerb. 1. *Vsquequò paruuli diligitis infantiã, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?* De pueritia 29. Prou. sic; *Qui delicatè à pueritia nutrit seruũ, postea sentiet eũ contumacẽ.* Qui scilicet seruũ 21

appe

appetitum fouerit, educaueritque. Eccli. 7. *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia illorũ.* De pubertate, quã vocant alij adolescentiã solùm, etsi non pauci hanc & pueritiã & adolescentiã vocitent, Ruth. 1. cap. *Si eos expectare velitis donec crescant, & annos pubertatis impleant, antè eritis vetulæ, quàm nubatis;* dum hortaretur Noëmi nurus suas, vt cum alienigenis, aduenis nuberent, turpe iudicans, nondum conceptos expectare maritos. Prouerb. 2. *Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea, quæ emollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ.* Sapient. 4. de iuuentute sic. *Condemnat autẽ iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs cõsummata longam vitam iniusti.* 1. Machab. 2. cap. *& Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua sit vobis princeps militiæ.* Machab. 2. cap. 5. de cõsistentia quæ perfecta ætas dicitur, quod in illa natura sit robur & vires nacta, debitámque corporis molem, sic: *Misit Apollonium Antiochus, præcipiẽs ei omnes perfectæ ætatis interficere mulieres, ac iuuenes vẽdere.* vbi cõsistentes maturi iudicij à iuuenibus diuisit. Prouerb. 16. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur.* Sapient. 4. *Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Et de senectute 2. Sapient. 3. *Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum*, id est, vltima.

His quinque partitur ætatibus vita hominis, iis constat partibus solùm, integratur istis diuisis sic & seiunctis, cùm tempore, tum numero annorum, etsi aliter alij referant, solùm infantiam, pueritiam, iuuentutem, & senectutem: alij pueritiam, iuuentutem, & senectutem; imò Scriptura sacra duobus solùm vtitur multoties, viros tantùm & iuuenes complexa, virorum nomine consistentes & senes complectens, iuuenum verò pueros & iuuenes. Tum

ado

adoleſcentiæ nomen in ſacris literis florentem ætatem notat, omnémque ætatē floridam contra ſenectutem diſtinctam; nomine autem viri inſigniūtur illi qui ſunt maturæ ætatis, ſanę mentis, ſecuri, & integri conſilij, non adoleſcentes; nam *adoleſcere* ægrotare eſt, & adoleſcentes mente, quaſi ignorantes ſunt, non ſanæ mentis & integræ, qui & cùm voracitate nimia & intemperantia ſint morbis procliues, nimia copia ſuccorum, & humorum ſarcina, quibus opprimuntur, adoleſcentes ſunt dicti: vir enim conſiſtentem & ſenem claudit; vires enim corporis ad factiua opera à 25. ad 70. annum vigent, plus minúſve copia ſpirituum & ſanguinis; ad actiua verò prudentiæ à 35. ad 80. rarò vltrà, quod iam ſanguis deferueſcat, ſedentúrq; inordinati, quibus agitatur, motus ſpirituū; quo Pſalmographus ſacer Pſal. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni; ſi autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius labor & dolor*, in ipſis ſcilicet, id eſt, vi ætatis & temperamenti corporis, vi animæ alentis vſque ad conſiſtentiæ finem, ad 55. vſquè ab ortu, ad opera iraſcibilis, à 25. ad 70. ad prudentiam, à 35. ad 80. tandem in potentatibus, magiſtratibus, dignitatibus octoginta anni experientia rerum; & conſiliō, etſi non corporis robore, & potentia, tamen experientia & ratione paſſionum libera & expedita. Amplius labor & dolor, quæ duo mētem diſtrahunt, interturbant, impediunt plus aliis, vltrà fragilitas, inconſtantia, debilitas, impotentia, ſenectus, quibus inutiles perſiſtunt ſenes. Hinc 2. Regum cap. 19. ſic; 23
Erat autem Berzellai Galaadites ſenex valde, id eſt, octogenarius, & ipſe præbuit alimenta Regi cùm moraretur in caſtris: fuit quippe vir nimis diues. Dixit itaq; Rex ad Berzellai, veni mecum, vt requieſcas ſecurus in Hieruſalem. Et ait Berzellai ad Regem: quot ſunt dies annorum vitæ meæ, vt

ascendã cum Rege in Hierusalẽ? Octogenarius sum hoc die: nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum, atq; cantatricum? quare seruus tuus sit oneri Domino meo Regi?

Adolescentia ergo, si in rigore vtamur, est idem quod pubertas, ab anno 14. ad 25. vir tamen vt prudentem notat à 45. ad 80. vsque: vita enim hominis vna est ætas à principio suæ durationis vsque ad finem, quæ partitur in prædictas ætates quasi in partes & segmenta, pro vario calidi, & humidi suscepti initio ortus decremento, & recessu; semper enim hæc duo nostræ generationis principia (quæ ex semine & menstruo sanguine, quibus sumus coagulati ab initio) permutantur, languescunt vsque ad senium & mortem; quo dixit Plato in Timæo, quod suscepit ab Hippocrate lib. de natura humana; semper morimur à primo generationis nostræ exor-
24 dio. Aristoteles libro de vita & morte, à quo Galenus 1. de semine cap. 4. Plinius, & alij, eundem calorem, qui nos fecit per initia, nos conficere tandem asseuerauit. Huius ergo mutationibus variis & commutationibus cum ascititio & acquisito calore, qui nobis succrescit ex alimento vsuque rerum, & alteratione internarũ externarũmq; causarũ, quæ nostrã perpetuò alterant substantiã, alietatéque substantifici humidi, simul his eisdem causis exsiccati, ætates veniunt, variáque partium nostræ durationis temperamenta, quæ dicto numero iam antea continentur, vt sint tot, & non plures.

25 Quanta verò hæc nostra duratio vitæque decursus sit, durationis quantæ, dicitur ab Spiritu Deo Genes. 6. his verbis; *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti*

ginti annorum : quibus vitam hominis centum & viginti annis solùm duraturã stabilit;& Moses iis Deut. 31. *Centum viginti annorum ego sum hodie, non possum vltrà ingredi aut egredi.* Neque hic, aut eo loci de carnis 26
internecione per diluuiũ vniuersale faciendæ sermo erat, cùm Noë quingentorum annorum esset, quando hæc illi Deus renunciauit, filiósque genuisset Sem, Cham, & Iaphet, qui iam vxores duxerant: inundatio verò & diluuium contigerit anno sexcentesimo suæ ætatis, ibidem constat quod iam non centum, & viginti annorum essent dies hominum vsque ad diluuium; centum imò, & pauciores quàm promulgata lege continebantur. Nec anticipatione Scriptura vtitur communiter ibi; imò vbi prophetico sermone nunciat aliqua, non vbi refert historiam facti alicuius, vt retulisse filios Noë antea, anticiparíque asseueremus, quàm essent, vt centũ adhuc viginti anni supersint ad diluuium vsque, vt de illo sit sermo; imò est de carnis obitu, & duratione. Vi- 27
xere enim plurimi plus multo quàm hac lege stabilitur, cùm ante eius promulgationem, tum semel lata, vt terminos vitæ hominis qui hac ipsa continentur, excederent: Adamus enim nongentos & triginta vixit; Mathusalem nongentos & sexaginta nouem; Tareth nongentos sexaginta duos; Noë nongentos quinquaginta; Abraham centum septuaginta quinque; Sara centum viginti septem; Isaac centum octoginta; Iacob centum quadraginta septem, & alij aliter; etsi millesimum nullus attigerit annum, quod culpa commissa, nec diem vnum implere potuerint durationis mortale; imò die illa in qua transgressi sunt legem, eadem mortem sibi pararunt: dictum 28
enim est illis; *In quocunque die comederitis morte moriemini*, vt nec diem integrum viuere potuerint: mille

enim anni æternitatis respectu cōputātur quasi dies vnus qui prætetiit, vt dicitur Psalmo 89. *Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quæ præterijt.* Si ergo eadem die qua commisere delictum & culpam, mortui sunt, tum primi parentes, tum posteritas omnis & successio Adæ, non potuere diem vnum viuere, nec mille annos, qui tanquam dies vnus computantur. Sensit Irenæus libro 5. Cicero 1. quæst. Tusculanarũ ephemerinos vocat mortales, qui antequam terminum vnius diei impleant, deficiant, quo Psalmo citato dicitur de vita hominis; *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat,* vespere inquam, id est, Sole occiduo, antequam dies compleatur naturalis.

29 Mortalium ergo vita centum & viginti annorum est post lapsum, quem terminum excedit mortalium nullus communiter, excipio illos qui priuilegio, & legis dispensatione, tam in Ecclesia, quàm apud Gētes diutiùs vixere. Communiter verò hæc est regula; nec anticipationes in Scriptura, quando aliter sensus constare potest, & sine iis, recipiendæ, vt dictum id fuerit ante Seth, & aliorum ortum, prçcipuè cùm literæ contextus aliter stet, & vitæ productio. Hinc Moses moriturus centum & viginti annorum se esse refert, quasi iam vitæ terminos attigerit: quod Philo Hebræus suis antiquitatibus confirmat & re-
30 censet. Annorúmque & vitæ hominum computatio veris mensibus, duodecímque, non secus ac nostri, annus constructus perficiebatur; aliàs si per annos Lunares solùm, & Lunæ cursus computaremus, & non Solis integras peragrationes, mille absurda sequerentur ex hac ratione computandi in Scriptura sacra: dicitur enim Genes. 25. Abrahamum saturum, & plenum dierũ à vita discessisse, natum annos centum

cētū septuaginta quinque; quorum si cōputatio per mēses fieret, aut cursus Lunares, vixisset dūtaxat decē & septē annos cū dimidio: cuius quis non rideret senectutem? Tum Cain & Henoch secundū hanc computationē sex solùm annorū essent cum dimidio dū generassent filios: genuisse enim eos cùm sexaginta quinque annorū essent, Scriptura docet. Præterea si nullus attigit millesimū annum, & computatio fit per menses, nullus ad nonagesimum octauum peruenit; cùm tamen hodie quamplurimi centesimum, & vltrà excedant, præcipuè cùm menses tot dies obtinuerint ac nostri, vt cap. 7. Genes. patet, vbi fit men- 31
tio de 17. 27. & aliis diebus mensium, vt æquent menses illi menses nostros: imò dies quos numerat Moses dum diluuium narrat in sexcentesimo anno vitæ Noë, sunt trecenti sexaginta in illo anno; vt anni eorum sint compares nostris, etiamsi Ægyptiorum, & aliarum gentium non semper pares nostratibus extiterint; Ecclesiæ verò semper æquales. Hic enim vitæ terminus & præscripta lex, quæ ad summum lege ordinaria centum est & viginti annorum, ac hominibus infligitur in pœnam patrati sceleris, & culpæ commissæ, eo loci statuitur. Nam etsi rationis 32
animus, animáque nostra immortalis & æterna, perfectior & altior natura sit omnibus aliis formis, quæ materiam perficiunt & exornant, propter suæ substantiæ præstantiam, existentiam, durationem & esse, meliúsque multò quantùm agitur formæ ratione, & excellētia virtutis, possit hæc omnia subiecto impertiri, quàm reliquæ aliæ (adhuc de cœlesti sermone facto) etsi ex formæ ratione, & perfectionis præstantia longissimam vitæ productionem causare posset hominibus, tamen ex adiunctis suppositítiísque rebus, quæ ad integram hominis rationem

exguntur,relicto homine naturæ viribus,breuiorem vitam impertit, quàm forma cæli, plurimorúmque corporalium mobilium, quibus duratio maior cōceditur & lōgior. Cum enim homo sensibilissimus cōstiturus sit, vt eius intellectio quæ ex sensibus est, perfectiùs fiat, & sensus tanto sint perfectiores,quãto organa eorum faciliùs alterari possunt ab obiectis & pati,necessum fuit hominem passibilissimum esse, minúsque duraturum, vt altiùs exerceret intellectionem: quo ex adiūctis breuissimæ durationis est, qui ex animæ perfectione longęuus magis multo foret, secundum supernum eius substantiæ gradum, cœlo & aliis.

33

Esset ergo homo genúsq; mortalium productioris multo vitæ adhuc,naturæ viribus si linqueretur, etsi natura nō æternus, quãquã anima æterna & immortali cōsistat: ob scelus verò & culpæ reatũ dies eius, quę adhuc ad naturæ potentiã si cōferrentur, plures essent quàm centum & viginti annorũ;in pœnã delicti hoc breui durationis termino arctantur, vt pauciores multò quàm alioqui per naturã essent, commisso scelere, superfuerint, inconstantiores & leuiores vmbra,fugaciores, illius cuius vita, & duratio nunquam finem habitura esset ex dono, si non esset ipse sibi excidio,ruinæ & morti,qui etsi natura mortalis, adhuc in statu innocentiæ & integritatis esset, nunquam tamen foret moriturus ex priuilegio & peculiari irrogatione, quoties subditus esset ipsi

34 suo summo cōditori;erat enim homo materiæ passibilis & annexæ priuationis eo in statu, non secùs ac modò; post lapsum verò non mortalis solùm, sed moriturus extitit,mortuus imò ea die qua trãsgressus est Dei præceptum: vitam enim gratiæ amisit factus filius iræ, ex quo morte mori cœpit eamet die, si b-

uet

uerſis omnibus,peruerſis imò ; quo eſt dictum ibidem,*morte moriemini* , Geneſ. 2.ex delicto morte parata animi , & mori perpetuum corporis à die quo naſcimur , noſtrûm omnium incurſatu cauſarum continuo alterantium nos , de quo infrà. Suæ ergo naturæ ſi linqueretur, longioris eſſet vitæ commiſſo adhuc crimine, quàm eſt modò , pœna impoſita ſolùm centum & viginti annorum , increſcente crimine amplius & malitia diluuij tempore. Eſt enim ea animæ perfectio , vt plus multo eius vita poſſet produci quàm modò porrigitur ob delictum ; mors enim ex peccato & vitæ breuitas contigere. Senſere id antiqui omnes, qui excellentiam virtutum animæ & dotes cùm contéplarentur,eá noſtræ vitæ durationem minorem , quàm pro tanta animæ nobilitate,lacrymis deplorabant,laborem & miſeriam humanam.Quo Hippocrates vetuſtiſſimus ille aphoriſ. 1.in hæc verba prorupit ; Vita breuis,ars longa, &c. Quod hominis mirabilem ſtructuram & compagem ſi attendas , breuiſſimo termino durationis circumſcribi inuenies , vt ars longa ſit , qua ea debet indagari natura mirabilis , vitáque non ſufficiat mortalium breuis tanto operi inueſtigando. Iudith 7. *Finis noſter breuis*. Iob. 14. *Homo natus de muliere,breui viuens tempore, repletur multis miſeriys. Qui quaſi flos egreditur & conteritur* , *& fugit velut vmbra. &* 16. cap. *Breues anni noſtri tranſeunt*.Eccli. cap.10.*Omnis potētatus breuis vita.* Paulus 1. ad Corinth.7. cap. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue eſt*.Omitto Ethnicos & Gentium auctores , qui perpetuò eiulabant hanc ſummam vitæ hominum breuitatem. Etſi non me lateat antiquorum vitas , naturæ viribus , poſt ruinam & lapſum pœna adhuc impoſita & ſtabilita , longiores fuiſſe noſtris, eóſque longæuos magis ob prouidentiæ peculia-

res fines, cùm hæc sit promulgata lex, quæ tamen &
36 fert epicheias, eodem legis Principe dispensante. At breuiatur amplius & amplius continuò, magísque & magis, vt eò malitia venit mortalium, vt mors venit crimine: iustitia enim vitæ longæuitas; quasi vlciscatur natura vindicétque suum summum conditorem, continuò sempérque in deterius labascit, tum quod post diluuium Oceanus omnia corruperit, & inquinauerit salsedine aquarũ, vt terra quæ priùs pinguis, fœcundissima, feracissimáqué erat, postea sterilis & corrupta post inundationem constiterit, vt fructus afferat minùs salubres, minúsque alimenti cõtinentes, illúdque debilius, & lãguidioris substantiæ; tum propter ingluuiem, & voracitaté luxúmque nostræ tempestatis hominum, ciborúmque varietates & misturas. Quod & sensit Horatius, vbi dixit;

——— Simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachóque tumultum
Lenta feret pituita. ———

Et ob inscitiam notitiæ naturalium rerum, quæ cùm semper in deterius abierit ab Adamo, minùs quibus vitam possimus tueri & seruare, callemus: & tandem quod quotidie labascimus & deficimus magis à perfectissima structura, formatione & temperie, quam
37 nostri primi fuere nacti conditores. Omitto felicissimos syderum aspectus factos primo mundi exordio, à quibus semper deflectunt cœlum & astra; valde enim bona perfecit omnia artifex ille summus.

Ad pensum ergo redeuntes, meritò ignoratur via viri in adolescentia, qualiter via viri, & eius qui iam vir est consilio & prudentia, in adolescentia sit leui, & fallaci, viámque percurrat vir adolescentiæ iterum, ignorantiæ & iniustitiæ plenam, qualitérque

térque repuerascat & adolescat vir iterum. Dubitat, & est ambiguus de via qua viri in adolescentiam redeunt: via viri ab adolescentia in virilitatem est. Quo ergo modo est via viri in adolescentia, quæ necessariò est post adolescentiam, & illa posthabita in virum tendit, & virtutem virilitatémque integram, vt via omnis post terminũ est à quo fluit, excludítque vt incompossibilem illũ à quo incipit successio, & motus via omnis? An potest vir in adolescẽtia constitui eiúsve via? cocta semel per naturã an recrudescere possunt; maturáq; immatura fieri? quando vua semel facta matura & integra, iterũ agrestis & immatura redit? Quis motũ in termino à quo, aut per motum productũ, viámve viri in adolescẽtia, viróque degenerare in adolescentes cognouit vnquam? & quos viros fortes, prudentes, integros, maturos senes fuerat expertus, postea molles, furiosos, præcipites, corruptos, acerbos, impudicos, & amentes si videat, & in adolescentes permutatos, non obstrupescet & mirabitur? Est variis rerum vitiis adolescentia 38
obnoxia, & adolescens æger, infirmus, ægrotans, morbis corporis & animi paratus, quo & ægrotantes adolescentes dici consueuere. Iob. 20. cap. *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Succurrit adolescentiæ morbis, iis Ecclesiastes 11. cap. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuẽtutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorũ tuorũ: & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.* Talis est adolescentia moribus pudicis & frenatis. Adolescentibus promittit Deus reducere in iudicium, in mentem, quod sint amentes & furiosi. Plato dialog. 4. de Republica eisdem vitiis adolescentes



ſcentes infeſtari longiſſimè edocuit. ¹Ariſt. 2. ad Theodect.cap.6. & 7.tum Ethicor.3. Galen.lib.quod animi mores corporis temperaturam ſequantur. 4. & 5. cap. Poëtæ & Rethores omnes.

29 Horum verò morborum ſi curationem deſideras, extat Eccli. cap. 32.his. *Adoleſcens loquere in tua cauſa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens. In medio magnatorum non præſumas, & vbi ſunt ſenes, non loquaris.* Denique in cauſa ſua adhuc vix loqui permittitur adoleſcentibus, in aliena prohibentur prorſus; & in propria adhuc, ſi bis interrogentur, vt reſpõſum caput habeat. Caput adoleſcẽtis ſenex eſt: ducũt enim ſenes adoleſcentes, vt caput membra gubernat & regit. Habeat ergo caput in ſene, ſciſcitetur ſenes, vt reſpondeat adoleſcens; bis, inquit, interrogeris, vt quaſi coactus dicas: neque enim licet adoleſcentibus reſpõdere vt ſenibus ſemel diſquiſitis, doctis iam larga rerum experientia; bis imò interrogetur iuuenis, vt à ſene, quaſi ex capite reſpondeat, compulſus quaſi & victus, non ſolùm ex officio diſquirentis; nam hoc ſenum eſt.

40 Nec quod Geneſ.3.cap.dicitur ſerpenti; *ſuper pectus tuum gradieris* (de quo cap. 4. huius libri longiùs) facit ſerpentes greſſiles: imò ſunt natura reptiles, vt monſtrauimus, non greſſibiles; greſſus enim ſolùm impertitur quibus inſunt pedes. Quo dixit Cicero loco allegato. Animalia alia gradiendo, ſerpendo alia ad paſtum accedunt, ſeiungens reptum à greſſu, ſerpentibus reptũ impertiẽdo, greſſum pedeſtribus. In Geneſi enim communiter *gradiri* accipitur pro eo quod eſt quouis modo in gradus ire, ſiue pedibus, ſiue ſecus. Eſt *gradiri* in gradus ire, vltrà ſcilicet progredi; ſtrictè verò non gradieris, imò repes. Ironicè ſatis di-

ctum est serpenti; *gradieris super pectus*, cùm gressus supra pedes tantùm sit, & reptet supra pectus solum. Est gressus aliis animantibus perfecti motus supra pedes, est tibi supra pectus & cor; gradiri enim tentasti superbia, dolo, & inuidia, in gradus ire & augmentum, in cælum conscendere; at repes, ideo gradieris supra pectus, retrocedes in pœnam delicti, non vltrà ibis sursum, quin potiùs supra pectus deorsum, summisso capite reptabis perpetuò. Serpentes ergo huius rationis sunt Græcis ἑρπετά, Hebræis *nachasc*; serpens, reptile, reptans, repens, Latinis.

De serpente Scripturæ sacræ.

Caput III.

GEnes. 3. cap. sic dicitur; *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus* 41
Deus. & infrà eodem cap. *Quia fecisti hoc, maledictus* ▪ *inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terrram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Vbi execratur, abominatúrque Deus serpentis astutiam, punit malitiam, fraudes, cautelam. At Matth. 10. commendatur maximè & extollitur iis: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Quibus difficile satis sese offert illud; cùm varia adeò, & inter se dissidẽtia sint genera serpentiũ, vt dixerit Isidor. 12. etymolog. lib. 4. cap. tot esse dolores, quot colores, tot colores, quot genera, tot genera, quot venena (vt elucescet postea) quis fuerit serpẽs ille, qualísve, qui Euã seduxit, qualitérque illi insidias parauerit: tum quomodo cohæreant 42
quæ his locis Scriptur ædicuntur. Vltimò, cùm serpen

pentes, vt nec alterum aliud brutorum animantium,
veram poſſint obtinere prudentiam, cùm hæc ratio-
nis practicæ ſit virtus, partis ſcilicet animæ rationis
actiuæ, aut factiuæ ars, ratione carentibus quomodo
impertiatur. Eſt prudētiæ proportionem medij & fi-
nis inuenire, cognoſcere, iudicare; quod cùm ratio-
nis quid ſit proportio quæ ad rationem ſpectet, ge-
núſque omne ſenſibilis excedat, quæ præcisè ſenſu
viuunt, neceſſariò prudentia deſtitui videntur, loco
cuius ſagacitas ineſt, pondus quoddam & naturæ in-
ſtinctus, quo operantur, non omnia, ſed quædam: aut
in quædam aguntur perfectiùs aliis ratione carenti-
bus; non tamen omnia, cùm non ſit eorum omnia co-
gnoſcere, ſed ſolùm illa quorum eſt ſuſceptiuum or-
ganum corporalis naturæ: prudentia enim præui-
det omnia futura, præſentia, ac præterita; tum circū-
ſtātias, tum actus, non quædam, & quædam non; aliàs
erraſſet prudens in iis adhuc in quibus agit pruden-
ter, ſi opus deficeret aliquo non cognito, aut viſo, ſi
omnibus prouidere, præuenire non poſſet, quæ ad
44 actum ſpectant. Homo ergo ſolutus organo ſuperio-
ri animæ parte agit prudenter, quo & præmium, &
pœna adeſt rationali naturæ; hinc aliis deeſt: hinc ſe
mouet liberè ſolutus organo, non naturaliter organo
alligatus, ex ſe agit, media eligit, intendit finē, cùm
finis rationē cognoſcat. Eſt eius omnia ordinare in
debitum finem, cuius eſt omnia cognoſcere, & om-
nibus vti, vt opus perfectum ſit, & nulla ex parte defi-
ciat. Eccli. 15. *Reliquit illum in manu conſilij ſui.* Aliàs
defraudaſſet naturam iuſtiſſimus opifex, aut illam
condidiſſet inconcinnè ſapientiſſimus artifex, ſi de-
bitum eiuſdem modum violaſſet, perfregiſſet.

Pleraque alia oriuntur dubia ex hac literæ enarra-
tione (infrà de natura ſerpentis facto ſermone.) Ser-
pens,

pens, anguis, coluber generali & communi significatu non hæc, aut illa serpentium genera præscribunt, quæ sunt varia & dissidentia satis natura; omnia verò indistinctè, & sine exceptione aliqua notant & exprimunt synonymia quadam, largáque significandi licentia. Dicitur enim serpens, quia humo sepibus serpit, quibus occulitur fugiens, & latitat, non se erigit gressu: anguis verò quod in angulos cedat, & non rectà interim dum mouetur; voluitur enim & circumuoluitur obliquè, plicatur, & complicatur orbibus & spiris; tum anguis, quod in aquis degat, & non terris solùm: neque enim aquis immersi suffocantur illi; viuūt imò, quasi ancipitis & amphibiæ naturæ, vt pleraque alia terras & aquas incolunt. Nō 45
minus coluber serpens omnis vocitatur, quod colat vmbras. Docuit Isidorus loco cit. ex etymolog. cap. 4. Plinius lib. 28. cap. 4. vbi draconem Æsculapio dicatum vocat anguem, & reliquos omnes venenosos serpentes itidem. Hieron. ad Præsidium idem. Etsi in Scriptura sacra serpens & coluber in exemplum trahantur, anguis tamen nomen subticetur, vt moneremur maiori animantis malitia, fraude & cautelis. Nam abdi & occuli vmbris, locísque obscuris & abditis, vt latenter irruat dolosus & fallax, quæ colubri importantur nomine, capite, corde, pectore, & vētre terrena petere, rebúsque fugacibus affigi, terrenis & leuibus, corde hæc premere, amplecti, & circumuolitare per hæc, quæ nomine serpentis notantur, deteriora sunt multo, quàm in angulos cedere ex vitiosa corporis constitutione & natura: illo enim malitia mentis significatur; hoc verò solùm corporis defectus, & apparentia solùm iuxta naturam animantis. Speciali verò & propria nominis significa- 46
tione serpens, coluber, anguis vulgarem nostrum

&

& communem anguem, cucumerem dictum (quod colore & figura orbibus & spiris illum æmuletur) tam terrestrem, quàm aquatilem consignant. Serpens ergo absolutè & sine addito (antonamasia & vi anologiæ) propter communissimã & vulgarem eiusdem naturam, tam in Scriptura sacra, quàm apud Gentes tritum nostrum, notum satis, communem anguem colubrum exprimit. Plinius lib. 8. cap. 14. maximum fuisse extinctum serpentem anguem à Regulo Imperatore in bellis Punicis, circa flumen Bragadam, refert, quem figura, colore, motu, & aliis suadet anguem fuisse. Virgilius 3. Eclog. sic cecinit;

Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Quoties verò de aliis serpentibus sermo incidit, cum addito illis aptatur hoc nomen: atros enim vocant reliquos serpentes, viperas, aspidas, dipsadas, hæmorras; quo dixit Virgilius Georg. 1.

Ille malum virus serpentibus addidit atris, &c.

47 Tum Genes. 3. de serpente absolutè dicto sermo texitur; & Numer. 21. dum de dipsade, scorpione, vipera, & regulo sermo erat, semper cum addito nominantur serpentes. Vocat ignitos, vrentes, & flammeos, flatúque adurentes. Constat cap. 8. Deuter. & 20. Apoc. vbi draconem serpentem cum addito appellat. Absolutè verò, & sine addito dictus serpens, est vulgaris noster anguis & coluber.

Omnium verò ea est communissima natura, vt perfidi, illiberales, superbíque sint. Docuit Arist. 1. de hist. animalium cap. 1. Isidor. 12. etymolog. cap. 4. cũ Plinio, & Æliano locis adductis. Genus omne serpentium callidum, dolosum, asturum, noxium, plus minúsve est. Dixerat de serpente Spiritus Deus Gen. 3. Sunt sanguinei, vt plurima alia animantium genera, & vt genus piscium; imò sanguinis & lactis auidissimi

ſimi, quæ dolosè ſugunt & cautè, aliis neglectis. Contulit cum piſcibus ſerpentes Ariſt. de partibus cap.11. Eſt animal cortice intectum ſerpens, magnus præcipuè, cuius ſquama fit cortex, cortex cruſta, cruſta teſta, teſta tandẽ durior oſſe euadit. Nullo modo eua- 48
riat ſerpentiũ genus inter ſeſe; omnia ſimillima lacertis obtinẽt tereſtribus, ouiparis, interna, externa, prona, ſupina: quo dixit Ariſt. 4. de partib. cap.1. & 2. de hiſt. cap 17. ſi pedes lacertis demas, & longitudinem addas, lacertus fiet ſerpens; ſi addas ſerpenti, & contrahas, ſerpens fiet lacertus. Inquit enim; eſt ſerpens lacertus expes productus, longius, turpius habet omni animãti caput: nã cùm ſit caput ſurſum ex natura; docuit 2. de cœlo c.2. Ariſt. de communi greſſu & motu animalium (mirabile dictu) inter omnia animantia oritur ſerpentibus non ſolùm ſurſum latiori, & ampliori corporis parte, deorſum imò etiã ſtrictiori, & caudæ infami ſeceſſus loco, vt ſit multoties capitatum vtrimque ſolum hoc animans. Docuit de Amphisbena ſerpente Nicander in Theriacis, Galenus de Theriaca ad Piſonem cap.4. Auicenna lib.4. fen.6.tract.3.cap.41. quem vocat bis ſalientem; nam cùm polleat capite vtrimque, mouetur & ſalit ex vtraque parte æquè facilè, hinc & illinc. Lucanus lib. 9.

Et grauis in geminum ſurgens caput Amphiſibena.

Ariſt. 4. de generat. animaliũ cap. 4. Aëtius, Paulus, Dioſcorides, Ælianus, Rodiginus, Oppianus, Solinus cap.30. polyhiſtoriæ. Cùm ergo caput, & ſurſum altior animantis pars, deorſum obſcœno oriatur excretionis loco, quod erit turpius animans? Tetrum caput, venenoſum, infame, malitia plenum, fallacia & dolo, quod non erigitur ſupra collum. Carent collo ſerpentes, humeris & armis ſine medio. inſeritur

1.de gener. animalium cap.7.Volubile nimis caput,
49 inconstans, liberum, incertum, vagum. Nullum animans sic volutat caput antè & retrò, sursum & deorsum, ad dexteram & læuam, ac mouet serpens, caput proiicit retrò humeris, æquat & scapulis, vt destitutus capite & mutilus videatur.6. de histor.cap.4. & 5. Arist. Habet vertebras flexiles nimis, cartilaginosas, ductiles, vt facilè circumrotet caput, & vertat in gyrum; vt cùm prolixum corpus & longum, euolui non possit facilè, retrò subitò & celeriter caput verset, & in circulũ agat, vt incommoda fugiat præuisa capite moto liberrimè.eo loci Arist.Toti hæret pectori, cordi, confusum nimis, non supra totius vniuersam Rempublicam constitutum digniori sede, imò confusum cum illa, & inordinatum; caudam supra caput constituit, eleuat, & secus atque animal omne subdit caput caudæ, vitiosæ parti excrementorum. Est caput duplicis gustus; triplicatæ linguæ, bifidæ & diuisæ, dimidij visus, acerrimi & occulti auditus, potentissimi & abditi olfactus, tactus molissimi, venenosum, inconstans, ossibus structum debilissimis, exuccum, exangue; dentes exertos obtinet, peruersos, aduncos, cauos, caninos, quos exerit illicò, occasione quauis; minatur illis fallacia & dolo, vt lingua iciat, non dentibus, quos ostentat primò, vt cùm distortos & euersos videat, non timeat animal, & lingua impetatur cuius virus non timet. Arist. 2. de partib. cap.17. & 2. de histor. 17. cap. Lingua acrior multo & perniciosor, quanto senior & antiquior extiterit serpens, aculeo indurato temporis tractu, maledicentiæ icon; quo sunt peruersiores, sæuiores: à quo Plinius & reliqui accipiunt. Caret naribus formatis deforme caput, turpe & obscœnum, mutilum auriculis, difficulter nimis respirat, narium

defectu

defectu; quo caret ſpiritu & motu, & ſenſu inordinato viuit, ſpirituum defectu : oculos peruerſos ad latera poſſidet, quorũ non coëunt ſimul viſorij radij, vt videat ſimul eadẽ; vno imò videt oculo eadẽ toruè, vt videt inuidus; ſi vtriſque, duplicata videt, quæ ſpectat ſemel in aliis, quæ in ſe ſimplicia & minora, inuidiæ more, in aliis duplicata, & maiora. 17. de hiſtor. Philoſophus; quo Eccli. 25. ſic dicitur: *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri.* Dictis patet quantum ad literalem ſpectat ſenſum; ad ſpiritum infrà.

Viſcera eadem ſerpentibus omnibus, eiuſdem ra- 50
tionis, confuſa, longa, indiſtincta, anguſta, pinguia, adipoſa : longa propter longam figuram corporis, diſſimillima ab omnium animantium viſceribus; maiores fæminæ, potentiores hoc genere maribus, deteriores veneno. 3. de hiſtor. c. 1. Plinius cap. 62. & 66. lib. 10. Nicander in Theriacis, Ælianus, Solinus cap. 30. Reſpirationis via, quam aſperam, tra- 51
chiámve vocamus arteriam cannámque pulmonum, gula, eſophagus, via alimenti, his longiſſima adſunt: at gula longior, cuius caput vocatum larynx, ſic gulæ immergitur, vt ſub lingua appareat diſſitum; caret ligula monſtroſum nimis, ſolum ſibilum format orificio laryngis. Eſt lingua tenuis, longa, bifida, tripartita, atra, capillamentis quibuſdam diſciſſa; eodem loco Ariſtoteles, à quo Plinius lib. 11. cap. 37. qui diuiſionis modus nulli alteri contingit animantium. Cor renis figura diuiſum eſt, non decumbit in pectus mucrone, aut cuſpide, vt porrigitur omni animanti; eſt longum, exiguum, hæret extremis aſperæ dictæ arteriæ. Pulmo poſt illud ſimplex, vnius ſolùm lateris, alæ vnius, prælongus, fibroſus, plenus fiſtulis, longo interuallo, à corde diſſitus, exiguus: lien rotundus, vt lacertis ineſt; longum iecur, ſimplex & de-

bile: vesica bilis aquatilibus serpentibus est iecori annexa, terrestribus intestinis; venter similis ventri auium & piscium, simplex & vnus, suprà Aristoteles, Plinius, & alij; docet dissectio.

52 Instrumentis propagationis naturæ à lacertis dissentiunt, reliquis consentiunt. Testes obtinent lacerti, sepentes secus, quorum vice meatus possident, quibus profluit semen, qui coëunt in vnum, more piscium. Oua pariunt non secreta aut seiuncta, coniuncta imò, complicata, & vnita monilis instar: quæ hoc anno exponunt, excubãt sequenti. 1. de generat. cap. 1. & 2. cap. 17. 5. de histor. 34. Vuluã habent diuisam, duplicatã, tenuem, longam nimis, occasione cuius monstra in hoc genere rariùs contingunt natis vero ortu; contrà putredine ortis, quod semina semiformata non coëant longitudine vuluæ separata & seiuncta. 3. de histor. cap. 4. Bifidam obtinent auium instar infra septum consitam, nexam spinæ vuluã. 3. de histor. cap. 1. In summa serpens æmulatur aues cæli, illísque æmulatur superbus & inuidus: longam figuram corporis seruat, auium modo longam; non secus ac serpens antiquus Apocalypsis 12. ipsi

53 inuidere est ratus naturæ auctorem. Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Laci* dixit quod lacus paludes habitet immundum animal serpens; suprà ex Iob diximus. Caret auriculis duritie cutis impedito exortu, non vt aues, quibus aurium materia in rostrum vtile nimis conuertitur; sed carent auriculis duritie & contumacia, resistentia &

in-

inobedientia naturæ, quo ſuos audiunt intra ſe factos ſonos, externos minùs, aurium defectu. Palpebras continent breues, quarum ſuperiorem non mouent, vt nec mouent aues, præter columbam, quæ vtraque conniuet; Ariſtoteles 2. de partib. cap. 13. & aues proceriſsimi volatus: inferiori conniuent ſolùm ſerpentes, non nictantur, cùm nictentur aues aliquot, vt bubo, & aſion, membrana oborta ad oculorum angulum minorem, cutis duritie deficienti ſerpentibus illa; aues viſu acutiſſimo egent, quo pollent cùm cibum quæritent terra, aqua & aëre, quibus eſt opus viſu diaphanis, ſerpentes olfactu acerrimò, cùm ſubterranea inhabitent; ac ſi fugiant lucem, 54
quærunt latibula, latebras, foramina terræ. 9. de hiſtor. cap. 27. non mouent in latera inferiorem maxillam, & hanc ſolam mouent ſurſum & deorſum immota ſuperna, vt aues & piſces, præter crocodilum & pſittacum, & ſcincos terreſtres crocodilos; quorum crocodilus ſupernam agit inferna quieſcente, pſittacus vtramque liberè euoluit, & crocódilus ſcincus dictus: mouent omnia reliqua animantia in latera infernã, ſuperna quieſcente; quorum omnium eſt natura communis, vt iam patet ſuprà 1. de hiſt. cap. 11. 3. c. 7. cuius reddit rationem Ariſt. 4. de partib. 11. cap. Nam quibus dentes adſunt molares, iis motus maxillæ in latera ineſt, vt ſolidos comminuãt cibos: comminuunt verò terreſtria ſolidos animantia; ſunt ſolida alimenta terreæ naturæ.

55
Serpentes ſuctu aluntur, rebus liquidis, ſanguine, herbarum ſuccis, ingerúntque ſolida ſolùm non maſticata, ſed comminuta ſuctu, & preſſione oris attrita, gliſcunt cuniculos integros, comminutos tamen, tritos, quorum ſucco intus aluntur ſolo, reliquis aliis expulſis ſeceſſu; quo non ore mandunt ma-

xillarum motu, nec conficiunt cibos, nec mansitant solo suctu: imò succum eliciunt, & hoc solo vtuntur; ideo non masticant in latera. Vesica destituuntur, vt crustata omnia, excepta testudine, quæ crustæ impedimento & duritie non exoluit excrementum humidum, ideo eget vesica, in qua colligatur. 3. de partib. c. 8. Habet testudo sanguineum pulmonem, fungosum & calidum, vrgetur siti, & incendio, bibitque nimis, vt non dissipato potu densitate testæ, vesica indigeat, in qua coasseruetur excrementum illud: illis enim impertitur instrumentum hoc, quæ vtuntur potu, quod sanguinea sint, & pulmonis calidi, quo incendio flagrant, vt largè ebibant. Vertitur in squamas piscibus, in plumas auibus, in cutem & crustam serpentibus, excrementum aqueum; ideo vesica eis deficit, quod minimè bibant, in hæc dicta conuerso potu, alioqui pauxillo. 8. de histor. cap. 4. Lentiùs absoluuntur à coitu omni alio animanti; sic coëunt, vt mutuo complexu vnum corpus biceps appareat; corpora duo plicantur nimis, vt cùm exigua corporis parte sui expleant Venerem, corporis prolixitate inepti, & membris quibus amplexentur destituti, agilitate corporis resarcire enitantur defectum, complexu mutuo sese obuoluentes plicaturis & orbibus. 4. de partib. cap. 13.

56 Hoc genere animantis, quo nullum est in omni natura deterius aut execrabilius, nullum perniciosius infestiúsve homini veneno & moribus, hoc dæmon vtitur & abutitur commodiùs, detestabili forma & formidanda, cogente Deo, vt communiùs eo vtatur, vt moneamur natura animantis de abdito, & simili moribus dęmone occulto & latēti in vera natura animantis, quo serpentem ingressus seduxit Patres, Genes. 3. & apud Gētes draconibus vsus idololatriâ, & angui

anguibus, de quo inferiùs, & de animantibus aliis quibus abutitur. Dracóque dictus est Apoc.12.& 20. cap. & serpens antiquus, colubérque locis plurimis Scripturæ sacræ; & per naturam huius, verámque historiam dantur plurima intelligi sensu mystico de aduersario dæmone, vt per visibilia, inuisibilia possimus conspicere, & admodum execrabilis illius naturæ veneno & pernicie, dæmonis conditiones intelligere & percallere possimus. Quo antiquissimus mos est pictoribus, dum ruentem Luciferum è cœlo depingunt, suósque sequaces, serpentina forma eosdem induere; imò Gentes quæ Deum ipsum verum, modò Iouem, Saturnum modò vocitabant, ob diuersa munia, quæ circa homines gratissimè exercet ob clementiã & pietatẽ, ratæ sunt, dum è cœlo deturbabat dæmones, & spiritus sibi molestos, in serpentinas formas commutasse, serpentiúmque figuras indidisse; vt Pherecides Syrus tenet lib.1.cap.1.& extat apud Valerium Maximum lib.1. cap.8. qui referunt, Luciferum dæmonum principem è cælo pulsum à Ioue, formam serpentis suscepisse, dictúmque ideo fuisse Ophioneum, id est, serpentinum Græcis. Vsus & dæmó serpente non solùm hoc loco Genes. 3. verùm & Danielis cap. vlt. apud Chaldæos per draconem serpentem de consultis responsa reddens; & post Christi aduentum, vt notat Epiphanius aduersus 17. hæresim, serpens fuit, quem consulebant antiqui, quasi authorem scientiæ *boni, &* mali. Omitto dracones plurimos, & *serpentes, quibus* est vsus dæmon inter Gentes, vt *historiæ restantur* plurimæ; cur verò hanc formam subierit, hócque animantium genus, & an solum hoc, infrà cap. 6.

De his quæ sensu literali, & mystico ex serpentis historia elici queunt.

Capvt IV.

57 GEnes. 3. cap. hæc contineri diximus; *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus, &c.* Dictus est serpens quod serpat humo, & quod se occulat sepibus, vt fit palàm illo fugiente, qui cùm odio habeat genus humanum erectum & celsũ, formæque proceræ, quod erectos ad sydera efferat vltus, osque sublime, illi æmulatur & inuidet reptans & infame animans, quasi cõdoleat de rectitudine, celsitudine, & præstantia hominis; vilius & abiectius animanti omni alio naturæ inuidet illi quem reliqua omnia naturæ animantia venerantur & amant, superioremque, & excellentiorem iudicant. Rectitudinem ergo hominum cùm abhorreat, sepes quæritat viso illo, quibus abditur fugiens; quo & quærit latebras. Cùm enim homo ad imaginem similitudinémque sui conditoris extiterit, cœlum versus, quasi arbor inuersa, quæ vitam & alimentum è cœlo suscipit supernè illud inspectans (Plato dixit dialogo de natura, cuius sursum, sursum est inter omnia viuentia solum, nulli alteri concessum) reptilis serpens, qui priùs extiterat ipsius Dei prototypíque hominis & exemplaris æmulus, ille qui dixerat Isaiæ 14. *In cœlum conscendam, super astra*
58 *Dei exaltabo solium meũ, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo*; dictus serpens Apocal. 12. & 20. c. orbis seductor, dracóque magnus, quod sit homo ad Dei imaginem eiúsque similitudinem conformatus, ipsúmque

ipſúmque cauſam exẽplarem ſuorum actuum; non 59
ſolùm efficientem quod referre poſſit, vt eius actio-
ne ſit ipſi ſimilis, illíque opere conformetur, eſt illi
acerrimus æmulator in ſerpente, quæ ſecundum ſuæ
naturæ conditiones & leges hominem odit, antipa-
thia & diſſenſu, à culpa commiſſa; vt animantia plu-
rima per naturam diſſentiunt inter ſeſe, agnus & lu-
pus, vipera & aranea, mus & fel, miluus & pullus,
homo & torpedo, & alia plurima animata & animæ
expertia, argentum viuum & aurum, ſal & argen-
tum viuum, aliáque pleraque. Propter figuræ recti- 60
tudinem peruerſum nimis, in angulos cedens, &
obliquum animans, quantum obliquum opponitur
recto, fugit hominem inter omnia animantia, abdi-
tur & ſepibus occulitur terræque glebis. Quo Eccle.
10. dicitur: *Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.* La-
tet ſepibus, quibus ſegetes fulciuntur & circumual-
lantur, ſerpens, tum loci deliciis allectus, amœnita-
te & florum varietate, tum humiditate, temperie, &
fragrantia loci; quod amant ſepes colubri plus aliis
multo. Sic faſſus eſt Iob de Behemoth ſerpente cap.
40. *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humẽ-
tibus.* Sepes humidas quærit, quas inhabitat. Sunt
ſepes limina & termini, ſunt meta, quibus agros di-
ſtinguunt coloni, qui iuſtitiæ modo vnicuique red-
dunt quod ſuum eſt, quibus & continentur propria
& vitantur aliena; fures impediunt & arcent, venu-
ſtatem conciliant & pulchritudinem ſegetibus, in-
ſtar coronæ & ſtemmatis, variis gemmis, florum va-
rietate exornatæ & illuſtres. Qui ergo diſſipat ſe-
pem, terminum & metam, quibus debet contineri,
ſeu rationis limina, colubro impetietur, mordebit
eum coluber; tum qui ſepes vaſtauerit quibus colu-
ber latitat occultus & abditus, vt in propatulo fiat

& palàm qui abditus erat, ſcandalo, imprudenter, ſepe diſſipata qua occulebatur, icietur colubro, & eius inficietur veneno. Quo Pſal. 67. præmia polli-
61 cetur Pſalmographus ſacer illis, qui inter medios cleros & terminos rationis & legis, inter præcepta dormiunt & requieſcunt, non excedentes ſibi conſtitutam metam, non auidi eorum quæ vltra terminos ſibi præſcriptos continentur; imò quaſi ſomno conſopiti, vel alienorum non reminiſcuntur, vel quaſi ſomnia vana, & fugacia reliqua diiudicant, inter medios cleros edormiunt & requieſcunt: quo ſubdit eo loci, pennas deargentatas columbæ eos habituros, quibus poſſint altiſſimos volatus ad ſydera vſq; edere, vt columbæ quæ alas argentei coloris ſunt nactæ, plus aliis multo peruolant. Ælianus lib. 3. cap. 43.
62 & 16. cap. 2. Ariſt. 5. de hiſtor. cap. 13. liuidi coloris argenti quaſi ſubacti, & malleolo ducti. Columbas fortes eſſe, & conſiſtentes, ſuique iuris edocet; neque facilè à volatu deſiſtere, nec in maceria poſſe contineri, tenent Plinius & alij. Et poſteriora eorum aurea promittit, poſtremitatem ſcilicet, & vitæ finem aureum, incorruptibilem, æternum.

63 Reddit ſerpens colorem terræ cui hæret & figitur proceſſu temporis, alimenti vſu, cuius ſic æmulatur colorẽ, vſus terra vice alimenti, vt à ſuppoſito ſibi loco difficulter nimis diſcerni poſſit temporis tractu; vtitur enim terra in alimentũ inter alia quæ vorat obſcœnũ hoc animãs inter animalia cuncta. Docuit Ariſt. 8. de hiſtor. cap. 4. Plinius lib. 8. cap. 23. Galenus de Theriaca cap. 4. docet imò Spiritus Deus per Iſaiam cap. 65. vbi proſpera enunciat Iudæis de Chriſto vẽturo, his: *Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedẽt paleas; & ſerpenti puluis panis eius* Lupi, rapaces tyranni, Gentiles cum mãſuetis agnis Dei, populo

pulo Iudæorum, qui Christum iam venisse credidere, in eius aduentu simul pascentur cœlesti doctrina, Christi ore prolata, tum Christicolæ leo, filius & progenies leonis Christi (de quo dicitur Apocalypsis 9. *vicit leo de tribu Iuda*) & bos defessus, populus Hebræorum veteris legis, eorum qui Christum fassi sunt paleas comedent, & ceremonialia absument, vt
recedãt vetera, & noua sint omnia; & serpẽti puluis 64
panis eius, dæmonis alimentum & esca, peccatum scilicet puluis erit, mors & infernus quasi ad nihilum redigẽtur potẽtia Christi. Semélque his in puluerẽ redactis & nihilũ, prototypus hominis Christus iterũ formabit hominẽ puluere illo subacto, iis iam in puluerem conuersis, non solùm aqua, imò aqua & sanguine: signum vitæ quam impertiebatur in lege gratiæ victuris hominibus, per illũ qui est via, veritas, & vita, Ioãnis 14. Aliàs mortuis cur sanguinẽ erogasset? neque enim sanguine vtuntur vita defuncti, vt obtulit in patibulo crucis hominibus mortuus, Baruch 6. Sic corda eorũ dicuntur elingere serpẽtes qui de terra sunt, dum comedunt eos, & vestimenta eorum, & non sentiunt. Serpentes enim cùm terra vescantur, lingunt corda eorum qui sunt de terra, sanguinémque, vires & spiritus linctu, molli quodam suctu rerum fugacium excipiunt & furantur.
Micheas 7. desolationem prænuncians Sion sic; *Lin-* 65
gent puluerem sicut serpentes, velut reptilia terræ, proturbabuntur ab ædibus suis. Contingit enim serpentibus vsu nimio subterraneæ domus quam habitant, continuo linctu ruinam & excidium sibi parare, subuersione eius, laceratis parietibus fũdamẽti, & tectis exesis ab ipsomet inquilino & accola; non secus ac terram lingunt mortales, qui sibi vitam ex terrenis parant, suntque sibi excidio & ruinæ, terrena semper elin-

gentes vſque dum proturbantur ab iis ipſis, ſerpentium more, ruina & lapſu eorum quibus maximè detinebantur. Cùm ergo ſerpens terra vtatur in alimentũ aſſuefactione & vſu continuo, dum illi inſidet, ſumma cũ difficultate diſcerni poteſt & ſeiungi, factus iam terra quaſi. Occulitur dæmon cõſuetudine & aſſuefactione terrenis rebus, iis ſepibus amoris proprij, quibus nos ipſos cõtinemus & vallamus, noſtráque obſeruamus ſepibus quaſi, quibus & coronamus nos roſis, floribus & deliciis, vt coronantur ſtulti Sap.2. His abditur & occulitur dæmon, ſic his hæreſcit & inſidet, vt lege conſuetudinis, & peccandi habitu ipſum ab his quæ expetimus non diſcernamus; ſic eſt illis communis & confuſus vndique. Quo
66 diuinus Vates ab occultis his mundari petit Pſalmo 18. dicens; *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Vocat aliena peccata, vitia aliorum, noſtra occaſione commiſſa, quæ etſi aliorum ſint, non minus noſtra reputantur. Hac ſerpentis proprietate, & natura poteſt explicari locus ille Pſalmi 10. *Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentẽ.* In affluẽtia latet occultus ſerpens, florentibus ſepibus inſidet, vt irruat callidus & aſtutus in animãtia imparata & ſecura, allecta loci ſuauitate & pulchritudine. Dixit & Virgilius, *latet anguis in herba.* Loco adacto ſic cædit incertũ animal, vt qua velit petere ignoretur prorſus. Mille volutus modis, mille nodis plicatus, pedes adoritur primò, terrę fixus, vt nutet caput & ruat: reſpirationis viã intercipere tẽtat; ſimul ac cecidit animal ſuffocationis infert periculum: ſic ſtringit fauces plicatus orbibus, vt viã ſpiritibus cohibeat, & ſpirationis viã intercludat.
67 Hinc primò eſt aggreſſus Euam. 1. pedes, Geneſ. 3. quo dicitur, *& tu inſidiaberis calaneo eius*, vt capitis pericu-

periculum Adami notaretur, rationis & hominis. Imò 49. Genesis sic; *fiat Dan coluber in via, & cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Pedes ergo adoritur primò, inferiorem portionem, appetitum, fœmineam partem, terrenam magis, terrestrem; hàc ire velle significans, se vertit aliò, cuius dum nituntur animantia vitare motus, in illum incidunt. *Est difficilis via colubri super terram*, Prouerbiorum 3. cap. Caput & humeros colligit, & ad medium retrahit; se victum & inferiorem simulat, subditum quasi; simul verò atque hanc expleuit figuram hoste securo, ex se exit subitò anterioribus erectis, duplicatis orbibus, quo incauta animantia, iam quasi victoriâ superba & secura vincit & superat summissus ille. 1. de histor. c. 1. & locis allatis. Blãditur cauda, vt ore petat; vulnus inferat & mortem, vt deglutiat, cõtrahitur, submittitur, & in se cædit, vt in se cædat. 1. de histor. cap. 10. 8. cap. 4. Hinc Ecclesiastici 19. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Hypocrisis aptissimum hieroglyphicon & simu- 68
lachrum. Sese colligit hypocrita, humeris submittitur, contrahitur, exterminat faciem suam, vt videatur ieiunus, & liber ab omni rerum copia. Matt. 6. colligit humeros, vt ingredi possit stricta quæuis, vt eum capiat arcta & stricta ambitionis & affluentiæ porta. Isa. 33. *possedit tremor hypocritas:* quod se contrahunt, vt qui tremore afficiũtur, contrahuntur; tremunt enim mentientes & timent, contrahunt se vt maiori impetu insiliant & ruant, vt qui saltant retrò veniunt,
vt antea vltráque prosiliant. Antidotus verò contra 69
hos venenosos & famelicos serpentes extat Prouerbiorum 13. iis; *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè; sed in nouissimo mordebit vt coluber.* Vocat hypocritas vinum & colubros,

colubros, quia inebriant homines, & extermināt ſe, & alios ſe ducunt. Hos non in vitro inſpiciendos, non in apparenti oſtẽtatione, cōſulit Spiritus ſāctus: nam coloribus, figmentis ſplendent in vitro apparentiæ, vt vinum ſplendet; at poſtea his blandimentis irretitos & ſecuros mordẽt, vt coluber mordet, caput feriunt vt vinum, blanditiis alliciunt; at ſemel atque incaleſcunt fauoris aura tepida, furunt, vt vinum furit calefactum ſemel, vt coluber impetunt; quo fouere anguem colubrúmve adagio dicimus vulgari: nam tremit frigidiſſimum animal, priùs inſtigatum frigore quo alget natura, fotum poſtea exerit orbes cinericios & fundit venenum. Nulli animanti blanditur coluber, niſi quæſtus cauſa, aut fallendi animo, inuidus ſupra omne animās: hinc triſtis inuidia duobus eroditur anguibus; eſt illi cibus inuidia ipſa. Vidẽt omnia duplicata aliena, ſi vtriſq; inſpiciant oculis ſimul, cùm non coëant in vnũ conũ viſorij radij, quod ad latera conſideant iis oculi, ſecus vno oculo aſpiciunt toruè & inuidè, quaſi videre nolint, vno oculo inſpectāt; ſic inuidi aſpiciunt. 2. de hiſtor. cap. 17. à quo Plinius & Ælianus. Hominibus prodeſſe nolens illiberale & parcum, ſenecta ſeſe exuit occultè hoc animal locis abditis, hirſutis & hiſpidis; ſcit eam vtilem eſſe hominum morbis, quibus ille diſſen-
70 tit natura. Eſt callidior omni animanti, verſutior, ſagacior, Geneſ. 3. Nam cùm vulpes reliquis omnibus animantibus ſit callidior & verſutior, & hac ſit aſtutior ſerpens, omnibus terræ animalibus callidior erit, quæ omnia fecerat Dominus Deus (dicitur ibidem.) Docet Ariſtoteles 9. de hiſtor. animantium cap. 1. ſerpentem ſic adulari vulpi, ſic illi blandiri, vt & amicè viuant, & ſudore vulpis veſcatur impudicum animal. Eſt vulpes omnibus callidior aliis. 1. de hiſtor.

histor.cap.1. Ierem.imò 5.Thre. *Sic propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperijt, vulpes ambulauerunt in eo.* Vbi vulpes vocat callidos Ægyptios, qui sanctam desolarant ciuitatatem. Sunt Ægyptij vulpini serpentiníque homines, fallaces, fraudulenti, inquieti, inconstantes, superstitiosi, versuti, quos modò vocamus *gitanos* Hispano idiomate. *Callidum* à calore dicitur, ab actiuitate & energia agendi: calidum enim & callidum actiuum est in omnem partem, distinctè, indistinctè, noxiè & innoxiè; quo Galenus lib. quod animi mores corporis temperaturam sequantur, cap. 3. & Arist. lib. 1. de physiognomia calidos loquaces vocant, inconstantes, in opinionibus varios, inquietos, Ægyptiorum more: temperamento enim calidi multoties loquuntur, affirmant, narrant, solùm vt cor refrigerent partium motu, percussione aëris facta. Appellauit Christus Herodem vulpem
71
Luc. 13. fraudulentum & dolosum hominem, malitia plenum, fallacia & dolo. Est ergo serpens callidior cunctis animantibus terræ, terræ, inquam, non cæli hominibus; nam sancta astutia maior serpente, & dæmone inest sanctis & iustis, cùm serpentem superent, illudant, irrideant: petitur hæc sancta astutia, & iusta simulatio Prouerbiorum 1. iis, *vt detur paruulis astutia.* Vbi Salomon fatetur, prouerbia struxisse, vt nos erudiret paruulos, tum vt paratos redderet astutos, & cautos, contra astutiam & calliditatem serpentis. Ecclesiastici 1. *Radix sapientiæ cui reuelata est? & astutias illius quis agnouit?* id est, cognitionis Dei principium, radix qui est finis omnium, huius sapientiæ; & finis supernaturalis: cognitionem radi-
72
cem huius, Verbum scilicet, quis agnouit, nisi cui reuelata est? astutia illius quibus occulitur? In Scriptu-

ra

ra sacra, parabolas & sensum intelligentiæ, figuras, ænigmata, Prouerbiorum 8. *Intelligite paruuli astutiã, & insipientes animaduertite.* 14. Astutus considerat gressus, quo fiat serpente superior. Si gressus consi-
73 deret principium, à quo medium per quod, finem in quem tēdit. Sunt enim eæ gressus partes. Lingua serpentibus bifida est, tripartitáque ideo, duabus enim diuisionibus in continuo quouis, tres partes resultant; duplicata est illis lingua, duplici ictui apta; locutioni inepta. 2. de partibus, capite 17. Ecclesiastici 5. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua, in serpente dæmone, in simulatione & fraude. Est duplex diuisione, etsi resultet triplex segmentum. Diuisione enim à se, & ab alio est, & diuisio à Deo: diuiditur enim à se qui mentitur, & fraudulenter agit, & à proximo, nam in se tendit; & à Deo,
74 nam ipse est veritas ipsa, *Ego sum via, & veritas*, Ioannis 14. Serpens cùm linguam facilè exerat, reassumit difficile nimis; diuiditur enim iuxta radicem, cuspidem versus, quo facilè exeritur, producitur liberè, & porrigitur; vnita exit simul, diuisa à dextra retrahitur, & colligitur difficulter, laboriosè nimis sese impedientibus partibus distractis, seiunctis & distantibus, extra os diuisis. 1. de historia, capite 17. labia obscœna, deformia, turpia, exertos dentes, aduncos, quibus turpantur maximè. Potest iis exponi allegoria quadam locus ille Psalmi. 119. quo dicitur, *A labiis iniquis, & à lingua dolosa eripe me.* ab illa quæ cùm simplex appareat, dolosa est, duplicata, triplicata imò, non simplex, non vna, susurronum instar, & detractorum. iis est dictum Ecclesiastici 28. cap. *Susurro, & bilinguis maledictus, multos enim*
75 *turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit & dispersit*, lingua tertia, tertiatave segmen-
to

to trino serpentis. Est hæc quæ disperfit humanum genus, est lingua bilinguis susurrans, susurrant enim & sibilant serpentes. 3. de historia capite 9. Facilè continetur ore lingua serpentibus adhuc; at illico ac ex ore erupit, ac diuisa est semel, difficulter nimis; *volat reuocabile verbum.* Horatius 1. epistol. 18. Nunquã duplicatur lingua serpentium, nisi iciat: sed simul ac icit propriis dẽtibus, deformis, lacerata, suũmetipsum sanguinem fundit. 2. de partibus, cap. 17. Caninis dentibus suismet dilaceratur, dum linguã acuit, vt petat; sic acuit, vt dilaceretur serpens. Ideo
Psalmo 39. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*, infe- 76
rentes sibi detrimentum, damnum, & noxam. Ezechielis 18. *Quòd si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, &c. morte morietur.* Filium conceptum, & verbum falsum latronem honoris & famæ, maledicentia, & detractione sanguinem effundentẽ; morte morietur ille talis. Serpentium lingua dura est, leuis, lubrica, facilis, volubilis, inconstans, adhuc intra os vibratur contenta, & compressa. 2. de partibus 17. 3. capite 11. Isaias 34. *Et omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis.* Tales sunt resistentes Deo, *genimina viperarum*, dura enim resistunt tangẽti. 2. de ortu 2. cap. Psalmo 56. *lingua eorum gladius*
acutus, Pungunt illa & dissecant, integra alioqui. 77
Porrigit linguam vltra animal omne maledictus serpens. Ieremias 9. *& extenderunt linguas quasi arcus mendacij*, quasi arcus, obliquas scilicet mẽdacij, aber-
rantes ab scopo vero & recto. Hinc Galenus 11. de 78
vsu partium, capite 10. docet, neruos, motus, & sensus linguæ serpentium, qui vniuersis animantibus percurrunt compares, serpentibus ea parte solùm diuisos, dispares, & seiunctos venire, linguam conflare distinctos, vt dextri dextram, sinistri sini-

stram

ttam ſtruant partem, quo eſt lingua duplicata &
79 diuiſa natura,ſtructura,& ordine.Iacobus 3.*ex eodem
ore prouenit benedictio, & maledictio* duplicato ore &
lingua plicata iis, Eccleſiaſtis 28. dicitur;*Beatus qui
tectus eſt à lingua nequam.* Cor ſerpentium circa gut-
tur eſt, quaſi ad fauces, more ſerpentium peccato-
res & ſtulti cor habent. quo dicitur Eccleſiaſtici 21.
In ore fatuorum cor illorum, & in corde ſapientium os illo-
80 *rum.* Eſt cor diuiſum renis modo, ſerpentibus ſuc-
cinctum, bipartitum,circumſeptum.Oſeæ 12. *Diui-
ſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Eccleſiaſtici 1. *Ne
ſis incredibilis timori Domini, & ne acceſſeris ad illum du-
plici corde*; & cap. 3. *Cor ingrediens duas vias non ha-
bebit ſucceſſus bonos*, & capite 2. *Væ duplici corde & la-
biis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori ter-*
81 *ram ingredienti duabus viis; væ diſſolutis corde.* Cùm ta-
men de cordis ſimplicitate ſit dictum Sapientiæ 1.
*Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram,ſentite de Domino in
bonitate,& in ſimplicitate cordis quærite illũ.*Vates de quo
Deus Paralipomenon 29. *Inueni hominem ſecundùm
cor meum.Scio Deus meus quòd probes corda, & ſimplicita-
tem diligas,vnde ego in ſimplicitate cordis mei obtuli vniuer-*
82 *ſa hæc.*Eſt ſimplex cor iuſti,vnius viæ,Dei ſolius, *Ego
ſum via*;qui cùm vnus ſit,vna via cordis iuſtorum eſt.
Deus eſt vnus, Eccleſia vna, via vna, lex vna, cor
vnum. Sed eſt monſtroſum nimis illud, quod fiſſum
cùm ſit,renis obtineat formam.Renes originem pręſtant proli, & ſoboli; Vaſa enim deferentia ſemen, quæ in teſtes implentur, paraſtatæ dicta Græcis, ſeu contorta vaſa, paulò infra renes, ex inferiori ramo venæ cauæ oriuntur, in quibus ex renibus patet via, & conductus patent,quibus ſubminiſtrant materiam renes, imò ſalſum quo pruriunt excrementum, vrinæ reſiduo; Vrina enim in renibus percolatur, quo reli

relicto salsuginoso, spermatica vasa pruriunt, stimulantur, & animantia in venerem prorumpunt. Vasa enim hæc flatibus distenta, tensa irritantur, salsuginosæ materiæ copia, fluxu & trãsitu titillationis excitato sensu pruriginoso: interim dum fluit, & percurrit illa excrementum salsum, excitato sensu molestiæ, dum fluit interim, voluptate suborta, quòd cùm pruriat pars & stimuletur, pellat quod pruritum excitat, eiaculetúrque semen inferens molestiam, & pruriginem, quo in pristinam naturam pars rediens demulcetur, & voluptate affectatur. Galenus de anatomaticis administrationibus, 3.cap. & septimo de vsu partium. Hinc renibus, & lumbis, 83
quibus ipsi continentur; concupiscentia adscribitur, & origo generationis, sobolísque propagandæ cupiditas, principium, & radix, ibi radicaliter generandi virtus residet, iis vitiatis vulnere, aut alio generandi munere distituimur, & coëundi appetitus cessat. Hinc Regum tertio capite 8. dicitur Dauid Regi: *Verumtamen non tu ædificabis mihi domum, sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis.* Geneseos 35. dicitur; *Gen-* 84
tes & populi tui nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur. Cor ergo eorum, renes concupiscentiæ radix, & appetitus libidinis effrenatæ origo, salaces enim & incontinentes renem pro corde, serpentium instar obtinere videntur. Ideo Aristoteles lo- 85
co citato, serpentes animantes vocat maximè cupediæ deditos, lasciuiæ, & luxui. Renes ergo lasciuiæ sedem, cordis loco, & cor renis vice possident. Quo Nicãder in Theriacis dixit, serpentis morsum lũbos, & renes inficere nimis inter omnes animalis partes, adeò vt inflãmentur, & incendio flagrent, vrantur, æstuent serpente læsi, omnia generationis instrumenta vri, imò penem arrigi inuoluntariè, & inuitè.

86 Cor ergo eorum renes, laſciuia, & mollities, petulantia, & incontinentia animi. Eſt animal ſummè varium temperamento ſerpens. Senecta frigida & ſicca ſecundo gradu, Galenus 2. de temperamentis, capite 1. quo pilis carere docuit, duritie cutis, quos ſolum in gena inferiori oriri docuit Ariſtoteles 4. de partibus, capite 11. Plinius libro 11. capite 36. & 37. Pollux libro 7. cap. de ſenecta anguiu, quá vocat geras, Aetius, Dioſcorides, & alij. Caro earum ſicca in 3. calida. 1. pollet virtute extenuandi ſubſtantiá, & abſumendi, carnes expurgat nitroſis partibus, & ſalſis, ventrem, & per inſenſilem tranſpitationem, qua diſſipat per cutem alimentum, tum viles, & inutiles
87 humores noſtros: inflat quàm maximè. Galenus ſimpliciũ 11. c. 1. & 2. & 2. de locis, capite 9. Plinius 29. cap. vltimo. Paulus prima ad Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Inflauit Euam ſcientiæ deſiderio, & ambitione ſerpens, gula, & ſuperbia; infecit inobedientia; Geneſeos 3. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*, aperientur oculi veſtri. Inflatio vaporibus elatis fit ex materia humida, debili calore agente inualido diſcutere eam & extenuare, vt per cutem exoluatur, aut aliò, quo diſtendunt vapores elati violentia detenti quærentes exitũ, & impediti denſitate partium, & craſſitie ſubſtantiæ. Eſt inflatio, loci repletio, vltrà ac natura fert; replentur enim humidis vaporibus, vltra naturæ terminos quæ inflantur diſtenta. Quò ſeſe excedunt, & non continentur termino proprio inflata, calore deficiente charitatis, in humida vitiorum materia, qui elatos exoluat flatus, & appetitus impetus; extincto enim igne, & calore remiſſo intumeſcunt: *Charitas* enim
88 *ædificat.* Coctio omnia ſolidiora reddit, conſtantiora, firmiora, non flatuoſa, cruda, humida, mollia, &

debilia

debilia tandem. Inflat ſcientia, cùm ſuperbia, & animi elatione, tum ſubiecti diſpoſitione alterata aſſiduis lucubrationibus, curis, vigiliis, ſolicitudinibus, reſoluto calore exoluto & debili, flatus increſcunt, melancholia ſuboritur flatuoſa, & turgida, quò melancholici abundant flatibus, vigiliis dediti, & ſolicitudinibus; magis multò reliquis omnibus, igneo quaſi capite, curis, ſtudiis, gelido ventriculo, frigido, & crudo, melancholia hypocondriaca græcis dicta, ſuborta, flatuoſa, & turgida. Hinc eructant cre- 89
brò, ructántque acidum, vt experiuntur hæc omnes qui nimis multùm indulgent literis. Docet Galenus 3. de locis, & 6. & alibi paſſim. Horatius dixit, *difficili bile tumet iecur*, id eſt, melancholia, nam altera flaua bilis eſt tenuis & facilis, hac timidi fiunt calore debili, corde refrigerato: ideo, *Philoſophi, non milites*, in adagium abiit. Inflat ergo ſcientia, ſi charitatis ignē non perficiatur, flatulentáq; rerũ cognitio, & quæ accepimus, ſi eo non depurentur igne, vt alliciant intellectum, & affectent voluntatem in Deum & proximum; diſtendunt, & terminos proprios excedere faciunt, ſuperbiæ flatibus ſurſum elatis, & ferientibus caput rationis, nec intellectus ſibi ſolus ſufficere poteſt, elatus cognitione rerum; replentur vacua, diſtenduntur mollia, & molles. Qui enim ſcit, & intellectum ſolùm perficere tentat, abſolutè neſcit, finem enim ſcientiæ ignorat, quo & abutitur medio ignorans finem. Cognitio enim, & verum, ex ſe in bonum tendit, bonum verò eſt, quod licet & decet. res qualis eſt in ſe cognoſcitur, ſi in omnibus, qualis eſt percipitur. Qui ergo cognoſcit, & non amat, ignorat res in ſe, & quales ſunt neſcit, inflatur; non coquit, digerítue alimentum, quod non vertetur in ſubſtantiam aliti, in flatus imò, charitatis & caloris

vitalis defectu & extinctione. *Hinc sapientia huius mundi stultitia est*, prima ad Corinthios 1. *perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Isaias 33. Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? quis Deum mortuum, æternum mortale, passibile impassibile, gloriosum vilem reputatum, immensum finitum, ortum qui sine principio, mortuum qui sine fine crederet, & intelligeret? non sapientia hominum, non mundi doctrina. Paulus 1. ad
60 Corinthios 13. capite. *Ex parte enim cognoscimus, & prophetamus ex parte.* Charitas nunquam excidit, profundissima iactat fundamenta charitas. Nam humilis fundamenta astruit humilitatis quæ profundissima incolit, illi sternit viam, quò non excidit charitas, ædificat enim profundissimè, at scientia ex parte. Ex intellectu scimus, amamus: ex omnibus supponit appetitus cognitionem, integrat actum ex omnibus, perficítque. Et cùm ex parte cognoscamus plurima, videntur nobis non adimpleri quæ adimplentur, & plurima scire videmur, quæ ignoramus, quia ex parte videmus, & prouidentiæ fines non attingimus. Incomprehensibilia Dei iudicia, & arcana. Charitas non excidit. Hac scimus ex toto. Scientia & serpente tumidi veneno, & malitia ignoramus, charitate humiles perscrutamur recondita Dei iudicia. Paulus citato loco, *charitas nunquam excidit, siue linguæ cessabunt, siue prophetiæ euacuabuntur, siue scientia destruetur*; neque enim destruuntur, sed cùm sciamus ex parte, videntur nobis cessare, & euacuari, destruique; non tamen excidunt, scientia excidit nostra. Ideo videntur & illa excidere. Antidotum huius morbi præscripsit iis omnibus; *charitas nunquam excidit*; sustinentur hæc omnia in charitate, non in sapientia nostra: charitas
91 in humilitate profundissima. Prouerbio. 11. *Vbi fuerit superbia,*

ſuperbia, ibi contumelia, vbi autem eſt humilitas, ibi ſapientiæ. Eſther 14. Abominor ſuperbiam velut pannum menſtruatæ. Menſtruatæ fœminæ viſum, oculóſque inficiunt, iuxta Ariſtotelem, de ſenſu & ſenſili 2. capite, menſtruatáque omnia: quo obcœcant menſtruatæ mulieres infantes, contactu, & halitu vaporis tetri viſum. Rationis oculos inficit ſuperbia, obcœcat mentem, & obſcurat, inficit. Elatiora enim fulminibus infeſtantur magis; ſuperba & alta ruunt & decidunt, impetuntur plus aliis: ſunt ſpicæ onuſtæ humiliores pondere fructus; vanæ, & vacuæ, celſæ & erectæ ſuperbo capite. Inflat ſerpens veneno & malitia, inflat ſcientia, & inflauit parentes primos. To- 92
tum animal temperamento eſt frigidum primo gradu & ſecundo ſiccum. Cauda & capite noxium, venenoſum, motu continuo harum partium excrementis allectis, deponentibus viſceribus virus, in eas atritu continuo, ne eo inquinetur. Galenus de Theriaca c. 4. & reliqui ab illo: quo reſcinduntur hæ partes ad trium digitorum longitudinem, dum pa- 2
rantur eſui, aneto, aqua, & ſale expurgatis, priùs coctis, maceratis, parantur oleo, vt anguillæ, angues & ſerpentes condiũtur vt edantur impunè, & innoxiè. Extirpant lepram conditæ ſic, moderato vſu, aliàs in- 93
ducunt cutaneos omnes morbos, quos detergunt moderata, & extirpant. Detergit ſerpentis caro modo dicto, altero inquinat. Dentium doloribus, ſtupori, ſenecta manſa eſt vtilis nimis, & oleo cocta, ſi inſtilletur oleum in aures; mulcet dolores auditus acerrimos. Galenus 11. ſimplicium, & 4. aphoriſ. 77. à quo Plinius, & Auicenna; collyriis oculorum vtiliſſimè permiſcetur, infuſione viſum acuit, perficit, auget, ſtabilit. Senecta ſerpentium, dolus antiquus, viſum acuit, nos cautos, & ſollicitos reddit in poſte-
 rum,



rum, vt caueat sibi homo intentis oculis, attentis, &
94 vigilantibus. Marci 13. videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Imò promisit iuxta propriam naturam id ipsum patribus serpens Geneseos 3. *Aperientur oculi vestri in quacumque die comederitis.* Hinc effrænatus visus, curiosus nimis, superfluus, senecta anguium inunctis stupori dentium contracto acerbissimi pomi esu sic occurrit, vt omninò cesset dolor, quo minùs memoria delicti, & patrati sceleris (vtilissima alioqui) supersit, vt cautè homo, & vigilanter viuat, penitùs aufert, & delet, obscurat, ob stuporem, sensus defectu, vitia vitiis superaddendo, & peccata peccatis, Amos 4. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium*, sensum scilicèt & dolorem quo excitaremini, & iis adhuc non estis conuersi. Dedi scilicèt sensum intelligentiæ, malitiæ, & deformitatis vitiorum, & neque iis adhuc conuersi estis: adeo obscurat anguium senecta; & serpentium spolia; sic lumen obtenebrat, & cognitionem, infectio veneni, & virus effusum semel, Ieremias 31. *In diebus illis non dicent vltrà; Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisque in iniquitate sua morietur.* Dentes ergo filiorum, impiorum parentum non obstupescent, esu vuæ acerbæ parentum, sensu pœnalitatũ peccati, stupore vtilissimo, quo reminiscantur delicti & culpæ commissæ, vt resipiscant, viuantque cautè, stupore, & dentium molestia, ideo dixit; *sed vnusquisque in iniquitate sua morietur*, sine stupore & sensu. Ezechielis 18. idem. Senecta ergo stuporem aufert, delet peccati sensum, & memoriam vsu, & consuetudine peccandi peccato obscurato. Prouerb. 14. *Stultus illudet peccatum.* Demulcet aurium dolores, occultat, obscurat, non sedat, quòd causam imminuat, sed quòd demulceat sensum,

ſenſum, quo & redit dolor poſteà acutior multò, longiori tempore perdurans, quouſque cauſa eradicetur alio: auditus dolores acerrimos iuſtè illatos reprehenſione & correctione prudenti demulcet, vt iterum occaſione oblata incidant & reincidant. vitiũ obſcurat, vitiíque cognitionem, quo eſt cauſa extirpanda, occaſióque, ne immoremur ſerpentis illecebris, ſalute ficta & fallaci. Capite & cauda venenum 95
poſſident hæc animantia; eſt vitium in extremis, cùm virtus medium obtineat iure. Apocalypſis 9. *Poteſtas equorum in ore ipſorum eſt, & in caudis eorum.* Nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, & in iis nocent. Ore & cauda, capite & cauda. Superbia eſt caput ſerpẽtis, quod erexit primò, & leuauit in Deum, cauda, qua blanditur hominibus, & pedes ligat, appetitum ſcilicèt, & inferiora hominis, voluptas eſt; hac ruere facit rationem caput, hac pedes adoritur, quo in vtriſq; nocet: hinc capite inſiliuit in Euam ſuperbiæ, *eritis ſicut dij*, & cauda Gulæ, & appetitus voluptate; *comedite*, aufert ſtuporem manſa, expuitione, & maſticatione, contritione, & attritu dentium. Oris confeſſio, expuitio ſenectæ & peccati; contritio, attritio ad ſalutem conferunt. eſt in iis ſalus integra, expuitione vacuata materia, & vitij cauſa, remediis vniuerſalibus prægreſſis, præceptorum, & ſalutis; conſiliorum legis, aliàs ſtuporem ſolum aufert, obſcurando dolorem, relicta cauſa morbi. Quis ergo, quamtumuis væcors, & iners, non videt monere nos plurimarum rerum, iis quæ natura & arte contingunt, naturæ autorem? Si enim vocibus hortamur, admonemúrque, cur non rebus ipſis? Vt hinc pateat, 96
quantum rerum naturæ & artis cognitio intelligentiæ Scripturæ conferat, quantum lectio, eruditio, intelligentia rerum viſibilium, vt ea quæ facta ſunt

inuiſibilia cognoſcamus; nam & ſi non ſufficiant conferunt: Præſtat enim maximè talis cognitio, præcipuè rerum earum, quibus Scriptura vtitur, vt inſtruamur doctrina Spiritus ſancti; nã hęc ſic extitere, vt moneremur ſic, nõ ſic moneremur, quia ſic extiterũt. His fundãtur veri tropologici, allegorici, & anagogici Scripturæ ſenſus; tropologia enim, allegoria, & anagogia ex omnibus naturæ, & artis rebus poſſunt elici: at tropologicus, allegoricus, aut anagogicus ſenſus, ſolùm ex iis quæ in Scriptura ſancta cõtinẽtur elicitur. Eſt literalis baſis & fundamentũ horũ omniũ, habent ij ſuam iuriſdictionẽ, quæ terminis Scripturæ circũſcribitur. Fũdat literalis (Grãmaticali omiſſo) tropologicũ, moralémue ſenſum, allegoricũ, analogicum, ſeu myſticum, fundãtque & anagogicum. His ergo vtantur verbis ſacri concionatores ſolùm, iis non auræ popularis gratia, fictis, prophanis, meticuloſiſque rebus, fabulis, hiſtoriis, figmentis Gentium. Quæ enim in Scriptura ſacra ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, docente Paulo vt ſuprà, quæ vt nec diminutum quid continent, ſic vtilia, & neceſſaria amplectuntur, & ſuperflua & inutilia reiiciunt. Præſenſit Paulus in ſpiritu calamitatem hanc noſtrorum temporum; hortatúrque viros pios, vt ab iis recedant figmentis. Ad Timotheum 1. c. 4. *Iis rogaui te, vt denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide* & 2. 1. c. *Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur*; quo nil hac noſtra tempeſtate vtilius dici potuit. Duplici capite inſignitur ſerpens vltra omni

omnium animantium naturam. Est suprà & infrà capitatum, animal biceps, superbia viget, & gula nimis, capitalibus vitiis, vt diximus; iis adorsus est ille Euam superbia, & voluptate. Ieremias 17. *Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego, paueant illi, & non paueam ego, induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Duplici*, vt caput duplex quassetur & conteratur. Ioseph duplicem funiculum habet Geneseos 48. Ioseph, id est, augmentum Dei (hoc enim significat & notat) duplicem habet funiculum, abstinentiæ & humilitatis, vt hæc duo serpentis capita vinciat & liget, capite 21. Ezechielis de serpente Dæmone sic: *Stetit Rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas: interrogauit Idola, exta consuluit.* Est biuius serpens, est caput duplicis viæ, nam est viæ infernæ, & supernæ caput. Hunc consulit homo, quærit, sollicitat, dum delinquit, & deficit à vero capite Christo diuisum. Consultant caput, non vnum, non verum, fictum imò, duplicatum, & fraudulentum. 1. ad Corinthios 11. *Viri caput Christus est, tum angelorum & hominum.* Inseritur caput eorum cordi sine media ceruice & pectori. est illis caput confusum non supra vniuersam rempublicam constitutum, imò cauda super caput ascẽdit, opprimit caput; superbit, non ordo, non distinctio, non regula, non ratio, imò appetitus imperat, gubernat, dominatur, dirigit, non aliter ac ancilla, & serua Agar Geneseos 17. contra Abrahæ coniugem Sarai, rixas, contentiones & iurgia seminabat; sic cauda in caput insurgit, appetitus in rationem. Deuteronomij 28. cap. iis minatur Deus transgressores legis. *Aduena qui tecum versatur in terra ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes, & eris inferior, ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei, ipse erit in ca-*

98 *put & tu eris in caudam.* Cauda appetitus aduenæ supra indigenam rationem erit impiis, & regulam trãsgredientibus; Isaias 9. *Et disperdet dominus ab Israël caput & caudam incuruantem & refrænantem die vna.* Longæuus, & honorabilis ipse est caput, & propheta docens mendacium ipse est cauda, constituet caudam supra caput, confundet caput & caudam in pœnam delicti, & disperdet infrænantem, & incuruantem caput, & caudam humiliantem disperdet, vt superbiat caput, & cauda extollatur fastu, & arrogantia insolẽti; humilitatis spiritum auferet, & propriæ cognitionis lumen; Iustos aufert quorum causa fert iniustos, & iniustos quibus iusti exercentur. Vt cesset ordo reipublicæ, & Politia, imò adsit peruersio & particulare bonum. Submittit caput, vt dispareat quasi, proiicit retrò plus omni animanti & quoquò versus mouet indistinctè in omnem partem, & viam omnem vt periculum omni ex parte adsit serpentis. Nahum 3. *sed & ipsa ducta est in transmigrationem, in captiuitatem, paruuli eius elisi sunt, in capite omnium viarum*: de ciuitate sancta, de anima, etsi ad literam de Niniue; paruuli eius fætus cogitationes, conceptus elisi sunt collisi in capite multarum viarum, in serpentis capite, & peccato multiplici. regula enim vna, obliquum, & malum multiplex; ex quocumque defectu enim oritur.

De his quæ ad naturam serpentis qua est vsus Dæmon seducens Euam spectare videntur.

CAPVT V.

99 COmmissa ergo Angelorum culpa superbiæ, qui crati sunt, beatitudinem sibi deberi ex iustitia &

& naturæ lege, non gratia & liberalitate munificentissimi conditoris, posséque sufficere ipsos sibi Deum videre naturæ viribus, non acquiescentes ordini, non subditi legi beatificæ visionis, qua Deus gratia & liberalitate, auxiliorúmque supernaturalium dono hæc dat videre, & præstat. Inuidia æstuantes Dei & hominum, condolentes de præstantia diuinæ bonitatis, & de bono hominis, cõcesso à liberalissimo cõditore, quod sibi impedimento esset Dei excellentia omnipotentiáque summa, quominùs hæc ea, qua ordinauit Deus lege, & non quo illi sunt affectati modo consequerentur, vt videre est Isaiæ 14. citato, vbi dixit Lucifer; *Conscendam in cælum, & exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Hoc tracto scelere, licuit prouidentiæ, ordini vniuersi seruata lege, & dispositione suaui, conditione Angelorum & hominum stante, tentationibus, discriminibus, & periculis hominem subiici, boníque Angelis custodiri, vrgeri malis; hominum natura seruata liberrima, quo decuit, cùm aliis carnis passionibus, rerúmque affectibus, & malitia, tum dæmone agi & exerceri, vt mercedem maioris laboris referret, iuxta leges rationalis naturæ; maiúsque hominibus impenderet præmium, reputato illis ad iustitiam, si technis, suasionibúsque Dæmonis non acquieuissent, victores & superiores si euaderent; quo structor ille summus hominum, vti Dæmonem serpente permisit, & hominem tentare, & experiri. Inter omnia verò naturæ animantia, tot, tanta, variáque adeo, solum serpentem ingredi concessit dæmoni, Geneseos 3. vt faciliùs superaret, vinceretque homo hostem, & aduersarium monitus, & permonitus, excitatus, & expergefactus eodẽ, vt resipisceret, ani-

mantis

mantis natura, malitia, & cautela, vulpe callidioris cunctísque animantibus terræ, quo Ægyptij serpentem fallaciæ symbolum, propter eius callidissimam naturam constituere, antiquitásque omnis. Decuit enim dæmoni mendacij autori, fallacissimo, & mendacissimo vti animanti, nam vt est Deus omnis entititatis autor, conditor, & causa veritatis omnis, & esse rerum, cùm omnia per ipsum facta sint, Ioannis 1. c. sic Dæmon peccati, non esse, & nihil, sine ipso enim factum est nihil; sine Deo scilicèt, solo dæmo-
101 ne, & malitia hominum peccatũ. Nequit enim Deus adhuc sua summa interminabili potentia redigere aliquid in nihil peccati & culpæ, qui in nihil naturæ potest omnia, impotens enim esset, si hoc posset, qui omnipotens est, cum traheretur à malo sibi opposito, suæque bonitati & esse, à malóque intrinsecè tali, & ab eo quod extra se est, indigerétque extra se aliquo, ille qui in se omnia continet, cùm imperfectione careat actus purus, & entitas omnis infinita & immensa, omni defectu & priuatione immunis & libera, quo vel propter malum ageret, quod summè bono repugnat, vel ex ignorantia egisset, quod summè sapienti dedecet, sed se redegit Dæmon, se redigit homo dum peccat, in nihil, in quod non posset Deus ipsos redigere omnipotentia sua, quo sine ipso factum est nihil, autore Dæmone, estque hoc maius nihil, quàm nihil naturæ. Potest Deus in naturæ nihil redigere omnia, at in nihil rationis debitæ, ne-
102 quit. Est vsus Dæmon subiecto suis vsibus apto, commodo, & conuenienti, vt sequerentur intenti effectus & dolosæ captiones, quo serpentem ingreditur, vt pararet facinus, & technas strueret; Eget Dæmon concinna & congrua subiecti dispositione, vt corpora immutet, aliàs nequit. Deus enim naturæ totius

tius autor, potentia sua omnimodò infinita, libera, immensa, est omni lege agendi solutus, & naturæ termino, potens omnem producere naturam, & quidquid est, esse, & ens, finis naturæ, efficiens, & parens, cõditor, autor, se solo agit, solum se expectat ad agẽdum, nullo eget alio præterquàm se, sibi sufficiens, sibi totus, omnia sibi. Ideo Deus, quia est sibi satis, efficit materiam, formam efficit, quo & est factor ille, & finis omnium, potens se solo, quòd omnia per ipsum; Angeli verò corporalia immutant, mediis naturæ actiuis, & causis corporeis, solùm applicando actiua pasiuis, secus non agunt, nec possunt alio alterare, aut permutare corpora, operari enim sequitur esse, est esse operandi mensura. Cùm ergo Angeli in esse materia careant, materiam non alterant, non immutant, aut afficiunt, nec ad suum esse, nec aliorum; nam si alterarent, disponerent, si disponerent, transmutarent ad formas substantiales accidentium quibus affectabant, & disponebant materiam priùs, quo & substantias compositas producerent, reales existentes, essẽntque in producendo aliis sibi præstantiores, potentiores, perfectioris, altioris actionis; cùm in suo ordine substantiæ nihil efficere valeant, aliàs crearent, cùm efficerent ex nihilo, nam materia carent, extrà verò, substantias molirentur reales, & veras, sibi solùm intentionales intellectu, & actionibus immanentibus internis accidentium, verbi producti angelica notitia mentis, & animæ, quo & transcẽderent ordinem, & modum naturæ finitæ, & præscriptæ certis legibus, & mensura certa. Quod est solius Dei, qui cùm sit Deus, nullo eget præterquàm velle, vt efficiat omnia. Cùm enim sint omnia ab illo, materiam creat, dispositiones inducit, efficit formã, 103
ipse efficiens & finis, non spectans materiã, non dispositio

positionem, aut aliud; sat est, velle ipsum, non agit alio quàm voluntate, non ratione materiæ aut subiecti, sed vt vult agit, ratione agendi, & fine proposito ex se sibi, ex parte intellectus, se sibi finem inferens, solo velle agit; nullo alio ad agendum expectans; semel ac expressit actum iudicij, prouidentiæ actum, quo præuidit omnia: Hinc Angeli solùm permutant corpora mutatatione loci, non formali dicta intrinseca mutatione & via, sed sola obedientia, sine virtutis aliquo contactu, solo ordine, voluit Augustinus 3. de trinitate, à quo Diuus Thomas, & omnes alij posteà; idem enim inquit, facit ordo in spiritalibus ac in corporalibus situs, mouent corpora, ex ordine vt subdantur vni principio omniáque ordinentur, cohæreant medio, motu loci, qui nil intrinsecè reale ponit immobile. hoc ordine mouet imaginatio & appetitus animantia, & voluntas & ratio, anima iis corpus actione immanenti, sine transeunti contactu virtutis, qui pugnat omnino. Si hæc enim contactu virtutis contingerent corpora, aut intrinsecè talia qualia ante contactum essent, & sic non magis quam ante contactum mutarentur, intrinsecè eadem, relatiuè enim alia non sufficit esse, præcipuè extrinseca relatione ordinis angeli, nam relatio nequit per se agere; vt nec per se fieri, nec principium esse actionis, quod terminus illius esse nequit. Si verò est aliud intra subiectum contactu angelico virtutis dicto, alterabit subiectum intrinsecè mutatione formali, & actione virtutis transeuntis, quod non datur angelo. Ex ordine ergo solo sine contactu mouent, & corpora mutant, imò vt motu locali angeli & Dæmones permutent corpora proportione egent, licentia, concursu, tum aptis instrumentis partium naturæ, figura, & situ, ordine, magnitudine, numero

gnitudine, numero earum, iusta positione, vt subdantur illorum imperio: hinc est vsus serpente vt 104
constabit posteà callidus Dæmon: hinc Arist. 2. cœli defatigari dixit intelligentiam superaddita stella orbi & mobili proportione variata: cohærent partes quædam quibusdam, vt hoc modo dispositis resultet effectus iste, alioqui cesset, impedito ordine decenti naturæ, & permutata serie, quò expectat Dæmon naturæ dispositiones, concursus, & astra, vt posit alterare corpora, & vt cupit agere, cùm solùm applicet actiua passiuis, alias secùs operari nequit. vnde Mat- 105
thæi 105. de lunatico illo qui vexabatur à Dæmone, morbo lunatico dicitur. Et per incrementa lunæ peius habebat. Vrgebatur enim acriùs in plenilunio humida corporis dispositione expectata, lunaticus ille; est talis vulgò Epilepticus, hispanis *alferezia*, ex arabico nomine originem trahens, *alferez* seu altum, nam capitis morbus est, quo *alferez* qui vexillum erectum & altum obtinet in castris dicitur, morbus hic, & si ex melancholico oriatur succo & sanguineo adhuc, etsi id rariùs, cerebrum obstruentibus, & impedientibus sensum, vitiantibúsque motum, crassitie infarctis in viis cerebri, tamen dum ex pituita ducit originem quod est communius, lunæ motui subditur, & lunaticus dicitur affectus, eius insequens motum, increscit luna aucta & imminuta: Imminuitúrque hæc ægritudo, quod & si alij morbi sequantur lunam, præcipuè ex materia pituitosa pendentes, hîc antonomasia est dictus lunaticus, quòd sit morbus capitis membri diuini, excelsi, & sacri, sacer morbus dictus autoribus ideo, tum morbus caducus ex casu quo concidunt ægrotantes, & comitialis quòd Romæ comitia cessarent, eo aliquo arrepto, & hoc morbo oppresso, augurio capto, quo crede

credebant vitare comitia Deos. Est luna calida & humida influentia & lumine, quo increscens, & aucta lumine, fluxus concitat, humores fundit, liquat, liquefacit, quibus replet, & obturat vias, & virtutem impedit, fluxu virtutis cerebri suppresso, quibus Epilepsia excitatur, increscente luna, oppositione ad solem, crescente fluxione, succísque liquatis: hinc carnes citiùs putrescunt ad lunæ lumen expositæ, quàm loco vmbræ collocatæ, calore & humore astri. Sunt calor & humor putredinis causa, iuxta Aristotelem meteororum 4. secundo capite; hinc augentur medullæ ossium, luna aucta lumine, & hument arbores in plenilunio, mare increscit, augentur aquæ, sunt omnia humida, non secantur eo tempore semina mali aurãtij, nam humore resiliunt, non constant diuisioni humore perfusa; hinc ligna eo tempore scissa carie afficiuntur, postea putredine & vermibus, tum tonsis eo tempore lanis tinea infestantur pertexta opera. Hinc ergo dispositionẽ subiecti Dæmon
106 expectat, quo magis aliis melancholicos impetit, corporis dispositione commoda hos affligit magis aliis, vexat, variis cùm fluctuent imaginationibus; quo, libro de diuinatione per somnum, melancholiam vocat Aristoteles 2. capite, sedem Dæmonum, Dæmoniacamque naturam, melancholicos Dæmoniacos, domiciliũ Dæmonũ, sensere antiqui; patet eo loci, & in conuiuio Platonis, in Timæo in lib. de furore poëtico, idẽ Proclus de Dæmone lib. Porphyrius, Iamblicus, & Platonici reliqui, Galenus libro, quòd animi mores cap. 4. Quò spurcas amatille vetulas melancholicas, callidas, inlamias, tetri odoris,
107 & obscænos homines, corruptos, vitiosos, lasciuos, succis abundãtes spurcis, corruptis, impuris ob apparatũ corporis, hos sollicitat, quærit hos amat, his
saltem

ſaltem vtitur, illis incubus,his ſuccubus,ſuggeſtione & præſtigio.Imò curis, ſolicitudinibus,anxietatibus, aduerſitatibus contraria rerum fortuna actis, angit & premit, vexat,torquet,temperamento contrarios, diſſitos longè ab hac vitioſa corporis temperie, & culpato apparatu, vt in has labantur diſtemperies, temperamenta, & humores, quò eiſdem vtatur aptis ſui vſibus paratioribus. Hinc Matt.5.& Luc.8.expetiuit Dæmon porcos ſummis precibus ingredi, quod tulit Chriſtus, vt doceret homines immundos, vitioſos, cynædos corruptos malitia Dæmonis poſſe faciliùs corripi, paratiori natura,faciliori diſpoſitione, & paratu, vt cauerent & reſipiſcerent ob inclinationes procliuiores, Sapien.9.*Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Anima corpori iungitur, præcipuè vt intelligat, propter perfectiorem actionem ſui,in corpus venit:eſtque primò,neque enim forma propter materiam, imò hæc propter formam,Paulus prima ad Corinthios, cap.11.*non enim vir ex muliere eſt,ſed mulier ex viro.*etenim non eſt creatus vir propter mulierem,ſed illa propter virum : imperfectum propter perfectum, mulier propter virum, potentia propter actum, materia propter formam, corpus propter animã,& propter animæ actiones;ſi operari eſt terminus eſſe,&propter preſtãtiores primò,altiores,& excellentiores,quo & propter intelligere aſſidet corpori, vnitur, informat. Eſt intellectus noſter pura potẽtia intelligẽdi, [illegible] actus;eſt angelus media ſubſtãtia inter Deũ & hõines,naturalium habitus obtinens rerum ſecum congenitos intelligentiæ & notitiæ, ſupernaturalium rationes intelligẽdi ſuſcipiens gratia,nõ natura,liberalitate imò, & dono : homo per ſenſus aſciſcit cognitionis prin-

 cipia;

cipia,rationes, species,ex se solùm & natura, potentiam nactus, & sortitus est posse, vt intelligat modo hominis ille, & reliqua suo, quo perturbatur perturbato corpore intellectus , & anima , ipsam aggrauat corpus,disturbat dum corrumpitur, pendet ex sensibus intellectio , nam obiecta suggerunt & subministrant,& si subiecto careat intellectus immistus materia immunis, liber;aliàs non posset omnia corpora suscipere,si constaret aliquo.quod enim intùs contineretur,adueniens prohiberet , actus enim prohibet actum eiusdem rationis, vt implicat , calescere calidum gradu quo calet , requiritur enim potentia in mobili vt actus suscipiat actiuorũ, quo dixit Aristoteles 5. metaphysicorum capite 10.factum nõ est infectum,quo nequit fieri. Si ergo corporea omnia in nostra in hominumque erogantur vsus , cognoscant corpora omnia est necesse , sensus , tum intellectus omni careat corporea natura illis superior , quo & quòd sit immortalis anima,& sit ille æternus, dictis colligitur, cùm incorporeus sit, materiæque expers, qua possit alterari & mutari incorporea natura , sed perturbari perturbato corpore non minùs eliditur,si fundamenta & basim intellectionis attẽdamus;quale enim fuerit obiectum intellectus,vt retineat,ne confundat intellectiones , sed distinctè percipiat,speculari phantasmata debet, vt pendeat à sensu , in omni actu,actione & opere tã dum intelligit primò,quàm postea omni opere alio ; hinc corporea fingimus omnia, & ad [illegible] intelligimus incorporea adhuc talia affingimus , alióque nequimus intelligere modo , vt opus docet experientia, intellectio , & expressio conceptuum ad extrà picturæ & imagines , quo & corpus terreum , dum eua-

euanescit, & resoluitur, terrenaque inhabitatio sensum deprimit, & intellectum; ideo animam postquàm perturbari corpore dixit, corpore corruptio- 108
nem subeunte, subdit, & sensum terrena inhabitatio, vt corpus animam, & sensus intellectum; corpus enim sensus deprimit; pendet enim ex vegetatiuo sensitiuum; hoc verò ad intellectionem prærequiritur, è contrà deficiunt, corrupto vegetatiuo sensus, his verò aggrauatis, intellectio cessat, variat, & deficit, tumque deprimit sensum multa cogitantem de morte & vita, mortis metu, doloribus oppressus, turbatus, viribus debilis, quæ non mediocres expetuntur eo in tempore, officit morbus, distrahit dolor, vt impediant potiùs rationem, quàm illi suffragentur, cogitat plurima eo tempore sensus, deprimitur multis quibus vexatur, vt minus rationi obtemperet, tot tantisque procellis actus, impeditus, deficientibus omnibus quæ possent esse auxilio rationi intellectui, occursante Dæmone, mundo, deficienti corpori, subiecto, inualido, corpus dum corrumpitur. Hinc
multoties naturalibus applicitis causis tantùm Dæ- 109
monis opera (etsi meliùs diuinis supernaturalibus) prohibentur, & cessant, nam cùm applicet naturales causas, & non agat ille, possunt applicari, aptarique potentiores, casu aut arte, quas vincere ille non possit aliis applicitis superare, & excedere, quod maiores sint omnium natura in illo effectu, manifesta, vel occulta proprietate naturæ, & formæ, quo verbena, ruta, mentastrũ, perforata dicta, sulphur, & alia, irritas faciunt actiones Dæmonis, semel natis infantibus appenduntur domibus, liminibus, pauimentis sternuntur, vt dæmoniaci & lamiæ frustrentur opera, eorum virtute, potentia, & natura. Imò Vlisses vt 110
procos fugaret quos interfecerat, & dæmones im-

mundos propulsaret, susphuris suffumigio purgauit ædes,& tecta immũda,refert Homerus Odyssea illa. Tum exorcistæ hodie suffumigant dæmoniacos sulphure primo, & perforata Hipericone dicta virescenti,vt inepta reddant corpora vsibus dæmonis,& faciliùs desistat ab opere serpens ille. Præparant, & præueniunt dæmoniacos artis remediis, pharmacis, chirurgia, & diæta, ne fiat iniuria naturæ,& illa quæ sua sunt, ex lege non amittat, vt iis actis, vera salus accedat, illata desuper & pellatur dæmon, id est, ab opere desistat applicandi causas locali motu. sunt ibi spiritus vbi opera eorum assident; localis motus, quo sunt illi præsentes, nam huius sunt causa aliorum solùm conditio, applicando actiua, etsi ex pacto maleficia cessent, & actiones dæmonis citra causas applicitas, aut vim aliam naturæ, solùm ex eo quòd sic sanxit dæmon cum malefico & mago; quòd iuncta quadam rerum congerie verborum, aut rerum, maleficium teneat, dissita dissoluatur, quo tunc solùm vicem signi obtinent talia, non causæ noxam inferentis, vt patet multoties, verbis ridiculis,vanísque rebus maleficia astrui, quibus disiunctis cessant illa citra aliud sensibile, quia cessat pactum vsque ad illud signum constans,tenétque vsque ad hæc,non vltra; vt causæ vacent,& desistant ab opere solutis illis iunctis & copulatis anteà,in signum pactionis,tum verbis sacris vti vult ille maleficus, vt eisdem deroget & mysteriis sacris detrahat, abrogétque fidem, tum vt superbus ille iis quibus veneratur Deus, adoratur, & colitur, execrabilis ille colatur, & prosequatur obseruantia, & cultu, qui semper Deo similis esse ab antiquo cupiuit.
111 Hinc Reg. 1. cap. 16. Igitur quandocumque spiritus malus Domini arripiebat Saül,Dauid tollebat cytharam,

ram, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saül, & leuius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus. Musica, harmonia, & concentu morbos plurimos Pythagorá expulisse docent Alexander ab Alexãdro, lib. 2. cap. 25. Marsilius Theologiæ Platonicæ lib. 5. & plurimi alij, imò percussi à tarãtula modò regionibus plurimis, nõ alio, quàm musica reuocãtur saluti pristinæ, vt 2. lib. latiùs capite de stellione. Hæc mulcet animos, quietat, lenit, mouet, impellit, agitat, instigat, tristes efficit, reddit hilares, mansuetos, & feros, motu sanguinis & spirituum, Ecclesiastici 22. *Musica in luctu importuna narratio.* Tristes enim tristiores reddit, & c. 40. *Vinum, & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ* & cap. 32. *non impedias musicam:* lætificat ergo. Imò sic concitat, eleuat, animum extollit, vt temperato cerebro, spiritibus commotis depuratioribus, contemperatóque subtilissimis è corde ascendentibus expurgatis, puro sanguine genitis, potentissimo natura agenti, cerebrum alterent, contemperent, prout affectus petit, secundùm dispositionem præsentem in hunc illúmve affectum animi, passionem, & motum, vt iam illi altiùs astruant poëmata, isti irascantur, tristentur illi, hilares ij, melancholici, quieti, illi inconstantes; mouent ij pedes, manus, ora, saltant, quiescunt, in variósque trahuntur affectus, vna aut diuersa, harmonię ratione; hoc rithmo, aut illo, hac consonantia, illave seruata. Excitat verò in passionem quamlibet excessu 112
nimio, quo furere videntur ij, sine sensu illi, furentes mansueti anteà, contrà alij; tanta est spirituum potentia temperantium cerebrum musica, vt depuratiores spiritus, excellentiores, sacros, cor, simul ac cerebrum auditu est perculsum, concentu, & harmonia percitum releget, & mittat in caput, vt iis eisdem

dem temperatum altiùs,miros edat effectus,iterumque cor affectet, afficiat, in affectus varios diſtrahat cerebrum mutuo harum partium conſenſu, & ſympathia.Hanc verò energiam & vim agendi ad naturã ſpirituum referendam eſſe patet,quam expoſcit animal vt harmoniam teneat, & percipiat concentum, quæ non ſentiuntur quouis facilè auditu, aut ſubiecto quouis, imò quaſi altius obiectum puriſſimo auditu, etſi muſicæ ſonum, & voces omnes percipiant, quo & ſubtiliſſimis ſpiritibus eget in totum muſicà, harmonia verò,quaſi ſpiritalibus;hinc muſici ſunt paſſionibus dediti his aut illis,qui graui pol-
113 lent voce Baccho, quòd deorſum impellant in profundum pectoris ſpiritus, quo ſitiunt aliis magis,& eſuriunt, voraces, famelici, cùm egeant viribus maioribus, vt è profundiori parte impellant aërem;vino vtuntur & alimento copioſiori, canunt enim verſus ventrem magis,quo vino, ingluuie,& muſica delectantur tales, poſſuntque ij eſſe prudentes, quòd ſit iis caput liberum. At qui acutè concinunt, altè magis, veneri indulgent, nam caput verſus obſeruant impetus, quo capite exucces labore, & motu, repercuſſione ſpirituum exſiccãtur tales,inferioribus integris partibus, non labore debilibus, allectique muſicæ deliciis, prorumpunt in venerem, Eunuchi adhuc,ſpadones, caſtrati, aliis magis,quantum muſica agitur; reliqui verò vt in hanc illámue inclinant vocem, ſic iis, aut illis affectibus inclinantur. Quo vocis acutæ ſunt naturæ liberæ,ioculares,inconſtantes,leues,mobiles,faciles.ſic Ariſt. 2. phyſiognomiæ, Galenus libro artis medicæ. Diſponit ergo maximè cerebrum muſica, viuificat, aptum facit in opus quodlibet, ſeſe excedere facit animantia, prout quodlibet temperatur *illa*, mentem erigit, vt con-

tem

templationes altiores edat intensiùs, subtilioribus spiritibus, purioribus rerum imaginibus oblatis sensibus, quo interturbantur minùs actiones, viuacioresque fiunt. Sentiuntur enim iis quæ aliis spiritibus obscurarentur, & euanescerent. Videt & præsentit quædam in quibusdam sensatis, quæ aliàs non præuideret, obscurata dispositione spirituum, quo & sensatio delitesceret. Hinc disponitur natura, & ordine, vt altiora suscipiat intellectus, cum analogia ad perfectiores sensuum actus habita, tum vt posteà sensu exequantur, quæ altiora suscepit exstasi, quasi elati extra se. hinc Elisæus 4. Regum capite 3. psalte 114
coram se canente, prophetabat; disponebatur altiùs, vt sensus semel accepto spiritu desuper, obsequerentur rationi, in spiritu prophetico, tum discurreret raptu sensuum, aut distraheretur minùs adminiculo altiori, circa semel accepta, in iis quibus prudentiæ est locus, & in analogia ex sensatis ad reliqua quæ præuidebat spiritu prophetiæ supernaturali; perfectior enim natura eodem dono supernaturali suscepto, poterit altiùs agere, cæteris æqualibus, vt naturæ seruetur modus, vt ipse Elisæus aptauit sese, excedens puerum, vt non excederet modum, compressit seipsum. Non despicit Deus naturam, dum locum habet: nec illa opponitur supernaturalibus. Ficorum massa virtute suppurandi insigni vti voluit Isaiam, vt Regem Ezechiam pristinæ saluti reuocaret apostemate laborantem pessimo, & vlcere inflammato, quod posset, natura posthabita, solus ipse permoliri; noluit tamen: nam etsi miraculose euaserit ille à desperato vlcere, tamen quod potuit natura præstare, non vetuit, aut recusauit Deus, faceret: voluit imò naturæ actione præfinita, efficere quod illa non poterat. 4. Reg. c. 20. Tum etsi ex nihilo homi-

nem de limo ſtruxit, vt natura ſeruaretur, quam condiderat ille, & lex naturæ; quam promulgauerat Deus; qui cùm ſit veritas, veritatem in omnibus ſeruat, vt ſemel ordinauit, & dixit verbo virtutis ſuæ.

115 Dauid cythara ludit coram arca Domini, vt animos hominum excitet & feruidam deuotionem excitet, quò & corporis motu concinno ſaltabat; vt & aliis muſicis inſtrumentis, & modulis modò triſtibus, modò hilaribus Eccleſia vtitur, & vtebatur antiquitùs, vt homines vocet & alliciat. Hinc Parrhaſius pictor celeberrimus, refert Ælianus lib. 9. c. 6. de varia hiſtoria, cantilenis & modulis laborem, & dolores, cruciatúſque omnes mitigabat, laborioſiſſimus alioqui, qui lib. 2. de varia hiſtoria docet, Cretenſes cantilenis, & cantionibus leges condidiſſe & promulgaſſe, vt incitarent homines in bonum publicum. Hinc Athenienſes aggreſſuri hoſtes pæana Iouis hymnum decantabant anteà, à quibus poſteà & reliqui Græci. Sic Alexander lib. 4. cap. 7. Tum melos Laconicum ad permouendos militum animos plurimum valuiſſe refert Alexander eo loci, Polienus lib. 2. Laërtius lib. 1. Plutarchus, Porphyrius: & modò experitur in ſe quilibet tubam bellicam, tympanos, & alia corpus mouere, & animum accendere, pedes permouere, mentem erigere, & affectus cauſare miros & varios. Quò & laborem temperantes canimus, & animantibus adhuc ſonalia, & nolas, tintinabula, cymbala collo appendimus, vt muſica delectentur, & onere grauentur minùs, & faciliùs ferant, diſtracta muſica recreato cerebro à quo eſt motus, & laborem ſuſtineant, validiùs, robuſtiúſque onera geſtent, & ferant. Prohibentur ergo dæmonis opera naturalibus rebus aliquando, & ſi ſemper ſupernaturali cauſa ſecuriùs & certiùs, illa iuſſu, impe-

rio,

cio, edicto, vt Christus abigebat dæmones, Apostoli & sancti, & quibus desuper donum hoc impertitur, hæc gratia, & potentia, immittiturque. Vtitur ergo concinna dispositione corporis subiecti, & instrumenti dæmon, vt perficiat opus; secùs si subiecto incommodo vteretur, frustraretur opere. Hinc hircum arripit modò, vt sit lasciuus, quando incubus est, vt venere vtatur ingreditur animantia salacia, obscæna, & spurca, sues, tauros, vt quod ille per se non potest exequi, negotium exigit, quippe ita facit, aut fert malitia, aut vitiosè sustinet, vt exequatur animal, & perficiat, animanti natura vsus illi operi congrua, cuius præstigio figuram non repræsentat, sed modò aliam, modò deformem & tetram, vt voluptate fruatur maleficus, hac illáue forma, effigie, & figura, multoties, vt excitemur, hortemurque, & vt de malitia aduersarij suspectos nos reddat, & cautos æquissimus conditor, formas eas sinit suscipere, non alias, vt vincamur minùs, moniti animantium natura, & nobis consulamus. Hinc ergo vsus est serpente suis vsibus apto, vt infrà elucescet.

De concinna serpentis natura ad dæmonis technas parandas.

Capvt VI.

GEneseos 3. capite hæc continentur; *Et dixit* 116
Dominus Deus ad mulierem, quare hoc fecisti? quæ respondit; serpens decepit me, & comedi. Quis verò in serpente contineretur illo, dicitur Ioannis Apocalypsis 12. capite his; *& proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram,*

ram , & Angeli eius cum illo missi sunt. Capite verò 20.hæc: *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille.* Cùm tot tanta, variaque adeo animantium genera condiderit summus rerum ille opifex, quibus hanc celebrem vniuersi machinam exornauit, dubium sese offert non leue; cur Dæmon vt Euam seduceret, technasque & tricas pararet, in serpente, relictis aliis omnibus generibus animantium, sese condiderit, occulueritque, inuiso nimirum vsus animanti, odioso, venenato, & horrido hominibus. Imò cur animal fuerit ingressus verumque animans, cùm ille facilè effingere posset præstigiis ex aëre formato, densatoque, formas fictorum animantium, aut sine eo animanti aliquo sensibili ficto, aut vero, sine apparenti aliquo, humanas efformare voces maiori cum exstasi & admiratione Euæ inexpertæ, maiorem allatura fidem obstupendo magis euentui miraculo, quasi conuicta & stupefacta, præcipuè cùm posset interno affectu illam impellere & tentare, vt Dæmones multoties nostri periculum efficiunt, sine sensibili aliquo aut externo signo, internorum solùm cõmotione facta imaginariis speciebus. Quædam ex iis difficilia adeo, & tricata fuere apud Sanctos Scripturæ sacræ veros interpretes (quibus desuper datum est eam exponere & deplicare, vt his quasi aquæductibus ex illo fonte aquæ viuæ, ad nos possit peruenire aqua viua salutis & gratiæ) sic plurimos extorsit, vt non verum fuisse serpentem fuerint rati hunc de quo Spiritus Deus per Mosem iniit semonem; imò mysticè id intelligi debere ad spiritum, tropologico aut figurato sensu, non sensu hi-

storiæ

ſtoriæ affirmant; Inter quos Beatus Cyrillus lib.3. aduerſus Iulianum apoſtatã, quem ſequutus eſt poſteà Eugubinus in ſua Coſmopœia, hanc ſunt amplexati partem, non fuiſſe ſcilicèt verum ſerpentem, ſed apparentia tantùm ex formato aëre, dæmonis arte. Eſt aër motu facillimus, & ſi facilior ſit ignis; caret colore apparenti, & vero lumine; & viſu, quibus ignis pollet, quo variè denſato plus, minuſue reddit colores ex opaco & lucido in perſpicua natura colorum facilè ſuſceptiua aërea, quòd ſit peruior aliis aqua, & reliquis opacis corporibus terra, & lucido igne; quo tactu vera examinare volumus corpora, non viſu, aut alio, dixit Thomas Didymus Chriſto, velle eum tangere; ſpiritus enim carnes & oſſa ad tactum non habet, etſi repræſentet ad viſum aëreo corporeo ſuſcepto, vt multoties contigit Deo, Angelis, dæmonibus, apparentia, & ad viſum tales apparuiſſe, cùm reuerà tales non extiterint, ſed apparentia, & deluſione. quæ iam in ſenſu hiſtorico Moſis deficere videntur, ſimul cùm ſententia aliorum, qui nec apparentem ſerpentem, quantò minùs verum ſuſcipiunt, ſerpentis imò nomine ſolùm dæmonem intelligendum eſſe tuentur, vt Caietanus cenſet eo loci Geneſeos, & cum illo alij, metaphoricamque hanc Moſis narrationem ſtatuunt. Dicitur enim eo loci, *ſed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus*; quibus ſerpentem comprehendit inter animantia ex terra facta, quæ Dominus Deus animantia fecerat, cùm tamen nec Deus feciſſet dæmonem ex terra, terræue animans, aut beſtia terræ, cùm id dæmon ſolus effecerit ſibi culpa & ſcelere commiſſo, vt beſtia eſſet, quaſi ſerpens. Ergo cùm inter beſtias terræ numeretur, quas fecerat Dominus Deus tales, nequit dæmõ

eius

117 eius nomine ſolus ſubintelligi, cùm Deus dæmonem beſtiam non fecerit, præcipuè quòd oſtendit Eua ſerpentem, quando maledictione illa dura & terribili execratus eſt Deus illum quòd Euam ſeduxiſſet, cuius maledictionis omnia, cum his quæ modò in natura ſerpentis viſuntur poſt commiſſum ſcelus cohærent maximè, vt ſenſum reddant hiſtoricum, ſintque hominibus monimentum, memoriáque delicti commiſſi. Cur enim alia quæ eo loci narrantur, ſenſu hiſtorico intelliguntur, & quæ ad naturam ſerpentis ſpectare videntur, ſolùm figura & metaphora? ſemel enim ac dæmon in ſerpente illuſit Euam, exueret ſerpentis formam qua indutus erat, & ſub illa, ſcelere patrato ſemel iam impertinenti, non expectaret Dei duriſſimum ſupplicium, & obſtupendam maledictionem, imò verum fuiſſe ſerpentem communiſſimumque noſtrum anguem, inde datur
118 intelligi, quòd cùm Scriptura ſacra de hoc abſolutè dicto ſermonem inſtituat, hic veniat intelligendus; ſerpentes enim alios dum nominat, aut vocat ignitos, vt videre eſt Num. 21. aut flatu adurentes; vt eſt videre Deuter. 8. aut dracones ſerpentes, Apocal. 11. & 20. c. Leuiathan ve ſerpentem, Iob. 40. Iſaiæ 27. Vocat verò Aſpides, Baſiliſcos, Diſpſadas, Regulos, &c. Dicuntur enim hæc omnia generali nomine ſerpentes, dum de omnibus ſimul ſermo eſt, vt conſtat Iudith. 8. Quoties verò de ſingulari ſerpēte in ſpecie ſine addito eloquium Dei venit, de vulgari noſtro angue intelligendum eſt, vt patet Exodi 4. & 7. vbi virga Aaron verſa eſt in colubrum ſerpentem; virgæ verò maleficorum in Dracones, vt mirabilius eſſet, colubrum breuem Moſis ingurgitaſſe vaſtiſſimos Dracones Pharaonis, potentiaque ſummi Dei cognoſceretur. Non ergo ſerpens naturæ intelligibilis,

lis, cui intellectum, rationemque intelligendi concessa fuisse tenet Efren Syrius, vt refert Moses Barcephas lib. de paradiso c. 26. huius assertionis autor, cùm intellectus sine rationis anima, nulli corporali naturæ possit impertiri, non secùs ac sine essentia & subiecto potest partiri passio; aliàs enim spiritalis intellectus organo naturæ corporeæ posset affigi, spiritualéque cum anima cui incideret intellectus ille serpenti denegetur, eorúmque assertione, suum ordinem transcenderet, essetque forma & actus materiæ, quo iam non bestia diceretur serpens, imò rationale animal mentis & intellectus particeps. Cu- 119
ius quot sequantur absurda, & errores, facilè quiuis intelliget, minusque facultatem intelligendi illi fuisse ad tempus impertitam, vt Iosephus sensit 1. lib. Antiquitatum c. 1. cum intellectio non secus ab intellectu procedat, ac risus à risu, sitque actio vitalis supponens principium internum in eodem esse, quo rationis anima carentibus, & per consequens intellectus non impertitur, cum sint naturæ corporeæ illa, nec intellectio eis potest adscribi, neque ipsam suscipere queunt, cùm intellectu priuentur in quo intellectio illa sit huius rationis actus: præcipuè cùm iuxta naturam serpentis, callidissimum esse animal exprimat Spiritus Deus, secundùm terminos sibi ex natura præscriptos. Quò verum fuisse serpētem anguem vulgarem nostrum, dictis eliditur. Cui sententiæ fauet Basilius, Beda, Theodoretus q. 31. & 32. Rupertus libro de operibus Trinitatis, Damasc. lib. 2. de orthodoxa fide c. 10. Magister lib. 2. dist. 21. Chrys. in homiliis in Genesim. Aug. in Genesi ad literam, & lib. 14. de ciuit. Dei cap. 11. qui omnes hanc sententiam sustinent, eóque dæmonem vsum fuisse, vt Euam aggrederetur, non secùs ac in vera asina Balaam

120 laam loquutus eſt Angelus Domini, vſus ſuiſmet vocis inſtrumentis, vt verba efformaret, & dæmoniaci phanatici, & energumenici loquuntur, ſine eo quòd ea quæ proferunt intelligant, tanquam dæmonis inſtrumenta, & organa. Loquutus eſt enim dæmon multoties per animata, & inanimata plurima, idolis, ſtatuis, imaginibus, animantibus, loquutus eſt in ſerpente, cùm apud Gentes, & apud nos adhuc. Iſigonus Cithieñſis in Rhodo inſula Taurum Iouis appellatum, humani ſermonis expertem non fuiſſe docet, Homerus Achillis equum indita à Iunone loquendi facultate ſibi mortem prænũciaſſe refert; Porphyrius fluuium ſalutaſſe Pythagoram; Xenocrates domi ſerpentem habuit, à quo reſpõſa accipiebat, refert Suidas. Arabes diuinabant draconis corde aut epate in cibo aſſumpto. Volaterranus narrat lib. 13. cap. 4. In Epiro templo Apollinis draco colebatur, cui auſpicia conſulentes cibum proiiciebant, quem ſi ederet, fælicia, ſi negligeret, dira portendere putabant auguria. Alexander lib. 1. cap. 19. Quibus & aliis vſus eſt Dæmon, lubrica reddens reſponſa & dubia, vt deciperet mortales idololatria & cultu fictorum numinum, vt à vero Deo homines auerterentur. Eſt illi mos reſpondendi lubricè & ambiguè, vt mendacium ſi poſſit, effugiat Dæmon, ne ſuæ dignitati videatur derogare. Sic celebratiſſimum extat reſponſum illud Pyrrhi Epirotarum regis Æacidæ conſulentis de bello & victoria Romanorum, cui dixit Pithius ille dæmon: Aio te Æacida Romanos vincere poſſe, quod tam victum iri, quàm victorem poteſt intelligi: aio te Æacida Romanos vincere poſſe, & aio Romanos te vincere poſſe Æacida, vt sẽſum poſſint reddere dicta amphibium. Conceſſo tamen vero ſerpente, veróque animanti, & Dæmonis vſus arte & cautela in

in eodem; de forma, & specie illius varia sensere &
dissidentia antiqui plurima. Vincentius in suo specu-
lo naturali, magister historiæ scholasticæ Geneseos
cap.21. Carthusianus hoc loco, & Beda, Bonauen-
tura 2. sententiarum distinctione 21. Petrus Come-
stor sibi suadent serpentem hunc fuisse illum, quem
vocat Vincentius Draconcalopedes, pulcherrimum
forma, vultu, & facie virginea, fæminei vultus, ea præ- 121
fulgens tergi aurati varietate, & squamarum ful-
goribus, crista aurata, variis distincta coloribus, Iri-
dis instar, vt mirabili varietate, venustate, nitore bel-
lissimi animantis, facilè in admirationem trahat in-
spectantes, detineatque nimis, vt nullo modo exhor-
rescerent pulcherrimum animal, cúmque serpen-
tem celsum, & erectum progredi, gradirique, pede-
stremque esse, non supra pectus, pedibus imò, motu
inniti recenset, qui tanta, summáque eius pulchri-
tudine Euam allexit, traxitque ad se, admiratione,
& obstupore. Quibus videntur dicta nobis de vul-
gari angue infici, sententiaque de colubro commu-
ni retardari: cùm tamen hæc non cohæreant cum his
quæ dicuntur Geneseos 1. & 2. cap. Initio enim vni-
uersi nil monstrosum, aut deforme erat, vt hoc ge-
nus animantis depingitur; dicitur enim ibidem, *vi-
dit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, non
deformia, turpia, inconcinna: vitium enim eo tem-
pore, non naturæ, quæ nondum quicquam condi-
derat, imò ipsi Deo adscriberetur, Sirenes esse, Fau-
nos, & Satyros, Minotauros, monstráque alia scele-
sti concubitu orta, scimus omnes in humana natura,
refert Augustinus de ciuitate Dei, Antonius lib. 2.
vitæ Patrum, Iulius Obsequens, Isidorus, & alij.
At monstra eo tempore quo cuncta erant perfectis-
sima contigisse, stare nequit, nec pictorum insci-
tia

tia aliquorum, qui ſerpentem virgineæ formæ, fæmineique vultus depingunt, quicquam ſuadet, cùm doctiores nobiſcum ſentiant, & vulgarem noſtram anguem obumbrent. Nec qui Baſiliſcum, aut Scytalem fuiſſe opinantur, falluntur minùs, cùm Baſiliſcus, & Scytalis non ſint callidiſſimæ naturę, verſutę & fallacis, imò Scytalis ſimpliciſſimum adeò animal eſt, torpidum, cæcutiens, iners, vt media hyeme, contra ac genus ommne ſerpentium, exuuias, & ſe-
12 nectam deponat, onuſtus æſtate exuuiis moleſtiſſi-
2 mis, quorum ſiccitate ſic vrgetur ſiti, vt partim eo, partim tardiſſimo motu quem ſortitur natura, ignaui & deſide, ingentiſſimâ ſiti cruciatus, cùm non poſſit peruenire ad aquas æſtate media ſemimortuus viuat, & quaſi vita defunctus, quo tempore excandeſcunt, furiunt ſerpentes omnes, nilque tardum, aut ignauum natura fert, odit fœniculum contrà, ac ſerpentes omnes, qui viſum acuunt eiuſdem confrictu, ad cuius radicem nudãtur ſpolij veteris, quaſi iterum renati nouo lumine & ortu; viſum eius frictu recuperantes, vt docuit Ariſtoteles 8. de hiſtoria cap. 17. Plinius lib. 19. c. 19. Dioſcorides, Ælianus, Lucanus. imò ſic cecinit lib. 9. *Et Scytale ſparſis etiam nunc ſola pruinis, Exuuias poſitura ſuas.* Nicander in theriacis hæc: *Linquit cùm luſtra, aut fiſſam fragmine petram, Vere nouo, quando tellus vaſta agmina pandit. Serpentum aut nunquam carpit fœnicla vorando, Dum ſpoliata noua exultet ſplendore iuuenta; Sed requieſcit iners mõtis radice ſepulta. Somno preſſa graui tenuiq; vligine terra. Paſta ſitim nunquam potuit vitare moleſtam.* Quin & ſi, vt Solinus retulit capite 30. Polihiſtoriæ tergum huius animantis varium ſit, & præfulgeat ſquamis æſtu fulgẽtibus; non ideò ſerpens qui ſeduxit Euam erit iudicandus, cùm ineptiſſimæ naturæ & væcordis ſit, fatuæ, &

ſtoli

ſtolidæ; ſerpens verò, qui Euam ſeduxit, callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus; callidior, non ſolùm, quòd ibi Dæmon occuleretur, ſed natura & moribus animantis, cuius eſt ſumma verſuties & calliditas, vt noſtro communi angui inſunt, & infrà, capite de prudentia ſerpentis eluceſcet. Quibus præſidiis & Baſiliſcus eſſe nequibit, qui & ſi ſit veneno deterior omni animantium natura, moribus ignauus eſt, ſocors, iners, nullius aſtutiæ, aut artis, vt infrà proprio capite de Baſiliſco dicetur; cùm nec ille ſuper pectus modo gradiatur, aut reptet, tum hebetis & tardæ naturæ ſit, torpidus motu, ſolùm veneni potentia lethalis & mortiferus, aſpectu adhuc venenato & tetro, ſola præſentia, cũ ſerpens ille nec Euam, nec Adamum læſerit colloquutione poſt innocentiæ ſtatum lapſum & ruinam lugubrem, aut offenderit aliquo, eo monſtrato, illo ſerpente coram ipſis adſtanti. 3. illo c. Serpentis ergo ſeſe induit forma acerrimus ille aduerſarius Dei & hominum, quo minùs pertimeſceret Eua lubricũ, & oblectans animal ioculare, & leue maximè puellarum amaſium, cuius ea eſt conditio & natura, vt puellarum amore flagret, æſtuet, eaſque ardentiſſimè depereat, impatientiſſiméque redamet venuſtas & pulchras, tum vultus, & faciei præſtantia allectus, formæque proceræ, tũ lactis odore captus, quod redolent vbera Virginum adhuc. Non minùs tepido tractus calore, rigidum animal, algens natura, & gelidum, quo deperit virgines & puellas mollitie, & placido caloris ſenſu, illiſque blanditur quã maximè lubricus, & facilis, eas plicat mille nodis, variis tenet amplexibus, voluitur, & circũuoluitur, & inter vbera (norunt fœminæ) quieſcit placidus. Quieſcere inter vbera maximè norunt ruſtici iuuenes, & puellæ fotu

123 … 124 (margin)

caloris & lactei succi spiratu in omnibus aliquo qui vbera sustinent, docuit Ælianus lib.8.c.10. Rhodiginus Cœlius lib.25.& 29. Eghemõ in Dardinicis versibus, & Plutarchus referunt, Herodis tempore serpentem fuisse magnitudine insignem notum vasta, & ingenti mole corporis, amãsium puellæ cuiusdam pulcherrimæ Hebrææ, à qua vnquã nec latum discedebat vnguem, perditissimus ille, hanc mille nodis plicabat, modis sollicitabat mille, quam cum trãsferrent aliò, vt molestissimi animantis importuna vitaret commercia, ægrè adeo tulisse zelotypia oppressum, macie, & suspiriis consumptum serpentem parum vt defuisset, quin vitam præfiniret, millies repetito cubili ad domus limina protensus, quam tamen vt primò inuenit, cauda verberauit, oculis quasi dolorem proderet, simul lingua, & ore, manus elingebat, quasi absentiæ commissæ pœnas luere vellet, deceptus amator. Animanti ergo est visus Dæmon aptissimo fraudibus, deliciis fœmininis habito. blandienti & ioculari, nec enim in statu illo fælicissimo vitæ, morsus aut veneni tetri periculum erat, quo effugeret serpentis commercia, alioqui iocularis anguis, leuis, & placidi, secura, & libera Eua nocumẽti & mortis, quibus si modo careret serpens, securúsque existeret, nõ implacidum esset animãs, aut deliciosum parum, lubricitate volubili & ioculari natura, facili & leui ludicris plena, nec odio haberetur ludicrum animal, voluptati imò; quibus non exhorruit serpentem illa, sed excepit amicè, notum anteà iocis, illecebris, bis & iterum illi blanditum, præparato priùs dolo, & fallacia dæmonis, cui loqui, an secus datum esset, nondum cognouerat, breuissimo temporis spatio, commorata paradisum, neque id longa experientia didicerat, vt resipisceret, & calleret, an imagina

imaginationes brutorum formatis vocibus exprimerentur, quò non exhorruit loquutorem serpentem, & dicacem, vt nec si psittacum, turdum, aut picam loqui audiuisset, quæ modo efformant voces, articulantur, & proferunt animantia plurima, quorum non exhorrescimus. Quando enim adducta sunt animantia ad Adamum, vt iuxta naturas eorundem nomina imponeret, nondum erat creata Eua, vt scire posset, loquutionem naturalem esse serpenti, aut econtrà, vt patet Geneseos secundo. Quò credere potuit, præditum fuisse serpentem naturali loquela, vt notant Magister in secundo distinctione 21. & Tostatus super 14. caput Geneseos, quæstione 457. & Rupertus hoc loco, Cyrillus, Augustinus, & alij Patres. Et si enim summè perfecta mulier eo in statu extiterit quantum ad œconomiam, corporisque & animæ dotes, & perfectiones, imperfectiorem verò Adamo extitisse omnes sentiunt, adhuc eo in statu innocentiæ. Nec decebat Euæ cognitio, & notitia proprietatum vniuersæ naturæ, vt capiti Adamo; dedecebant imò hæc fœminæ, & mulieri, quò etsi in eo fœlicissimo statu nulla ignorantia illi potuerit adesse dispositionis prauæ, quæ oritur solùm ex natura corrupta, tamen negationis & absentiæ eorum, quæ posteà à capite Adamo (quod ordo exigebat) discere tenebatur, ignorantiam habuit, vt ij Patres de hac ignorantia sermonem instituentes fatentur adfuisse, quo dupliciter fuisse constat, primò credita hæc inesse naturæ animantis, secundò cùm acquieuit eius promissis, numquam rata, nec suspicata, dæmonem eo contineri, vsque dum execrationem & maledictionem à Deo serpenti illatam exaudiuit; tunc enim resipuit, excitata de malitia & fraude dæmonis, in serpenti latenti; sic verò est

125

126

vſus dæmon inſtrumentis vocis animantis, vt ferebant illa, vt erant apta efformare verba, ſuſurro quodam & voce ſummiſſa animantis bilinguis, Eccleſiaſtici 28. *ſuſurro, & bilinguis maledictus eſt*, vt eſt inceſſus ſerpens, Geneſeos 3.

De arboribus & loci parte qua eſt ſerpens Hæuam aggreſſus.

CAPVT VII.

GEneſeos 2. ſic dicitur. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: præcepitque ei, dicens; ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Geneſeos 3. capite ſic. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecera Dominus Deus: Qui dixit ad mulierem; Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: de fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi præcipit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem: nequaquam morte moriemini.* Condidit Deus in-
127 ter pulcherrimas reliquas proficuas, & vtiles paradiſi arbores, ligna duo, cùm mirabilia aſpectu, illuſtria virtutibus, tum præſtantia dotibus & admiranda operibus; lignum vitæ ſcientiæ boni, malique lignum. Cùm enim reliquis frugiferis ſalutaribúſque plantis reſarciret homo, quod humidi naturalis, & inſiti, effluxu continuo euaneſcebat, actione caloris ingeniti in ſubſtantiam humidam, natura frigidiorem,

gidiorem ignea ſubſtantia noſtra natiua, & inſita, quæ alterat continuò humidam illi vicinam potentia ipſa, tum cùm alimento vteretur ille, vt ſpiritus vitales, animales, naturaleſque facilè propria natura diſſipabiles, neceſſarios adeò ad vitæ omnia munia exercenda reponerentur ex alimento; ligno vitæ,reliquiſque omnibus vtebatur plantis, eſu communi, vt ſubſtantia noſtra reſarciretur ſubitò euaneſcens,& cùm calor noſter innatus natiuus remittatur opere, repaſſione, & motu alimenti; per initia contrarij fuit opus ligno, energiæ & actionis tantæ, vt quantò agendo hebetaretur, acueretur illo eſu fructus ligni vitæ ad tempus ſuſcepto, cuius erat illa natura, effectus ille, vt temperiem nobis innatam & naturalem reſtitueret, talem qualem accepimus ab initio primo ortu, non contenta arbor hæc communi aliarum humidi exſoluti repoſitione ſola natura viuificum, Hebræis dictum vitarum lignum,ſeu vitæ,quòd Adamo,& poſteris conceſſum eſſet vitarum eorum ingens remedium; tum quòd 128
iam iam vita prima quaſi in mortem protendente deflectenteue à perfectione de vita prima, iterum alia denuò hoc ipſo ligno ſubſtitueretur, quo vitarum lignum dictum eſſe patet, hocque medias paradiſi obtinuiſſe Scriptura refert, quod & ſi homini immortalitatem non impertiret, tamen in longiſſimum tempus vitam porrigeret, vt per vices ſumptum,longiſſima frueretur ætate,etſi nõ æterna,ſolo eſu ligni illius, neque eo homo immortalis extitiſſet, ſed dono & gratia liberaliſſimi conditoris hæc illi ex dono elargientis, illo fœliciſſimo ſtatu vſus, ligno ſuſcepto per vices; neq; enim corruptibile & virtute finitum, vltra terminos ſuæ perfectionis du-

rationem æternam posset moliri incorruptibilesve effectus. natura enim & formæ ratione virtutem hanc & robur solùm obtinebat. Quæ arbor & vna erat in medio paradisi consita, & singularis adeo, vt neque intra paradisum, neque extrà altera ei consisteret similis. Non extrà, quòd iam homo de hac posset sine eo quòd aditus ad paradisum pateret, suscipere, immortalitatemque consequi dictam superiùs, quò non custodiretur intrò angelo vigili, non intrà, nam iam hæc non in medio paradisi extitisset, cùm esset lignum vitæ, & alibi. Hæc vera Dei historia, gentium traditionibus, idololatria, & apostasia, ad gentes peruenit corrupta, & obumbrata quadam effigie, vt modò nomine *nectaris* & *ambrosiæ* antiqui de hac arbore fabularentur, apud Deos fuisse alimentum vitæ rati, quod immortalitatem, æternamque durationem causaret, tum à Poëtis celebrata herba illa, *nepenthes* dicta, in omnẽ adimendo dolorem & luctum, vnica & celebris, & *moly* herba ab Homero laudatissima quæ reuocabat homines in iuuẽtutem pristinam, cuius vires Plinius lib. 25. cap. 4. euehit ad sidera, & illud Homeri, Heben Iunonis filiam, quæ vox iuuentutem significat apud Græcos, *Ambrosiam* ministrare Diis, in mensa Iouis, quod Heben significare permutata historia, cunctorum hominum matrem, vxorem Adami datur intelligi, nomine Hebæ, tractum ab Eua, quæ viro suo ambrosiam illam susceptam de ligno vitæ, multoties obtulit in delitiis dum paradisum commorabantur, non secus ac Deifera virgo de ligno vitæ crucis nostræ, salutis fructum obtulit, vt famem iustitiæ æterni Patris satiaret fructu oblato, mater cunctorum hominum in secunda hominis formatione, cuius vitæ ligni fructus hominem immor

immortalem & æternum constituunt, non solùm ad longissimum tempus, sed verè æternum & sine fine.

Lignum verò aliud quod non secùs ac alterum, 129
medias paradisi obtinebat, scientiæ boni & mali erat, consitum in excellentiori amœniori, totius loci voluptatis parte, Deo dicatum, addictum, sacrum, vetitum homini, & interdictum, vt esset homo ordinatus, Deo obediens, subditus illi, in maius vt cederent in bonum, ad iustitiam reputatis, & vt Deo ordinaretur factori suo principio, & fini. Quæ ratio & 130
dispositio iustitiæ vniuersi videbatur exigere, vt infallibili gubernaretur homo principio æterno, immutabili, obediensque manu Dei duceretur, veneraretur que summum sui conditorem illique obediret, iussis obtemperaret, legis impositæ decreto, præcepto, assuefactus obedire, vt in his subderetur, in aliis veritatis auctori, non sibi fidens, nec plus cupiens sapere quàm oportet, ne auidus scientiæ effrenatæ, quasi Deum esse tentaret, vt illis Genesços 3. obtulit serpens verbis illis, *eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, concupisceretque. Quæ si obseruasset homo, non sibi mortem ruinam & lapsum parasset, asciuisçet. Hinc Deus lignum interdixit in bonum hominis, vt illi maius impenderet præmium, & augmentum gloriæ, vt obediret ignorans homo, vt homo esset, & Deus esset homini Deus, vt gubernaretur, dirigeretur ille, vt mereretur tandem, vt gloria & honore dignus foret, in honorem hominis, vt Deo ipso frueretur, æterno immutabili, quasi iure, & actione in Deum, fælicitate fungeretur, & præmio; quasi petere mercedem posset, non solùm accipere datum, vt non reciperet citra meritum liberrimus homo, & natura, & cōditione, quo summa sapientia,

misericordia summa, interdixit arborem paradisi mediam. Voluit hominem obedire præcepto tandem, vt quasi vinculo obligationis teneretur ipse (ô summa bonitas) vt maiora bona elargiatur; quæ sua sunt, reputat nostra, obedientiam expetit, expetiit à primis parentibus, vt nobis cœli competat ius & actio; obedientiam anté virtutes reliquas voluit priùs, quod corde paratior sit omnibus, qui obedit virtutibus reliquis. Quo arborem quæ in medio & corde paradisi erat, petiit, quæ non secus ac altera vita dicta, singularem extitisse, nulli alteri naturæ similem, eo intelligitur, quod fuerint naturæ adeo mirabilis, mirificæ, præclaræ, eis celebratæ nominibus, virtutibus, & effectibus; quibus nunquam aliæ in natura fuere encomiis & laudibus illustres, adeoue celebres, quæ ob singularem, & indiuiduã naturã medias paradisi tantùm obtinuisse Scriptura refert, ibíque solùm consitas, & non alio; tantùm de vna quaque sermonem iniens præcipuè quòd si aliæ extitissent naturæ eiusdem, non traheretur nouitate fructus Eua, auida degustãdi fructus pulcherrimos, ignotos, & inexpertos, quorum nouitas exacuit quàm maximè appetitum, eius sũma pulchritudine perspecta, illo so-
131 lùm vetito, quod medias paradisi tenebat. Quod verò dicitur Canticorum 8. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* ad arborem crucis Christi, quod etiam dictum refero, sub qua suscitati sumus, iterum Christi potentia renati. Dum enim dicitur eo loci, *sub arbore malo suscitaui te*, non quòd sub malo arbore in specie dicto, vulgò pomum, hominem suscitaret, intelligendum venit. Dicitur imò arbor malus in genere

genere omnis fructus afferens, ferénsque poma quæuis. Si verò malus extitit arbor illa, dissidens adeò & diuersa fuit ab omni specie mali nostra, quantum egregiæ dotes, virtutes, & excellētiæ eiusdem manifestant. Etsi enim malus, fructus omnes, arborémq; amplexetur, at absolutè dictus & sine addito, pro arbore illa quæ poma affert, supponit cōmuniter: nam dum fructus aliarum arborum significat, vel arbores alias, non tantùm malus, sed punicus malus, pyrus malus, malus granatus pro arboribus. Pro fructibus verò malum punicum, malum pyrum, malum granatum appellatur, & non solùm malus, aut malum, quasi arbor illa malus fuerit, cùm absolutè de malo, eo loci. Canticorum, de malo contineantur verba. His 132
conditionibus malus intelligendus erit, non vulgaris ex nostris; quòd si de hoc intelligatur huius loci sensus. *sub malo* scilicèt *suscitaui te, vbi est corrupta mater tua & genetrix tua*, refero ad verba illa quibus sumus suscitati, & spe pleni, Geneseos 3. semel scelere commisso, quibus dicitur, *ipsa conteret caput tuum* de virgine Deipara, aut *ipse*, vt habet alia litera, de Christo, quæ veniunt intelligenda, quòd semel mortui & eadem die qua pomum degustauimus (summa Dei bonitas) suscitati simus spe Christi venturi sub eadem arbore, qua delictum commisimus, is ipse conteret, aut ipsa per ipsum caput tuū. Dicta est verò arbor hæc, arbor sciētiæ boni & mali, cùm sciētia veri habitus sit, & error falsi intellectus, voluntas verò boni vel mali, & non scientia, quod ad fructus eius notitiam & cognitionem in abstinentia bonum, in gula malum fuissent experturi, cùm hominem Deus reliquisset in manu consilij sui, quo primo arborem scientiæ boni & mali vocitarunt,

quòd hæc in eſu illius continerentur, & quaſi ex hac arbore penderent abſtinentiæ fructus & bonum, ſcientiáque & notitia, & experientia illius, malum & fructus Gulæ vitioſi, eorúmque cognitio; tum boni & mali, intelligentiæ & notitiæ lignum erat, mali commiſſi, patrati, inquam ſceleris, malorúmque & reatus culpæ,pœnæ,ruinæ,& lapſus gratiæ,& rectitudinis,malíque adepti, iniuſtitiæ & deformitatis;tum boni amiſſi ſuper naturalis,& naturæ ſtatus integri, & excelſi, & vltrà, ad ſpiritum arbor ſcientiæ, & experimentis cognitionis mali, peccati, ruinæ, & lapſus, & boni cognitionis, amoris immenſi, miſericordiæ, benignitatis, pietatíſque ſummæ noſtri conditoris, quibus homo ipſe Deus factus eſt, & mortem noſtram moriendo deſtruxit, quæ occaſione eius vetitæ arboris bonum cognouimus, Deum hominem factum, & tanquam vnum ex nobis. Nam & ſi arbore illa malum noſtræ miſeriæ nouimus, bonum omni bono maius ſumus experti, quo eſt arbor ſcientiæ boni & mali appellata. Vnde Auguſtinus fælicem vocauit culpam hanc, cuius occaſione cognouimus hominem Deũ Deúm-
133 que hominem natum pro nobis. Quantum verò ad hiſtoriæ ſenſum ſpectat, eſt homini interdicta arbor hæc, dicebatúrque arbor ſcientiæ boni & mali, quòd huius ea eſſet natura, temperies eius fructus ligni illa, vt vi & temperamento ſibi innato & proprio ſenſum & appetitum exacueret nimis, & intenderet, ex parte corporis diſpoſitione facta, eius virtute natiua, adeo vt paſſiones creſcerent, & excitarentur in appetitu ſenſuum ſtimulo, eo incremento,vt homo adhuc in ſtatu innocentiæ ante omnem culpæ reatum vehementiſſimè his ageretur & commoueretur, quæ etſi non ſufficerent rationem abſor

abſorbere aut obſcurare, tunc tamen plus multo omnibus aliis quæ ex parte corporis hominem inſtigarent, hæc illum afficerent. Nam & ſi primum peccatum ſuperbiæ fuerit noſtrorum parentum, tamen potuit & aliud eſſe ex malitia in voluntate circa obiectum aliquod appetitus, etſi non ex affectu paſſionum ſenſus, vt eo concitato motu ex parte appetitus poſſet, ſi non vi paſſionum eo ſtatu rationi ob- 134
temperantium, malitia tamen voluntatis, rationaliſque appetitus defectu, deficere, deforméſq; actus edere homo liberrimus natura, & ſui conſilij, ex ſenſibus arrepta occaſione, ſuperbia elatus, vt cecidit Eua ex aſpectu ligni vehementer inſtigata, vt deficeret & ſuperbiret: eo enim tempore adhuc paſſiones aliæ aliis magis hominem excitabant, quò ſerpens in ligno hominem aggreditur viſu pulcherrimo, & ad veſcendum ſuaui, vt dicitur eo loci. Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile. Quibus conſtat, eo in ſtatu paſſiones fuiſſe boni ſaltem, alias aliis potentiores, & ſi omnibus præueniret ratio propter vim originalis iuſtitiæ, affectus tamen homo, & ſi non illis deficere poſſet, poſſet malitia ruere & labaſcere. Quòd ergo paſſiones quæ excitabantur fructu huius ligni, difficiles ſedatu, & conuictu, nimíſque potentes hominem non afficerent, vt malitia rueret, ex vitioſa propenſione voluntatis, lignum illud interdixit Deus, & vt obediret homo, obtemperarétque ſummo illius conditori; præcepto obedientiæ homini ſalutare, vt Deo ſubderetur, ſolúmque illi vero & bono fidem præſtaret, & non minùs, vt appetitus affectus non ſic alterarent hominem, vt diſturbaretur malitia ſaltem; ſunt enim modo in natura alimenta plurima, 135
quorum hæc venerem excitant, illa iras, ebrieta-

tem alia, amentiam plurima, ignauiam, odium, & eiuſcemodi reliqua corporeo apparatu. Omitto lapides, & gemmas, quæ geſtata in varios inclinant affectus, & cœli ſtemmata, ſyderúmque vires. Scimus, cantharidas ſic ad venerem inſtigare, vt non ſolùm ſemen vniuerſum quod continet, breui temporis ſpatio eiaculetur animans, imò & ſanguinem viuidum prurigine & ſcalptu, docuit Ariſt. 5. de hiſtoria animalium c.19. Galenus 11. ſimplicium, à quo Plinius & reliqui, Scincos quantæ ſint potentiæ ad inducendũ appetitum libidinis ſenſere frigidi, & impotentes viri, qui horum adminiculo potentiſſimè venerem explent, omnium medicorum conſenſu. 5. de ſimplicium, & 11. retulit Galenus, à quo omnes poſteà ſuſcepere. Senſum auferre plurima, & intellectionem, impedito ſenſu, ebrij edocent, vini potu nimio, humorum quantitas & qualitas, narcotica Græcis dicta medicamina, quibus vtimur in vehemẽtiſſimis doloribus, vt ſenſu ablato dolor ceſſet, cognitióque moleſtantis obiecti. Obticeo ſatyriones & vulboſa omnia, quæ furere faciũt animantia, laſciuia & luxuria. Sunt ligna plurima & arbores, quorum vſu animantia turgent venere, vt pinorum nuclei, vnedones, & arbuti fructus, aliaque pleraque, quæ ſic excitant appetitum, vt vel rationem abſorbeant, vel ſic inſtigent, vt ſumma cum difficultate ſuperentur, quibus, ſi vt decet, vtamur, moderato vſu corpus viuificant, viuidum reddunt, & perficiunt, ſecùs, diſtemperant, diſtrahunt, & lædunt quàm maximè, vt furiis agatur miſerrimè animans, vel obſtupeſcat ligatis ſenſibus, & ratione conuicta, vt non ſecùs ac pondus iners
136 decidat, & perſiſtat. Sic arborẽ ſcientiæ boni, & mali vetuit homini Deus, quòd paſſiones effrenes &
indo

indomitas excieret, quibus homo summa cum difficultate obsistere posset, ne ratio affectaretur sic, vt malitia saltem posset ruere, instigatus ingentissimo appetitus stimulo. Nec arborem hanc prohibitam reor homini perpetuò, sed ad tempus, & ex interuallis; nam cùm omnia creata sint corporalia in hominum vsus; subiecit enim omnia pedibus eius, quis dubitat, etiam homini vsum huius arboris concedendum, dum opus esset, quæ illi interdicebatur quando opus non erat? Ad tempus enim concessus vsus, vt quando opus esset, totum viuificaret, sensúsque exacueret ex repassione alimenti labascentes, hebetes, continuáque actione innati calidi, quo & humidum exoluitur insitum in operibus animæ alentis, & sensuum organa labascunt; cùm vtilissima esset eius fructus ingestio, vt sensus viuaces & perspicaces essent. hoc enim lignum partem sensitiuam viuificabat, & perficiebat; non secùs ac lignum vitæ vegetatiuam, vt vtrisque ratio perficeretur, depuratissimis spiritibus animalibus quibus fit sensus, & motus, fotis, & altis, concreatis & productis, quibus actiones sensuum exercentur, non secùs ac lignum vitæ vitales spiritus resarciebat, & naturales viuacissimos procreabat, cordis, & iecoris, partiúmque omnium integritatis nostræ naturæ. Sic lignum scientiæ boni & mali animales spiritus in capite cumulabat, perficiebat, à quo sensus & motus est, quo serpens promisit Euæ solùm cognitionis effectus, degustata arbore; dixit enim: *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Tum effectus cognitionis sensuum effecisse narrat Scriptura sacra cibum illum, dum dicitur, *& aperti sunt oculi eorum, cognoueruntque se esse nudos*, pulchrámque cognitionem oculis afferre illius arboris specimen notitia

visib;

visibili illustris, Geneseos 3. est videre. Tum dictum erat scientiæ boni, & mali; nam moderato & debito vsu conditionibus dictis, exacuebat sic sensus, perficiebat, leuabat, vt rationi subministrarent, perfectè adeò inseruirent, vt esset lignum scientiæ boni: nam perfecta ratio, vera cognitio, sensuum adminiculo, perfectione & præstantia fructus, scientia hæc & cognitio causa erat boni, voluntatis perfecti & optimi, quo lignum erat scientiæ boni, & lignum ex opposito mali, per contrarium; sicque lignum scientiæ boni & mali; etsi scientia veri aut falsi appellari debeat, voluntas verò boni aut mali solius. Causaliter enim erat scientiæ dicto modo causa, esus ille & scientia causa boni & mali voluntatis, proponens finem, efficientérque illam mouens & agitans. Tum lignum scientiæ boni & mali, boni amissi, gratiæ originalis, iustitiæ rectitudinis debitæ. Adamo & posteritati: mali commissi culpæ & pœnæ, quæ nondum illis fuerant experientia cognita, vsque ad ligni esum, sed sola speculatione. Quæ omnia sensuum aciem & rationis excessum, ex sensuum adminiculo facilè ostendunt. Deus ergo ad tempus prohibuit hanc arborem in bonum hominum, cùm, vt obedientia illorum ad iustitiam reputaretur, præmiúmque maius impenderet ex his, tum ne passionibus ex appetitu eius esu concitatis fluctuaret, ne malitia deficeret, & vltrà, ne corporis temperies disturbaretur, alteratúrque natura, ligni esu fructúque suscepto, quando
137 opus non esset. Neque enim Deus arborem hanc seuit, vt superflua & superuacanea esset, aut quòd sibi esset vtilis, Angelísue natura spiritalibus, fructúsque corporeus; aut vt animantia fruerentur eorum quæ ab hominibus custodiebat, præcepto & lege, sed in bonum

bonum hominis, hæc arbor vetita, & consita est, & in eius vsus disseminata, & condita. Cui enim alteri præterquàm homini eius fructus concèdi possent, corporei alioqui & materiales, an illius fructus nulli proficui & vtiles extitissent superuacui, imò & nullius vsus; an terræ committerentur, vt putrescerent sine fine alio, an æterno tempore, eadem arbore inutiliter seruarentur, & penderent corruptibilia quæ erant omnia; nónque potiùs in seruitium hominis rationabiliùs multò erogarentur? Aliàs cur crearentur fructus & alimentum, si homini nón possent esse ex vsu, cùm tamen re vera suauissimum alimentum fuisse Scriptura testetur, nimísque delectabile, & aspectu pulcherrimum inter omnes fructus quos condiderat Deus, Arborem quæ in medio, in corde paradisi, erat, petiuit Deus. Est cor Dei ex 138
lege, cor enim & vitam impertitur toti, in eo residet primò; est cor per vitam tale. Est eius opus, vitæ spiritum relegari toti, & motu continuo flammulam caloris natiui ventilare, ne fulginibus quæ continua nutritione leuantur, obruatur; expurgare pulsu; est fons vitæ, caloris origo, viuit primò, & vltimò moritur. 3. de partibus c. 3. 2. de generatione animalium cap. 4. 2. 2. de anim. c. 2. Vita ergo est cordi esse, alias æquiuocè est cor: est vita viuentibus esse, docuit Arist. 2. de anim. Christus est vita Deus, Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*; quo creat spiritum cor. ad Romanos 8. *Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu.* & 10. *Christus est finis legis*, est cor Dei, est Christi, vt est animæ subiectum quod viuit anima & vita, à qua habet esse, subsistere & viuere. Cor ergo est Dei solius. Expetiuit ideo lignum medij paradisi, quia cor petiit, postulauit Psalmo 36. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium; lex Dei eius*

in

in corde ipsius, & 16. *Effundite coram illo corda vestra.* Hæc sola petit Deus lege, iure & actione dominij: vsum habemus eorum quæ accepimus, dominium Deus. Imò hoc voluit Pythagoricum illud celebratissimum symbolum (cor ne edas.) Nam Dei est. Est cor insulsum ex se, insipidum natura, animati, inutiléque adeo, emortuum, quantum viuum vtile: succos generat nutritioni ineptos, melancholicos, crudos, ægrè superabiles, docet Galenus 1. de temperamentis cap. 4. 2. de alimentorum facultatibus cap. 5. Si ergo solum viuum est vtile, soli Deo est placitum cor, nam vt dicitur 1. Reg. 2. cap. *Dominus viuificat & mortificat*, ipse solus viuificat cor vtile, córque reddit. Hinc est lignum vetitum quod videre, examinare, præuidere licebat, non in vsus relegare humanos, vsque dum homini concessum fuisset. Imò suspicor, posteà amplissima edendi licentia fungerentur illi, vt licuisset si primo obedirent præcepto, & parerent maiores nostri edicto imposito. Creauit enim omnia in vsus hominum; at quando opus esset, quò Psalmo 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius.*

De serpentis, & Euæ dialogismo.

CAPVT VIII.

GEneseos 3. cap. sic dicitur; *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem; Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier; De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu verò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne*

fortè moriamur, dixit autem serpens ad mulierem; nequaquam morte moriemini. Dæmon Dei & hominum inimicus acerrimus, serpens vniuersæ naturæ animantium versutum, callidissimum animal dæmonis aptissimum instrumentum, & organum, hominem inuasere; seduxit serpens cunctorum hominum matrem Euam, decepit dæmon abditus, & in serpente occultus: Moses eo loci Geneseos memorat, historiam referens Genesis de orbis vniuersique productione, qui cùm rei gestæ officio scriptoris 139
fungatur, historicéque obstupenda Dei opera narret, hominis creationem, fœlicitatem, lapsum, & non interpretis, sed historici agat personam, eo loci gesta qualia fuere commemorat, nullo facto de dæmone sermone in serpente latenti: Ioannes verò Apocalypsis 12. & 20. c. citatis, cum non solùm sit scriptor actorum Dei, sed interpres simul abditarum rerum, exposuit serpentis nomen, & instrumentum dæmonis, per causam principalem eiusdem, quò dixit eo loci, *Angelus apprehendit serpentem antiquum, qui est diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille*, id est, vinxit Christus serpentem in æternum. mille enim æternitatem notat in sacris literis & absolutionem temporis, 12. verò capite, *proiectus est serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas in terram, & Angeli eius cum eo.* quò dicitur Geneseos 3. *super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ:* hoc enim est quod Ioannes dixit, *& proiectus est in terram.* Serpens ergo hic primos homines Euam & Adamum seduxit, decepítque miserè. Neque his obsistit Paulus 1. ad Timotheum cap. 2. vbi inquit, *docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio, Adam enim primus formatus est, deinde Eua, &*

Adam non est seductus, mulier autem seducta in priuarica-
140 *tionem fuit*; neque enim Paulus negat, Adamum fuisse deceptum, cùm peccator omnis ignorans sit & decipiatur, dicit Augustinus, & grauissimis autoribus constet, Adamũ promissis à serpente Euæ stultè credidisse, fuisseque deceptum diuinæ similitudinis & potestatis cupiditate accensum, cũ grauissimo mentis errore, quò Epiphanius contra hæresim 38. inquit, *diabolus per mendacium decepit Euã & Adam, alia pro alijs supponens.* Augustinus Psalmo 68. *rapuit primò ab Adamo ille ipsum qui seduxit Adamum Sathanas serpens.* Ignatius martyr in epistola ad Trallianos, *per Euam seduxit Adam patrem generis nostri serpẽs.* Irenæus lib. 3. aduersus hæreses. c. 35. *seductus fuit Adamus sub occasione immortalitatis.* Leo sermone de natiuitate, & sermone 4. Prosper in calce libri contra Cassianum, Cyrillus, Ambrosius, & plurimi alij venerãdi patres, deceptum fuisse Adamũ testantur. Sed & si deceptus Adamus fuerit, non est à serpẽte inuasus ille, nec cum illo colloquutus, aut ab illo deceptus primò, neque enim ausus est serpens hominem aggredi, qui technas & argutias eiusdem cum solueret, tum constantiorem hominem conuinceret minùs. Est verò
141 Euam aggressus faciliorem, leuiorem sexus fragilitate, & imperfectione naturæ minùs perfectæ, & constantis. Pertimuit ergo dæmon inuadere hominem, eumque seducere expauit, quò non Adamum seduxit, sed Euam, & fœminam, non virum, & si Adami error peccatum, & labes sequenter ex iis quæ dæmon Euæ parauerat, originem traxerit, tanquam ex radice altili, & eius error ex Euæ seductione ortus fuerit. Est enim Eua seducta fallaci serpente, falsis propositis, menticulosisque

fa

fallendi animo pollicitis, quo seducta est, & verè seducens serpens fuit Euam, Adamus verò defecit, non argutiis, aut tricis, argumentisve fallacibus serpentis, aut Euæ, sed precibus commotus, & blanditiis vxoris, vt de suauissimo sibi alimento sumeret; qui eius petitioni acquiescens, neglecto Dei præcepto, edit, & comedit, non seductus aliquo præterquàm se, qui posteà credidit, superbia elatus priùs, dictis serpentis ab Eua relatis. Dicitur verò à serpente deceptus, & circumuentus, quòd ex ea conuentione & fraude mulier illum solicitauerit, vt eius dictis pareret, vt contextu sacræ Scripturæ colligitur, quò Aug. lib. 14. de ciuit. Dei. c. 11. & lib. 11. de Genesi ad literam c. 31. sic inquit: *Quid ergo opus est pluribus? & sic credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti sunt, & diaboli laqueis implicati.* Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, Chrysostomus homilia 9. in epist. ad Corinthios. Theophylactus, vt refert Oecumenius, Chrysostomus & Hugo de Sancto Victore q. 16. in priorem Pauli epistolam ad Timotheum, Chrysostomus hoc loco, & alij sic videntur deplicare locum hunc, quæ ex sacro Scripturæ contextu colliguntur; dicitur Geneseos 3. *Ecce Adamus factus est quasi vnus ex nobis.* Credidit ergo, sine Deo posse fieri Deo similem, superbiitque, non seductus vt Eua serpente fallaci, nec Eua fallendi animo & seducendi loquuta, sed precibus illius acquiescens, quæ crediderat illa, credidit posteà superbia infectus, se sibi sufficere ratus, etsi præceptum violaret, superbiens, quòd illi interdicta sit arbor impedimentumq; placēdi vxori, tandē gula conuictus mollitiæ & illecebris, à nullo seductus

præterquàm à ſe, aſſentiens iis quæ dixerat fœmina, deceptus, quia voluit, malitia. Adamum ergo & Euam inſiliuit ſerpens, & ſubduxit primò. Euam adorſus, fœminam, calcaneum, appetitum, doctam minùs Euam, imperfectiorem, leuiorem, faciliorémque ſubductu, ſexus fragilitate, corporis conſtitutione imperfectiori, fragilioris naturæ, conſtantis minùs, muliebri impotentia, qua reſiſtunt minùs, & faciliùs vincuntur affectibus concitatis, vt rueret caput Adamus, ratio, vírque nutaret, inualidato calcaneo; infectóque veneno totum, quo eſt Euam aggreſſus primò argutè & captiosè illam ſciſcitatus, ſophoſticè tricis, commiſerationis ſpecie, quaſi condolens de interdicto pulcherrimæ ar-
142 boris; *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Cauſam diuini præcepti, Deique placiti diſquirit ſerpens ab Eua, à ratione naturali petit cauſam diuini præcepti, à fœmina impotenti, minúſque docta, ac ſi non ſufficeret, Deum dixiſſe. Dupliciter enim dæmon exercet homines quantum ad fidem, & quantum ad mores. Quantum ad fidem, interrogatione facta, quo modo hæc fieri aut ſtare poſſunt? quantum ad mores & præcepta agendi, vel non agendi, cur hæc? quorſum? interrogatione Euam adoritur, miſertus quaſi ſerpens, vt eam obligaret ſibi reſpōdere, quaſi propter bonū illorum, & nullo ſibi bono impēdenti, hanc ſuſciperet curam, & quaſi durum iudicaret præceptum, addidit, præcepit vobis, nō contētus lege naturali, & obligationibus eiuſdē mille, tū ſupernaturali fidei, ſpei, & charitatis, ſed adhuc denuò addita poſitiua lege, vobis perfectiſſimis, & rationalis naturæ, ad imaginē & ſimilitudinem Dei efformatis, quos ipſe condidit naturæ libertimæ, vltra quàm bruta animantia ligat & ſtringit,

git,quibus omnia sũt libera;adstringit vos legibus,& 143
arcet denuò,impositis,vobisque solùm positiua præcepta imposuit,cur ergo præcepit vobis, & cur præcepit? Nonne sat esset consulere, sine eo quòd vobis præcepisset, qui estis excellentissimæ naturæ, æternæ, & immortalis, Dij, quasi ad imaginem & similitudinẽ ipsius? *Præcepit vobis*, quasi abiectis, & humilibus,infimisque & ignotis, cùm sitis liberi,& illustres ortu. Vobis, cur vobis præcepit, ne comederetis ex omni ligno paradisi, mori cur præcepit eo interdicto, cur mori liceat vobis, qui essetis immortales, si eo vesceremini? nam hæc præcepit, dum illa prohibuit, vt tandem de omni ligno paradisi non comedatis vita defuncti. Sequitur, *Deus*, Deus inquam liberalissimæ conditionis, magnificentissimæ naturæ, qui nullo eget, creauitque & possidet omnia, cuius est vniuersa natura, Deus cur vetuit lignum hoc,quod sibi nõ erat ex vsu, neque Angelis eius, quod facilè adeò produxit solo velle,cur animãtibus bestiis,& brutis nõ prohibuit,& ille Deus iustissimus alioqui vos solùm ab hoc ligno absterruit, ne comederetis ex omni ligno paradisi, id factum puto,nã arbor hæc homines efficit Deos,immortales,sapientes, vt sibi cõsulant de bono & malo, sagaces,prudẽtes, scientia plenos, cognitione boni, prosequutionisque illius, & fugæ mali; quò cùm prohibuit hanc arborem, id fuit vt mortales essetis, & tandem ne comederetis ex omni ligno paradisi vita defuncti, paradisusque illi solùm superesset, solus paradisi dominus, sibi totum hunc pulcherrimum locum adscribens, quò huius ligni prohibitionem factam reor,ne comederetis ex omni ligno paradisi;tandem tum ne domini absoluti huius loci sitis, vetita est vobis arbor vna,quę Deo nullius vtilitatis est,sed so-

 lùm

lùm vt vos seruos & subditos, non paradisi dominos cōstitueret; pręceptum hoc impositū esse censeo; cur ergo vobis præcepit Deus, Deus qui eius conditionis, seueritatis, eius iustitiæ est, & rigoris, vt Angelos tanto vobis natura altiores & nobiliores, qui primos cœli gubernabant cardines, Luciferum illum creaturis omnibus natura pulchriorē, ob culpam vnam expulerit de cœlo, vt miserè apud inferos extorqueatur tormentis; præcepit fortasse, vt delinqueretis, & à præcepto deficiatis, vt durissimis pœnis cruciemini, & puniamini crudelissimè, eóque intricare vos vult, vt decidatis laqueos, retiáque tendit; cur non liberè vobis tradidit paradisum? ne sitis Dij, id factum nil mali si feceritis passuri: hæc serpens veneno plenus disquirit à fœmina, quam superbia, & animi elatione inflare tentat, dum dixit, vobis præcepit, cur id est, sine ra-
144 tione præcepit vobis voluntariè nimis. quo verbo & emphasi inflatur Eua, & intumescit, sibique per naturam deberi, similem esse Deo potentia agendi, semel adepta notitia scientiæ boni & mali, & absolutione à lege & præcepto, subiectionéque alicuius. Elato animo regulare vult omnia Eua, & non regulari aliquo illa superbiens & arrogans sibi natura, quæ acciperet humilis, gratia & dono, liberalitateque summi conditoris. Subdixit serpens, *præcepit vobis Deus ne comederetis*, cùm fructus ille alimentum sit, vt vos scitis. i. infusa scientia, & notitia rerum, aspectu & modo, sitque salutare adeo, & delectabile inter omnes fructus varios, & placidos totius paradisi; fructus enim & alimētū cùm sit naturæ corporeæ, cui alteri maiori cum ratione impertietur, quā vobis perfectioribus natura inter omnia corporea, quibus præcepit ne comederitis, si enim præcepisset custodiam

diam arboris à brutis animãtibus, & ne illud vastaretis, aut radicitus euelleretis, ne dilaceraretis, exueretisve à fructu, omnimodò spoliaretis ornatu & decore quibus insignitur, id iustum esset præceptum; sed cur p[illegible]ecepit, ne comederetis, & hoc vobis alioqui vtilissimum, vt notitia rerum ingeniti nostis, & recepistis ab Adamo, tum ne comederetis de omni ligno paradisi. Sophisticè fœminam adoritur his. neque enim præceperat Deus illis de omni ligno ne ederent paradisi cùm omnia reliqua tot, tãta variaque adeò pulcherrima, vtilissima, & placida ligna illis esset elargitus, dixerat enim Deus quando præceptum imposuit, *ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem sciẽtiæ boni & mali ne comedas*; Omnia ergo illi concessit ligna, vno dempto, captiosè satis & sophosticè nimis refert serpens quæ dixerat Deus. dixit ipse, de omni ligno paradisi vescemini vno dẽ- 145
pto scientiæ boni & mali, interdicitur vnum tantùm hoc præcepto, liberrimè ex omnibus aliis facta copia, subticuit concessa serpens, permissa obticet, & oppositam contradictoriam ei assertioni quam Deus stabilierat, veram nititur demonstrare. Dixit Deus, de omni ligno comedetis dempto vno, scientiæ boni & mali: inquit ille, cur præcepit vobis ne comederetis ex omni ligno? quasi obliget vos ad duo impossibilia, vt edatis ex omni, & vt non edatis ex omni; arguties sophistica, quasi conditio exceptiua non restringat vniuersalem propositionem, sitque eis data licentia edendi ex omni ligno quod superest, illo dempto. Nam etsi vniuersalis oratio non sit, nec de omni, cuius singularis vna illa eadẽ non cõtinetur, tamẽ imposita particula exceptiua, *autẽ* aut *præterquàm*, de omni quæ superest, oratio integra est; Dixit, paradisi, cùm hortus ille deliciarũ in

 bonum

bonum hominis conditus esset ab initio, quòd Deus illum constituerat, quasi diceret serpens, loci tibi dicati & conscripti propter te, & in tuum bonum conditi, quem semel iam tibi tradiderat Deus, ab his quæ semel tibi concesserat, te abdicat, reiicit, repudiat te, paradisi, paradisi inquam, quo nullum ma-
146 ius bonum in natura corporea tibi superest. Sic suadere tentat mulierem, his animi elationibus superbire facit, his technis & tricis; his antiquissimus sophista seducit, quo dicitur Ecclesiastici 37. *qui autem sophisticè loquitur, odibilis est Deo.* Cui respondit mulier, quod cum admiratione refertur facti, quasi colloquia & conuersationes, responsáque teneretur vitare, & non respondere, imò neque audire illa, nullumque alterum preterquàm maritum exaudire, sub cuius potestate & dominio erat; audiuit serpentem, colloquia, & colloquutiones cum dæmone adhuc habuit, alij quàm marito respondere parat, ne ignara videretur, inscia, indiscreta; imo, vt teneretur fœminarũ conditio, vt resipere videantur, ipsi Dæmoni, & serpenti responsa afferent, cum eo colloquentur, dæmonumque ministris, ne à propria æstimatione deficere videantur. Dæmoni ergo respondit mulier, & ignorans tantùm de se præsumit, & arrogat, vt ipsi Dæmoni satisfacere posse credat, & præsumat sine mariti licentia, & capitis ope, imò quæ dixerat & præceperat illis Deus, & quæ à marito discere tenebatur, per se ipsa exponere non erubescit. Nec dæmonem serpentemve ad Adamum remisit, vt ille cui datum erat satisfacere quæsito, absolueret dubia, sed de se præsumens, per se vult satisfacere dubiis dæmonis, sine eo quòd per Adamum intellige-
147 re velit, quæ illis imperauerat Deus. Quæ ne ignorans, minúsque docta, ne oblita legis & præcepti
impo

impoſiti ignara videretur, multò magis, quàm vt ipſius ſui cõditoris extolleret magnificentiam, & liberalitatem, dixit negans, quæ ſerpens affirmauerat, inquiens; *De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur*, neque enim negauit nobis omne paradiſi lignum, *de fructu verò ligni quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Addidit ſerpens præcepto, vt durum videretur & graue, omne lignum paradiſi interceptum fuiſſe homini, cùm tamen ſola arbor vna eſſet excepta, facillimum alioqui præceptum, vbi tot, tantaque homini fuêre oblata ſuauia, ſalubria, guſtui grata, ordorifera, excelſaque alimenta ſupererant, addidit ſerpens, & cùm videatur Eua negare; quæ ſerpens addiderat, ſuperaddidit vltrà quàm impoſuerat ſerpens, inquiens; non vetuit omne lignum Deus nobis, imò conceſſit nos veſci de fructu lignorum omnium quæ ſunt in paradiſo, verùm de fructu ligni ſcientiæ boni & mali, ne comederemus iuſſit, & ne tangeremus illud, ne fortè morte moriamur. Fœminarum conditio ne iuſtis obtemperent, iniuſta adhuc ſuperaddere, vt grauitate præcepti excuſari videantur à crimine. Tripliciter enim Scripturam ſacram deprauare nititur omnis peruerſor legis; appoſitione, diminutione, mutatione. docet Rupertus Apocalypſis 22. Ambroſius libro de Adam &
Eua, Abulenſis in 3.cap. Geneſeos, Anſelmus, Gre- 148
gorius & alij patres, hiſque tribus elata ſemel Eua, & ſuperbiens, crimine ſuperbiæ commiſſo iam, interrogatione dæmonis, verbo illo, *cur præcepit vobis?* præceptũ & legẽ permutare eſt auſa; ſemel ac ſuperbit quæſito dæmonis appoſuit, ſuperaddiditq; præcepto, dum dixit: *& ne tangeremus illud*, cùm Deus nõ

vetuisset ligni contactum, sed solum esum interdixisset, diminuitque & præceptũ iis, *ne forte moriamur.* Deus enim nõ dixit, *fortè*, sed *in quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini*, certò & infallibiliter imminuit quòd non dixit, *in quacunque die comederetis ex eo, morte moriemini.* mutauit, quia cùm solus Deus de ligno scientiæ boni & mali legem tulisset, illa mutauit dicens, *præcepit nobis Deus, ne ederemus de ligno quod est in medio paradisi*, neque enim hæc dixerat Dominus, sed de ligno scientiæ boni, & mali: in medio enim paradisi lignum vitæ continebatur, quod illis non vetuerat Deus. Quantæ damnationis sit apponere, vel diminuere de verbo Dei Ioannes testatur in Apocalypsi dicens: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet super illum Deus plagas scriptas in libro isto: si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto*, iam enim impatienter ferebat superbiens Eua, murmurabat, quasi parcus vel auarus Deus pretiosa medij paradisi reseruaret, & viliora illis solùm in cibum concessisset, dubitareque cœpit de rigore diuinæ iustitiæ, dum dixit, *ne fortè moriamur*, cum illis Deus certò morituros renunciasset, eodem die quo violarent præceptum, quo dæmon Euæ superbienti iam corruptæ & peruersæ rationis, quinque impia & execrabilia credenda proponit, impossibilia imò creditu: inquiens, *nequaquam morte moriemini.* quò veritatem summã, Deumque ipsum, ipsamque veritatem per essentiam talem, mendacem esse suadere conatur, nullo
149 alioquin colore contradicente Dei dictis. Secundò Deum efficit inuidũ illis, *scit enim Deus quòd in quocũque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malũ*; quasi diceret, vetuit vobis

arborem Deus, quia noluit vos æquè cum illo sapientes. Tertium, arborem illam vim habere efficiendi illos omnium rerum intelligentes. Quartum, per se posse esse similes Deo. Quintum, hæc fructu illius arboris contineri. Hæc Augustinus cap. 30.in Genesi ad literam. Præmio & pœna omnes homines excitantur, vt agant, omnisque respublica his duobus bene ordinata est polis, Vlpianus dixit, dum iustè & pœna infigitur, & præmium confertur, docuit Plato 1. de republica, Aristoteles Politicorum 1.& Ethicorum 2.& 2.Rhetoricorum ad Theodectem, capite 6. Arca fœderis panem & virgam, præmium & pœnam *pan y palo*, vt vulgo dicitur, cōtinebat. Suadetur verò quilibet vt agat, & pœnæ submotione, si lex pœnalis est, & præmij promissione certa & stabili. His aggreditur serpens Euam pœnæ auersione, *nequaquam morte moriemini*, pollicitatione præmij, *eritis sicut Dij scientes bonum, & malum, aperientur oculi vestri*. sophisticè nimis, & callidè nugas congerens, ambigua & dubia oratione sophistica hac, cuius verba tantùm vnum sonum videntur efficere, plures verò efficiunt sensus, & distinctos satis, vt posset se dæmon vindicare à calumnia, & mendacio, ne fidei suæ in posterum derogaret, qui futurus erat tot tantarumque gentium seductor, idolum, Deus; quò verba multorum sensuum protulit, vt hac illáve posset sese excusare cautela lapsus & ruinæ hominis, vt mos illi est verba dare, quæ & ad quemlibet euentum accommodari possint, vt ex tripode & Pythio Apolline responsa reddebat dubia, & ambigua, quæ prout euentus posteà efflagitabat retorqueri possent & aptari; *nequaquam morte moriemini*, de corporis obitu fuit illi mens, verba intelligi posse; quominùs verbo caperetur, ne in

in posterum suæ authoritati derogaret, idololatriæ & cultui fallaciæ nota, cùm tamen de animæ morte pœnam constitutam calleret, eo die quo sunt legem violati, eademquemet esse morituros. Sed in eo adhuc mentitus est dæmon, cùm re vera de morte corporis verum extiterit dictum, *in quacumque die comederitis ex eo morte moriemini*; nam non dicitur, moriemini in illa die, sed morte moriemini, ab eo enim die semel auersa ratione, &
151 conuersa ad fugacia bona, suo summo factore Deo relicto, omnes causæ corruptiuæ ab eo die in hominem confluxere, vindicantes quasi supernum Deum de ingratitudine hominis & inobedientia; quò neque appetitus pestitit rationi subditus, imò in rationem elatus, neque causæ alterantes tam internæ quàm externæ frænatæ, omnes imò alterarunt hominem ab eo die, cœpitque homo corrumpi & mori, ab eodem effrænatis illis, & à vinculo obligationis quo tenebantur originali iustitia solutis, hominem inuasere, vt vim vitæ, integritatem, nitorem, & robur inquinarent, soluerent, vt perpetuò labasceret, & ab eo die moreretur continuò, vt verissimum dictum fuerit, *in quacunque die comederitis ex eo morte moriemini*. semper enim natura decidit in deterius à die ortus, labascitque & moritur homo, & in deterius abit. Quò dictum est à sapientissimo Platone in Timæo, *semper morimur*, & ab Hippocrate, libro de natura humana, calor qui nos genuit nos conficit, & Arist. libro de vita & morte, à principio ortus, calorem nostrum innatum, ingenitum substantiæ nostræ humidum absumit & vastat. Cùm enim ab eo die defecerit illis vitæ ligni esus, ab eo die calore repasso ab alimento suscepto, mortis vinculo sunt stricti; quò ab eo die dicitur illis,

illis, *morte moriemini*, adhuc de corporali vita facto ſermone, & *morte moriemini*, morte non ſolùm moriemini, dictum quòd mortes duæ ibi contineantur in facto, vna ſpiritus, illa in fieri, alia corporea. prima morte ſuppoſita, hæc ex illa trahens originem; *morte moriemini*, aliàs moriemini ſolùm ſufficeret. Non potuit ergo dæmon mendacij author, veritatem Dei verbis contentam inquinare, nec potuit mendacium effugere cauillo, & ſolertia. Expetunt fœminæ multo plùs viuere ipſis maribus, quò & vitam minùs periculis ſubiiciunt, exponuntque, viris timidiores, natura imbecilliores, debiliores. Cùm enim ſexus fragilitate minùs poſſint reſiſtere paſſionibus, corde debili, præſentia ſolùm conſiderant, vitam præſentem auidiſſimè expetunt, mollitie animi debiles, vt in plurimum abſoluto ſermone facto. Serpens verò molliſſimam inuaſit naturam; ſunt maximè viſcerum amatores propter carnis mollitiem, & calorem tepidum, quo fouentur viſcera ſerpentis, tum propter indagatricem naturam, qua pollent, latibula, & cauitates viſcerum diſquirentes, docet Ælianus lib. 6. c. 16. Ariſt. 8. de historia. c. 4. Rhodiginus, & alij, ideo docti pictores Cleopatram, & Rodericum Gottum, Hiſpaniæ vltimum regem ſerpentibus interemptos, lateribus, & viſceribus eroſis, non alio depingunt, propter viciniam cordis, quod inficere tentant veneno primo. *Viſcera amat ſerpens, latus petit, mollia cupit.*
Hinc eſt Euam adorſus primò, eſt Eua ex latere, 152
eſt latus viri, coſta eius, viſcera, mollis, & ideo mulier, quaſi mollis dicta, facilis, inſtabilis, debilis, vt ſunt viſcera natura & motu non munita oſſibus, non circumuallata neruis, non fulcita firmis ligamentis, conſtantibus & validis, mollia imò & peruia.

peruia. Euam aggreditur, vt ruat Adamus pedes, vt nutet caput; calcaneum, vt non ſtet homo rectus; ſic enim animalia adoritur ille natura, mulierem primò, vt quæ poſteà non eſt auſus proſequi dæmon, proſequeretur mulier, vt irretiiſſet Adamum, non ſibi ſatisfactum fuiſſe putans, ſi & ipſe in conſortium delicti nontraheretur. Neque enim amore pomum obtulit, imò malitia & inuidia, vt ſors eſſet illis æqualis, & non increparet Adamus quæ & fecit ipſe, ne ipſa pœna, ille verò præmio afficeretur.
153 Hinc non poſſum non iraſci Euæ, quæ ſymbolo fallaciæ monita, ſerpenti acquieuerit, at reiraſcor Adamo, quòd duplici fallacię ſigno pręmonitus, ſerpente & fœmina, eiſdem ſimul adhibuerit fidem. Iis eiſdē ambagibus Dæmō munitus verbis æquiuocis ſemper vſus, docet Rupertus c.7.3.de Trinitate, & Auguſtinus in Geneſi ad literam, Abulēſis & alij patres; non ſecus ac Dij gentium, qui dubiis reſpōſis illudebant & ludebant homines. Reſpondit, dixitque ad mulierem, quæ metu mortis arborem contingere recuſabat, nequaquam morte moriemini, dico ego, etiam ſi Deus dixerit, nec vos morituros eſu huius ligni affirmo; cuius aſſertionis dictum ne fidem amitteret, & opinionē abrogaret huius incredibilis, impoſſibiliſque ſentētiæ, quæ ipſimet veritati ex diametro videbatur opponi, nā ipſi Deo obſiſtebat, qui dixerat, tali eſu neceſſario eos interituros, amphibologicè probat, & alio ſenſu vſus eſt iis eiſdē verbis quibus eſt vſa ipſa ſumma ſapientia & veritas. Dixerat enim Deus, *morte moriemini ſi ederitis*, morte inquā, vt ratione & forma, cauſaque formali moriendi, vt vita, ratio & forma viuentis eſt, tum vltrà morte moriemini: nam mors corporis, quæ neceſſariò à die tranſgreſſionis præcepti occurret, mors

mors talis quando adfuerit, non erit vobis ea terminus mortis, sed hac ipsa vltrà moriemini spiritu, quò morte moriemini in ea die. Serpens verò, *nequaquam* 154
morte moriemini de causa effectiua, & infligenti huius supplicij & pœnæ vera proferens, alio sensu, nō moriemini morte: neq; hoc hoc inferet supplicium, sed vita moriemini, id est, Deo ipso vltore, qui vita est, morte puniemini, quò moriemini, vita ipsa vlciscente delictum, & cōmissum scelus. *Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri.* Iureiurando affirmat serpens, eos victuros, Deumque ipsum in testem affert, iuramento inquiens: Scit enim Deus, ac diceret, hæc est ipsa veritas, & Deum adduco in testem, qui huius veritatis est conscius. *scit enim Deus*, quòd si scit, verum est, falsa enim cùm non sint, sciri nequeunt, præcipuè à Deo qui nullũ errorem admittere potest. Scit ergo Deus, nequaquam vos morituros in quacumque die comederitis ex eo, vt experientia edocebit, imò inuidus & parcus hæc vobis interdixit. Cùm ergo fœmina addidisset præcepto, *iussit nobis Deus ne comederemus de ligno quod est in medio paradisi*; & superaddidisset, & ne tangeremus illud, & de pœna dubitaret certa, apposito verbo illo, *fortè*, & *serpens* quasi misertus Euæ & Adami de bono vetito, & interdicta arbore alioqui pulcherrima & deliciis plena, cum præceptum hinc & illinc fluctuaret, inter hos scopulos, inter serpentem & Euam, iuramentoque affirmasset serpens, nequaquam esu morte morituram, imò victuram in posterum, apertis oculis sensus, & intellectus, maiori acie & robore, vt bonum & malum discernere, & iudicare posset. Experientia ad ocu- 155
lum ostendit serpens, ex his quæ Eua præcepto superaddiderat, postquam iuramento asseueraret, eam nequa

nequaquam esse morituram(simul enim ac Eua emphasi & animi elatione, superbiæ peccato iam commisso & contracto, verbis serpentis quibus dixerat, *vobis præcepit Deus*) in tot tantosque errores venit, vt & præceptum modò imminueret, augeret modò, & modò permutaret, quo errore illa percita est, vt existimaret, se morituram, si lignum adhuc con-
156 tingeret. Ex his verò capta est serpentis argutie & paralogismo: nam cùm esset serpens appensus ligno, dum hæc colloqueretur, non secus ac Moses exaltauit serpentem in deserto, Num. 22. & vt oportuit exaltari filium hominis Christũ cruci affixum, vt dicitur Ioan. 3. c. & vt dicitur ab Ecclesia de serpente, quòd *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*, vt vita nostra Christus ligno appensus mortem destruxit, vitamque nostram resarciuit, Mosis serpente figurato sensu expressus, vt eo modo quo mors nos insiliuit arbore illa, eodem Christus viuificaret pendens de cruce, & vt pependit dolus de arbore, & venenosus fructus, sic salus & vita de ligno penderet, quò est serpens arbori irretitus, & complicatus spiris, & orbibus, contingebatque arborem, dum hæc ferebat. Iis Euam seduxit captiosèque illam decepit experientia hac, non secus ac si diceret, Ecce ego lignum contingo, & non morior, cur ergo tu morieris, etsi contingas? & vt contactus mortem non affert, vt existimabas, neque esus causa
157 erit mortis, vt credis, ô pulcherrima Eua, natura illustris, soboles Deorum, & progenies huius vniuersæ machinæ visibilis iure dominatrix, & regina, quas enim Deus minas rigidè intonauit, & intendit, id solùm ad terrorem est, neq; enim piissimus ille tãto rigore flagrauit, vt propter pomũ vnũ huius arboris, vniuersum funditus euertat, posteritatemq; omnem,
aut

aut te ſpe ſucceſſionis fruſtrabit. corporea enim omnis hæc natura in veſtrum ſeruitium conſtituta ſuperflua eſſet vobis deficientibus, neque eſt credere, Deum hæc condidiſſe tam breui temporis ſpatio interitura. Ex ſuperaddito ergo ad præceptum Eua concluditur, experientia conatus conuicta, quòd mortem non inferret, vt eſt illa experta contingens arborem, cùm fructus decerpſit antequàm deguſtaret, promittere non ceſſat, & polliceri vaniloquus ſerpens, qui non tenetur adimplere promiſſa mẽdacij autor, quo ſubdit, *in quacumque die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri.* Erat enim hæc illius arboris 158
conditio, & natura, vt ſenſus excitaret, & exacueret, eius fructu & viuaci alimento, ſpiritibus concreatis efficaciſſimis, natura actiuiſſimis ad ſenſuum opera perficienda, vigiliamque inducentibus, continuum & liberum motum, qui oculos affectabant ea diſpoſitione, vt auidè & cupidè proſpicerent, affectuque nimio res ipſas & conatu, quo aperientur oculi veſtri, nam res ipſas affectibus aliis videbitis, ac videtis modo. Scimus enim, ſpirituũ variam naturam confluentium ad oculos, eo quòd res ipſas aliter atque aliter repræſentent, varij ipſi & diſſidentes, pro diuerſa eorum diſpoſitione, ſic oculos afficere, vt hæc pulchra, illa placida, hæc iocunda, illa triſtia ſeſe nobis offerant, vt modò hæc placeant, illa moleſtiam inferant, ex diuerſa ſenſatione in oculis facta, ſenſatíſque ſpeciebus ſpirituum, diuerſa diſpoſitione hæc aut illa eliciente cogitatiua ſpecies amoris, & odij, voluptatis, aut moleſtiæ, prout diuerſa hæc fuere in ſenſu viſus præcipuè, quo & ouis odij ſpeciem elicit viſo lupo, quam non eliciunt alia animantia, etſi eiſdem ſenſibilibus ſpectris immutentur, quòd non ſit eodem modo virtute ſpirituum videndi

 inſtu

instrumentum dispositum, paratumque hæc ipsa edere, vt est in oue, non secùs mus odit felem & sese amant alia, & depereunt. Flagrat amore vipera murenæ piscis quem amat, & quærit, solicitátque nimis amore capta, & vulpes serpentes quærit, ipsósque adamat intensè. Satis diximus, quòd sensatis ex visu spirituum ratione sese affectet afficiátque taliter, vt extrahat posteà affectatas species odij, aut amoris prout in sensu fuere hoc illóve modo affecto, diuerso & altero, quo posteà affectatus iterum superest oculus, vidítque affectu nimio quæ inspicit postea, vt modò inuidus videat, cupidus, odiens, animans, tristis, alacer, placidus, acerbus; sic dæmon affectat oculos præstigiis concitatis spiritibus, & actis, vt aliter atque aliter repræsentent obiecta, vt in affectus varios trahantur, philtris & magia causis applicitis naturalibus varis occultè. In nulla enim nostri corporis parte affectus splendent, vt in facie & vultu, & inter omnes eius partes diuersas & varias, in nulla altera elucescũt adeò passiones, animíque motus, atque in oculis manifestantur, affectu nimio, vt abditas & internas passiones cognoscamus in illis, oculorum intẽsissimo affectu, vbi
159 amor, odium, ira, mansuetudo, superbia, humilitas, modestia, iactantia, reliquáque animi interna, elucescunt magis, splendent, quàm in oculis. Ac si per fenestras videremus animorum motus, sic causę naturæ alterant motione spirituum obiecta, aliter & aliter euertentes spectra, vt alia suggerant, & species motu internorum spirituum præcipuè actu vario, è quibus maximè pendet visio. patet in multis sanguineis & lucidis, lætari ex multis è quibus melancholici tristes mœrent & pauent, aliíque & alij in varios satis affectus concitantur. Non secùs eo ligni alimento

mento procreabantur natura tales, vt affectarent visum. dicitur enim Prouerbiorum 5. cap. *lux oculorum lætificat animam*, oculi ſcilicet ſplendeſcentes & lucidi, ſpirituum lumine, & ſplendore. turbidi enim & obſcuri triſtitiam inferunt, quo mortui oculi & ſine lumine triſtitiam, & metum incutiunt. & 14. Prouerbiorum dicitur: *nequam eſt oculus liuidi.* Liuidus enim qui coloris plumbei eſt, tetris humoribus abundat, & obſcænis, quia ex illjs ſpiritus eleuantur inquinati, & naturæ corruptæ, quorum maior copia in oculos effluit, vt viſio natura excellentior, perſpicaciſſimis ſpiritibus tanquam per medium exerceatur depuratiſſimum, perſpicaciſſimúmque, ideo organo huius ſenſus inſignes adſunt cauitates opticis neruis, vt contineantur ſpiritus, copia tot tanti, quibus ſic organa ſenſuum perficiuntur vt munia ſua exerceant & compleant, pro varia eorum perfectione & diſpoſitione varia, vt his vitioſis & coinquinatis, copia, multitudine, & malitioſa natura expulſis, continuo deſcenſu & affluentia in oculos qui reſiliunt, & ad extra pulſi veniunt, inquinant & inficiunt circumuicina quæuis, faſcinántque, vt docuit Ariſt. de ſenſu & ſenſili. c. 2. Plinius lib. 28. c. 2. & 19. cap. 4. Plato in Timæo, plurimíque ex medicis autoribus; Ætius, Paulus, Dioſcorides, quò nequam eſt oculus liuidi, & tetri coloris hominis, inficit alia, non ſecùs ac menſtruatę fæminæ ſpecula terſa, ac munda maculare acie oculorum in ſpeculum conuerſa, docuit loco citato Ariſt. Si ergo oculi affectati vidēt ex interna animi motione, & animi interni motus ex affectato viſu diuerſimodè affecto ſpirituum ratione, qui ex ſanguine & alimento euolāt, & conficiuntur cordis, & cerebri virtute, altilis animæ pro diuerſa natura alimenti, varij & diuerſi, diuer-



ſoque eſu & victu alij, & alij, qui & peruigilem, liberumque & continuum oculorum motum poſſint efficere, oculorumque modeſtiam euertere, effrænare depreſſas palpebras, & peruertere concinnum, & debitum, cautumque videndi modum, eſu illius ligni quod paſſiones acriter excitare monſtrauimus; quid mirum, ſi oculos aperiret vltra rationis metas, & terminos, affectu, & cupiditate, & vltra quam par erat, res experirentur, peccato iam commiſſo priùs; amiſſaque originali iuſtitia, ſuperbia, gula, inobedientia, inuidia: vt diceret ſerpens, aperientur oculi veſtri, tam quoad naturam, quàm quoad mores, affectus, appetitus, ſenſuſque, & rationis peruerſionem, cùm priùs velamine iuſtitiæ originalis velatis oculis peruixiſſent, non ſecus ac iuſtitia depingitur oculis ligatis, & vinctis, charitaſque & amor velatis oculis, velamine rationis, & legis.
160 *Tum aperti ſunt oculi eorum*; non quòd potentiam videndi ex eſu ſuſciperent, aut quòd eſſent reſeratæ palpebræ, quæ vſque ad id temporis concluſæ fuerant, ſed quòd aperti ſint videntes ea quæ anteà non viderant pœnam, delictum, ruinam, & lapſum, pœnalitateſque omnes. *Aperti ſunt* in ſecundo actu, in actu videndi vltra rationis terminos, *oculi eorum*, dicitur enim Lucæ 24. c. de Apoſtolis, qui cum Ieſu recubuerant, *& aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, ipſeque euanuit ex oculis eorum*. Aperti, inquam, ſunt in illo actu numerali videndi, id eſt, in cognitione; per viſum aperti erant anteà, at non vt cognoſcerent, & viderent modo quo poſteà viderunt, & cognouerunt; quæ & eſt phraſis communiſſimæ loquutionis, dum viſum alicuius hebetẽ ſignificare volumus, exaggeratione illum oculis carere dicimus, clauſóſve, aut velatos oculos, obturatos obtinere, & dum vident

quæ

quæ volumus, dicimus, oculos aperuisse. Erant oculi primorum parentum in statu innocentiæ modesti, temperati, velatis oculis iudicabant, vt modò iustitia depingitur; velatis, non personarum acceptatione, sed æqua lance, quæ ferebat ratio sine oculis quasi ad reliqua: semel verò commissa culpa, patrato scelere, liberi & vagi, vltra rationis metas vagabantur,
hærebant oculis in lege prohibita. Stetitque serpens 161
promissis, ab ea enim die licuit oculos aperire, viuere apertis oculis, intentis, expilatis, detersis, cautis, vt fuit inde opus; *aperti sunt ergo oculi eorum, & cognouerunt se esse nudos*, eodem cap. 3. non quòd anteà non cognouissent, se nullo tegmine tegi, at non ideò nudos esse sunt rati. Est nudus cui vestes desunt, debentur tamen; solùm verò ab ea die illis vestes defecere, qua opus fuit tegi vestibus, quò & causam deformitatis, & peccati occasionem abdere nitebantur, corpus scilicèt, cuius causa ingessere cibos, vetitumque pomum, & fructum, quo alimentum
nutritiuæ parti subministrarent; cuius est & alimen- 162
to vti, & genetare sibi simile, iuxta Arist. 2. de animal. cap. 4. Hinc obscœnas occulimus partes, generationis instrumenta, aliis magis, & eas quæ inter guttur, & fœmora continentur, quibus actiones alentis animæ copiosiùs exercentur, & officina adsunt alimenti, quæ vsum fructus prohibiti non recusarunt, quò & os quo ingessimus cibos aperimus inuiti, linguamque cui adest gustus alimenti, extrahere, exerere, iudicamus turpe. hinc erubuere nudi.

De dira, & execrabili serpentis pollicitatione

CAPVT IX.

263 GEneseos 3. capite sic dicitur; *Et eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Execrabilis satis, impia, & abominationibus plena serpentis pollicitatio, qua Deo similes, sine Deo, transgressione imò Dei præcepti, hominibus posse esse suadet, spiritualis natura secundùm se libera, perfecta, & integra Angelorum, quæ cùm affectibus non inclinetur corporalis naturæ, incorporea, & æterna, neque habitu aliquo, aut dispositione crearetur infecta, integra imò, & excellens, pulcherrima, ex affectu, aut habitu deficere non potuit semel creata, & si libera, & voluntaria in suo esse natura & substantia; & cùm illa nō posset affici ex corporea natura, rerumque fugaciū corporeis passionibus, quæ spiritalem substantiam affectare nequeunt rebus corporeis; cùm eis non egeat, ex his deficere non potuit, aut circa hæc peccare, affectata eisdem, quo spiritalium respectu, solùm inquinari potuit. Non quòd spiritalia diligeret, & intelligibilia amaret, desiderióque eorum afficeretur; hoc enim sine labe erat & naturale sibi, bona expetere; Ex eo verùm, quòd non regula & ordine à superiori natura imposito, hæc ipsa adipisci vellet superbiēs, & despiciens modum supernæ naturæ, sibi consulens, sat se sibi iudicans illa, sese credens, & prosequēs, sui iuris quasi & arbitrij, non secùs ac si ipse regula esset suorum operum, vt est Deus, qui ideo peccare nequit, quòd à regula qua est ipse sibi bonus & sapiens, non possit deficere, quò dæmones contraxere labem

&

& culpæ reatum, quòd similes Deo conarentur esse, ipsíque sibi regulam suorum actuum sese proponerent, nullius alterius subditi imperio, legi, aut rationi, sed per se naturæ viribus Deum posse videre existimantes, propter excelsam eorundem naturam, illustrem, & claram; cuius viribus hæc posse nancisci sibi sunt suasi; hæcque sibi deberi natura rati, cecidere superbia, dum niterentur similes esse Deo, esséque suum finem vltimum illum, quem sua natura attingere possent, dum vsque tormẽtis extorsi, & cruciatibus diris sine pulchritudine illa & decore gratiæ, & iustitiæ; cognouere, se Deo non posse fieri per naturam similes, ex quo illis inuidia oritur, & æmulatio pessima in Deum, & homines; quòd ille sit eis impedimento huic summæ malitiæ, & homines, quòd in patriam succedant filij adoptiui. Quò Euam conuincere tentat dolo & fallacia, superbire. Quæ fecit fastu & animi elatione, verbis illis iam explicatis, *cur vobis præcepit Deus?* quo iam animo elata & superba, vt hic Augustinus, serpenti credidit, & sine Deo, sicut Dij fieri cupiuit, præcepto transgresso, vt quæ dæmon per se efficere non potuit, vt Deum esse, vult æmulator tentet Eua, vt nulla supersit rationis natura; qua non probet, flagitium, & scelus execrabile, & dirum, iam semel conceptum suo intellectu, pertinaci contumacia & malitia, naturæ immutabilis, quò dicitur Psalmo 73. *superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*, quò his eam aggreditur, *sicut Dij eritis scientes bonum & malum.* Inflauit ergo Euam, & superbire fecit effuso veneno versutissimus serpens iuxta veneni & virus cõditiones & naturam, quæ homines inflat, & sese excedere 164
facit, turgidi & tumidi, propriósque transgredi terminos malitia, & cruore. Cùm enim subditus

esset appetitus rationi statu fœlicissimo iustitiæ, cuius non erat affectus peruertens rationem, hæcque omnia essent ordinata, expugnat alio, non affectu corporalis naturæ vniformis, eo tempore, superbia imò & contemptu regulæ, promulgatæque legis, quasi non teneretur præclara hominis & excelsa indoles eo vinculo adstringi, illustris, libera, & clara, quo spiritualem aggreditur partem, scientia intellectum; bono & malo voluntatem astutissimus serpens. His ergo aggreditur Euam, quam accendit desiderio cuiusdam deitatis, & excellētiæ scientiæ, quæ cupiditate inflata & propria æstimatione, posse se scire rata, eo arboris esu, mysteria & arcana abdita Dei, nolente, reluctanteque Deo, hisque posse summum bonum nancisci proponens sibi summi boni rationem, in his quæ hac scientia possent adipisci, neglecto Dei ordine, & posthabita regula, qua summam fælicitatem homines posse consequi & beatitudinem destinauerat, per se primò elata, & superba, petulans, arrogans, iam viuere cupit, & se sola agere, sicut Deos posse esse rata; ipsi Deo inuidens, vt serpens promiserat, elatione & fastu, quæ in se adimplere non potuerat, hæc illi promittens vt sibi pollicitus fuerat, Isaiæ 14. vt iam suprà diximus, *conscendam in cœlum, & exaltabo solium meum super astra Dei, & ero similis altissimo*, Luciferi verba eo loci
165 relata. Promisit ergo Euæ quæ & sibi promiserat; implere verò non tenetur mendax, & subdolus serpens. Peculiaris conditio eorum qui non stant promissis, largè polliceri; quò dixit non minùs serpens, quàm eritis sicut Dij. est enim Hebraicè dictum (*Elohim*) quod plurale est *Eloha* nominis, & significat
166 Deos, etiam si aliquando Deum solum significet singulari numero, vt constat Geneseos 1. vbi dicitur

In

In principio Elohim bara, id est, creauit Deus, vt legit latinus interpres Hieronymus ibi, aliàs, Deos creasse hanc machinam diceret, cùm Deos plures abneget fides, & Ecclesia damnet, vt symbolo Athanasij conuincitur, vbi hæc continentur. Non tamen plures sunt Dij, sed vnus est Deus, cuius sunt tres personæ, essentiæ vnitate, & deitate eadem numero, vna in tribus eadẽ, & eadem sibi; quò singulariter eo loci sumitur Elohim nomen, hic verò plurali numero proprietate Hebraismi, modo singulari, modo plurali numero nominibus vsi, dicitur enim Iob. 12. capite, *inuocauit Deum & exaudiet eum.* hebraicè est *Eloha*, singularis numeri, & c.36. adhuc habeo, quòd pro *Eloha*, id est, Deo loquar, Abacuc. c.1. *hæc est fortitudo Dei sui.* quibus locis & aliis singulare *Eloha* est hebraicè, contrà ac plurimi sensere *Elohim* singulari destitui numero. *Elohim* verò tam singulare, quam plurale, tã vnum quam multa hebraicè significat, quò multis Scripturæ sacræ locis verbo singulari iungitur proprietate idiomatis. Geneseos 1. sic dicitur: *In principio Elohim bara*, id est, Deus creauit; si enim singulare non significaret, quomodo cum verbo singularis numeri coniungeretur? tum 42. Geneseos vbi nos legimus, *loquutus est Dominus terræ duræ*, in Hebræo habetur loco Domini, *Elohim*, plurale, quod singulariter significet, Exodi 20. *Non erit tibi Elohim*, id est, Dij non erunt tibi alieni, cap. 21. *Si dederit illi vxorem Elohim*, id est, Deus, Isaiæ 19. idem & alibi. Nomen verò hoc non solùm tribuitur Deo in Scriptura sacra, sed etiam Angelis eius, iudicibus, principibus & magnatibus; significat enim propriè eos qui propter magnã authoritatem, & potentiam singularem puniẽdi, & vindicandi, sunt aliis horrori, & metui. Qua nominis indifferẽtia & signi-

 ficatione,

ficatione, quod in plurali singulare contineat datur intelligi singnlaritas illa indiuiduæ deitatis, simul cum pluralitate personarum, in eadem substantia existẽtium, iisque Moses mysterium Trinitatis nunciat Ecclesiæ Iudæorum, vt refert Magister 2. sententiarum dist. 1. Paulus Burgensis, Nicolaus de Lyra, Galatinus, Eugubinus, Catharinus, & plurimi alij. Cùm ergo Deum esse appetere sit impossibile alicui creaturæ, aliàs sui non esse expetiisset, quod repugnat cuiuis, cùm intrinsecè malum sit, & nullam boni
167 possit obtinere rationem, Deum esse non expetiuit dæmon, neque homo, sed sicut Deos esse, per séque in summum bonum venire naturæ viribus, & id esse sibi summum, quod propria virtute possent nancisci, nec Dæmon dixit, eritis sicut Deus adhuc, sed eritis sicut Dij, eritis principes, nobiles, magnates Dij, quasi eritis sicut Dij, non Deus; non sicut Deus, non
168 Dij, sed sicut Dij, vbi iam multò minùs pollicetur Euæ versutus dæmon, & subdolus, quàm verba videntur continere, cùm nõ Deo similes, Diis imò, Idolis, dæmonibus, polliceatur: quæ verbo hebræo *Elohim*, vt diximus, significatione continentur, cùm Angelos principes lucis, & tenebrarum, præcipuè puniendi potestate fulciti, proprio exprimat significatu. Lubricus ergo & versutus serpens verba protulit captionibus & tricis plena, dubia, & ambigua, continentia varia, non vno sensu, alloquitur Euam plurimis, imò, quò ligni esu dæmones illos pollicetur futuros, & dæmonibus similes, si Eua calleret, ruina, & lapsu, vt cecidere illi, & Lucifer cecidit, ministris & sequacibus è cœlo expulsis; hinc illis, sicut Dij eritis, scientes bonum & malum. Dæmones enim Dij dicuntur, idololatria & apostasia, cùm sit verè solus vnicus Deus vniuersæ naturæ, parens, moderator,

moderator,& rector,non Dij,quo Psalmo 95. *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis terribilis est super omnes Deos. Quoniam omnes Dij Gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.* vbi quòd cœlos fecerit,qui ex se esse nequeunt, cum idem se ipsum efficere non possit;esset enim antequam esset, si operaretur antequam fuisset;probat,Deum verũ factorem esse cæli & terræ,cùm cœli materia sine dispositione suscipiat formam per essentiam illi ordinata, nullius alterius capax actus, quò cum forma simul creata est in cœlo,non supposita priùs,vt disponeretur alio ad formam cœli,quod præcipuè in cœlo cognoscitur,cùm non sit alterabile, nec corruptibile, vt motus manifestat illius, cui nulli extat motus contrarius, vt habent illa quæ adinuicem agunt & patiuntur,corruptiua & contraria: éstque ille verus Deus,qui hos cælos expandit,creauit;præcipua causa,velle pro ratione agendi,non supposito aliquo;ex 169
nihilo,potẽtia infinita,causa totius esse,omnes verò Dij gentiũ dæmonia,figmẽta,idola,incubi,& sucubi dæmones,præstigiis & malitia,hinc Veneres,Ioues, Saturni,Cupidines,Martes,Mercurij,Apollines,Demogorgones,Neptuni,Mineruę,Pallades,alij,atque alij,vt cæca sustinebat gentilitas eos prosequens cultu,& obseruãtia,modò incubos,modò sucubos,pręstigiis, & simulatione arrepto semine, & deportato aliunde,vtero fæminarũ commisso,vt foueretur ibi, quò multoties procrearẽt fœtus,parente ignoto, & obscuro,quos Deorum filios arbitrabantur gẽtes,& dæmon partus obscœnorum & vulgarium hominum soboles,habitas Deos,Veneris filium credidere Æneam, & Gemellos Iouis Herculem, Bacchum, & alios quàm plurimos, mentitis parentibus. His ergo Diis similem fore pollicetur serpens

Euam,

Euam, lege violata ligni esu, transgressione præcepti. Dæmones imò, Dei filios vocarunt antiqui & Platonici omnes, Plato in Timæo, Porphyrius, Iamblicus, Proclus, & in Pimandro Trismegistus, quòd substantiæ intelligibilis essent, incorporeæ, & æternæ, ad Dei imaginem & similitudinem facti, ad eiusque exemplar conditi. Sic etiam Aristoteles 1. cœli. c. 8. & 1. metaphysicorum, tum Apuleius libro de anima & dæmone. Hos vocabant Dei filios
170 quàm plurimi, Deos, Diuos, & diuinos spiritus, & non defuere qui locum illum Geneseos 6. de iis sentiant intelligendum fore, vbi dicitur Geneseos 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant*, locum explicantes de incubis & succubis dæmonibus; nam cùm homines filias procreasse dicerentur, subdit posteà, Dei filios quasi alios ab hominibus, statuens accepisse in vxores: hinc natos refert Gigantes eo concubitu, vocàtque dæmones Dei filios, quia cùm sint merè spirituales, maiorem similitudinem cum diuina natura obtinent, quàm corporea omnia, natura saltem; ideo naturam spectantibus, spiritus omnes vocantur Dei filij, quòd similentur magis principio producenti, quò cùm distinxerit filios Dei eo loci ab hominibus, & Angeli lucis non sint ingressi ad filias hominum, explicatur locus de dæmonibus incubis, qui tracto semine, & aliunde arrepto à fortissimis viris, & in magna copia commisso, pulcherrimis fœminis potentissimæ naturæ, & perfectissimæ, inculpatæ, & structuræ concinnæ, absolutæque vt pulchris, & non deformibus ab eis erupere Gigantes, & si non ortu, posteà fortissimis naturæ principiis adepti eam mag-
171 nitudinem & molem nimiam, neque enim possent
pulcher

pulchertimæ fæminæ Gigantes parere, cùm sint moderatæ omnibus, non nimiæ, aut deformes. Sic locũ explicant quàm plurimi ex autoribus, & si alij sentiãt aliter; ideoque hoc nomine Deorum insigniere dæmones, Diiq; dicti sunt hisce de causis, *filiique Dei*. plurimíque interpretantur locum illum Iob. 1. vbi Sathanas inter Dei filios venisse connumeratur, de Principe dæmoniorum, qui inter suos sequaces alloquutus est Deum, ab illóque petiit, permitteret Iob tentari & exerceri. Huic expositioni fauet Rupertus locis adductis super hoc loco, qui Deorum nomine dæmones intelligit, & idem esse quasi, Deos esse, & similes dæmonibns fieri; Eritis ergo sicut Dij, quæ & si falso dæmon polliceretur æquiuocatione nequiter abusus Deorum, *Elohim*, & *Eloha* nomine, vt verbo non caperetur qui veridicus haberi, vt maiora confingere mendacia posset, parabat: nihilominùs ea est summi conditoris nostri pietas, misericordia, benignitas, vt media hac tempestate & ruina, mediis his procellis, quibus omnia funditùs euertebantur, imò iam superbia peruersis, spes effulserit, coacto dæmone, efferre mirabilem & obstupendam prophetiam, iis eisdem verbis, Christi venturi, sine eo quòd ille quæ asseuerabat intel- 172
ligeret, quo dixit, sicut Dij eritis, imò non sicut Dij, verùm Deus erit homo, id est, erit homo Deus, cùm adoptione & gratia quibus est membrum mystici corporis, cuius est caput Christus Deus; tum substantiali naturæ vnione gratiosa Verbi, qua est homo factus, & Deus est homo substantiali vnione: quò Augustinus fœlicem vocauit culpam, cuius occasione cognouimus Deum hominem vnione substantiæ, & hypostasi, qua Verbum assumpsit naturam nostram vt homo esset Deus, vt de rigore iusti-

tiæ eſſet qui ſatisfaceret Patri pro nobis, infinito, & immenſo. Scientiam boni & mali, notitiam, & mentem promiſit ſerpens parentibus, vorato ligno, ingeſtóque alimento pulcherrimi fructus, abſolutam ſapientiam boni, & mali. quodlibet enim ex his poteſt cognoſci duplici via, & non ſolum vna dum bonum ineſt per ſe perfectionem accreſcit, quòd perficiat ſubiectum ſeſe ipſo bonum, vt forma quæuis altera actus potentiæ; & cognoſcitur effectu, perfectione & opere, quæ ex bono procedunt tanquam ex cauſa, tum etiam dum abeſt, concipitur & cognoſcitur illud, priuatione perfectionis, abſentia & defectu virtutis actiuę, operúmque, & effectuum illius: non ſecùs ac malum præſentia percipitur tale in principio & actione, abſentia dignoſcitur illud, abſẽtia imperfecti, quod principio & operi adeſſet, præſente malo; miſerrima verò horum cognitio, & notitia eorumdem eſt, quando bonum cognoſcitur abſens, & malum præſens, hócque intellectu exponuntur illa, ſi de Dæmonum more intelligantur, verba, *ſicut Dij eritis*, ſecundùm Rupertum. Nec inficit dicta, dixiſſe Deum eodem capite; *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus*, nã illud ex nobis, non ad perſonas Trinitatis refertur, ſed ad naturam ſpiritualem Angelorum lucis, qui diuinam eſſentiam intuebantur, gratia & auxilio deſuper illato, quod eſt idem ac ſi dixiſſet, vt nos beatitudine fruimur, & bono ſummo; ſic ille eſu ligni lege violata, & præcepto, honorem & gloriam, beatitudinémque conſequitur, tanquam vnus ex nobis,
873 hironicè & deluſoriè hæc proferens verba noſter cõditor ſummus. Tum *eritis ſcientes bonum & malum*, boni notitia, & ſpeculatione iã noti, & cognitione, mali experientia, & pœna pœnalitatum omnium,

culpa

culpa & labe. Deus enim cognoſcit bonum fruitione, & præſentia, priuatione malum, abſentia, & receſſu, vos verò cognoſcetis hæc quę Deus cognoſcit, non tamen eodẽ modo, è contra imò malũ præſentia, & priuatione bonum, in pœnam delicti. Deus ſuæ eſſentiæ cognitione, in qua omne bonum, omníſque entitas per eſſentiam continetur, ſeſe intelligens, ſummámque ſuam pulchritudinem ſpectans, actione ad intra, ſuæ intellectionis, actione interna intelligens, generat illa actione Verbum eiuſdem ſubſtantiæ, in quo entitas, & bonitas omnis generãtis ſplendet, relucet, omnéque bonum, ens omne; omníſque natura, perfectio, & eſſe; per hæc verò quę ſunt illi eſſentia, ſubſtãtia, & eſſe, mala intelligit, priuationéſque eorum quæ intra ſe continet, & omne quod eſt extra illud quod in ſe amplectitur priuationem, & malum iudicat; ſui bono oppoſitum, quo cognoſcit bonũ, & malũ, vt ſit perfecta cognitio. Aliàs 174
mala quæ ſuis effectibus ad extra productis poſſunt contingere, ſi non percalleret, imperfecta eſſet cognitio. Neque enim vitaret in illis præuiſa mala, ſi non cognouiſſet priùs per propria bona; non ſecus ac per lumen nunquam expertas tenebras cõcipimus, & noſcimus; ſic Deus malum per bonum cognoſcit, & callet, vt eſt aptum cognoſci malum per aliud, & non per ſe, cùm careat eſſentia malum qua cognoſcatur, quo, quale eſt, cognoſcitur per boni priuationem, abſentiámque illius. Vnde cùm Deus omnem boni, entíſque rationem inſpectet, latitudinem omnem mali cognoſcit, & ambit, per ſuum ipſius bonum, qui vt ſolus, bonum omne amplectitur, enſque omne intra ſe continet, ſic illius nullum malum ſubterfugit cognitionẽ: quò ſerpens promiſit Euæ ſapientiæ excellentiam & perfectionem

175 nem ſummam. Nam & ſi mala cognoſceret, priuatiõnémque bonorum quæ continebat illa, multò maiorem notitiam eorum pollicetur ſerpens verſutus, & fallax, cùm bonorum notitiam, excelſam & integram, eſu ligni polliceretur], & mali ſummam cognitionem ſubſequuturam affirmet, ſimilem quaſi notitiæ Deorum, amplam & latè patentem, maiorem multò, quàm anteà obtineret, latam, copioſam, tum Diis ſimilem notitiam promittit. Nam quemadmodum Deus ſimul bonum, & malum cognoſcit, amplexus vtriuſque notitiã ſimultate eadẽ; ſic Eua ſimul ac bonum delectabile inuiſit, deguſtauítque fructus, malum, ſcelúſque cognouit, & commiſſum flagitium, effectúſque mali ſentire cœpit & cognoſcere timida, peruerſionem rationis, appetitus dominium, Dei odium, inobedientiam, gulam, ſpiritualem acediam, mendacium, ſcandalum, excuſationem tracti ſceleris, & culpæ commiſſæ, inordinationem rectitudinis, & reliqua plurima cognouit, ſimul pœnalitates omnes, labores, miſerias. Hinc ſerpens dixit; Sicut Dij eritis ſcientes bonum & malum ſimul, pœna infligetur illicò, eadem die; nam ſicut Deus ſimul bonum cognoſcens, & noſcit malum, quod bonum excludit per ipſum; & vos cum bono cognoſcetis malum pœnæ, & ſupplicij in quacumque die comederitis ex eo, & malum culpę, quò verbum *ſicut*, præſentaneum eſſe ſupplicium dat intelligere, culpámque præſentem rigorémque iuſtitiæ, vt illis promiſerat Deus, dum dixit, *in quocumque die comederitis ex eo morte moriemini*; nam & ſi alia omnia quæ bonum noſcunt, & ſimul malum, priuatione intelligant, ſciántque malum cum bono ſimul, cùm Deus ſimpliciſſimo actu, maioríque

ſimul

ſimultate excipiat,& intelligat iſta, vt & omnia intelligit, tum quòd maior videretur pollicitatio ad Dei ſimilitudinem facta, his vſus eſt ſerpens,illis ſicut Deos futuros promittens, & affirmans in poſterum; imo eſt hæc Dei conditio, vt bonum cognoſcat,ſimúlque,& ȏdio habeat malum, abomineturque.dicitur enim Iſaię 7.de Chriſto venturo:*Butyrũ* 176
& mel comedet,vt ſciat eligere bonũ, & reprobare malũ. Nam ſimul atque hæc ingeſta ſunt,& bonum,voluptatémque attulere guſtui, ſuauiſſimúmque ſaporem illi illata, ventriculum etiam ad nauſeam prouocant,ad vomitúmque impellunt flatibus è melle eleuatis natura flatuoſiſſimo, quod euomere facit apes,ſemel ac rorem florum elingere,flatulenta eius roris natura,qui ſemel in ventriculo apũ elinctus digeritur,tot excitat flatus, vt illas euomere cogat, & reiicere in alueos; vt ibi tractu temporis percoquatur,fiátque mel, flatuoſiſſimum natura; atteſtantur enim orta ſuis principiis, quò vomitus excitat mel ingeſtum etiam,etſi demulceat guſtum,& voluptate afficiat.Quam eſſe mellis naturam docuit Ariſtoteles de ſenſu & ſenſili. c. 3. & 4. meteorologicorum 5.de hiſtoria animalium,cap.22.9.de hiſtoria,cap.4. 3.de generatione animalium, c. 10. Dioſcorides libro 2.cap.74.Galenus,Plinius,libro 11.cap.14.Tum 177
etiam butyrum flatulentæ naturæ eſt, pinguis & leuis,quod cùm ſupernam partem ventriculi petat,vt mel petit, nauſeam mouet, relaxato ventriculi ore, & diſtento flatibus,quibus ſurſum trahuntur omnia gulam versùs & os;quo acores ſentimus,& nauſeas his ingeſtis,fluctuare ventriculum & multoties euomere, præcipuè ſi his ſolis vtatur ſine alio alimento ſolido, & conſiſtenti cui miſceantur, vt ſiſtere hæc ipſa poſſint, illíque affigi; hanc eſſe naturam butyri

docuit Aristoteles 2. de partibus animalium cap. 2. Galenus 10. simplicium, cap. de butyro, Plinius libro 28. cap. 9. Dioscorides libro 2. cap. 65. Quò dicitur de Christo venturo, eo loci Isaiæ *butyrum, & mel comedet, vt sciat eligere bonum*, quod gustu & voluptate horum significatur, *& reprobare malum*, quo datur intelligi; secundariò effectu nauseæ & vomitus, quæ inferũtur ventriculo. Priùs verò eligere bonum & cognoscere dixit, quàm reprobare malũ; est habitus perfectione prior, & boni cognitio, regula per quam malum posteà dignoscitur, quò *eritis sicut Dij scientes bonum & malum*. illicò enim ac butyrum, & mel degustabitis, fructus suaues ligni huius, nauseam & vomitum patiemini ingesti cibi, culpa, & supplicio, *eritísque sicut Dij cognoscentes bonum & malum*. Nam vt Deus bona cognoscit placidissima cognitione boni, & illicò mala odit, & nauseat super illa; nõ secus vos, & bona delectabilia cognoscetis esu, & mala vos ad vomitum prouocabunt laborum nausea.

De obstupenda maledictione serpentis.

CAPVT X.

178 *ET ait Dominus Deus ad serpentem. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ; inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo eius.* Sectatur Deus serpentem maledictionibus, execratúrque Dæmonem, quòd Euam, Adamúmque primos homines totius posteritatis venerandissimos parentes seduxerit & irretierit,

tierit, captiosè & subdolè, vana spe & leui, eorum quæ authores mendacij promiserant vera. Abominatur serpentem, odit dæmonem, & cùm serpens delictum non commiserit, peccaueritve, qui regula rationis non tenebatur, irrationale animal, consilij expers, qui cùm naturæ instinctu quantum ab ipso naturę autore dirigitur, operetur, ratione carens; nō arbitrij, aut naturæ liberę, illi imputari defectus culpave aliqua nequit, est enim vsus dæmō serpente, vt inanimi organo, tibia quasi si vteretur, coacto illo, & fortassis inuito. Affert dubium pœna quę videtur maledictione infligi serpenti, an iustè fuerit illata; execratio enim & maledictio pœnæ rationem obtinent, cùm quòd sententia hæc culpam supponere videatur, & flagitium, quibus scelestus serpens & infamis renuntiatur lata sententia; tum quòd pœna illi imponatur lacessito verbis horrisonis auctoris naturæ, quibus & repere super pectus, capitísque cōtritio calcaneo fæminæ facta, alimentum terra, insidiator perpetuus, inimicus, & aduersarius, semē eius semini dissidens, repugnās, nuntiantur in posterum. Tum cùm dæmon & si peccet perpetuò, ab illo instanti quo primam culpam commisit, quo & simul pœnam tulit omnem, vt denuò illi supplicium non infligatur ab ipso naturæ opifice in pœnam delicti, qui nec meretur pœnam nouā, nec mereri potest, aut demereri; in damnationis termino cùm sit, quo nil pœnæ auferri aut infligi ei patet, cùm præsentia, & futura à principio suæ damnationis flagitia & scelera, æstimauerit Deus, & ventura in posterum, vt iuxta illa, pœna mulctaretur & affligeret, quo nouo denuò affligi nequit essentiali supplicio, quorsū modò maledicitur, & minatur, metuque percutitur, & terribili sententia plectitur, & maledictione dura, eo

loci pœna imposita, & supplicio. Hoc dubium sensit Augustinus super hoc loco, Iosephus Barcephas, Didymus, Ambrosius, Gregorius, Cyrillus, Beda, qui in diuersas abiere sententias; vt dixerit Didymus (est videre in catena Lippomani) maledictionem hanc ad serpentem spectare præciseque illum iis plecti & puniri, quæ videtur sentire Barcephas libro de paradiso capite 27. Iosephus 1. libro antiquitatum, capite 1. Augustinus lib. 2. Genesis contra Manicheos 17. & 18. capite, & 11. libro de Genesi ad literam 36. Beda tamen, Rupertus, Hugo, aliíque non ad verum serpentem, sed ad Dæmonem referenda esse verba illa aspera censent, & si Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus ipse simul ad dæmonem & serpentem referant hoc maledictum; vt sensus historiæ elucescat Mosis, & non solùm mysticus sit, aut parabolicus cùm veram historiam continere queat; cùm hæc omnia vero sensu historico possint interpretari, iuxta proprietates, & naturam serpentis, in quo est labor & opus, quod maximum est argumentum in Scriptura sacra, vt sensum historicum venari possimus, & qualis sit historicus cuiusuis loci exactè intelligamus, si iuxta naturam rei ea possimus deplicare. Serpẽtem ergo & dæmonem lacessitos fuisse his verbis elucet, non quòd serpens regula teneretur rationis arbitrariæ, & liberæ, sed in monimentum pòsteritatis maledicitur ille, hominíque inimicus constituitur, & natura dissidens, plurimis sensibiliter euariatis mulctatus, reliquis his varius, illis diuersus, vt resipisceret homo in posterum, & cautè viueret, sibíque consuleret, vt recordaretur delicti commissi, quò & sententia hæc partim declaratoria fuit imperfectionum serpentis, & partim delatoria & pœnalis; quasi monimentum hominum, Dæmoni

verò

verò declaratoria ſolùm infamiæ & perfidiæ. Vult enim Deus, adſint monimenta hominibus, quibus recordentur eorum quæ commiſere ſcelerum, vt in ſuum bonum, & commodum cedant & reſipiſcant. Hinc Numerorum 15. Moſi dicitur; *Loquere ad filios Iſraël, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, ne ſequantur cogitationes ſuas*. Hyacinthinæ ſcilicèt erãt coloris cœleſtis, vt legiſlatæ deſuper de cœlis recordarentur lineis illis rectis, & edirectò protractis, legiſque rectitudinis. Sic viſo ſerpente totius noſtræ ruinæ, & lapſus origo, & radix; recordaretur homo culpæ commiſſæ, & cùm maledicere aliquem ſit, malum dicere alicui; non ſolùm ſerpens maledictus eſt, eo quòd vitia imperfectiones, & deformitates ſerpentis naturæ in eius opprobrium referantur, vt imperfectum, vitioſum, infaméque aliorum reſpectu animantium notaretur animans; vt eſt maledicta ficulnea, quia erat ocioſa, ſine fructu, & opere, Matthæi 12. & Iob diem ortus maledixit, quia peccato infectus, in 180
eo eſt expertus lucem, ſed ideo eſt maledictus ſerpens, quòd afficiatur malorum inflictu, naturæ defectibus, vitiiſque denuò illatis inimicitiæ, & odij erga homines, veneni & liuoris, naturali antipathia & contrarietate, quæ ante peccatum cohibebantur, ne contra mortales exereret, naturæ autore, gratia & originali iuſtitia, cùm tamen naturalia eſſent, quæ in actum non erumpebant in ſtatu illo fœliciſſimo innocentiæ & integritatis, quibus poſtea hominem inuaſit, & petiuit Dei inimicum iam, ſuiſque ſanctionibus reluctantem, amiſſa originali iuſtitia. Non ſecus ac Leuitici 28. capite ſancitum erat, vt iumen-

tum cum quo quiſpiam coiiſſet, lapidibus obrueretur. Non ergo quòd is peccauiſſet ſerpens opprimitur, ſed vt moneremur de deformitate peccati, horrore maledictus eſt : quo nec diſquirit ab eo cau-
181 ſam, cur hoc feciſti, cùm tamen ab Adamo, & Eua diſquiſiiſſet eo capite, vt eſt videre, ſed inaudito ſerpente punitur, non percontato cùm non malitia adeſſet facinori, ſed natura, vt reſipiſcat homo, & peccati deformitatẽ exhorreſcat, cũ naturalia adhuc execretur Deus, abominetúrque, vt ſubueniũt de-
182 licto culpæ, & reatui. Quò vulgò irrepſit vſque modo adhuc, *maledictus vt coluber*; tum *vt os colubri maledictum*, dum ſummam alicuius miſeriã notare volumus, tum *reptat*, dicimus, *corpore, vt coluber reptat ſerpítque*; tum eſt maledictus ſerpens, quia fruſtratur ſuo fine homine ſcilicèt totius naturæ corporeæ finis, cùm illi inimicus ſteterit ab ea die, vt quaſi vagus, & profugus, ſuperfluus, ſine fine, ſuperſit ſerpens in natura corporea. Maledixit & dæmonẽ, non quòd malum aliquod de nouo illi exoptaſſet, nam ſi optaſſet, infligeret, cùm iuſtum eſſet incutere, ſi expeteret, & potens inferre, ſi exoptaret, ſed dictum eſt illi, *quia hoc feciſti maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ*; quæ declaratoria eſt ſententia. Id eſt, quia malitia propria, ſcelere, & culpa ſuperbiæ commiſſis feciſti hoc, quòd eſſes hominum peruerſor, ſeductor, diabolus, tentator, ab ea die qua ſcelus patraſti, maledictus es; vbi non denuò pœna infligitur, inflictæ imò cauſa aſſignatur, *quia hoc feciſti*, vt peruerſor eſſes hominis, vt modo feciſti, vetito fructu, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ, quaſi beſtia ſcilicèt, beatitudinis incapax inter beſtias es reputatus, & maledictus culpa commiſſa ſemel ſuperbiæ. Terram comedes, vniuer-

ſum

sum & hominem qui terra est, vorabis, & in terram ibit formatus ex puluere, & quòd terra vescatur cõtinuo, etiamsi & aliis serpens, vt latè infrà adducemus cùm sacris literis, tum gentiũ historiis, & adduximus suprà. Infligitur verò pœna serpenti, & maledicitur iis: *super pectus tuum gradieris*, quod sanè in natura serpentis difficile satis, & abstrusum nimis intellectu est, fueritne serpenti impositum, ab ea die qua socius flagitij extitit, an reptasset anteà, & supra pectus gradiretur ille, solúmve commisso scelere, & anteà rectus, erectus, & celsus, rigidúsque incessisset, alto pectore caudæ incumbens, præcipuè cùm ante lapsum Adami, Geneseos 1. capite, aquas reptile aqueum produxisse, & terram terreũ, referatur, terrestria verò reptilia sint serpentes, qui ideo sunt tales quia humi sternuntur pectore quo serpunt, & reptant. gradiebatur ergo pectore, & anteà, an expectabat serpens, attolli ingressu aliquando, vt quod natura illi expetebat, in pœnam cesserit. Hæc si enodare velimus, & aperire semel, tenemur primò suscipere, quod est dictu mirabile, serpentes esse natura quosdam, qui non pectore cedunt, non reptant, imò sese attollunt ingressu, & gradiuntur erecti vsque modò, adhuc recti & rigidi, pectore alto, vt Phareas serpens dictus, quòd Phareis insulis, quę contra Dalmatiam sunt, sint frequentissimi. Is directus caudæ innitens, erectus, & altus graditur, quod Lucanus dixit 9. libro iis: *Et natrix violator aquæ iaculique volucres; Et contentus iter cauda sulcare Pharæas*. cuius meminit Ælianus libro 8. cap. 11. Huncque esse igneum colore, pulcherrimis insignitum oculis, largi oris, innocuum morsu, Æsculapio Deo dicatum, quòd cœlũ aspiciat celsus, vbi assidet salutis Deus, de Sępedone Nicander in theriacis docuit idẽ, sermo-

183

184

nem instituens de hoc serpente iis : *Sæpedonis formam cognoscens corpore namque. Æmorhoo similis graditur vestigia firmans Recta.* vbi Sæpedonem serpentem vestigia firmare rectà, & rectà gradiri affirmat. De Æmorhoo verò eo loci serpente sic. *Pumilus actitubans gressu velut ipse Cerastes; Multiplicánsque sinus dorsum graue pellit eundo, Ventre terete solùm, non pectore*, sed ventre solùm cedere dixit. De serpente Ceraste sic: *Ex his ille quidem rectà festinat eundo; Soluitque viam sinuoso margine ventris; hîc meat obliquus, medio non corpore toto, incedit.* Denique non supra pectus, sed ventre incedunt tales serpentes alti, & rigidi; quo Plinius libro 8. capite 21. in hæc verba prorupit, de Basilisco serpente sermonem iniens: Sibilo omnes fugat serpentes, nec flexu multiplici,
185 vt reliqui corpus impellit, sed celsus, & erectus. Galenus. 3. de vsu partium, capite 3. miratur maximè serpentis naturam, vbi pronissimum eum vocat animal, & magis multò quàm eius structura fert pectori incumbere sustinet, nam vt ibidem inquit, cùm dorsum animantium in causa sit, vt pronum, vel supinum perstet animal, si in ventrem inclinet, vertebrarum cauitas supinum, si in posteriora pronum, quibus verò æqualiter inest, rectà, lacertis verò cùm dorsum incuruetur, magis ad exteriora versus, & serpentibus minus. Sunt tamen proniores multò serpeutes, quasi non natura aut structura corporis, sed alio illis tanta naturæ peruersio contigerit, & deformitas. Quid ergo mirum? si serpens noster vulgaris, & notus, quo est vsus Dæmon vt latè suprà; cùm anteà celsus & erectus gradiretur, rigidus, & altus, vt gradiuntur modo Phareas, Æmorrous Cerastes, Basiliscus, Sæpedon, & plurimi alij, commisso semel scelere, socius delicti, in monimentum reptet modò,

modò, serpat, & repat. non ventre, imò corde, & pectore, procliuis, infamis, vt reptant modò natura vipera, Dispas, Dracones & serpentes alij, qui reptabant anteà; at coluber cùm solùm ventre graderetur primò, post scelus corde, & pectore cedit submissus, pumilus in monimentum hominum, vt hinc superbiæ monitum extiterit hominibus, & superborum notaretur ruina. nam vt dicitur Prouerbiorum 4. *superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria,* quæ & Magister historiæ scholasticæ sentire videtur locis adductis. Dęmon non minùs super pectus graditur, suę superbię innités, cordi superbo, & elato, tumido pectori, historicè satis; nec minùs iuxta naturam serpẽtis dictum est illud. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* serpentes enim terram lingunt, puluerem scilicèt perpetuò, & si vescantur aliis, tamen terra continuò vt condimento aliorum, imò hieme illa sola longo tempore viuunt & citra aliud transigunt, vt Bufones, Rubetæ, Araneæ, Mures, & immunda alia. imò eo iam negotium venit, vt & fœminæ nostræ serpentes æmulentur, quibus cum serpentibus tot sunt communia, vt viuidum colorem remittant fictilibus, & terra conuescantur. Dixit de serpentibus Plinius libro 8. capite 23. vbi & colorem terræ reddere, qua occultantur terræ esu censet. Galenus idem de Theriaca ad Pisonem 4. capite. Imò Isaias capite 63. sic, *serpentis puluis panis eius.* Micheas 7. *Lingũt puluerem sicut sepentes.* Baruch. 6. *Corda verò eorum dicunt elingere serpentes, quia de terra sunt.* Vt ergo reliqua omnia nimio alimenti vsu colorem cibi quo vescuntur reddunt, vt fiunt pallidi, qui nimis ciceribus vtuntur, & virides, qui viridium rerum alimento assuescunt, sic serpentes terra cùm

186

in alimentum vtantur, terræ colorem tandem efferunt & repręsentant, cùm terram gliscant in pœnam
187 delicti, & in monimentum posteritatis, vt exhortentur homines, moneantúrque & resipiscant pœnæ delicti repetita memoria. Quò Plinius libro 1. capite 63. & Aristoteles adductis locis docent, piissimam terram non ampliùs suscipere serpentem semel illo percusso homine, imò vagum, profugum, diuagari perpetuò, fugere, abire, loca quærere sicca, inermia, arida, & sola, cõplicata spinis, dẽsa tribulis, quò cùm alia virentia, & placida locis siccis deficiãt, terra vescitur, vt si læsus & offensus ab illo, vindictam sumere tentet, sese exerceat, excitet, irritet, vt rabie & dolore percitus irruat in hostem, tribulatus tribulis, exacerbatus spinis, excitatus tribulationibus, quò iterũ victorię palmã possit reportare, superbus, iratus, excãdescẽs, & vt loci tutela & hirsutiæ sit occultior & tutior. Eisdẽ autoribus cõstat, vulnera semel inflicta ab hoc animanti tetro & obscœno grauari, exacerbari, & acui, eiusdem reditu, imò semel læsos fugere, odio prosequi, dissentire cum illis, tum loca obscæna, humida, & corrupta expetere nimis, vt diximus anteà ex Iob, cap. 40. de Leuiatham serpẽte vbi sic: *Sub vmbra dormit in secreto calami & in locis humentibus.* vitiosos desides, molles, corruptos, humidos habitat, terrã virgineam subire numquam visitur, & incorruptam, illaque nunquam serpentem suscipit, neque in ea latibula astruit, aut fundat latebras, nec eius germine
188 vescitur, aut virenti pabulo; fugit per naturam serpens Euam deceptam, & læsam, Adamúmque: nam sentit omnis serpens semel veneno effuso, & ictu facto, conturbato sanguine, & vitiatis humoribus, halitibus spirãtibus tetris, ex infecto, & læso toto emanãtibus, virus, excitatamque putredinẽ, quò fugit, & respuit

respuit serpēs quos semel icit, vt fugit Psillos, & Marsos, docente Plinio, libro 18. cap. 3. quòd redoleāt venenum, & virus maius; quò pertimescit. Fit venenum serpētis maius in aliis, si alteretur semel, vt venenum sit illi posteà reassumptum virus, si elingat læsos; fuit mors venenum serpēti, quæ erat serpentis venenum, virúsque dęmonis, & inferni cruor, alterata in Christo semel, veneno effuso mortis, diuinitatis vi superato, & victo, posteà deglutito ab inferno, dum soluit vinctos patres è carcere duro: fuit sibi venenū maius, excidium, & lapsus. Euersa ergo natura alteratis parētibus peruersis, fugit serpens eos ipsos, commisso delicto querelas tristes Adami, questus Euæ, lamenta, suspiria exaudire, vt fugit tristes, & prosequitur hilares, canētes, festiuos, sanguineos, docet Plinius libro 7. cap. 2. Quò fugit serpens patrato scelere iuxta naturam, ibidem. Sequitur Geneseos 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* quæ 189
vt natura veniant deplicanda, dicendum non minùs. Mulier natura aduersatur serpenti, & dissentit cū illo, docet Aëtius 4. sermone 1. cap. 30. refert abortire illico, ac Amphisbenam Scitalam serpentes percurrunt, per illásque transigunt, imò solus transitus super eas, sanguinis incompescibilem parere fluorē, vteri fluxum, & illuuiem continuam. Idem Galenus de Theriaca ad Pisonem, capite 4. Auicenna, Ælianus, & reliqui ex antiquissimis medicorū scriptis referunt; fæminas exanimati, & animi corripi deliquiis, repentè angue viso, quin potiùs homines viso eo, subitò pallescere, adduximus ex Galeno suprà. Fugiens fęmina retrò solicita, aspicit, an calcaneū icere possit serpens, qui blāditur & assentatur fæminæ, vt decipiat & circūueniat. inuidus serpens odit fæminā, subiectū odit, illorum inuidus quæ in ea excellunt & splendent:

inuidiæ

inuidiæ conditio; blanditur vt decipiat, non prosequitur amore fœminas serpens, sed inuidia, & dolo, quæstus causa & lucri, caloris vberum tepidissimi, quo eget frigidus conditione & natura, vt vulpem insequi docuit Aristoteles 6. de historia cap. 1. vt vescatur sudore vulpis, spoliis, labore. sic fœminam sequitur, tum lactis odore allectus, quod auidissimè expetit, venit vtriusque illectus, æmulatur mulieri quam odit natura, antipathia & dissidio; & quod inter omnia bipeda animantia viuipara sit fœmina sola: sequitur; *inter semen tuum, & semen illius inimicitias ponam*, eodem capite contrarietatem scilicèt repugnantiam naturæ, etiam vt reuera posuit inter semen serpentis & mulieris, opifex rerum summus, vt fugiat homo repetita memoria vitia, & defectus. Seminis enim animantium nomine, cùm principium generationis intelligimus discissum à mare & fœmina; coëuntibus simul, fluidum & album, spumosum & pingue, tum sobolem & progeniem ipsam semine satam, prolem scilicèt & successionem, posteritatémque dictam. Sunt verò hæc natura inimica serpentis & fœminæ vtroque modo; tum semen, & oua serpentis, semini fœminæ, tum soboles inimica soboli natura, & repugnans, oua primò, & semen fluidum quo oua funduntur, dissident maximè, si enim oua serpentis vmbilico applicentur fœminæ, cui correspondet vteri fundus, vbi semen, & fœtus continentur, tum semen, tum fœtum excludunt, & expellunt vtero, abortiréque faciunt, naturali repugnantia & dissidio sese pellunt, expugnant, & abiiciunt: hæc eadem serpentis oua si suffumigio applicentur in fæcundas, reddunt fæminas steriles, conceptui ineptas, suúmque ipsarum semen corrumpunt, labefactant, & inficiunt, quo minùs cum virili coëat,

coeat, vt formetur fœtus. Auicenna 6.naturalium, cap.9. Edoardus lib.6.cap.112. Dioſcorides lib.6. cap.17. Ælianus Rhodiginus adductus ſuprà; ſuffumigium enim vtero applicitum puriſſima lędit menſtrua fœtui proficua, potentiſſimę naturæ agendi, vt 190
fermentent,& coagmentent fœtum,& ſi noxia maioribus natu, vt & ſemen ipſum quod ſæuiſſima inducit ſymptomata,retentum,& putridum,ſimillima iis quæ veneno epoto veniunt, & ſi fœtui vtile docuit Galenus 5.de locis,& 6.capite de hiſtericis.Hęc enim proli neceſſaria nimis inficit ſerpens, ſemine, ouis,repugnantia, & contrarietate nimia. imo ſenecta anguium, de ſententia Dioſcoridis, allato loco Auicennæ,Edoardi menſes vocat quouis modo applicita fumigio, aut contactu, attritu, quo & pellit fœtum,alimenti inopia,erumpente ſanguine ex vtero allecto,& tracto,tum oua ſerpentis vitiari fœminæ attritu, contrectatione, & halitu, vt infœcunda perſtent omnino, quæ & odit ſerpens, deſerit, non fouet ampliùs, ſemel contrectata à fœmina, præcipuè menſtruata, vt catulos odio habent fæmellæ aliæ,ſi tractentur à fæminis menſtruatis præcipuè,vt feles,canes deſerunt filios, fugiunt,& reſpuunt contrectatos manibus, aut halitu tetro infectos mulierum,quæ & exiccant arbores,inficiunt plantas, herbæque marceſcunt contactu ſolo infecto ſanguine, infantes inficiunt,obcœcant,quo cauendum,ne baſient pueros teneros infectæ vetulæ, nec eorum curæ committendi molles pueri, aut cùm iis agēdum, imò fugiendæ omnes conditionis cuiuſuis, tum docet Plinius lib. 12. cap. 66. Ælianus libro 6.cap.53. 191
Plutarchus in Cleomene, Iſidorus lib.12. Etymologiarum c. 4. Pythagoras in ſymbolis.ſerpentes generari frequenter ex medulla hominis corrupta in-

tra dorsi vertebras, siue mortuis, illud, siue viuis hominibus accidat corruptio, & noxa. Ouidius 15. Metamorphoseon sic. *Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro Mutari credant humanas angue medullas.* Medulla spinæ alimentum impertit costis, vim, motum, sensum, robur, has fouet, alit, nutrit, aluntur ossa medullis, & sugunt costę per poros, & communes vias, de spinæ medulla, quo marcescunt illico obstructa, aut diuisa spina, contusa, inualida, fracta, aut rupta, atrophia, maciéque laborant impedita virtutis via, nutritione infelici, decidunt & putrescunt costæ, marcent, & languent, has serpens genitus de spinæ medulla absumit, & vastat, exesis ligamentis, quibus nectuntur spinæ, colliguntur, has priuat influxu debito, alimento, & sede, vt non hæreant dorso & debito sibi destituantur principio, in-
192 fluxu capitis. Mulier ex viro est ex costa, viri est costa, mulieris semen quasi, Geneseos 2. Paulus ad Corinthios 1. cap. 7. Serpentis verò soboles, progenies, successio, semen. Inimicitiam ergo posuit inter semen serpentis, & fœminæ naturæ adhuc, cùm semen fœminæ costam scilicèt, qua est formata primò mulier, absumat, erodat, corrumpat tandem genitus serpens, ad longitudinem medullæ spinalis, longum pro longo, strictius pro cauda, & capitis medulla pro capite deformi, & horribili angue efformato, qui decidere ortus facit costas, & carne nudat, discooperit, & dislocat propria sede. Quo Pharao Geneseos 45. dictus hebraicè, nudans, vel discooperiens, dissipans, & vindicans Syriacè, filiis Iacob medullam terræ promisit, quasi iure suam, quòd serpens esset vocatus, & Draco, Ezechielis 29. *Tu Pharao Draco magne, qui cubas in medio fluminum.* Medullas hominum interiora, vtiliora, alimentum totius, firmitudi

tudinem ossium,& radicem solidioris partis,quibus totum increscit, & subsistit, expetit serpens inimicus natura. medullis ossa aluntur, ex ossibus caro pullulat,vt videre est in vulneribus & fracturis, vbi primò inuestiuntur ossa velut musco albo, posteà pallescit, rubescit tandem in carnem permutatus, quo carne vestiuntur ossa,& vulnus repletur,vbi caro reliqua,nerui,tendones,& vniuersa alia,medulla oriuntur,vt sit radix omnium,principium,& robur:
radicem expetit,fidem serpens euertere tentat.Tum 193
odio prosequitur fœminam, hominum medullas, viam influxus capitis Christi impedire cupit.Iob.21. *viscera eius plena sunt adipe, ossa illius medullis irrigantur.* de Dæmone. Sunt viscera serpentium confusa inter omnia animantia, vt sunt Dæmonis viscera, sunt plena adipe, indistincta pinguedine vitiorum, ossa eius medullis hominum irrigãtur, est illi alimẽtum ros,quo absumpto,medullis absumptis perstamus ectici. Cœli rore absumpto, impedito influxu, quo psalmo 65.*Holocausta medullata offeram tibi.* non medullis absumpta serpente,aut dæmone, rore destituta & pinguedinis expertia Isaias 34. *De sanguine medullatorum arietum offeram tibi*, Iob 14. *Maledicens impio attenuetur fame robur eius,& inedia inuadat costas illius, consumat brachia illius primogenita mors*, mors peccati scilicèt primogenita ante secundam corporis mortẽ,genita primo peccato. Hinc Cælius Rho- 194
diginus libro 2.cap.11.vt experientia edocet,capillis hominum, fœminarum præcipuè, quòd longiores sint ortu reliquis,tum pilis quibusuis humanæ naturæ,integris putrescentibus, serpentes oriri affirmat, & procreari, quo iratis hominibus,excandescentibus, superciliorum & barbæ auulsio, fœminis verò in querelis & planctu lugubri,capillorum eradicatio

contin

contingit: pœnalitates serpenti adscribentes, quasi omnes contracto reatu, quasi natura sectentur odio serpentium semen, & eo tempore radicitus euellere conentur magis, quo actus magis ad naturam spectant, ratione absorpta ira & passione, quo dum deponuntur quidam commisso graui scelere, barba, & capillis abrasis priùs puniuntur, vtpote serpẽtis causa id commiserint, & quòd culpa serpentis, Adami filij noua aggrediantur delicta, & vitia sectentur. Hinc alij vniuersos pilos abradunt totius corporis, & rescindunt, quasi seminis serpentis, seminúmque vitiorum immunes, & vitiis minùs procliues. quò & sacerdotibus à prima tonsura incipit rescindi capillus, clericis verò omni ex parte. Quò Cicero pro Roscio Comœdo dixit: *Bonos viros nullum pilum habere*, qui idcircò capite & superciliis semper est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. Aliis verò longissima barba, & pili longissimi, quasi non timentes serpentem, superantes imò, vt Christus noster, Deipara virgo, legibus serpẽtis immunes, liberi, nobiles, & alij, vt Nazaræi antiquitùs, & modò plurimi, vt Cardinales, Pontifex, & reliqui qui serpentẽ
195 superare, non pertimescere, virtute Christi semel loti, aqua renati, baptismate, vt caput Ecclesiæ, columnæq; ostẽdere parãt; quò Absalon capillis per cõtrarium floruit, serpentis semine, inobediẽs Deo, & patri, Hebræis, patris cõsumatio dictus, & tandẽ capillis periit; quò & capilli Meduſę ob scelus cõmissum in templo Mineruæ cõcubitus fœdi cum Neptuno aquarũ Deo in angues abiere, deę vltione, quasi delictum semine serpentis ortum causa monstraret, & patefaceret, metamorphosi, & transformatione anguiũ. Tum serpẽs, mirabile dictu, in mulierũ copia ornatiorẽ, pulchriorem insequitur: paratiori inuidet, primò

primò relictis aliis, hanc sequitur, illi æmulatur, inimicus natura, nullam partem fœminæ auidiùs subire expetit, atque partẽ vteri, naturæ indagatricis nimis, & curiosæ, vt fœcundissimo illius partis calore, intensum eius compensetur frigus, quò natura vrgetur, si hac patet aditus, non ore, aut aliò subit; præcipuè si concepit semen, aut concubuit, quod sugit 196
& amat lactis instar, vt suprà retulimus; & loci calore, & seminis desiderio trahitur maximè, & si hac nequit, vbera lactantium quærit illectus lacte, secus, ore qui extrahitur lacte exteriùs admoto. V▪ doctrina serpens pellitur Dæmon, dilaniat vterum inimicitia, & contrarietate, quod sit receptaculum humani seminis, vt inimicitia & odium, inter semen, & semen appareat ampliùs. Iob 20. capite: *panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum, est panis eius homo, & homo est puluis.* Isaias 55. *Serpentis puluis panis eius.* se redigit in puluerem, peccato commisso, homo. vterus fœminæ est vterus serpentis post casum, iure ipso, quò homo panis serpentis est, nam puluis in vtero illius vertetur in fel aspidum, in bilem, iram, in passiones, ac virus effrænis aspidis. Receptissimum est apud Aristotelem 2. de historia animalium, cap. 17. & Plinium, libro 11. cap. 37. serpentem tot costis 197
strui, ac diebus astruitur mensis, totque obtinere costas, quot dies mensem integrum complere valent. Mensibus verò dies hominis numerat annus lunæ motu, quem sequuntur sublunaria omnia, ac influũt quæ supersunt astra. Est hæc cœli porta cognomine dicta astrologis omnibus, annis & mensibus vita hominis circunscribitur, quorum vtrumque aptissimo hieroglyphico depingit serpens, annum cauda ore tenens, vt depingebant Ægyptij; mensem verò, numero costarum, mẽsem lunæ qui quasi triginta die-

rum ſpatio finitur,& voluitur, quibus numerat hominis dies,præſcribit,& terminat, tum vitæ certum præfigit terminum, & definit vt ſerpente interitus hominis prænotetur,& ruina, mórſque & vitæ vltimum. Nulla inimicitia eſt maior,quàm quæ in mortem protenditur,& quæ tandem ſola illa finitur,quo eſt ſemini humano ſerpentis ſemen inimicum natura,& ſoboli ſoboles. Dies dinumerat hominis,& cõputat ſerpens, vt præſcribat vitæ hominis durationem,vt ſigno & hieroglyphico. Numerari autem nequit aliquid ante ſui vltimum finem & terminum; vt nil vltra terminũ cognoſcamus ſupereſſe certi menſura; aliàs ante vltimum non certò ſcimus, quanta res ſit, quod vt fiat inſtituitur numerus, & menſura

198 rerum. Quibus Oſeæ abditiſsimus locus patet cap. 5. vbi Iudæis dicitur. *In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt; nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.* Serpens, ſcilicèt dæmon, deuorabit eos. Menſis dictus numero coſtium ab Ariſtotele locis adductis, ſerpens dæmon dictus eſt Ioannis Apocalypſis 12. & 20. cap. Deuteronomij 16. *Obſerua ergo menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phaſe Domino Deo tuo, quoniam in iſto menſe eduxi te de*

199 *Ægypto nocte illa, & menſe terribili, de ſerpente.* De poteſtate dæmonis ſcilicèt, & peccati tenebris, vbi in menſem nouarum frugum gratiæ temporis verni, menſem Chriſti obſeruare iubet, vt ſit, cum Iſaia 66. *menſis ex menſe*; Ex menſe, inquam, ſerpentis menſis Chriſti, & ex ſerpẽte mẽſe dicto, Chriſtus ſerpẽs mẽſis dictus, ſicut Moſes exaltauit ſerpentẽ in deſerto, quibus Chriſtum ſignificauit. Numerorum 22. ſerpentis ſigno, & vita ex morte, & menſis vitæ nouarum frugum, quo menſe eduxit nos de Ægypto, paſsionis nocte, & de menſe terribili ſerpentis, & dæmonis,

monis,quo immolabãt Phase Iudęi,& legalẽ agnum; nos verò Christum ipsum legis autorem, verum Deum, & agnum Dei. Isaias 13. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet,& non aperiet os suum.* agnus enim adhuc coram occisore obmutescit,& si hædi balent, vociferentur,& magis coram tondente,vt experientia probat, cutis molestiæ cuiusuis impatientissimi. Vltimum est omnium maior cõtrarietas, repugnantia,& dissidium inter semen vnius,& alterius constituta ab ea die mysticè,& tropologicè adhuc:nam semen serpentis mendacium est peccatum, & nihil, quod est maius nihilo naturæ, cùm sit nihil gratiæ & rationis debitæ,quod nequit attingere Deus, aut in hoc nihil redigere aliquid,cùm in nihil naturæ possit omnia, Matth. 13. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus & superseminauit Zizania in medio tritici & abiit.* tritico & semini Christi, zizaniam semen dæmon immiscuit.

De iis mystico sensu, ex hac serpentis maledictione decerpi possunt,& literali adhuc.

CAPVT XI.

ELatus ille serpens natura superbus, & altus qui conscendere in cœlum est ratus posse virtute propria, similemque esse altissimo, qui veneno infecit quo vigebat superbiæ Euam & Adamum lege violata, submissus postea abiectus, pronus, & reptans visitur, non secus ac superbi omnes, animoque elati posteà humiles, despecti, & viles habentur, Deo vltore, vt in se descendant, seseque homines esse cognoscant, vt noscant se ipsos. Hinc 200
dicitur psalmo 118. *Increpasti superbos, maledicti, qui*

declinant à mandatis tuis. Increpasti Adamum, Euam, serpentem, maledictos, quia declinarunt à mandatis tuis, Dæmon, Eua, & Adamus, serpens ab ordine stabilito, ideò illi dictum est, *supra pectus tuum gradieris*, pectore cedes, elatiore tui parte, repes, pectore enim continetur cor animantis nobilissima pars in cauitate vitali, cui facultas irascibilis inest, superbiæ radix, origo & sedes, qua impellitur animal, vt superet difficile boni intenti, animosa ira, quò superbit superato difficili contemptu aliorum. Hinc superbiis pulsus alti ad extra fiunt, & iratis hominibus, quasi animales motus progressiuos, quibus in obiectum pellimur, vt difficilia superemus, & ardua quæuis, quæ nobis desideratum bonum prohibent, velit imitari facultas cordis pulsatilis, motu iræ, & superbiæ affectu, pulsuum motione, radice superbiæ. Repes, & serpes, illi dicitur, pectore. Inflat, distendit, & proprios terminos excedere facit serpentium caro esa, vt latè suprà, quò superbit animal, si vescatur serpentibus, flatibus refertur, &
201 melancholico succo, earum esu intumescit, quibus maximè excitatur superbia, & increscit ira, subiecti apparatu, & dispositione naturæ; repletur enim flatibus caput, quo mens obscuratur, turbatur, & caligine obscura obducitur, vsque dum sedentur motus, & factus impetus, prout potest quilibet; sectione
202 Problematum 3. sententia 13. Aristoteles melancholicos vocat superbos, quia abundant flatibus subiecti dispositione. Galenus idem libro de cognoscendis animi morbis capite 3. lib. quòd animi mores, capite 4. superbus enim sese inflat, distendit, au-
203 get, respirationem cohibet, quasi animi elationem, magnitudinemque sibi creditam, imitari corporis tumefactione velit, detento spiritu, distentus flatibus,

bus, turgidus, tumidus, non aliter ac rana Æſopi
ſuperbiens in bouem, illum imitari aggreſſa eſt re-
ſpiratione cohibita, vt illius æquaret magnitudi-
nem, adeo vt medio obcrepuerit corpore, effuſis vi-
ſceribus: hinc ſuperbos vocitamus tumidos, tumen-
tes, non contentos termino proprio, & rationis lege,
ſeipſos excedentes, exuperantes. Deuteronomij 1. c.
*loquutus ſum & non audiſtis, ſed aduerſantes imperio do-
mini, tumentes ſuperbia, aſcendiſtis in montem.* Vbi Deus
increpat populum, magnalia & beneficia referens
quæ illis contulerat, eorumque ingratitudinem; &
capite 13. *Cunctuſque populus timebit, vt nullus poſteà in-
tumeſcat ſuperbia,* vbi & populi obedientia, & malo-
rum obſeruatio ſtabilitur; quibus locis ſuperbos, tu-
midos vocat. Serpens ergo modo dicto, in ſuperbiam
diſponit. Hinc ſcientia inflat, ſuperbire facit. Pau-
lus 1. ad Corinthios capite 8. Et cùm omnia quæ 204
ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, tam
libro naturæ quàm gratiæ, & ſcriptis ſacris, quo
Matthæi 24. dicitur, *Qui legit intelligat,* formauit Deus
hominem de limo terræ, vt non ſuperbiret, & ſi non
de puluere, puluis enim formari nequit, decidit, &
non conſtat. gratiæ rore puluis homo conſtat, & ſtat,
aliàs puluis cum ſit, non ducetur, aut efformabitur
ille, ex ſe puluis ſolùm, qui ſi rore gratiæ non coa-
leſcat, & coagmentetur, in puluerem ibit, & alimen-
tum ſerpentium, ſerpentes enim lingere terram di-
ximus; *corque eius elingent ſerpentes, quia de terra eſt.*
Baruch 6. formauit enim Deus hominem de limo
terræ, non de puluere, ipſe verò in puluerem ſe re-
degit in naturalia, gratia, & iuſtitia amiſſa, alimen-
tum ſerpentium & eſca factus, qui elingunt terram,
Eccleſiaſt. 10. *Cum enim morietur homo hæreditabit ſer-
pentes & beſtias & vermes.* Tã morte peccati intelligo,

quã naturę morte. Vt ergo resipiscat homo, & aqua
205 gratiæ, humilitateque cœlesti roretur, vt cohæreant partes rationis, & appetitus inter sese, ne puluis perstet, & serpẽtibus deliberur, ideo serpentis admonetur natura, eorum quæ ille vitare debet per gratiã, ne in puluerem resoluatur, & puluis quasi vento & flatibus superbiæ euánescat, puluisque mentem, & oculos obcæcans, cognitionem propriam, & aliorum interturbet: hac eadem serpentis descriptione, & historia, cum & plurimorum; spiritu admonemur Deōrum & locis plurimis Scripturæ sacræ. Allegoriæ vtiles satis possunt aptari quibus exornetur, & per metaphoras ad naturam serpentis latas intelligantur & deplicentur; vagum serpentem, profugum, & superuacuum perpetuò diuagari, fugere, & abire, loca quærere sicca, & inermia, arida, & sola, hispida spinis, & densa tribulis monstrauimus anteà; vulneráque semel illata, inflictaque ab illo, eius reditu grauari, & exacerbari, si iterum in illum incidant cussi, & afflicti, infectosque odio prosequi, & fugere; quòd cum illis dissentiat veneni odore, loca obscæna, humida, & corrupta expetere, vitiosos, desides, molles, corruptos & humidos; iis elucescit locus
206 ille Matth. 12. vbi dicitur. *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit; reuertar in domum meam vnde exiui, & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam; tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus; sic erit & generationi huic pessimæ.* Arida loca quærit Dæmon, semel ac venenum in loca humida effudit; semel enim ac humidos & molles qui non continentur termino proprio, vt non continentur humida, & eos qui in se cedunt,

cedunt, infecit, vt mollia cedunt, quod facilius eſt, aridos quærit pœnitentia confectos, & marcidos, arida loca, & ſicca, vt hæc ipſa eo inquinet viru, & ſpurcet cruore: abominatur ſemel infectum hominem, quem odit, & fugit, quem infecit, odio habet; odit enim malum, vt natura omnis imperfectũ odit, & ſi inducat inuidia homines, & odio ſeducat, tum quòd munus & officium dæmonis, quibus lapſus, & ruina illius notantur, malitia, & venenum, coram Deo, Angelis, & hominibus manifeſtentur, ſemel ac in locis humidis latitans, media affluentia rerum delitiis, & voluptatibus percuſſit incautos homines, molles, & deſides, loca quærit ſicca, & inermia in
puluerem quaſi redacta macie abſtinentiæ. Tum 207
arida quærit & adacta in puluerem, ſicca cæli rore, & gratiæ inermia, quibus pulueris noſtri partes coaleſcunt. Eſt enim homo ſecundum ſe puluis, & cinis, vt dicitur Iob 34. capite, & Iſaiæ 44. *Memento homo quia cinis es, & in puluerem reuerteris.* Rore verò venienti deſuper coagmentatur homo, vt formari & effingi poſſit ad Dei imaginem, & ſimilitudinem, quo ex limo, non ex puluere formatus eſt ille ſua prima formatione. Exit ergo ſpiritus immundus, ſerpenſque dirus ab homine ſemel, ac euomit venenum, quem iudicat ſui iuris, vt alios poſſit icere, & petere, & cùm humida infecerit, quærit arida, vt nil incorruptum, & integrum, quantum illo agitur
ſuperſit. Spinis percitus, & irritatus, pugnam aggre- 208
ditur, excandeſcit, & furiis agitur, pœnitentia & afflictionibus iuſtorum, quibus exacerbatus acrius vrget, & inſtigat homines; tum Chriſti ſpinis coronæ regiæ & ſtématis circumſepti inſtigatur, quod maius hominibus remediũ adeſſe cognoſcat, ſemel Chriſto ſpinis circũſepto, deitatis capite circumuallato, quo

nullum patere aditum posse septo & fulcito detur
intelligi,quà possit caput deitatis inaccessibile peti,
aut ici serpente,quibus Deus intelligitur esse. Deus
enim caput Christi est 1.ad Corinth. c.11. Tũ vt Rex
nũciaretur hominibus,laboris & oneris,stẽmata spi-
nis contexta, regiamq; coronam gerẽs,qui Rex erat
nobis promissus,spinis,& laboribus refertus, Iudicũ
9.c.sub illa mirabili allegoria rhamni, qua rhamnus
spinis scatens omnibus arboribus Rex constituitur,
hominibus scilicèt & Angelis,qui arborum nomine
209 in Scriptura sacra veniunt intelligẽdi,Matth.3. *Omnis
arbor quæ non dederit bonum fructum scindetur,& in ignem
mittetur.* Semel ergo ac hominem infecit serpens, &
veneno spurcauit,spinæ & tribuli pullularunt,bono-
rũ diuisiones;nostra & aliena cognouimus, cùm an-
tea communis esset viuendi ratio libera,& vna.Hinc
sitis increuit diuitiarum, auriq; fames sacra,affluẽtiæ
effrænata cupiditas,quæ spinarum sacra significantur
passim, Marci 4.plurimos seminasse in spinis,in di-
uitiis,& voluptatibus,dicitur; spinarũ nomine diui-
tias cõplectens,quòd diuitiæ si leuiter contrectẽtur,
larga & liberali manu,facilique & leui,innocuæ sint,
non secùs ac spinæ; si verò comprimantur auarè &
parcè rigida manu,& tenaci,eam trãsfigunt & pene-
trant crudeliter. Iis serpens occulitur,semel atq; ho-
minem læsit,vt is eisdẽ tutus, & munitus, viuat loci
tutela,spinis,& tribulis securus & abditus. Affluẽtia
enim, & copia rerum serpens occulitur, vitium &
dæmon,potentia rerum,& diuitiis, quibus sic muni-
tur multoties,vt nullo quasi infestari possit, protur-
bariue;Ea est diuitum magnatum conditio, vt nullo
frænẽtur,illudque ius quibus solùm illud remedium
210 superest;quod Paulus præscripsit ad Hebræos 6.vbi
dicitur, *Terra proferens spinas ac tribulos reproba est, &
maledicto*

maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Terra scilicèt quæ adstruit latibula dæmoni, & latebras, quibus occulatur & latitet, hæc incendio, & igne, vt norunt agricultores commodè solùm extirpari queũt. Maledicto proxima terra est hęc, quę cruciatur igne; maledicti enim mittũtur in ignem æternum, quo eam maledicto contulit Paulus. Domum suam vocat dæmon peccatores iure belli, Prouerbiorum 7. *Via inferi domus eius.* Est peccator via inferi & infernus in fieri, & ideo domus dæmonis, si via inferi est domus dæmonis. Et eodem capite, *Non est vir in domo sua*, quare inuenit vacantem, ociosam. Matthæi 14. *Vigilate ergo quia nescitis diem, neque horã*; ad Ephesios 9. *Vigilantes, orantes in omni tempore*, in spiritu, & in ipso vigilantes, in omni instantia. Scopis confessionis mundatam, & pœnitentiæ, ornatam donis gratiæ & virtutum, Psalmo 76. *Hæc meditatus sum in nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Denique vbi mundam dæmon cognouerit pœnitentiæ scopis, & ornatam donis gratiæ, & virtutum; vadit iterum, & assumit septem spiritus: si anteà vno vitio, posteà omnibus aggreditur septem hominem, *nequioribus se.* Conatus apponit maio- 211
res inuidia & odio percitus, impij iustificatione, de qua dolet, & condolet, ideo cauendum nimis, ne vulnera grauentur, serpentis reditu, & recidiua vexetur ille, fiántque posteriora illius deteriora prioribus. Est recidiua deterior multò prima morbi inuasione, ob maiorem dispositionem subiecti, præsertim ex morbo prægresso, viribus debilioribus multò, morbi potentia, non minùs iis eisdem huius animantis conditionibus, qui nunquam terram virgineam, & inincorruptam adit, eiúsue germine alitur incorrupto, & integro. Deiparæ virginis priuilegium, gratia,

titulus manifestantur, voluntate Principis libera &
212 nobilis ab omni culpæ & labis reatu, non secus ac Deus natura;& vt dicitur, sanguine extat nobilis.illa gratia & priuilegio,neque in ea fuit serpentis latibulum, latebrave læso homine, nam vt primus homo nostræ generationis principium origo & fons est productus, creatus, & altus, virginea terra efficienti Deo. Sic decuit nostræ regenerationis primùm, Deum hominem, virginea terra oriri incorrupta & integra,vt esset perfectione primus,& omni modo perfectior,excellentior,& altior, qui aliorum futurus erat causa,norma, & exemplar: quo nec germen est aggressus dæmon, quòd Deus esset,& si aggressus,non pastus illo, tum quòd virginea erat altus terra quam fugit & odit: puluerem quærit, corruptam,& diuisam terram, mollem, peruiam, & facilem, vento & vanitati subiectam, subditam, & procliuem, vbi facilè latibula fundat & latebras adstruat, quòd sit mollior & facilior, vt occultus &
213 abditus irruat in hostes. Æmulatur mulieri quā odit natura, quòd inter omnia bipeda animantia viuipara sit sola, imò non solùm viuipara, sed vitipara adhuc, cùm vitam ipsam peperit Christum,Ioannis 14. *Ego sum via, veritas,& vita*.Est hoc solius fœminæ inter bipeda;nam reliqua omnia oua excubant.7.de historia. c. 8. Plinius lib.10.cap.63.Hinc prima inimicitiæ radix,& liuoris origo quod vitam peperit, & viuum, bipedémque in lucem ediderit Deipara virgo fœtum,gressus duplicis bipedem humani,& diuini,Prouerbiorum 4. *Non arctabuntur gressus tui.* Incōprehensibilis cùm sit diuinus gressus; Quò Canticorum 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui.* infinitum enim terminos excedit, quo non arctantur gressus illius. Pulchri, quia filius pulchritudinis deest. Tota pulchra

chra ſine labe, verbum per quod imago noſtra. Tantæ fuit pulchritudinis, vt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei formaremur, iterum, ſemel deformis cùm eſſet, nitori primo, pulchritudini, & venuſtati reſtituit, & reuocauit. Iis eiſdem ſerpentis conditionibus quod ſemen eius in vtero cõtentos debitè fœtus abortire faciat; locus ille Pauli illuceſcit prima
ad Corinthios 15. capite, vbi cum Chriſtum reſur- 214
rexiſſe à mortuis prædicaret, & quibus apparuiſſet, recenſeret, inquit. *Nouiſſimè autem omnium viſus eſt & mihi tanquam abortiuo.* Quaſi ſenecta ſerpentis peccato, ſeminibúſque vitiorum, ouorum ſuffitu ſemimortuæ fidei, expulſus ab vtero Eccleſiæ, quo priùs continebatur natus Iudæus, & ideo abortiuus, vſque dum Chriſtus educauit iterum; Pſalm. 22. *Super aquam refectionis educauit me.* lauacro baptiſmatis, regeneratione qua lauit nos, & regenerauit iterum. Et non ſecus ac mortua lucerna ſuffumigio tetro ſpirans abortire facit, vt experientia vulgaris docet, & norunt prægnantes, & gerentes vtero; docuit Galenus 4. apho. 17. mortua fides, & extincta pellit ab vtero Eccleſiæ fœtus viuentes, mortuos, & ſemimortuos, ſuffumigio vitiorum tetro halitu, & noxio ſibi, & aliis, effumat enim, & offendit nares. Emortua, aut ſemimortua fides ſine operibus: vitiorum corruptela, virtutibus extinctis ſpirantibus tetrè, quibus affliguntur continuo conſcientiæ ſtimulo,
effumigante fide. *Ponam* ergo *inimicitias inter te & mu-* 115
lierem, ſemen tuum, & ſemen illius, dictum eſt ſerpenti, vt ſupplicium, maledictióque ab eo qui primus flagitium commiſerat, ſuo ordine inciperet, vt culpæ modum pœnæ ratio ſubſequeretur. Quò increpat ſerpentem qui primò ſceleris huius origo, & radix, cui imponitur diſſidium & inimicitia, ſimul & mulieri,

ſemi

seminibúsque eorum;soboli, inquam, & futuræ successioni. Fœminæ, & serpenti imponitur dissidium hoc, contrarietas,& repugnantia, non quòd hæc eadem inter serpentem,& hominem non fuerit stabilita simul ac constituta est inter serpentem & fœminam,sed ideo quòd mulier in causa fuerit,quòd ceciderit homo, & serpens quòd nutaret Eua; ideo serpens primò increpatur, secundò Eua, tertiò taxatur
216 Adamus. Cùm verò serpens, & Eua Adamum peruerterint, cui vt capiti, & principio commissa erat originalis iustitia, rectitudóque posteritatis totius, ideo eis pœna infligitur, & contrarietas maior renũtiatur,repugnãtia, & inimicitia,quæ maior est inter fœminã & serpentẽ, ea quæ est inter serpentem & virum.Quo dictum est, *inimicitias ponam inter te & mulierem*,nulla de viro mentione facta, tum vt dæmonis vires,& serpentis venenum in fœminam, fœmineósque desides, & molles, solùm posse notaretur,non in viros fortes, & constantes spe Christi, & præsentia; imò dictum est, *inter te & mulierem, semen tuum,& semen illius*,inter sobolem & futuram successionem veneni infectam.Diximus enim, infectos & veneno coinquinatos, serpentem odio habere, vulneráque eorum grauari maximè præsentia illius consensu veneni,sympathia, & communione. Quò de eis solùm successoribus, & seminis repugnantia intelligitur, quæ semen fœminæ verè possunt appellari,non viri, & Christi renati, fortes,& tale quale fuit generans à quo decisum est. Hoc solùm Euæ se-
217 men,& fœminæ proles dici meretur.Cùm verò Deipara virgo veneno non fuerit inquinata, dissidium potentia dæmonis vires nullam cum illa repugnantiam sunt habita, nec dirum virus serpentis tetræ eam inficere potuit, communiue illa regula contineri,

neri, priuilegio & gratia libera. Tum vltra hæc de Christo ipsò commodissimè interpretantur iure dictus inter omnes homines solus ipse mulieris semen, quod ex fœmineo semine constiterit sine virili opere, cuius grande fuit, & maius omnium cum serpente dissidium, inimicitia, & oppositio, quanta est inter veritatem & falsum, inter nihil & aliquid, inter rationis rectitudinem, & defectum illius. est enim Deus veritas ipsa, omnísque veritatis, & entitatis autor, vt dæmon mendacij, peccati, & nihil. Contriuisse verò hoc semen mulieris serpentis horridum caput de Christo dicitur, Psalmo 73. iis: *Tu contribulasti capita Draconum in aquis, tu confregisti capita Draconis.* In aquis, inquam, sacri lauacri baptismatis, non secus ac durũ serpentem & æneum piissimus ille Ezechias Regum 4. confregit, & vicit. Sensit hæc Rupertus 3. de Trinitate, c. 19. & reliqui Patres locis adductis.

De minatu calcanei hominis, & capitis serpentis.

CAPVT XII.

GEneseos 3. sic dicitur. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Non minor inimi- 218
citia, liuor, oppositio, & contrarietas inter serpentem, & fœminam iis constituitur, quàm dictis suprà & relatis eodem capite verbis. Hæc enim omnia ad promulgatam iam inimicitiam spectare videntur, quibus dissidium stabilitur inter serpentis caput, & calcaneum fœminæ. Tanta enim est inter hæc oppositio, vt à capite ad calcẽ (quod dici solet) nil superit amicitiæ aut beneuolentiæ. Sunt enim hæc totius animantis extrema calcaneum & caput. termini

& fines, quibus vniuersum animans continetur, inter quæ summa est distantia, & oppositio summa, omnísque contrarietas, vt per extremum opponantur hæc duo, & dissideant inter sese. Quò his maximè oppositis antipathia fœminæ & serpentis apprimè notatur, vt adhuc ingens inimicitia eorum ex-
119 primatur eisdem. Caput enim diuinissimum membrum totius nostræ reipublicæ, arx præcipua, & animi domicilium sursum animantis excellentior & altior reliquis omnibus partibus, à quo sensus & motus præstantissimæque actiones præclaræ proueniũt, quod solum omnes virtutes contineat naturæ & animæ, tam vegetabilis quàm sensitiuæ partis, internas & externas, altiori sede constitutum natura, animantis optimum bonum, perfectum, si quid aliud in serpentibus potentia veneni efficacius, potentius, submittitur calcaneo fœminæ, superbum, & tumidum veneno, horridum, elatum, & altum humiliori fœminæ parti, abiectiori, viliori, vltimo illius calcaneo, inquam, quo conculetur, conteratúrque illud molli, debili ictu, fœmineo calcaneo, horrendum serpentis caput. Hoc enim periculum subit serpens natura, dum calcaneo submittit caput tetrum, & insidiatur illi, quòd conteratur illo; nil enim in serpente est debilius capite, nil fortius hominis calcaneo, debilissimis ossibus struitur serpentis caput, fortissimis calcaneum hominis munitur, docuit Galenus 6. de
120 vsu partium, experientia docet. calcaneo minatur homo, dum iratus sæuit, victoria superbus, & superior factus, calcar, conculcat, vt sit vltimum victoriæ signum, & potentiæ argumentum, calcare inimicum, conculcare hostem. Quo & serpens astutissimè fugit caput calci summittere, icere mille artibus tentat, externus factus. Hinc Ægyptij, vt victoriam celebrem signifi

ſignificarent hieroglyphico, calcaneum caput conculcans depingebant,& dum ſubditos, ſubiectos victósq; homines exprimere conabantur, caput calcaneo ſubmiſſum obũbrabant;pars enim calcaneum eſt ſubiecta magis omnibus aliis totius noſtri corporis partibus, illis ſubdita, ſuppoſitáque vniuerſæ reipublicæ, corporis totius. Nulla eſt infima adeò, opreſſave, aut aliorum imperio parens, ſuſtinens omnem corporis molem, vniuerſámque fabricam animantis, ſub omnibus aliis conſtituta, vt contrà caput, nulla illo liberior, excelſior, altior, incumbens toti, superſedens vniuerſo corpori, aſſidens omni machinæ animantis; victoriæ & libertatis aptiſſimũ Ægyptio- 221
rum hieroglyphicum, nouit Cicero officiorum 3. à quo Valerius lib. 35. capite de pedibus, quò ſi ſubdita magis totius animantis pars calcaneum dictum, ſuper caput liberrimum alioqui, natura & ſui iuris nobiliſſimum conſtituitur quod calcat, & conculcat vndique, victoriæ glorioſæ & vnicæ ſignum erit, icon,& ſimulacrum. Quò mos erat antiquis regibus triumphantibus captiuos pedibus conculcare, ſubiectionis ſignum, tum hominem triumphabundum per calcaneum ita poſitum, vt antiqua pleraq; numiſmata cõſignant, eóque ſpectat verſiculus ex pſalmo 66. *Impoſuiſti homines ſupra capita noſtra:*& quod paſſim inuenitur in Scriptura ſacra de conculcatu, cõculcatioñeque, dũ incidit ſermo, vbi & victoriæ potentia, & ſeruitutis miſeria enotantur. His ergo ſumma victoctoria nobis elucet dum dicitur: *ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*; Serpenti vltrà non dicitur, quàm inſidiari nobis, non icere, aut morſum figere in nos, at nos illum cõterere, capútque illius conficere, & quaſſare renunciatur. In nobis calcaneo inſidiatur, dubiè icit, certò in illo caput atteritur; hic
calca

calcaneum periculum ſubit ſolùm, ibi caput pœnas
222 luit indubitanter; palma enim, victoria, & triumphus his renunciatur hominibus, fœmineis adhuc, & mollibus ortu, minimis, & debilibus, Chriſti virtute, qui *exultauit vt Gigas ad currendam viam*, accinctus gladio diuinitatis ſuper femur ſuũ humanitatis potentiſſimæ; femur enim ab inguine incipit, per inguinem generandi vaſa decurrunt, quò femur carnis originẽ humanitatémq; deſignat; nouit Gal. 6. de vſu partiũ, & anathomici omnes. Nouit Ariſtoteles, quæſtionibus problematicis, tum & antiqui qui Bacchũ Deum de femore Iouis ortũ fuiſſe teſtãtur, à Semele ante tempus excluſo vtero, Iouẽ femore diſſecto, altum & fotum. Non aliò, dixit Spiritus Deus Iacob, Geneſis 46. de femore illius Reges, & gẽtes plurimas eſſe oriundas, & Numerorũ 5. vterum, & femur generationis inſtrumẽta ſtabilit. His ergo victoria glorioſa, celebríſque triumphus nobis renunciatur, Chriſtúſque promittitur, dum dicitur: *ipſa conteret caput tuum*. Dei genitrix, inquam, ſacra per Chriſtũ, vt cõtriuit caput, peccatũ & venenũ ſerpẽtis, quod capite continebatur, & capitali vitio ſuperbiæ ſerpẽtis, quod leuauit in Deũ ſuperbia, & elatione, quò & infecit primos parentes, & vt alia litera legit *ipſe*, aut *ipsũ* diuinũ ſuppoſitũ cõteret caput tuũ, Chriſtus, inquã, qui eſt ipſe ſibi, cùm ſit exẽplar per quod omnia ſunt ipſa, & nõ alia, cùm quodlibet in tãtum ſit ipsũ, in quantũ ipſo omniũ creaturarũ norma & exẽplari eſt tale, cùm omnia per ipſum facta ſint, & ſine ipſo ſint nihil, & nõ ipſa. Conſtãt enim omnia verbo virtutis ſuæ, quantúmq; ipſorũ eſt, ipſum ab illo ſit, qui ex ſe eſt ipſe, & nequit alienari aut alter eſſe; quò ſolus dicitur ipſe, & nõ alter, omniáque quæ ipſa ſunt,
223 per illud hoc ipſum ſunt, Deifera virgo ipſa ſola poſt
ipſum

ipsum appellatur, nunquam altera culpæ reatu aut labe; ab hoc ipso suo prototypo. Ipsa, per quod omnia eadem. Ergo conteret caput tuum, vt contriuit 223
ipsa, non alia, sed eadem; Est ille ipse, qui suo exemplari & prototypo est similis, conformis, respondēs. Fuit ipsa semper similis, & ipsa, verbo & exemplari suo, non alia deformitate peccati, imò ipsa ab ortu, & conceptus die, tota integra, pulchra, & gratię plena, benedicta inter omnes; quò ipsa cõteret, vt contriuit caput, peccatum scilicèt capitale superbiæ dęmonis, & serpentis, calcaneo & infima sui parte, humilitate superbiam, calcaneo caput deuicit. Ad iustũ capit calcanei cauitas dum stat homo rectus, serpẽtis caput. Anguis scilicèt communis, qui seduxit Euam, ea parte qua deficit pedis substantia; & plenum; stantibus enim nobis terram contingimus, anterioribus pedis partibus, illis innitimur, sustinemur alto calcaneo. Quò sutores ea parte substituũt calceis dictos talones, multiplicatis soleis, vt æquet ea parte pedis reliquum; in soccis mulierum apparet id clariùs, cùm ea parte altiores fiant multò, quasi in 224
pœnam delicti eo loci ictui serpentis aditus pateat, & qua icere possit serpens; sedentibus verò, aut motis, instamus calci, reliquo pedis minùs, calcaneum imò fæminis pleniusculum adest viris, ea parte magis, vt fortiùs conterant serpentis caput commissum semel, quibus maius periculum impendebat viris. Seiungitur enim calcanei musculus ex tibiæ osse, altiori è parte fæminis, vt dissectione patet, quò maiori circulo facto, in pedis inferna recurrit extrà, vt sint fœminis pleniora calcanea, & calcẽt fortiùs, præcipuè virgines, integris coxis, nõ vitiatis, & læsis puerperio, & partu, neq; osse sacro vitiato, aut perculso, vt adest corruptis, ex quo protendũtur ner

ui,quibus tibiæ mouentur, & pedes calcant,quò robustiùs conterent,conculcabuntque ideo;vt contriuit virgo mater Deipara, dæmonis & serpentis caput,parte illa qua natura defecit, calcaneis,cauitate, & qua deficit caro;carnis & passionum libera, plena tamen gratia, & virtute.Calcaneum enim, calx, partem pedis posteriorem significant, cui motu innitimur, Arist.3. de historia. c.15.5.sect.problematum, sententia 15.Galenus lib.de ossibus cap.24.3. de vsu partium.cap.8. Est pedis vltimum, & vltimum ani-
225 mantis totius, à capite infrà. Dicimus communiter omnes, ducere ad calcem, seu ad finem & ad vltimum ducere, & à capite ad calcem, dum extrema notamus. In auibus verò dicitur calçar. Est vltrà & calcaneum, os maius totius pedis,talo dictum,os cuius cauitati,os,vlna inseritur, appellatum tibiæ, medio malleolo osse, vnde calcaneum est os, instar basis & pedis crucis,receptaculum quasi, & pedestale vlnæ, cauitate, & defectui ossis calcanei insertum. Quò Euæ calcaneo & defectibus ei parti qua os deficit,Eua,& os,costa,caro;Est vlna crucis inserta,qua metimur omnes, medio malleolo crucis, & passionis Christi ictibus.Ieremias 23.*Vox Domini quasi malleus conterens petram*; petra autem est Christus.1.ad Corinthios 10. Vox Domini Patris æterni, decretum scilicèt passionis, malleolo Christum contriuit, Isaias 53. *Attritus est propter scelera nostra.* Qua ergo serpens adoritur Euam, hac est crux Christi,& & vlna inserta crucis, vt munita ea parte & integra,
226 possit obsistere serpenti Dæmoni, & peccato. Imò nulla est pars,mirabile dictu, corporis totius, munita adeò ac calcaneum pedis, in homine & fœmina, densissima cute obtegitur, callo durissimo & fortissimo obducitur, firmissimis struitur ossibus, neruis robu

robustissimis, tendonibus cõsistentibus nimis, crassæ substantiæ & densæ, venis, arteriis, constantibus, quæ adhuc omnia continuo attritu & calcatu solidiora, firmiora & densiora fiunt. Est pars spongiosa & dura; dura cùm sit resistit duritie, & spongiosa non rumpitur, aut quassatur motu, totũ in summa sustinet, quod nulli alteri contingit parti; nec ideò, & si toto comprimatur, dolore afficitur, quia spongiosa est, quò interceptus aër detentus compressu, in poris spongiosæ substantiæ, mollitie nõ infestat compressas partes, nec vna alteram, imò sursum tendens natura subleuat onus, vt non afficiantur dolore partes cõpressæ. Vt hinc pateat summi nostri conditoris pietas, benignitas, amor, qui cùm serpentẽ hac parte posse icere hominẽ præuidisset, muniuit adeò, vt quasi inexpugnabilem redderet. Imò cùm ea pars terræ periculis, spinis, tribulis, frigori, calori, æstui exponeretur natura cui homo innititur motu, qua premit terrã, adeo circumuallauerit ipsam, & fulciuerit vndique noster conditor. Et cum reptet iã serpens virtute, & potẽtia 227
cõditoris Christi, & non se attollat ingressu superatus, & victus, ore humi tracto, & calcaneum inferior appetitus portio, terram premat, amet terrena, & cõprimat, ne diro officeretur serpẽte, struxit tutissimũ, præceptis, consiliis, quibus renascitur homo, & formatur iterum, lege gratiæ; & hæc consentiunt cũ his quæ docet Aristoteles 1. de historia cap. 15. vbi vitiosos homines, astutos, fraudulentos, & callidos, versutos, vafros, non distinguere calcem à pedis reliquo affirmat, imò obtinere confusum, æqualem, indistinctum pedem, non succinctũ, diuisum parte inferiori, efformem, plenum, & integrum, imò, quo & vestigiũ informe relinquunt, terram, terrenaque premunt pede toto, se totis, imò si possent, non signant calca-
 neum,

neum, non calcant, vt Regum 1. dicitur capite 5. de
corruptis sacerdotibus Dagon, *Non calcant Sacerdo-
tes Dagon*, humi reptant, inseruientes Idolo Dagon,
molles, & desides, proni, curui, non recti, aut celsi,
228 stantes aut rigidi. Creauit enim Deus hominem re-
ctum, vt esset rectus, vt conculcaret, & calcaret pas-
siones appetitus, stans rectus, alias si non stet, repet
& terram continget plusquàm calcaneo, & plus-
quàm decet, terrena amplectetur, & premet, obti-
nebit corde, & pectore, & cùm repat iam serpens, &
reptet, illum conteret vir homo, cùm contriuerit fœ-
229 mina ipsa, priùs superauerit & vicerit. Nec iussit ser-
penti Deus insidiari calcaneo fœminæ, imò fœminã
excitat, aduertitque vt cautè viuat, vt fugiat serpen-
tis insidias, & Dæmonis artes; admonet de officio, &
conditione eiusdem, vt vitemus pericula; non est
enim *insidiaberis* imperatiui vox, sed futuri perfecti
indicatiui modi; inuenitur enim aliquando actiuum
insidio, & si communius deponens, vt apud Calli-
stratum in l. 28. ff. de pœnis, vbi sic inuenitur: *Cre-
mẽtur serui qui saluti dominorum insidiauerint*. Maximè
interest inter calcaneum nostrum, & brutorum cal-
caneũ, dixit Aristotes 5. sectione problematum, sen-
tentia 15. Vitiato enim nostro, infirmato, inualido,
labimur continuò proni, supra cor, & pectus, cælum
facie fugimus, & tergora illi damus, quòd caput in-
clinetur infernè impetu mediò corporis, flexile na-
tura. Bruta verò inconstanti calce prolabuntur, supi-
na cælũ versus. Supra pectus gradimur, vt serpentes,
reptantes inconstanti calce, vitiato calcaneo, ample-
ctimur terram corde, & pectore, cęlum fugimus, imi-
tamur illa quæ nec cælum aspiciunt, nec continen-
tur recta, serpentes, & Dæmones, Gen. 4. sic: *Iratus*
230 *est Cain vehementer, cõcidit vultus eius*, calcaneo, infirmo,
subditus

subditus passionibus iræ, inuidiæ, superbiæ. pronus cecidit vitiato passionum calcaneo: quò dicitur illi, *cur concidit facies tua?* tum vltrà, *& cecidit Cain in faciem suam*, quò & qui facinora, & delicta committunt in faciem decidunt, hanc nituntur occulere, & abscondere parãt, velare, & abdere, quasi cælũ odio habeãt, & fugiant, & illi tergora reddant, indigni videndi lucem, faciẽ occultant; in faciem incidunt, manibus, si non datur alio, cooperiunt faciem commisso delicto. Calcaneo ergo egemus, osse maiori, firmato fidei, & operum. Ezechielis 32. de infidelibus, & incircumcisis: *Et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum*; & cùm sermo sit ibi de infidelibus, vocat infidelitatẽ ossium vitium, fidei, & solidi fundamẽti, calcanei, & ossis, cui totum innititur, vt calcaneo totum animans sultat, & incumbit. Tum cute densissima fulcitum nobis adsit calcaneum, patientia scilicèt, quæ occurrit omnibus primò, vt occurrit cutis inter omnia quę corpus astruunt, & integrant, obuia labori sustinendo, & oneri, Danielis 2. capite, populo Nabuchodonosor prædicens flagella inquit: *Comminuet cutem, & consumet vniuersa regna.* Patientiam consumet, inter alia mala, aut imminuet, vt in pœnam peccati deteriores fiãt. Tum neruis motus circumualletur, calcaneum neruis motus, Spiritus sancti, cuius est impellere, & mouere suauiter; Ezechielis 37. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & dabo super vos neruos.* Tum neruis sensus, Scripturæ sacræ, & intelligentiæ mandatorum & legis. Baruch 6. capite: *Quasi possint sentire, qui non habent motum*; qui caret neruis motus Spiritus Dei, non sentiet; quibus fulciuit calcaneum Deus; & Christus vallauit appetitum, & rationem, fœminam, affectus temperauit, qui calcanei nomine intelliguntur Scriptura sacra. Nulla est pars,

in vniuerso corpore consentiens adeò cum corde, principio vitæ, ac consentit calcaneum, vt faciliùs multò omnibus aliis naturæ partibus, mala omnia, vitia,& affectus cordi ex illo impertiantur, quàm ex capite & reliquis, Aristoteles 2. de partibus animalium, capite 7.& Galenus 3.de vsu partium, cap.8.1.
231 prognostici sectione 4. Hypocrates ibidem, quemlibet anteà refrigerari calcaneo nudo, quam capite docent, quod probat experientia,& 2.sectione problematum sententia 26. docet, medicos præcipere ægrotis, diligenter cooperire calcanea, consuleréque assistētibus, pedes,& calcanea tegere, magis quã caput, quod & omnes quasi naturæ ductu consulimus illico, non leui cura de calcaneo habita, vtpote hac parte, natura & temperamento frigida, lædantur magis, quo in rigoribus & horroribus febrium refrigerãtur primò,& incalescunt vltimò, vt quasi ab eis rigor incipiat, frigus,& horror. Imò venerem, irã, & affectus alios, tam qui feruore sanguinis excitantur, quam qui eiusdem refrigerio, alteratis calcaneis cohibemus, tēperatísque & frænatis in corde, cõtrariis calcaneis admotis,& applicitis. Eo loci affirmat Aristoteles,& Galenus sustinet, difficile esse nimis, nudis pedibus & refrigeratis coire quempiã, capite verò nudo facilè, faciliùs imò, extinguíque appetitũ venereũ, frigida aqua inspersa calcaneis Venus enim
232 Baccho eget, non Neptuno: semel enim genita spuma maris, ad supera euoluasse referunt antiqui omnes, aquámque effugisse, affectus denique corrigi ex calcaneo, medici omnes norũt. Ex calcaneo ergo cor patitur, quò adscribuntur affectus calcaneo,& calci; nulla.n.est pars, quę tot tãtísq; arteriis adstruatur magnis adeò & ingẽtib. nulla rectiorib. configitur, aut directoribus cum corde, quò cùm calcaneum spon-
giosæ

giosæ naturæ sit, fūgosæ & perspirabilis, scatētis poris, quos plenos semper habet spiritu, directissimè cū corde constitutū, refertum spirituosa substantia, susceptа ex arteriis, facillima alteratu, multitudinéque spirituum volatilium, tenuium, & subtilium, quorū natura leuis est, & ascensui apta, córque impetēs, virtute propria, semel iis alteratis in calcaneo, & affectis, per communes vias facillimè cor alterāt, & affectāt; cū ex calcaneo in cor sit patēs, & manifestus aditus; euariétque ex calcaneo illud, vt hęc dissectionibus est videre. Docuit Galenus locis adductis, Aristoteles Vesalius peritissimus Anathomicus, figura tertia, Realdus, & reliqui. Hinc malefici, veneficiq; homines nō minùs venena parāt, & calcaneo admouēt, stapedi, calceis, aliisve ornamentis pedum, quàm capiti, aliisve partibus, imò calci meliùs, quā capiti applicāt. Et cùm effrænatiores cordis passiones, potentiores, maiores, incendio sanguinis, & bilis excitentur, motu facto in natura corporea, quæ subiacet spiritui, vt venus, ira, gula, incontinentia, superbia, ambitio, contemptus, & reliquæ; ipse Christus, vt 234
moneremur, etsi liber affectuum, & Patres antiqui, virtutum exemplaria, & lumina, tum minores obseruantię regulares dicti, virtute maximi, & Eliæ fratres Carmelitę obseruantissimi, calcaneo nudo incedūt, nudísque pedibus, quò passiones extinguant, cohibeant, & fręnent, vt sit caro spiritu inferior, & securi calcaneo, liberíq; à serpētis morsu viuāt. Lauit Christus Apostolorū pedes, & calcanea extersit aqua frigida; nam absolutè dicta aqua, de hac intelligitur; lauit enim Ioan. 13. *Misit aquam in puluim, cœpitque lauare pedes Apostolorum.* cœpit, auxilia obtulit, quibus cooperetur homo; vbi & Petrū lotu lauit pedes enim Petri loti mortalis culpæ, alluere cœpit à veniali
 lapsu,

lapſu, calcaneum ſcilicèt, & culpæ vltimum. Eſt caput mortale, culpæ & malitiæ, venialia vitia ſignificantur calcaneo, vt capite mortalia, quo icit omnes ſerpens filios Adæ origine. Hinc Geneſeos
235 30. cap. fortiſſimus athleta noſter luctatur Christus, Eſau calcaneum, quod interpretatur ruſtici hominis manu obtinuit. Iacob noſter ſupplantator dæmonis Chriſtus; noſtrúmque calcaneum ſuſtinet, ne ruat homo, pſalmo 48. *Cur timebo in die mala*: reſpondit, *iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Adſcribit enim calcaneo iniquitatem, calcanei iniquitatem dixit eo loci. & pſalmo 55. *Inhabitabunt, & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſeruabunt*. Vt ſerpens calcaneum obſeruat, vt cautè & abditè adoriri poſſit. Ioannis 13. *Qui manducat meum panem, leuauit contra me calcaneum ſuum*, malitiam ſcilicet, dolum, paſſiones. Hac enim via conſpicua, & patenti arteriarum, & venarum à calcaneo in cor, cui ineſt caro poroſa nimis, ſpongioſa, & laxa, ex calce facillimè ſuſcipit, bibit, & ſugit actiua quæuis externa. Minùs enim teguntur arteriæ in calcaneo, & plantis pedum, nerui, & venæ, quibus caput, cor, & iecur vitę principia conſentiũt, maximè calcaneo affecto per vaſa communia. Oriuntur enim ex capite nerui, ex corde arteriæ, ex iecore venæ, quæ
236 omnia pateniſſima ſunt in calcaneo. Hinc Orpheus, refert Philon Hebræus ille, calcaneum libidinis appellauit ſedem, domicilium paſſionũ, quo morales philoſophi, qui fabellis ludicris hominum mores temperabant, & corrigebãt, delectabili bono honeſtum permiſcentes, & ſeria iocoſis, fortiſſimũ Achillem calcaneo, non alio poſſe interire, ſunt rati, quem cùm vndis ſtygiis committeret piiſſima mater, vt eſſet immortalitati addictus, & æternus, calcaneis obtinuit,

obtinuit, ne totus immergeretur vndis, quibus solùm illotus extitit, mortalisque, vt ille qui erat laude æterna, & gloria dignus, virtute immortalis, passionibus subiectus, mortalisque, & tãdem homo notaretur. Doctissimus Ariostus Florentinus Blauæ Ducẽ Orlandum, solum ventre, cõcupiscibili parte, mortalẽ introduxit, irascibili & animosa parte æternum, qui est ab Angelica illa venefica superatus & victus. Hinc Ouidius serpentem calcaneum Euridicis dentibus pressisse refert, non pedis reliquum libro 10. Metamorphoseon iis: *Nam nupta per herbas Dum noua naiadum turba comitata vagatur, Occidit in talo serpentis dente recepto*, & infrà. *Causa viæ est coniux, in quam calcata venenum Vipera diffudit.* Calcaneo periisse & affectibus Euridicem alioqui pulcherrimam, vt ostenderet, descendisséque inter vmbras leues, & in regna opaca, illa quæ forma & aspectu immortalis erat. Fuere varia & diuersa significata ex calcaneo decerpta ab antiquis, 237
præcipuè ab Ægyptiis, qui rerum proprietatibus & iconibus multò magis, quàm verbis, hominibus loquebantur, vt illis fidem maiorem præstarent, quorũ exempla ex naturis rerũ substituebant, vt quasi suadente natura, quæ asseuerabant, vera illa sentirent, qui dum irritum aliquid & inconstans ostendere nitebantur, hominem depingebant super aquas calcaneo titubantem. Vnde Cicero 3. officiorum vt Epicuri rationes inconstantes & labiles significaret, *calcaneis aquis inhærescere* dixit, & epistola illa ad Quintum fratrem lib. 5. vt nil actum esse de agro Campano diceret, inquit, *causam illam calcaneis aquis innatare*, pes enim è græco dicitur, τὸ πέδον, id est, solida sibi deposcens, quod vacillet, si terræ solidæ

non insistat, & quasi fluctuet animantis pes, qui stat solùm stabilis tantū substracti soli ratione. quo Psalmographus sacer Psal. 73. sic inquit: *Mei autem penè moti sunt pedes*, ex verbo græco ἐσαλεύθησαν, quod est, fluctuare & vacillare. Cōtrà verò, & pedes stabile & firmum prænotant fundamentum, vt apud iuris cōsultos *ponere pedem* sit idem, quod fundamentum iacere, Cicero 4. de finibus: *sapientia, vbi pedem poneret, non habuit sublatis omnibus officiis.* Pedū etiam positione notatur possessio. Et hęc omnia calcaneis depictis dantur intelligi, quod primò ex pedibus iis eisdē terram premamus, nō parte pedis anteriori. Si calcanea antiqui in aquam immersa finxissent, puritatē & mūditiem significabāt; ignis enim, & aqua in defæcationis significatū accipiūtur, quòd iis duob. labes omnis
238 eluatur. Quò Mercurius alatus calcaneis depingitur, vt linguæ puritatem pernotarent antiqui, eúmque liberū ab affectibus exprimerent. Quò semper Iupiter illi in custodiam eas quas summè deperibat iuuenes cōmisit, aligeris talaribus exornatus, quòd minimè Deorum omnium affectibus, & passionibus libidinis, & gulæ fuerit obnoxius, Venerive, Cupidini, & Baccho nunquam indulserit, quorum inimicus statutus est ab antiquis. Tum ad seruitutē significandam vtebantur calcaneo depicto; vt est videre apud Orinochlitas, quòd omnis reipublicæ pondus, & onus corporis sustineat. Diligentia etiam, cura, & solicitudo apprimè significatur calcaneo vno leuato, altero terræ affixo. Ita signari videas numos plurimos antiquorum. Fausta fortuna vno pede alta dextro, quòd motus ab hoc eodem auspicetur animans omnis, dum aggreditur motionem, sinistro terræ adacto. Ignauiam verò & otium notat si supra pedem calcaneum constituatur, requiemque, & finem,

finem, quò in aliquot sepulchrorum imaginibus, & statuis pes vnus calcaneo pedi alteri insidet, quasi requiescat iam ille, & in pace dormiat. Famulus ille Euripidis, dum à Deciopolo percontaretur, an intus esset Euripides, respondit; Intus, pede supra pedem posito tragœdiam meditatur. Firmius est calceaneum dextrum sinistro; illi incumbimus, dum impetus cohibere paramus aduersariorum, & hostium reprimere impulsus. Milites agmine facto, 239
dextro talo rettogrado proiecto; sinistro lanceas firmant, & hastas tenent stabiles. Itidem & si missilibus armis res agatur. Consulunt eandem positionem militiæ magistri, quòd vibrandis spiculis vehementior ea fiat ictus. At si res gladio succedat, dextrum calcaneum proferendum iudicant, quòd ad vulnus inferendum propinquior sit dextera, eo antepofito. Mars incumbens sinistro depingitur. Est apud Isaiam inter alta mirabile illud, quòd vidit Deum sine calcaneis & pedibus, quem Seraphim duo aliis inferioribus ea parte obtegebant, quod sine calcaneo & affectibus sit, sine termino & fine, sibi solùm incumbens, non alteri. Significat etiam calcaneum actionis terminum, & finem durationis cuiusuis, sumpta allegoria à saltatoribus, in quorum saltu mos est metiri distantiam, & saltus longitudinem ab extrema parte vestigij, quam calcaneum pressit, ad extremam eiusdem calcanei, quam in fine saltus designant. Finem notat, quò dicitur psalmo 55. *Ipsi calcaneum meum obseruabunt*, id est, vitæ finem, & mortem; ipsorum nomine aduersarios, & inimicos nostros intelligens. Hinc *ad calcem ducere*, est ad terminum, & finem res trahere. Vnde assertor noster Christus disci-
pulorum

pulorum calcanea lauit, vt nos iam liberaſſe notaret lege gratiæ à ſummo diſcrimine legis ſcriptæ, in qua dictum erat periculum ſummum imminere calcaneo, inſidiante Dæmone: quæ vt notarentur dixit, Lucæ 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſer-*
240 *pentes, & ſcorpiones.* nam quod promiſſum fuerat Geneſis 3. præſente Chriſto impletur eo loci. Mirabile eſt illud quod Rupertus 3. de Trinitate refert ex grauiſſimis patribus, & authoribus, longiſſima experiētia confirmatum, capite 30. cuius poteſt quilibet periculum facere, vt veriſſimam ſententiam eſſe cognoſcat, & ad oculum videat, quod & in angue communi, in ſerpenti ſcilicèt dicto, multoties ſum expertus, de calcaneo fæmineo, & ſerpentis capite; viuaciſſimum enim ſerpentis caput quod vſque ad ſolis occaſum reſciſſum ſemel & amputatum nō interit, viuit; imò cum ea portione corporis ſerpentis
251 qua diſciſſū eſt, quod & ſi millies vectibus, aut malleis conteratur, viuit, & volutatur multo tempore ſectum adhuc, ſi ſolo fæmineo calcatu, etiam leuiter comprimatur, totum repente cum corpore obit: ita vt nullus motus omninò aut ſenſus ſuperſit ſerpenti viuaciſſimo alioqui, ſi nudo pede fæmineo tractetur eius caput. E contra verò calcaneo fæminæ percuſſo, citiùs multò deficit illa, & veneno petit viro, & mari, mollitie, & pororū amplitudine veneno ſubeūte cor, ipſumq; inficiente, laxitate viarū, facilè. Periit ſerpens in occaſu ſolis iuſtitiæ, periit mors & infernus occiduo ſole Chriſto paſſionis nocte; occaſu, & morte eius obiere, his deuictis, & ſuperatis. Fœminei & molles inficiūtur faciliùs multò, veneno ſerpētis, quā rigidi mares, & fortes viri. Soli calcaneo fęmineo ineſt hęc virtus, & natura hęc, proprietaſq; cōtra venenū ſerpentiū data ab ipſo naturę authore, vt ſuper-

biam

biam ſerpentis reprimeret, & vt Deiparæ virginis potentia notaretur.

De ſerpentis prudentia.

CAPVT XIII.

SIc dicitur Geneſeos 3. *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus,* Mathæi 10. capite ſic: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio Luporum: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.* Tot 242
ſunt quæ huius animantis prudentiam commendant, laudant, extollunt, vt adhuc ipſe naturæ author, noſterque aſſertor Chriſtus, ipſam Apoſtolis Euangelij nuntiis imitandam propoſuerit. Cuius eſt illud ingenium, ſolertia ea, illa ſagacitas, vt prudentiæ ſymbolum fuerit conſtitutum antiquitùs; Irenæus docet libro ſexto capite nono latiſſimè; à quo Pierius & reliqui poſteà. Imò hinc patet noſtri conditoris clementia, pietas, amor, qui cùm ſummam huius animãtis calliditatem expuerat, & cõtemptim reiecerat, Geneſeos 3. quòd hominẽ læſerat, ſi quid boni illi ſupereſt, admittat, extollat, laudet. Suſtinet multoties Deus ſcelera hominum, delicta, & vitia, ſi quid boni in medio defectuum tumultu relucet, aut pullulat. Nec ſolùm ſi bonum adeſt alicui, imò ſi relatio aliqua in bonum. Non idololatram Salomonem regno deſtituit, genuerat enim Dauid amantiſſimus Deo. Legis tranſgreſſoribus perizomata ſtruxit, Euæ & Adamo, ne temporum iniuriis officeré tur, quòd fuerint illico aperti oculi eorum, & cognouerint, ſe eſſe nudos iuſtitiæ, & rectitudinis; non proterui aut contumaces delicto. Eſt enim maximum quid, noſcere ſeſe; quò poſteà in prouerbium abiit delphico oraculo,

culo, *nosce te ipsum*, nam non sufficit, noscas tu alium, hoc enim ignorare te est. Laudat ideo execrati priùs serpentis prudentiam, qui cùm imitanda plurima contineat natura, inter ea est illud mirabile, quòd cùm sanguinis, lactis, & vini sit auidissimus, sic animantium vbera sugit, & emungit ille, vt
243 titillationis sensu allecta animantia, præuisa adhuc, & suctus conscia, emungi sinant, & ferant illis multoties plus multò quàm propriis fœtibus, quibus vberibus destitutis, eorum loco, caudã salsam, exuccem, amaram, ori substituũt cauti serpentes adeo vt deficienti pabulo, & matres intempestiua emulsione læsæ, macie misera, fame tristissima, vrgentissima siti obeant miserrimæ & proles. Aristoteles 1. de hi-
244 storia animalium, capite 1. 5. de partibus, capite 4. à quo & Plinius, & autores reliqui, vorax nimis serpens, & cupediæ deditus, multo tempore sine cibo transigit, ieiunus, impransus, vt præda vtatur, & venetur animantia cautè & latenter, bibens minimè, cibo solùm potabili vtens. Instituit ergo sacræ Euangelicæ legationis nuncios, Apostolos Christus instruxit, serpentis exemplo, misit, eiusdem varias animantis astutias imitari consulens; & hanc primò, vt qui sacri verbi concionatorum funguntur officio, sint maximè sanguinis, lactis, & vini auidi, & cupidi, iis vtantur, vt vtitur serpens, neglectis aliis, doctrina scilicèt vera lactis, & solido alimẽto sanguinis & vini substantifico, cõfectis iis, charitatis calore dispositis, & alteratis, aliis rarissimè & solum, vt cõdimẽtis cibi adsit doctrina, quæ & sit sanguis, & alimentum, & lac, vbi est opus; imò & sit vinum, quod & coctionem iuuet, & alimentum præbeat simul: quod distribuat alimentum, & partes roboret, principia vitę, cor reficiat, firmet ventriculũ, officinã
coctio

coctionis, affectet voluntatem, caput, mentem viui-
ficet: ſapientia enim, & finis ſupernaturalis cognitio
per cauſas ſuper naturam habita. Serpens hic, ver- 245
bum Chriſtus, ſerpens dictus, Ioannis 3. cap. 2. Æter-
nitas hæc, circulo actus, hic ſerpens caudam ore te-
nens, & finem principio, qui eſt alpha & omega, vt
obtinet ſerpens ore caudam, dum abditur, & occuli-
tur aſtutias obtinet, quibus deliteſcit in Scriptura
ſacra, figuras, ænigmata, parabolas, quo 1. Eccleſia-
ſtici dicitur. *Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias
illius quis agnouit?* Æternum Verbum ſapientiæ eſt
radix, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ
Dei abſconditi*, 2. ad Coloſſenſes capite. Hæc verò ra-
dix ſolùm ab eo cognoſcitur, cui reuelata eſt; à Ver-
bo, & ab homine illo, cui eſt palàm facta ipſa ſa-
pienta Deo, vt aſtutiæ quibus in Scriptura ſacra
occulitur, ipſo ſolum dentur intelligi, vt rebus ipſis,
& factis exhortemur homines, ipſorumque exem-
plo, & informemur, & obtemperemus iuſſis. Do-
ctores ergo Euangelici hunc ſerpentem imitaturi,
modò lacte vtantur, facilia primò paruulis in Chri-
ſto exponentes, ſuauia imponentes primò, vt poſteà
ſanguinem, & almentum ſolidum, non ex lacte,
ſed ex ſolidis paratum cibis impertiant adultis. Tum
vinum maiorum natu potum, prudentia & conſi-
lio. Paulus 1. ad Corinthios 3. capite, *tamquam paruu-
lis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum
enim poteratis*. Lacte ergo, ſanguine, & vino, ij ſerpen-
tes Euangelici vtantur, prudentes, imitantes æter-
num circulũ, & ſerpentẽ Deũ, repleantur lacte, petra
lactoria geſtata, & doctrina, petra lactoria *galatites*
dicta, lacte abundent, quæ geſtantibus vbera lacte
replet; docet Plinius libro 37. cap. 10. Dioſcorides
libro 5. c. 107. Petra autem ſit Chriſtus. 1. ac Corin-
thios

thios 10. Nec enim ſolum lacte abundare ſat eſt, imò & caudam mouere, & ſubditos inſtruere, exercereq; in finem & vltimum, in mortem, in vitæ caudam, dum lac emungitur, & doctrina impertiant fœtibus caudam mortis, ſugantque è Chriſto & Eccleſia, & cauda amara Eccleſiæ filios inſtituant: maledixit
246 enim ficulneæ, Matthæi 21. cap. Chriſtus, quòd cùm inter omnes arbores lacte natura abundet, fructum non afferret; non ſecùs, ac qui doctrina imbuti, aliis non proſunt deſtituti fructu. Tum vt veri ſerpentes ſanguinem fluentem Chriſti ſugant, alliciant, & auidiſſimè trahant in alimentum & eſcam, vt iis alti, nutriti, & aucti, fœtus quibus non datum eſt hæc per ſe ſugere, ſed per Doctores ſacros & Eccleſiæ miniſtros ſanctos, & maiores, hæc præparata & confecta, vt decet, ſuſcipiant, diſpoſita, vt licèt in lac conuerſa cauda, poſtremitatum memoria, mortis, motu facto, amaræ caudę exuccis & triſtis, ſalſæ tamẽ, prudentia, & conſilio, ſapientia, & ſale, illam ori fœtus ſubſtituant, vt ſugãt amara mortis, vt timore perciti, perterriti, fugiãt vitia, & virturem ſectentur, & ablactentur ab vbere vitiorũ. Hæc tamen nõ rigidè omninò, ſed vt ſerpentes faciunt prudẽtia, illis blãdientes, præmio gloriæ & fœlicitatis æternæ, quandoque amaris caudæ ſerpentis, inferni, & mortis renũciando mala. Eſt enim *initium ſapientiæ timor Domini*. Sinit iis aſtutis & cautis emungi, & ſugi Chriſtus ſerpentibus; imò amat, & expetit, ipſos vocat, trahit, allicit, vſque dum tandem exanguis in patibulo crucis exhalet animam ſanguinis ſuctu horum prudentiſſimorum ſerpentium facto, vt in lac & doctrinã conuerſo, homines alant, & non ſecus ac matres dum nimis lactant, & ſuguntur, ſiti vrgentiſſima extorquentur; ſic Chriſtus, cùm hos lactaſſet, ingentiſſima

cruciа

cruciabatur siti, & animarum fame; vt tandem hac siti obiret, vt fæmellæ emunctæ serpentium astutia obeunt, quo dixit, *sitio.* Ioannis 19. c. Imò vt omnia omnibus consonent, multoties magis multò emungi peccatoribus sinit, quàm propriis fœtibus, & iustis, vt doctorum euangelij elucescat officium, munúsque eorum constet magis in iis, vt non desistant ab opere, succumbantve oneri, & si peccatores, & filios viperarum, progeniésque earum conuertere tentarint, alioqui ipsi debiles, imbecilles, inermes alioqui homines, imò maiores, ideò apponant conatus, nouos creent, & concipiant spiritus, serpẽtes ij. Quod enim iustis multoties non datur, illis fortassis impertietur, vt manifestentur opera Dei, & vt ipsum hæc perfecisse intelligant homines. Serpentes 247
ergo ij vtantur lacte, sanguine, vino; Prouerbiorum 5. *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore.* Vbera lac continent, vena sanguinem, quod inebriat vinum est re, aut officio, virtute. Tria hic continentur, vbera, vena, ebrietas, benedixit venam, sanguinis Christi receptaculum, qua pretium continebatur redemptionis nostræ, & angelorum; Christum nomine hinnuli intellexit gratissimum; imò gratiæ authorem. Hinnuli sanguis est fibrarum omnium expers, caret partibus terrenis, & crassis totus, concrescit nunquam, fluidus semper, semper fluit, sistit nunquam, currit iugiter, & perpetuò. Aristoteles de sanguine hinnuli docuit hæc 3. de historia, capite sexto, 2. de partibus, capite quarto. Plinius locis adductis: quò nomine hinnuli Christus intelligitur, cuius sanguis fluit perpetuò, cœlestis totus terrenis partibus expers; quò sit vena tua bene-

M dicta

dicta; tum ceruæ chariſſimæ lac, & charitatis ſymbolum Dei nutricis virginis Ceruæ dictæ, quòd vt eiſdem locis colligitur, lac eius, etiam ſemper fluit terrenis partibus liberum, labe hæreditaria immune, concreſcens minùs omni alio lacte, quæ eſt mulier noſtræ adoleſcentiæ, regenerationis noſtræ, nouíque ortus, quo exuimus veterem Adamum, cuius lac in bonum hominum ſemper fluit. Hoc ergo lacte, hoc ſanguine, hoc vino, officio, & virtute inebriari debent ſerpentes ſacri. Imò lac iſtud, ſanguis ille, magis multò & meliùs
43 vino inebriant homines. Quo dicitur primo Canticorum: *Vbera tua meliora ſunt vino.* Vinum enim vſum rationis impedit, & ſi inebriat, turbat mentem, obſcurat, obcæcat, corpus lædit, diſtemperat, reddit tremulos, inconſtantes, & pigros, ſenſus hebetat, plurimis vitiis, & morbis obnoxios reddit, vt tandem intempeſtiuam inferat mortem, veternum, lethargum, & apoplexiam, paralyſim, Galenus ſecundo de alimentis, capite ſeptimo. Hippocrates libro de alimento. At lac huius ceruæ, huius hinnuli ſanguis, dum inebriant, perficiunt omnia, homines imò & Angelos extra ſe ducunt, in ſe non ſunt ampliùs, ſunt extra ſe homines, extaſi, & raptu abſorpti quaſi, omnes in Deo, magis vbi amant, quàm vbi animant. Quo inebriant iſta vino meliùs; educunt enim extra ſe eos qui hæc delibarunt ſemel, hoc lacte & ſanguine inebriatos. lac & ſanguis inebriant epota, vaporibus in caput elatis, & ſi minùs quàm vinum, ſomnolentos reddunt, & tremulos, caput replent, quò ſentiendi & mouendi facultas animalis veniat debilis; ſpiritus ſcilicèt deſcendunt pauciores ad mollienda opera. At caput reficiunt, & roborant. Galenus eiſdem locis,

locis, & alij. Paulus ad Galat. 2. iis sic altus dixit: *Viuo ego, sed non ego, Christus in me viuit*, quasi ebrius hoc lacte, & sanguine, hoc vino, dixit primò, *viuo ego*, posteà, *sed non ego*, quasi ebrius vino hoc, reddit, *viuit in me Christus*, quasi extra se ille, & in eo Christus, & capite 5. *In Spiritu sancto viuimus extra nos* scilicèt, hoc vino. Est vinum officio, & virtute charitas. Inebriant enim charitatis feruore, dum coquuntur hæc. Est charitas amor, ignis vrens, & simul lac, doctrina, & sanguis alimentum, quo dicitur Canticorum 5. *Bibi vinum meum, cum lacte meo.* Inebriamini ergo charissimi; nam est simul vinum & lac. Vtantur ergo lacte instructionis fidei, & sanguine ex solido parato alimento, præceptis, & consiliis euangelicis, & vino charitatis, quod & ferueſcit in vasis electionis, Paulus ad Hebræos 5. capite: Etenim cùm deberetis magistri esse propter tẽpus, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo; omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ; paruulus enim est, perfectorũ autẽ est solidus cibus, eorũ qui excitati sunt ad discretionem boni & mali. Vino ergo egent hoc serpẽtes prudentes, quod est lac & sanguis, charitatis vino, quod & cor lætificat, vires auget, animum recreat, alit, perficit, curas soluit, simul alimentum & vehiculum alimenti, quod discutit humores noxios, vitiosos, corruptos, coctionem iuuat, & nutritionem, molestas animi passiones corrigit, fugat metum, & tristitiam. Prouerbiorum 31. *Date* 249
siceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo; bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui nõ recordentur amplius. Sichera enim, seu sicera, Hebræis omnis potio est, potens inebriare, siue ex po-
 mis

mis paretur,ſiue ex hordeo,vuis, palmulis, fauis, & reliquis, cuius authorem Sichem fuiſſe ſuſpicor, filium Canahan, à quo nomen ſumpſit. Fuit Sichem filius Canahan, qui ebrietatem Noë patefecit, quò potus omnis inebrians,ſichera eſt dictus. Inebrientur ergo triſtes hoc vino. Medici vinum conſulunt melancholicis,vt incaleſcant,frigidis humoribus vexatis, & perfrigeratis, denſatis membris,& conſtrictis frigore. Humoris melancholici, humores cordis vt in metu contingit,frigore externo expulſi, interiora petunt, vino laxantur,vt illud non obruant calore ad extra effuſis & liquatis. Nullũ eſt in natura animãs,quod caput adeò verſus omnem partẽ agitet, deorſum mouet,ſurſum,ad latera, antè, & retrò circũuoluit, & rotat, quod huius animantis corpus ex-
250 pes,& longum, ſi circulo non volueret caput, priùs multò periculis ſubiiceretur,& ſuccumberet malo, quàm poſſet vitare, ſi è longinquo non præuideret, moto capite liberrimo in omnia priùs,facillimo negotio. Quò rerum autor vertebras cartilaginoſas, faciles, & flexiles nimis illi impertiit, & collo aptauit animantis, vt perrotaret leuiter, lubricis & volubilibus oſſibus, quibus commodiùs multò circumuoluitur caput,quàm ſtet aut ſiſtat. Sic Ariſtot. 4. de partibus, cap. 2. à quo Ælianus, & Plinius ſuſcipiunt. Iis vt decet vtilia proſequitur & aduerſa fugit, quod munus prudentiæ eſt. Oculos ad latera obtinet, & ad latera iniicit, hinc capite moto ad poſteriora, videt præterita, & quæ præteriit; ad anteriora verò futura quæ non percucurrit adhuc, ad latera oculis immiſſis, præſentia quæ ſunt, medium inter præte-
251 terita & futura; integratur verò prudentia his, ſpeculatione,& collatione practica præſentium præteritorum,vt futura quorum eſt prudentia ordinentur, diſpen-

dispensentur,& disponantur, vt decet;facilè se mouet in omnia prudens serpens, est facilis motu in præsentia,præterita & futura,Prouerbiorum 4. dicitur. *Doctrina prudentium facilis.* Est prudētia recta ratio agibilium,vt factibilium ars; est verò agibilium contingentium & futurorum:in iis enim error,& rectū, esse & non esse potest,quò errare,& prudenter agere iis datur.prudentia docet disponere media taliter vt consequamur finem quē intendimus;disponuntur verò prudenter futura ratione,& consilio, collatione earundem, vel similium rerum facta, & repetita memoria; memoria constat rerum historiis, quæ fidem faciunt, historiæ experientia & casibus,quæ lōga confirmauit ætas; hinc senes experti, & prudentes,iuuenes inexperti,& imprudētes.Hinc serpēs circulo actus hieroglyphicon æternitatis, & prudētiæ adstruebatur Ægyptiis,quod circulo omnia cōtineātur, præterita præsentia & futura. Quò bifrons Ianus prudentiæ erat Deus, & duplici facie insignitus, vt præterita conferret præsentibus, & futuris simul, vt futura speraret, quæ non videbat adhuc; quo duplici facie, & visione duplici pollebat, non triplici, quia futura videre sperabat, at nondum inspiciebat, faciei geminæ, non triplicatæ extitit Deus; senex verò, & vetustissimus depingebatur, vt experientia,& ætate crederetur prudens. Hinc est tripertita serpentibus lingua, vt latè anteà mōstrauimus, vt sit lingua præteritorum, præsentium, & futurorum prudens,vt conferat omnia.Hinc prudentia depingitur sese intuens,& contēplans sese in speculo, quasi non videns sese in se, sed in speculo, & in caussis effectus cognoscens, vsque dum prudentiæ nomen mereatur; nam dum res in se videt, iam non est prudentia, sed vsus rerum esse potest, & præsentia,

Est ergo prudentia eorum quæ ſperamus, at non ſunt adhuc; depingiturque circumuoluta anguibus, & ſerpentibus complicata, quòd ſint prudentes adeo ſerpentes, vt prudentiam comitentur, & oſten-
252 tent. Sic dicitur Prouerbio. 13. *In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ*, prudentes inſpiciũt in ſe, & in facie eorum vita eſt, præuiſaq; facies: in ea ſapientia lucet, quia ſeſe intuentur, conſiderant, oculos in ſe conuertunt, vt noſcant ſe ipſos, corrigant, emendent; at oculi ſtultorũ in finibus terræ, adeo à ſe longè, vt ſe ignorent, & neſciant. Faciẽ cognoſcit ſapiens; ſenſus, qui ſunt antè in facie, corrigit, & frænat, tẽperat, componit. Rhetores ergo euãgelici imitentur prudentiam ſerpentium, caput conuertant in omnem partem, ad Chriſtum, 1. ad Corinthios 11. *Viri caput Chriſtus eſt*, hoc gubernẽtur in omnem partem, capite moueantur hoc in hoc, propter ipſum, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus*, circulo acti vt ſerpentes, vt à Chriſto redeant in Chriſtũ, per Chriſtum circulo facto. Sit ergo vbiq; Chriſtus, & caput, vt ſint potentes opere, & ſermone, coram Deo & hominibus. Prudentia ergo hac inſtructi, præterita, futura, & præſentia conferant, hoc capitis motu; & motu huius capitis, non in ſe tendant, non auræ populari, ſed ſit illis omni in parte caput Chriſtus & triplicata lingua, & vt prudentes ſerpentes, exterreant, alliciant, ſuſtineant. 2. ad Timotheum, cap. 4. *Prædica verbum, inſta opportunè, & importunè, argue, obſecra, increpa*, argue, ſuſtine, obſecra, *allice*, increpa, exter-
253 re, triplicata lingua. Trilinguis ſerpens factus prudens, præterita, præſentia, & futura confer, lex legi vt cohæreat, ſcriptura ſcripturæ, ſenſus ſenſui, figuræ figurarum, & patria ænigmati, retrouertant & ante, ſurſum & deorſum conuertant ſeſe in capite Chri

Christo sursum, cœli & beatitudinis præmia pollicentes, deorsum inferni pœna minantes, dextrè & sinistrè, dextra & læua iudicij vltimi; hæque tres partes coëant in vnum Christum, vt coëunt linguæ serpentis sectiones, de quo capite 14. latè, vt illud impleatur Prouerbiorum 8. *sapientia clamitat, & prudentia dat vocem suam.* Sapiens serpens euangelicus, qui eo loci instituitur, vt sit prudens serpens, clamitet, & prudentia det vocẽ suam. Dentes obtinet hoc animans exertos, serratos, minutos, continuos, vncos, cauos, inæquales, distortos, laterales, cineritij coloris, sanguinolentos radice, Aristoteles 2. de historia c. 17. Plinius lib. 11. c. 37. Ælianus libro 5. cap. 31. Galenus de theriaca ad Pisonem, c. 4. Nicander in theriacis, Dioscorides citato loco suprà, Paulus, Ætius propriis capitibus. Ouidius 7. Metamorphoseon; vncis dentibus timendus Draco; serpens hos illicò ostendit & acuit, exerit, cùm tamen non illis petat, lacessatve, imò lingua, ore petat, aculeo, & cuspide induratis tẽporis tractu, iam senio, vt serpentes icunt annuosæ & prudentes, si sat non est, dentes infigat, & firmet, premat dentibus, mordeat, & potentiam ostendat virtutis, & capitis, prudens ille. Linguam reassumptam ore, nullum animal sic vibrat, & mouet, ac serpens, vt eisdem locis est dictum. Lingua ergo primò intra os secretè & cautè mota, 254
non dentibus petat, icere licet prudẽter, & corrigere vitia lingua, & cõsilio, increpãdo priùs linguæ aculeo duplici, vt serpentibus inest, secta, & occulta, vallatáque, non solùm vt reliquis animantibus, molli septo labiorum, primò densiori, dentium posteà, imò & velamine alio gingiuarum exortu, vt linguam secretiorem contineant, prudentioremq; reliquis, & frænatiorem vitent, notam, labem, infamiã prudentia, & si

ſi fiat non fuerit, dentes exerant, oſtentent dentes, acuant,& mordeant, corrigant, increpent, vtantur dentibus,& linguam ad extrà exerant diſertam, qua petant publicè adhuc & extra dentes, non ſub labiis iam & ſecretò, imò,vt veritas ipſa nuda depingitur omni colore,& affectu libera;non ficta,ſed vt eſt nuda, hilaris, riſu perfuſa, expaueſcens nihil, dentibus detectis, dentes exerant integros,incorruptos, quibus ſe exerceant,& minentur vitioſos,corruptoſque homines,feraſq; percutiant,& ſectētur doctrina veritatis,poſtquàm ſeſe agitauerint priùs proprio ſanguine effuſo,vt ſerpētes faciunt,priùs proprium ſanguinem effundentes,quā aliorū dentium motu,dum alios icere tētant,in ſeſe exercent,antequàm petant, & pungant reliquos,non ſecùs duces populi Dei,nudi,omni liberi affectu dentibus exertis cædant, dum priùs ſeſe eiſdem compugerint, & icerint, correxerintque. Quò Gregorius 6.moraliū. *Doctrina cum omni imperio docetur, quando priùs agitur, quam dicatur,nam doctrinæ ſubtrahit fiduciam,quando conſcientia præpedit linguam.* Doctrina ſpiritus nō curioſitatē acuit,ſed,charitatē accēdit; quò ſunt dētes ſerpentium priùs ſibi ſanguinei,& cinericij, rigorem & pœnitentiā denotantes ipſis priùs quàm aliis, vt ex Ariſtotele & aliis tradidimus,& videre eſt in ſerpentium dētibus. Imò radix eorum cineritia eſt & ſanguinea, eſt radix doctrinæ proficuæ,pœnitētia,cinere ſignificata, & ſanguine rigor oſtenſus, vt ſint *dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus* ad vitia profliganda, Pſal. 56. myſticè: quò Seneca 27.epiſtol.*quid faciendum ſit à faciente diſcendum. Cœpit Ieſus facere & docere*; priùs facere,& epiſt.9. *Eum elige doctorem quē magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris.* Quò ſignum antiquis veritatis erat pomum perſicum cum

foliis-

foliis propriis ornatū; habet cordis figuram pomum
illud,& folium linguæ. Quando vero hæc duo, lin-
gua & cor conſentiunt, oritur veritas. Quo Chry-
ſoſtomus ſuper illud, *quæcumque dixerint vobis facite,*
ſic: *Qui fidem prædicant, & infideliter agunt, pacem aliis
dant, & ipſi non habent.* Veritatem,& robur,ſummāque
potentiam capite & cauda,extremis,inquam,& vlti-
mis ſuis partibus poſſidet ſerpens; capite enim mo-
le minimo, & facili fundat latebras quibus occuli-
tur, vt capite terræ adacto ſubeat totus, & euaneſcat
ſubitò, roſtro & ore potentiſſimus,lingua, & denti-
bus; quibus & ſi non infigat morſum, venenum ex-
puit natura actiuiſſimum; icit lingua iam annoſus
& ſenex, cauda ſimul flagella incutit, & blanditur 255
cauda,demulcet,vt fine vltimo, præmium & pœnam
polliceatur, quaſi prudentiſſimum animans. Iuſtum
hieroglyphicon Doctorum Euangelij, quod imi-
tandum ab ipſomet noſtro aſſertore Chriſto nobis
proponitur, ſerpentis ænigmate, quibus robur ſit
ſolùm in capite Chriſto, *hominum & Angelorum caput;*
dixit Paulus 1. ad Corinthios c.11. *Volo vos ſcire quòd
viri caput Chriſtus eſt, caput mulieris vir, caput Chriſti
Deus.* Hoc capite petant, lingua & dentibus, ſer-
mone, & opere, vt duriſſima quæuis ſubire, & pe-
netrare, & conterere poſſint roſtro potentiſſimo,
verbo Dei, omni gladio ancipiti penetrabiliori, di-
xit Paulus ad Hebræos 4. *Viuus eſt enim ſermo Dei,* 256
*& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertin-
gens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum
quoque ac medullarum, & diſcretor cognitionum, & in-
tentionum cordis.* Roſtro ergo, ore proficiant ſerpen-
tes ij oris ſermone, & verbo Dei ancipiti in vtram-
que partem,in præmium & pœnam: potenti lingua,
& dētibus fortiſſimis minētur,correctione & ſuppli-

 cio,

cio, cauda fine, & vltimo; modò blandiétes beatitudinis & gloriæ pollicitatione, modò verberátes morte fine cauda, & vltimo, pœna æterna & inferno, capite & cauda potentibus: extremisq; vitiorum scilicèt, vt hæc ipsa potenter propellant, & profligent, lingántque & sugant venenũ infectorũ, vt serpentes faciũt, dũ in ictos incidunt, & læsos semel, aut in venenosos
257 homines, qui oris, capitísque suctu venenum ad se illiciũt, & trahunt, vt suprà facere diximus, de Psillis & Marsis; quòd veneno illos abundare noscant, odore & halitu spirante, ex Arist. Nicãdro, Plinio & aliis, etsi intereãt illicò, ac venenum reassumunt illi; continuò enim harum partium motu vitiosos succos discedere facit è corde, visceribus venire ad sese serpens, quos trahit, & allicit motu, & exercitio; iis enim exercetur semper partibus, mouetur, agitatur, quò dum parantur esui serpentes, has vt sicciores excrementorum copia abundantes, & calore motu adaucto, vi agendi, & potentia efficaciores iuuet rescindere, Galenus 4. ad Pisonem c. in theriacis, Auicẽna posteà, idẽ & Paulus, Ætius, reliqui, vt mandi possint, vt parentur in cibum hoc modo, aqua, anetho & sale decoctis, priùs amputatis extremis, more anguillarum condimẽto addito, quibus sic paratis securè vtimur, ossibus reiectis, & vitiorum solido. Imò morbos omnes cutis quibus inficimur cõtagione & contactu, pellunt, extirpant, vtilissimi nimis nitrosis partibus,
258 quibus exiccant vitiosos succos, absumúntque. Imò cũm natura tentet pellere humores genitos ex earũ substantia, simul & noxios reliquos emittit, qui detinentur minùs natura ipsa, vt dissimiles, fœdi, & inutiles nutritioni; quo non retinentur, & vi partium pelluntur, tum ventrem expurgant salsuginosa substantia, qua pollent serpentes, detergunt nitroso,

ſo, & calidis abſumunt partibus vitioſam illuuiem humorum, tum aliis frigidis interiora refrigerant, corroborant, temperant, vt ad extrà propellant ſuccos vitioſos, & tetros; eodem loco Galenus docet; & cum illo reliqui, tum Chriſto capite extrahant venenum, corporíſque myſtici vitia, & ſuccos infectos, motu perpetuo Chriſti capitis, Iſaias 53. capite, *Iniquitates noſtras ipſe tulit, & ſcelera noſtra ipſe portauit: Verè languores noſtros ipſe tulit*, ipſe peccata multorum tulit eodem capite. Hoc ergo capite vitia & venenum è viſceribus educant, extrahant, capite noſtri fidei iuſſoris, ſolutoris; imò, Eccleſiaſtici 259
29. *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* ſemel ac venenum noſtrum elinxit, vt liberaret nos. Prouerbiorum 20. *Tolle veſtimentum eius qui fideiuſſor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo.* Eſt Chriſti veſtimentum humanitatis ſciſſum, diruptum, attritum, Iſaiæ 53. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra*, & detractis veſtibus cruci affixus. Serpentes capite ſugant, ad ſe alliciant motu capitis continuo populi vitia, & corruptos mores, Actuum 1. capite. *Surge Petre, occide, & manduca*; cui cùm dixiſſet, immunda, & communia nunquam manducaui, eſt illi dictum, *quæ Deus purificauit, commune ne dixeris*: lauacro paſſionis munda perſiſtunt ſanguine Agni.

De mirabilibus quibuſdam aſtutiæ ſerpentis.

CAPVT XIV.

SVnt tot, tantáque obſtupenda, & mirabilia, in natura ſerpentis contenta, prudentiæ plena, & ſagacitatis, vt multò magis conditus videatur ſer- 260
pens

pens in monimentum hominum, & vt aliis esset exemplum & hieroglyphicon, quàm, vt vna ex speciebus naturæ & generibus rerum quibus hæc vniuersi machina struitur, vniuersum exornaret; & id meritò, vt qui inter omnia animantia erat aliis excidio & ruinæ, veneno & malitia; hic ipse conditione, & moribus illis esset exemplar, & norma, vt nil fabrefactum ab ipso naturæ autore esset, quod & si infimum, & vile nimis in natura haberetur, summam eius sapientiam, immensam maiestatem, & perfectionem non decantaret, cùm in iis adhuc eius bonitas, perfectio, & excellentia splendeat, & reluceat, infimarum adhuc rerum virtutibus, & proprietatibus, ineffabilem eius prouidentiam ostentantia. Hinc Psalmographus, vatésque sacer psalmo 148. cui titulus est Halleluia; cùm inuitasset creaturas omnes decantare summi nostri conditoris laudes, & magnificentias; cùm ab spiritibus & Angelis incepisset, omnésque conuocasset creaturas, tandem reptilia, & serpentes vocat iis. *Laudate Dominum de terra Dracones & omnes abyssi*: & cùm per naturam genera aliquot Draconum alata sint, & non reptent, sed peruolent aëre, subdit; *bestiæ & vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ.* Quibus alæ subnascuntur præter naturæ ordinem aliquando, vt latè suprà, ideo vocat pennatos, cùm sint verè reptiles, vt infrà elucescet; vera reptilia inuocans, infima & abiecta, vt ab iis ipsis discant homines prudentiam & artem decantandi laudes, & præconia suimet factoris vnici, opere ipso, non solùm verbis, vt reliquæ omnes creaturæ actionibus laudãt effectu; & agere. Quò ad formicam adhuc mittimur, vt pigri in virtute eius sedulitatem & diligentiam imitemur, Prouerbiorum 6. iis; *Vade*

ad

ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ in hyemem, & mortem reponit alimentum & escam, & futura quasi considerat. Omnia enim quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt ex Paulo tradidimus tam libro scripto quàm naturæ libro, & historia naturæ facinorum & magnalium Dei, quæ in hoc caput distulimus, ne tædium afferret prolixum, si de iis caput constitueretur. Inter quæ admiratione plenum est, quòd cùm serpens, vt anteà monstrauimus, & si reptile adeò, & reptans sit, recuset maximè, excuset nimis, caput submittere calcaneo, imò icere tentat externus factus, totum periculo exponens, vt caput obseruet, scit enim prudens animal, capite integro discissis reliquis, viuere adhuc posse, saltem vsque ad occasum solis, interire contrà, capite læso & si totum integrum supersit, cauda caput protegit, tuetur, & defendit, sui vltimo fine, & ad finem vsque caput tegit, propugnat vndique. Cognoscit, vt anteà di- 261
ximus, caudam sibi amissam semel renascituram, vt re vera pullulat recissa semel, imò amplior multò latior, & longior; quasi non cauda. Quo in tutelam capitis, hac multari sinit, vt caput obseruet. Sic Aristoteles secundo de partibus 17. capite, à quo Plinius posteà & reliqui accipiunt. Caueant maximè Doctores, caput submittere calcaneo, & rationem affectibus & appetitui, quæ calcanei nomine intelligi monstrauimus anteà, capite 13. & seruæ dominam obseruent; caput Christum Deum, viri & virilitatis nostræ caput, & virum rationem caput appetitus, & fœminæ. Caudam exponant pro capite periculis, fine sui custodiant caput, morte adhuc, cauda, & vltimò, certò sperent & sciant, aliam sibi subnascituram vitam, nouam, immutabilem,

Caudam vitæ, mortem Deo voueant, ſacret, ſerpens, prudens, pro capite exponat: nam amiſſa ſemel orietur alia, longior adeò, vt ſit æterna, latior, extenſior defectura numquam, imò ſubnaſcetur totum, & pullulabit ſolùm caudæ reſciſione, immortale, æternum ſeminabitur, quaſi vt renaſcatur iterum. Paulus ad Corinthios 1. 15. capite. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Leuitici 3. & 7. caudam ani-
262 mantium expetiuit Deus, & adoleri iuſſit. Cauda ergo caput tegi debet, propugnari, & obtegi, Doctores ſacri, prudentes, ſerpentes cauda arripiant, vt caput obtegatur & ſeruetur, non aliò, ne ſerpentis capitis impediatur motus. Hinc Exodi 4. iuſſit Deus Moſi virgam magiſtratus in ſerpentem verſam, ſimul ac è manibus decidit, ſemel ac remiſit, cauda apprehendere, non capite; capite enim arreptus ſerpẽs, & appenſus, eſt leuior multò, facilior, celerior, cauda penſus oneroſior, moleſtior, grauior, impetu capitis facto, neque enim pendet cauda è capite arreptus; vt caput pondere trahat leuior illa, at caput trahit caudam illa grauius. Vt ergo virgæ acceptæ ſerpentem, laborem, onus ſibi impoſitum intelligeret Moſes, cauda apprehendere iuſſit, non alio, & vt caput cauda tutandum eſſe intelligeret, & demùm morte adhuc protegendum, & cauda mortis, maximéque vigilandum eſſe iis qui publicæ conſulunt vtilitati; nam arreptus ſerpens capite, ſecurè & impunè tractatur, capite immoto apprehenſo ſemel, quò icere nequit, at cauda appẽſus, vt pote capite libero, expedito, & incerto, petere poteſt qua velit ille, quò nimis

nimis vigilanter viuere licet iis qui officio publico indulgent, ac si dum virgam iustitiæ continent, serpentem cauda pendētem sustinerent, illicò ac Moses virgam à se proiecit, serpens euasit, posteà cauda acceptus, quid illi ex officio impenderet, dignouit; virga enim iustitiæ, si manibus decidat, aut negligēter tractetur, illicò serpens emergit. Ieremias 1. dum sciscitaretur quid videret, respondit. *Virgam vigilan-* 263
tem ego video. Virgam Dei video, quæ visitabit nostras, vigiléntne, an dormiant, cum illa iugiter & perpetuò vigilet, quà sunt & nostræ regulandæ & examinandæ, sintne rectæ, vt virgis decet, an obliquæ, quantúmque rectitudinis habeant metiendæ illa, quò posteà inualuit hieroglyphicon vigilantiæ, iustitiæ, imperij, & officij constituere, sceptro oculo superimposito, vt rectitudine sceptri, & oculi aperti, vigilia iustitia commendaretur: quæ est ad literam virga vigilans Isaiæ; Velit Deus, ne virga hæc Aaron, & sacerdotis summi Christi, absumat, & deuoret nostras, vt maleficorum virgas deuorauit. Gliscit Exodi 7. Nullum est enim in natura animans cuius pinguedo aut adeps emollescat adeo, humectet, lubricet, substantiam omnem præcipuè ligneam, ac serpentis caudæ adeps, Aristoteles 4. de partibus capite 1. & 3. capite 4. Plinius libro 29. capite 6. lingua enim alioqui rigida, constantia, inflexibilia, reddit mollia, & ductilia facilè, vt norunt optimè fabri lignarij, & illi quibus ex officio impendet magistratuum virgas polire, & absoluere, quas cùm omninò leues, inconstantes, lubricas, faciles adstruant iam, vt quasi manus fugiant, decidant, resiliant facilè, inconstantes, & ductiles, cedentes omnibus, vt modò virgis ipsis datur intelligi attentè consideratis, adhuc vltrà anguina pingue

pinguedine illiniunt, & infarciunt, vt emollescant, & minùs constent, faciliúsque quoquouersùs ducantur, & voluantur in commodum cuiusuis, & non secùs huc & illuc euertantur, ac si dormitasset iustitia; debiles imò, vt quouis pondere appenso, illuc virga inclinetur facilè, rigida quæ constare deberet, dormitet quasi, tremulo capitis motu, vt reuerentiam quasi præstet emptori, remuneratoríque, serpentis adipe oblinita semel, non minùs serpens huic iustitiæ arbori, & ligno inuoluitur, plicatur, quàm mali & boni scientiæ ligno, quo seduxit patres, cùm Apocalypsis 1. sit dictum, & alibi iudicibus: *Reges eos in virga ferrea*, non facili, leui, flexili, aut lubrica, imò constanti & aspera, ferrea, non emollita adipe serpentis, ocio, desidia, &
264 pinguedine. Crescunt ocio pinguedo, & adeps. Iob. 21. de his & serpente. *Viscera eius plena sunt adipe:* confusa, indistincta; de affluentia impiorum sermonem texens, de pinguibus reipublicæ, & obesis, qui sanguine pauperum pinguescunt, hirudines facti, & sanguisugæ, reipublicæ lien, qui vniuersam populi humiditatem exugunt, quò motus reipublicæ iustos impediunt, hydropici quasi, Psalmo 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas*; ex affluentia, otio, pinguedine; subdit, *& in affectum cordis pertransierunt.* quasi naturam & rationem cum affectibus commutarint & passionibus appetitus; imò pingues in affectus cordis incidunt, passiones & morbos, cordis motibus impeditis pinguedine, & adipe onusti, & graues, corporis & naturæ propriæ baiuli, & operarij. Pulsus enim & cordis motus retardant pingues, adipis onere suffocato corde, oppresso onustis arteriis; quò pulsus adsunt debiles, parui, inconstantes; corripiútur syncope, & præcipiti virium vitæ lapsu, suffocatio

cationis periculum imminet, impeditus animalis motus, vt tandem in morbos & cordis affectus pertranseant. Docet Galenus 4. de causis pulsuum, per 265
plura capita. Serpens omnis, reditu solis à solstitiis subæquinoctiis, accessu astri vere, & autumno, sese exuit senecta, spoliaturq; vestis antiquæ, pręterquàm Scytalis dictus serpens, qui solus in ea omni horum animantium natura, media hyeme exuuias deponit; est enim eo tempore senecta scytalæ, frigoris inclementiis vtilissima, vt Nicāder in theriacis docuit, iis. confert enim baculus talis, pelli scytalis circumuolutus, male valentibus frigore, cùm videlicèt in manibus iners torpedo, intensa frigiditate, domitis orbata fuerit, tum enim demissos neruorum nexus calefacit, expenditque. Lucanus lib. 9. *Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuuias positura suas.* Antiquitùs rustici homines baculos sambucinos inuestiebant senecta huius animantis, hyeme deposita, ne manus torperent frigore nimio, attritu incalescentes baculi, spoliis inuestiti scytalis prudentissimi serpentis, exuentis se, quando maior vrget necessitas suorum spoliorum, non anteà. Dictus scytalis, quia occultus, & abditus latet, vt eodem loco Nicander refert; quò dicebantur antiquis Scytalæ literæ, laconicis, vt adagio dicimus, quòd è regione Scythia ænigmata & occultæ literæ, zifræ vulgò dimanarint; docet Gellius libro 17. capite 9. Solem reliqui spectant serpentes, quò cutis generetur nitida, & quasi renascā- 266
tur denuò, fulgentes, lucidi, nitentes, nouique & alteri; ne motū vitiosa, sicca, hærentia, & aspera, & inæqualia, impediant spolia, imò iuuent lubrica, lenia, resilientia, & noua. Incipit à capite exui serpens, ad caudam vsque, vt recedant vetera, & noua sint omnia: oculos nouos adhuc nactus, antiquos relegat se-

ſenectæ, quaſi denuò ortus;ad petram deponit exuuias, & ad radicem fæniculi oculis vtiliſſimam,quibus gaudet ſummopere.occultiſſimis nudatur locis, ne ſpolia de nouo orta, mollia, & tenera lædantur occurſu inſectilium animãtium, vt noxia vitet. Tum ne lacerentur, ſi fuga opus fuerit, abdita quærit, vt inueniatur minùs, latitat exutus ſemel, vſque dum cutis concreſcit ſolis, & caloris ope, induratur, & perficitur; tota hyeme latet, ſecretus, ſepultus terra, abſtinet à cibis, priuſquàm amittat ſenectam & abiiciat, potúque ſimul,maceratus anteà, aggreditur exuere ſe, expectat ſolem, qui exiccet,decorticet cutem, & ſe paret, exiccata enim & macerata cutis faciliùs ſecernitur, quàm cibis humida, & potu glutinoſa & hæreſcens. Prudentiſſimè ergo,vt ſeſe exuat, ſeſe abſtinet; imò terræ linctu, eo tempore vtitur, humi ſtratus, quaſi emortuus ſerpens, ſine ſenſu; in extaſi raptus,& abſorptus. nec ſi concrectetur manibus,mouetur ille, mutaturve eo tempore; ridigiſsimum pœnitentiæ exemplum: expectans ſeſe exuere & diſſolui, quaſi ab exuuiis corruptis: Terra vſus eo tempore, vt frigore & ſiccitate quibus pollet, vitioſa excrementa corrigat, & putredini obnoxia, emendetque, ne putreſcant intùs, frigore temperato calore, & ſicco humido, ne calore & humore putreſcant alterata ſemel, quibus vniuerſa putreſcunt; iuxta Ariſt. 4. meteororum cap.1. quæ vitat prudenter terræ linctu & pulueris eſu, tempore rigido.Ariſtoteles 8. de hiſtoria capite 17. & 2. capite 17. Plinius lib. 8. capite 27. Ælianus lib. 9.cap.21.23. 29. Geneſeos 3. capite, *terram comedes*, ſerpenti dicitur; Iſaiæ 63. & Baruc 6. capite,vt latè
267 ſuprà ex Galeno,& aliis. Sunt hæc omnia myſteriis & arcanis plena,exemplo, doctrina, & prudentia

ſerpen

ſerpentis imitanda. Vt exuat homo veterem hominem, vt exuat ſeſe, ſolis iuſtitiæ reditu, quo hominem gratia efformare venit, ſole ad æquinoctium redeunte æquinoctio, & æqualitate, dum reditu calefacit iterum, inſtigat & pulſat oſtium, gratia veris tempore, florum ſpei gloriæ, & autumno tempore fructus charitatis feruore maturi, ad radicem fæniculi, oculis vtiliſſimam fidei, ad fidem radicem, vt ſpe florum, charitate fructus, & fidei viſu, ad petram ſeſe exuat ſerpeas, ſpoliet, nudet corruptam ſenectam, *Petra autem erat Chriſtus*, Paulus 1. ad Corinthios 10. *In foraminibus petræ quaſi columba mitis*, Canticorum 2. capite, *qui ſerpens erat renaſcatur denuò ad radicem crucis, paſſionis ſcilicet, vt ſit columba & renaſcatur iterum nudans ſeſe in foraminibus petræ*, percurrens crucis foramina Chriſti, amittatque ſpolia antiqua mortis & dæmonis, impedientia motus, & motionem ſpiritus; actiones, & opera, macerato priùs pœnitentia & ieiunio ſerpente, abſtinentia rerũ ſub æquinoctio verno legis gratiæ, aut ſub autũnali æquinoctio. Dum ſol ingreditur ſignum Arietis agni, dum eſt agnus, ſol Chriſtus manſuetus, mollis, blandus, imbellis, mitis. Antequàm iudex rigidus, implacabilis, omnia ſubuertat tremebundus, iratus; Iſaiæ 53. *Quaſi agnus coram tõdente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sole ergo ſub agni verno æquinoctio exuatur ſerpẽs, & ſub ſigno agni legalis quo eſt paſſus Chriſtus agnus, eo ſaltẽ tẽpore quadrageſimæ ſpoliet ſe, vt induat armaturam Dei homo, aut ſub æquinoctio autumni, cùm ſol illuſtrat virginem, quod eſt tempus acceptabile; fructus vt autumno fructus ſalubres veniunt, ſalutares, perfecti, fructus tempore, lege gratiæ, non ſolùm florum tẽpore, ſub ſigno

virginis Deiparæ, quod ſol ingreditur autumnali æquinoctio. Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium.*
268 Sub hoc ſigno virginis exuamur, cui commiſſa eſt ab antiquis ſtatera iuſtitiæ, virgini aſtręæ dictæ, & virgini noſtræ, commiſſa iuſtitia ipſa, Chriſto nato, & ſole orto de virgine, exuamur imitantes prudentiſſimos ſerpentes. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.* Vt verò ſpoliemur nos, maceremur priùs pœnitentia & ieiunio, extaſi, orationis raptu, contemplatione, ſpolia areſcant antiqua, & arefacta deſidant, ſolis actione, depoſita iam, quò alia iterum ſubnaſcantur nitida, & fulgentia; reneſcamur & permutemur æquinoctio agni, iuſtitiæ fructus, & gratiæ, æquinoctio, ne aſperaq; ſenecta, hæreſcens, aſpera motus impediat animãtis, iuſtos, venientes è Chriſto capite, medio ſpiritu ſenſus, & motus ſpiritus Dei. Terram lingant ſerpentes ij, vtantur puluere ſolo, linctu, hunc ſolùm extrahant, non terra, puluerẽ iudicent terrena omnia, ſint quaſi ſine ſenſu ad reliqua, humi ſtrati, pœnitentia, & orti denuò renati, & alti, ſolis ope illuſtres, euadãt nitidi & fulgentes, ſecuri, certi, pſalmo 70. Pſalmographus ſacer ſic: *Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua Domine; & vſque in ſenectam & ſenium: ne derelinquas me.*
269 Docuiſti me à iuuentute mea vſque in ſenectam, qualiter reiuueneſcam, renaſcárque vſque in ſenectam depoſitam, & ſenium, à iuuentute, & ortu quo deponitur & abiicitur illa. Incipit ab occulis exui, & capite à Chriſto, per fidem collyrij feniculi, inunctus priùs oculis vtiliſſimi, Apocalypſis 3. capite, *Collyrio inunge oculos tuos vt videas.* Fidei ſcilicet, quæ vt feniculum viſum acuit, docuit Ariſtoteles locis adductis, & Galenus, & Dioſcorides, capite de feniculo,

culo, & alij. Potẽtioribus animãtibus blãditur, lingit ſuperiora, inferiora adoritur, & cędit, icit; ieiunum hominem timet, & pertimeſcit nudum, triſtẽ, querulum, plenum expetit, inſilit veſtitum, mollem, hilarem, placidum canentem, pſallentem, ieiunus ſerpens acriùs pungit, deterioris eſt morſus, ſi plenum 170
& pranſum petat, lædit impenſiùs ipſum. Ieiuni ſaliua hominis exitio eſt ſerpentibus, venenum, & virus. Imò & homini ipſi nocet ſuum famelicum ſputum, ſi deglutiat ieiunus venenum argenti viui; retũdimus ſputo ieiuno, vt virus viru hebetetur, & reprimatur. Ariſtoteles 8. de partibus capite 19. Plinius lib. 7. c. 2. Ælianus citatis locis, & cum iis reliqui. Imò docet Plinius, lib. 28. capite 4. & libro 28. cap. 3. 2. 7. pſyllos & marſos non peti ſerpẽtibus, imò ſerpentes eorundem ſaliua torpeſcere & conſopiri, emori quaſi, hoſque filios ſerpentibus committere, vt dubiam prolem explorent, ſintne filij adulterini, 171
an legitimi, dum timent de alienigenis maximè; & ſi de indigenis minimè. Iudicãt eos omnes pudicos, quibus blandiuntur ſerpentes, & proprios vocant, ſi impetantur illis, alienos. Quò Herodotus libro 4. exemplo Atir ſic cecinit: *Nec non ſerpentes diro exarmare veneno Doctus Atir ſomnoque graui ſopire chelidros; Ac dubiam admotam ſobolem explorare Ceraſte.* Plutarchus, idem Lucanus libro 9. Gellius 16. libro capite 11. Crinitus libro 1. capite 3. de Pſillis & Marſis idem docent. Qui Pſilli dicebantur à Pſillo Libyæ rege apud Garammatas, Marſi verò à Marſe Circis filio, qui à Marſis Scythiæ populis nomen accepit, vt docet Stephanus, tum Herodotus libro quarto citato, iis tantam adeſſe potentiam contra ſerpentium ictus edocet, vt ſudore & ſaliua eoſdem interficerent, & cõſopirẽt: Ophiogenis etiam

hanc inesse virtutem incolis Cypri iidem referunt authores plurimi, vt saluatores vulgò dicti; hac gratia pollent modò apud nos, & nescio quibus verbis Diui Pauli orationem vocant, Rhodij serpentes superant, vsque modo terros, adhuc vulgaribus notissimum ibi. Suntque hæc nacta maiorem fidem ex Agone legato Psillo, Romæ à consulibus in dolium serpentium concluso exposcente illo, vt fidem suæ potentiæ adhiberent Romani, qui superstes euasit, vt miraculum præberet non leue, examen, & discrimen subiens arbitrio. Iis commendatur maximè obedientia subditor, & maiorum politia, & gubernatio, correctio, increpatio, ordo. Veneramur, prosequimur maiores, illis obedimus, obtemperamus, subditos corrigimus, hortamur, instruimus, etsi opus est, petimus, cædimus, vt licet, prudentiam serpentium imitantes, suasores sacri euangelici, modò blandiantur maioribus, superioribus potentibus, modò increpent minores, inferiores, subditos, consulentes, corrigentes, imperantes, vt modò superiores, inferiores modò, iustam ministerij sacri lancem adæquent: non secus, atque Eliseus ille, qui maior erat,
272 & duplex spiritu. Regum 4.2. capite, incuruauit se, arctauitque, vt puerum æquaret. 8. capite eiusdem, vt modo maior, modò minor debitam nancisceretur magnitudinem. Commendatur ergo maximè obedientia, natura serpentium, potentia & imperium, prouidentia, & prudentia. Augustinus de opere monachorum sic: *Quid iniquius, quàm velle sibi obtemperari à minoribus*, & nolle obtemperare maioribus. 1. Regum 15. Samuel sic: *nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quàm victimæ & ausculare, quàm offerre adipem arietum.* Gregorius libro

libro 35. moralium, hæc explicans inquit: *Obedientia meritò victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Bernardus, de præcepto & diſpenſatione, tractatu: *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, nec contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi motum, non conſiderans in infinitam libertatem extenditur. Eſt tandem obediens exceſſu virtutis, quaſi imperans ſibi, & non ſubditus, ſui iuris, & non alieni; dum negat ſuum eſſe, ſed committitur alteri prudenter.* Vt ergo ſerpentes maiores venerantur, & blandiuntur, ſic legis ſuaſores ſuadeant, obedientes, blandientes, miniſtrantes, vt Chriſtus ſuaſit Apoſtolos, lotione pedum, vt quemadmodum & ille fecit, ita & illi faciant, Ioannis 13. cap. Sintque fortes Pſylli, ophiogeni, & Marſi, quorum fida & certa ſoboles non impetatur ſerpentibus, fœtus & conceptus opera pudica, ſoboles ſecùs adultera, iis exterminetur, & extirpetur. Sapientiæ 3. *Filij autem adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.* Exploratione facta ſerpentibus iis, vitiorum & ſcelerum veneno inficientur, vt obeant crudeliter. Prouerbiorum 6. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* Infecto corde ſerpentium veneno, dum examinatur, proleſne ſit adultera, an pudica. Refert 273
Plinius lib. 7. capite 22. & libro 22. capite 21. ſerpentes læſos ſemel, non petere ampliùs quos ſemel icêre, nec vltrà pungere. tum inferiores veneno ſerpentes, ſi à potentioribus percutiantur, petere nunquam amplius, imò & fugere, odioque habere ſimiles ſibi, aut maiores viru & potentia, reſpueréque eos, quos ſemel veneno infeciſſe, qualitate ex-

pirante, & ſpiritu tetro ad externa humoribus miſta latenter abdita, etiamſi euaſerit homo veneni noxam, quo nec ſerpens laceſſit ſerpentem, nec læſum, laceſſitumve ſemel iterum pungit. potentiori percuſſos ſerpente nunquam inferior adoritur, aut cædit. Pungat ergo Chriſtus ſemel, icat, corripiat, ſerpens maior ſerpente dæmone: eſt Chriſtus ſerpens, Numerorum 22. Ioannis 12. capite 3. *Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic oportet exaltari filium hominis.* Serpens eſt Dæmon, Ioannis Apocalyp. 12. & 22. *Dæmon ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus.* Chriſtus ergo ſerpens icat, vt ſerpens antiquus icere non poſſit, minor Chriſto potentia, & viribus inferior, ſuperatus imò iam, & victus, illo conuictus,
274 potentiſſimo ſerpente Chriſto. Vincant ſerpentem ſerpentes euangelici, potentiores, verbo & opere, ſerpente dæmone, peccato, quibus data eſt calcandi ſerpentes potentia, Luc. 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Serpēte Chriſto puncti ſemel, dæmone ſuperiores. Si ſerpens araneo ſuo filo appenſo occiditur, docet Plinius libro 75. capite 10. quis pertimeſcet animal araneo ſuperatum, & ſubditum; araneo iam occiſum? Chriſto appenſo cruci, vermiculo hoc reputato *opprobrium hominum & abiectio plebis,* qui virentem Dæmonis erosit hederam, nocte mortis vna, Ionæ 4. capite. Ergo prudentes ſicut ſerpentes. Vbi opus eſt, ibi petant multoties. Semel enim læſum, non eſt opus pungere ampliùs, ſi cor ictus ſuſtinuit, quò pungant alios, eos quibus eſt opus, vt icant, laceſſant, vniti nimis, laceſſant, vniti inter ſeſe, vitia exitrpent, non ſe pugnant, vt ſerpentes confœderati, & iuncti, qui inter omnia animantia plus aliis omnibus multò coniunguntur,

&

& confœderantur, vt latè 2. capite patet, vniti in Christo serpente infinitæ virtutis & potentiæ, icant, pungant, compungant alios; prudentia & doctrina. Inter omnia verò quæ magis prudentiam serpentis commendare videntur, est illud vnum quod refert Plinius lib.28.capite 3.Nullum animal sic alteri vniri, aut hærere, ac serpens serpenti, adeò vt corpora duo cùm sint, corpus vnum biceps appareat, dum complicantur.Arist.1. de Generatione capite 7. Plinius lib.8.capite vltimo, Perotus epigramate 21. docent, in Æthiopia complicari adeo, & adhærescere inuicem, vt montes altissimi protuberent, eisdem plicatis,& irretitis,intertextisque, caudis complicatis, hiantibus oris, in hostes & inimica animantia, quibus muniti,ab iniuriis aduersariorum tuentur se, & sobolem in medio reclusam, priùs vndique insuperabiles, quorum morsus serpentes non petere diximus anteà.In Syria indigenas non icere, aut lacessere incolas vult Arist.8.de histor. cap.4.Plinius lib. 22.capite 21. hosque si debiles educant fœtus, oua commiscentes, semina subigere & iniungere, vt fortissimi pullulent serpentes,orianturque maximi;oua inutilia deuorant, absumunt, & vtilia adhuc fame, & penuria; quæ hoc anno excubant, sequenti educunt terra,conuolutis ouis eo omni tempore.Consulit assertor noster Christus legatis legis, iis maximè æmulari serpentes, vt sint vnum in charitate, & vinculo pacis, qui vt populum instruant, misceant doctrinam doctrinæ,vt fœtus educant fortes, commisceant oua, & salutis semina, hiantibus oris,Scripturæ verbis,caudis irretitis, exercentibus caudis,labore assiduo,pœnitentię doloribus,& blandimentis; dum fuerit opus, sobolem & prolem, fœtus tueantur,& propugnent; vitia aduena lacessant, petant,

75 nostræ naturæ, inimica aduena contraria; Ecclesiastes 7. *Creauit Deus hominem rectum, ipse autem immiscuit se infinitis ferè quæstionibus.* Sunt enim magis ad modum naturæ, pietas, religio, innocẽtia, integritas, & si diuinitùs impertiantur, quã peccata & vitia; cohæret enim positiuũ positiuo magis, quàm priuatiuũ positiuo. Petant ergo, discerpãt vitia aduena, seruẽt, tueãtur virtutes incolas, augeãt, & conseruẽt adacti in vnum, sobolem, in cẽtro Deo cõstitutam, locatam obseruent, ad Ephesios 4. *Sollicitiseruare fidem in vinculo pacis*, fiant vnum caput biceps, Christo Deo parnasso sapientiæ, bicipiti Christo humanitatis & diuinitatis capite pollens, eiusque pars mystica Christicola. 1. ad Corinthios 11. *Caput viri Christus, caput Christi Deus*, vt fortissimos educant fætus, & validissimam sobolem.

De mystico significatu quorundam quæ ad prudentiam serpentis spectare videntur.

CAPVT XV.

MVlta occulta satis, & abdita naturæ huius animantis obstupenda, & rara doctrinæ, & sapientiæ plena, imitanda in medium protulimus, quibus & literales sensus Scripturæ sacræ elucescant, vbi de iis incidat sermo, & fundentur tropologici plures, moralésque & allegorici, figurati alij, vt homines imitentur, sequantúrque opere serpentes, eosque æmulentur, vt noster assertor renuntiauit Christus, quò mysticè adhuc, & quædam eorundem animantium virtutes, proprietatésque excellentes, & claræ, ex abditissima eorundem natura, decerpere libuit, antequam lubricissimum na-

tura

tura animans, vltimam nostram subterfugeret manum. Cuius est illud obstupendum satis, ex terræ cauernis, latibulis, & subterraneis domibus, nullo 267
alio faciliùs educi posse, ac manu læua, quàm impetit, commissam semel, nescio quo instinctu, qua duce natura, aut arte, despecta dextra, si millies offeratur, & cõmittatur illi. Cor enim, & si mediũ pectoris teneat, quod dissectionibus patet, docet Aristoteles 2. de historia, capite 16. Galenus de vsu partiũ lib. 7. cap. 3. & 6. de placitis Hipocratis, & Platonis capite 8. plus tamen ad sinistram vergit, anteriora versus, ad superna magis, vt nobilior ei quantum fieri possit adscriberetur locus, tutior, & aptior, & vt meliùs tueretur latere dextro, cor, in sinistro appositum, cui latus dextrum tutelæ est, à quo motus & robur; insunt enim dextro lateri impetus motus, est motus à dextris nobis in tutelam sinistræ, etsi ex corde originetur motus. Hunc situm omnibus inesse animantibus cordis, præterquàm serpentibus, eisdem locis, eisdem autoribus inuenies; quibus cor ad superiora vergit, & ad posteriora declinat, vt diximus anteà, reliquis cor medias tenet, & locatur, vt diximus, ad sinistram vergit cuspide, vt illius partis compensetur frigus vicinia cordis, motúque incalescat pulsus, regeneratione spirituum vitalium, quæ destituta animali motu, intenso adeò vt habet dextra refrigeratur. Mucrone cor superiora petit, vt organa sensuum calore foueat, quæ locantur sursum in capite, vbi omnes resident sensus, quotquot insunt animãti, vt eodẽ loci Aristoteles refert; Hinc cordi remedia aptamus parte sinistra, tum hanc minùs periculis committimus & seruamus magis; clypeis, peltis, vmbonibus, parmulis, & aliis eiusmodi, applicitis huic eidem parti, quam tueri nitimur: hac cor declinat

cuspi

cuſpide,& ſiniſtro ventriculo referto ſpiritibus, vitæ,copioſo & viuifico halitu, calore,vita, & potentia, dextro excellentior; docuit Galenus 7. de vſu partium,capite.3.6.de placitis,capite 8.Hinc minùs
277 elongamus brachium ſiniſtrum à nobis,obſeruantes naturam:porrigimus minùs, ne cor deſeramus, ne frigeſcat,brachio diſſito & eo vtimur minùs. Hinc ambidextri & ſcæui aut ſiniſtri, ſunt corde frigidiores,timidioréſque, ideo & animoſi minùs, vt pote qui cor refrigerent brachij ſiniſtri extenſione, & porrectione, quò ſubit aër diſtracto ſemel. Hinc pars ſiniſtra vulgo dicta, eſt altior, nobilior, excellentior,eſt reuera dextra,cordis ſitu,poſitione, cordata pars,cordis ſedes,domicilium,& locus: Petrus Bullis Pontificiis, Eccleſiæ caput, ſiniſtram vulgò dictam tenet partem, re vera dextram, & Paulus quam vulgus iudicat dextram;hinc Virgo Dei genitrix ſiniſtram,reuerà dextrã filij, & crucis tenet partem,& cordis latus,& Ioannes aliam plurimis antiquiſſimis Eccleſiis, vt eſt videre modo, & Chaſſaneus refert Catalogo gloriæ mundi.
278 Hinc lex gratiæ Euangelium ſacrum ad ſiniſtram hanc referunt,quò prætores,iudices,rectores,præfecti,nobiles, ad ſiniſtram hanc ſedent,templis,delubris,Abbates, Prælati,maiores,locis ſacris,Deus ad ſiniſtram iuſtorum eſt, cordi aſſidet,nam iuſti ad dextram, hanc poſſident fœlices, ſtabiles. Quò dicitur Prouerbio. 3. *Longitudo dierum in dextera eius,& in ſiniſtra illius diuitiæ,& gloria.* Longitudo dierum æternitas, duratio iuſtorum in dextra;locãtur enim ad dextram, cuius eſt robur, & impetus;quo ſignificatur duratio, at diuitiæ & gloria in ſiniſtra, Deus, Dei viſio cordis ſunt, & ideo ſiniſtræ, & cordis, vbi cor reſidet. Quò patet locus ille; *Dixit Dominus Domino meo, ſede*

de à dextris meis. Psal. 109. Pater enim Filium Deum locum ad dextram, & locum filij exponit: quò Patrē sinistram Filij obtinere constat eo loci; nam Flius ad dextram est Patris; Est ergo Pater ad sinistram filij; at infrà eodem psalmo sic: *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ reges.* Vbi Filio dicitur, Patrem confringere Reges, & Principes à dextris Filij, cùm tamen Pater ad sinistrā Filij constitueretur priùs eodem Psalmo, nam Filius ad dextram Patris erat, & Pater ad sinistram. Vocauit enim dextram priùs 279
more hominum, quam dextram vocamus, à qua motus loci dexterè oriuntur sensibiliores magis: at posteà iuxta naturæ animantium modum appellauit dextrā propinquiorem cordi, quę est dextra, & dextera re vera, & natura, cordis positione, & situ cortis, vicinia, præpositione, & dignitate, actionibus, virtute, & potentia. Hac enim dexteræ fiunt perfectiores actiones, sensus, & nutritiuæ animæ alentis, corde agente, vbi hæc omnia resident vt in fonte, & radice, vt in vitæ principio, est cor cētrum & origo virtutum omnium, in quod vt in finē, & cētrum tendunt opera cognitionis, naturæ, & localis animantis motus à corde incipit, vt à radice; & si exequatur dextris, virtute accepta in corde, terminātur actiones omnes, si incipiat alio, perficitur ibi sanguis, & si incipiat ab epate, in quo rubescit primò: Dextrum enim à dexteritate dicitur, à præstantia agendi, à peritia, & excellentia operum; quo in genere dexteritas dicitur & dextrū, à quo est actio perfectiùs, & à quo est illa præstātior, & si specie dextrū vocetur pars loci motus, qua exequitur ille, & cùm sit cor omnium origo virtutum, & operum, est dextra verè pars, cui assidet illud quo solùm est dextrum, in omni viuēti, cor aut respondēs cordi, proportionaleve,

&

& ſi antè, & retrò, deorſum, & ſurſum; ſiniſtrum & dextrum, ſeparentur partibus, exequutione agendi, non tamen principio; initio, non termino & fine, ſunt verò in parte ſiniſtra perfectiora omnia, actionéſque præſtantiores. Hinc pulſus, in ſiniſtra ceſſant tardiùs dextra, dum animal emoritur, & in vitiis cordis compatitur anteà ſiniſtra pars. Hinc annularis digitus partis ſiniſtræ, tot obtinet naturæ dotes, virtutes actiones, ob cor-
280 dis commercium, vt antiquitùs illo ſolum potiones commouerent medici propinandas ægrotis. Hinc dextrum latus offerimus iis quos veneramur, & colimus, vt ſimus cordi eorum viciniores, & propinquiores, vt cor beneuolentiamque captemus, ſtum etiam cum parte dextra exequamur motum, illum quem proſequimur obſeruatione, inuitamus dextra, ac ſi velimus ſubditi, & humiles imperio alterius moliri actiones, prout cor imperauerit, & diſpoſuerit, alterius quem obſequimur cultu, & cui vnimur poſitu, cuius cordi adiungimur; quod expetit ab homine Deus, amat, & diligit, & iuſtos ad dextram prædeſtinauit, vt cordi iuſtorum aſſideat: ſponſa Canticorum 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cordi ſpõſi ſponſa aſſidet, læuæ, vt dextera gubernetur, & Eccleſia, & fidelis, & piiſſima Virgo. & cùm iuſti dextrã obtineant, Deiiuſtiſſima ſponſa, & ſi ad læuã more hominum collocetur, tamen dextera eſt re vera natura & corde, & dextera amplexatur illam. Dicta dextra, nil enim in Deo ſiniſtrum eſt. ſunt omnia dexrra Deo, & iuſtis, vt omnia ſiniſtra & præpoſtera, nilque dextrum iniuſtis, & peccatoribus, ideò vocat læuum & dextrum, more hominum, dextrum re verà, & vulgò, vbi nullum eſt ſiniſtrum, ſed dextra omnia. Hinc

Pater est ad dextram Filij, & filius ad dexteram Patris simul; duratione æterna, vt erat in principio, & nũc, & semper. Obstupescat, & sileat natura omnis, 281
imò miretúrque, Christum omnium factorem Deũ, qui tulit lancea dextro latere perforari, vt dum hominem strictissimis teneret amplexibus, dextrum latus sinistro & cordi hominis applicaret, vt patet positione, & situ; dextra sinistris, & sinistra dextris cùm aptemus amplexibus; exiuitque ideo sanguis & aqua, confosso latere, vt sanguine alimentum, aqua lauacrum significaretur, vitæ integritas & mundities, cibus sanguinis, & potus aquę, vt nil deesset hominibus; iã intelligeretur quò minùs viuere possent cibo, & potu apposito. Sanguis venis continebatur, qui dirupto latere fluxit, aqua vitali cauitate in pectoris ambitu, vbi cor continetur, quo dirupto fluxit, sudore sanguinis prægresso priùs, Lucæ 21. capite, *Exiuit tenue sanguinis* alimentum naturæ calore, anxietate tenuatum, vigiliis, solicitudinibus, mœrore, & tristitia, anxietatibus extenuatum nimis, sub forma sanguinis, sudore erupit tenuatus; solus, sine aqua, quo friguit cor, & vicinia cordis, perfriguere, ideò, vt posteà ascendentes halitus calore & incendio, tandem restinctis æstibus, defectu sanguinis, sudore amissi & exoluti, in aquam mutarentur; quò 282
fluxit aqua confosso pectore, ea fuit anxietatis, & angustiæ, agoniæque potentia, lauacrum, alimentum & potus fluxere miraculo, hac prægressa dispositione priùs, emortuo Deo. Mortuis enim congelatus sanguis non fluit, neque ea ex parte aqua natura. Priùs exudauerat sanguis, mortem significans, sanguinis effusione, quasi non esset sibi opus alimento, morti vicinum. Vt notaretur, si aqua deesset, amoris incendio cor Christi conflagrasset, charitatis igne;

quò

quò fuit opus aqua, vt temperaret, corrigeret æſtus, vſque ad ſtatutum tempus, vt non anteà interiret, quàm interire decreuerat. Quo cæpit lauacro oculos abſtergere illicò inimicorum adhuc, aqua; & reficere ſanguine, alimento, aqua regenitos Baptiſmi, & lauacri; quos ſanguine alit, in lege gratiæ viros perfectos indicans, Euchariſtiæ ſymbolum, generationis, & vitæ hieroglyphicon, ortus & alimenti viuentis figura aptiſſima; Vbi & ſacramenta omnia, iis duobus explicitè, & conſequenter ſignificantur, regeneratione, vitæ alimento, & morituris neceſſaria inunctione, & ſalutis corporalis adhuc, quibus hominem muniuit Deus contra ictus ſerpentium; qui cùm petat cor, fulciuit ſiniſtram, vallauit, & ſepiuit, qua ſerpens antiquus extrahendus erat, cùm hac petat ille, & adoriatur læuam, & cordis ſedem. Hanc hiat cor inficere, tentat neglectis aliis, quo læuam aggreditur; cùm hac ſit aditus, & via in cor facilior, & certior, Eccleſiaſtes 10. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* In ſerpentis via ſcilicèt eſt cor ſtulti, qua petit ſerpens, & dæmon mediis in occaſionibus, ſtulti cor; ſapientis in dextra, dexterè mouetur, & alio quam venit ſerpens. Hinc fortiſſima Iudith. 16. cùm cor in dextra obtineret, læuam commiſit Holoferni, vt cor obtuliſſe ratus, eo aggrederetur, vt decepto illo, & illuſo, ſerpentem extraheret de populo Dei, ibidem dicitur, nunquam ſatis celebrata fœmina: quo ibidem dicitur, manu læua caput
283 obtinuit, & dextra amputauit caput: iuſti ſerpentem eludunt, & decipiunt, qui cum ſint ad dexteram Dei, & ideo in dextro cor habeant in Deo, & in Dei dextris, læuam ſerpenti multoties offerunt, dum licet tentationes ferunt, & ſuſtinent; non fugiunt, vt cùm cor extra obtineant, in Deo ſcilicèt, irruat ſer-

pens,

pẽs,cor posse icere ratus,vt illusus discedat & abeat.
Cor iusti in dextera Dei est;nam est iustus à dextris,
& in hoc circulo æternitatis, dextera iusti est Dei
dextra,& dextra Dei,dextra iusti,idcirco semper ser-
pens illuditur,& nunquam cor inficit.Quibus,ser-
pentibus sacris Euangelij nunciis,consulitur illud,&
initandum proponitur, vt cor petant, & hominum
alliciant mentes,& animos moueant, læuam vulgò
dictam,cordis latus,& verum domicilium adorian-
tur,quæ est verè dextra pars positione,& corde,qua
cor locatur ac comprehenditur vndique ab iis qui
corde vtuntur dexterè, vt licet. Cor petant, hoc
afficere tentent serpentes cœlestes conseruatio-
ne virtutum:præcautione, & curatione vitiorum,
reductione in perfectiorem naturam, augmento
& incremento roboris, modò vitia corrigentes, &
sinistram,modò dextram conseruãtes, virtutes qua-
si gladio ancipiti, & verbo Dei ad dextram, & læ- 284
uam,ad Hebræos 4.*Sermo Dei penetrabilior omni gla-
dio ancipiti ad dextram & lauam.*Ioannis Apocalypsis
1.*De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, talis
est sermo Dei. Iis elucescit solutio eorum quæ ad-
dubitauimus; taxatur enim serpentium calliditas,
& prudentia extollitur. neque enim hæc sunt ea-
dem ,imò significatu,& natura differunt quàm ma-
ximè. Calliditas à calore dicitur indistinctè agenti,
noxiè aut innoxiè operanti, prout materia subster-
nitur,aut, vt vult Cicero 1. de officiis, à *callo* calli-
dum,quod consuetudine duratur,proteruia,contu-
macia & malitia.At prudens à *prosum* venit,quia est
vtilis aliis,& sibi vtilis,actione, & officio & imita-
tione,vt sunt serpentes,vtilissimi sibi opere, & aliis
imitatione, quo opprimitur calliditas & prudentia
extollitur.Imò cùm simplices mitterentur, & hac

virtute muniti ſimplicitatis ſanctæ, contra Luporum inſidias, quæ virtus, ouium natura ſignificatur, ſimulationi oppoſita, & fraudi; ſimplicitas enim in vnum ſolum tendit; in veritatem, quæ vna eſt & ſincera; non mentita, & coloribus apparens, non ficta, ſimulata. Eſt veritas vna. Nam bonum eſt, & hoc ex integra cauſa; malum verò ſimulationis, vt alia mala, multiplex; nam ex quocumque defectu. recta enim linea inter duo puncta ſolùm vna, obliquæ infinitę. Eſt recta veritas, obliqua duplicitas, & ſimulatio; ſimplicitas ſignificatur ouibus ſemper eodem modo agentibus, non ſe petentibus, rixantibus, contentione, & fraude, ſimpliciſſimo victu, & potu contentæ, vtiliſſimæ aliis, quæ in bonum aliorum omnia quæ poſſident, elargiuntur liberè; vtiliſſima & proficua, alioqui carnes, lanam, lac, cutem, ex quibus tot tantáque ad vſus humanos veniunt, vſu & vtilitate plena, nulli nocent, omnibus proſunt: nulli obſunt; imò hoc dicere liceat, nil aliud vnquam pronunciare, aut proferre, quàm, ve, ve, ve, quaſi veritatem conſulant, veritatis prolato initio, quo ſimplices eſſe ſummopere patet, cùm nuſquam ore earum veritas decidat, imò nuncient perpetuò, quæ adhuc coram tondente, & carnifice, non aperiunt os, dum transfiguntur gladio, cùm alia conquerantur omnia animantia

286 in morte, quo Iſaias 53. *Quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum:* de Chriſto, cùm inquam, ſimplices, vt oues mitterentur Apoſtoli, & Chriſti diſcipuli, & aſſeclæ in luporum inſidias, quibus nil meliùs reſiſtitur, quàm ſimplicitate, & veritate ipſa, vt nec falli, nec fallere poſſint, veritatem ſectantes, & in verum ſemper tendentes; conſulit, prudentes eſſent ſicut ſerpentes; hæc enim duo ſimplicitas, & prudentia cohærent nimis inter ſeſe, & nectun

nectuntur maximè. nam qui vero & veritati ſtudent, media eligunt in finem certa, quod prudentiæ eſt, media in debitum ordinare finem, & apta eligere, & vt decet talia qualia oportet, quo nec calumniari poterunt, quia ſimplicitate vera ſolùm proſequuntur, ſimplicitate cordis, non duplicato, & fallaci, non ſimulato & ficto, diuiſo & non vno, Oſeæ 10. capite, *diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Eccleſiaſtici 2. 287
cap. *Væ duplici corde & labiis ſceleſtis*, Ieremias 16. *Duplicibus iniquitatibus pœna ſtabilitur iis. Et reddam primò duplices iniquitates*, capite 17. iis pœna infligitur; *duplici contritione contere eos*, quòd duplicati fuerunt, animo & corpore puniantur. Simplices ergo inter lupos eſtote, prudentes ſicut ſerpentes, tum vos prudentes ſicut ſerpentes, eſtote ſimplices inter lupos; ecce ego mitto vos ſicut oues, munitos ſimplicitate ſancta, ſyncera, cùm anteà prudentes eſſetis, ſicut ſerpentes. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, eſtote ergo*, tales ſcilicet, *ſimplices ſicut columbæ.* Myſtico adhuc & literali ſenſu, per ea quæ de vini cupiditate ſerpentium attulimus, quædam ſacræ Scripturæ loca commodiſſimè deplicantur; Eccleſiaſtici 31. commoda, & incommoda vini ſigillatim refert Dei ſpiritus iis: *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.* Ne irrites & prouoces ad iram diligentes in vino, curioſos, ſolicitos vini potatores, nimis vino indulgentes, ne calore vini ira excitata, rixæ, contentiones, lites, iurgia, vulnera, mortes contingant; multos enim exterminauit vinum, tam de vitæ termino morbis, & ægritudinibus, vſu nimio, quàm de termino rationis & legis. Maphæus Vegius ſic; *Nec veneris: nec tu vini capiaris amore: Vno namque modo vina, Venúſque nocent. Bellum ſæpe petit ferus exitiale Cupido: Sæpe manus itidem Bacchus ad*

arma vocat. Horatius Oda 13. *Vror, seu tibi cādidos Turparūt humeros immodicæ mero rixæ*. Imò Ecclesiastici 19. *Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguēt sensatos:* insensatos cōcludent, si sensatos arguēt. Subdit Spiritus sanctus de vini effectibus, eo c. 31. *Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum, æqua vita hominum, in sobrietate vinum si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Ignis ferrum succendit, & probat, arguit, & examinat, concludit verò, vt quod ferrum est solùm relinquat, reliqua scoria, amoueat, est durius ferrum examinatum igne; vinum immoderatum superbos examinat, & arguit, vt solùm quæ superbiæ sunt, absumptis reliquis supersint, cor ferreum ignitum ad iras succensum, & æstuans, excandescensque facilè examinat, & concludit hæc. Est vinum in sobrietate, hominum vita æqua, nam vino vita, si moderatè illo vtamur, æqua est, non morbis inæqualis, non vitæ aliquid morbi reliquum, & mortis tandem; est enim morbus mortis via, & mors in fieri, est inæqualis vita, participans de morte & morbo, modò, posteà de salute & vita, si moderato vsu vtaris vino, & sobriè, prudentia, & consilio æqualis. Historicè verò & mysticè Doctores legis, vt licet, & quando, & quomodò licet vino vtantur. Vsus enim vini moderatus vtilissimus est, immoderatus quantum perniciosus, & noxius, consulunt medici omnes. Hipocrates lib. 4. de morbis, latissimè in Aphorismis
289 passim, & alibi, Galenus 8. & 9. methodi medendi 2. & 3. de alimentis; Paulus Ægineta, Ætius, & omnes reliqui medici, & Philosophi, Aristoteles præcipuè 30. sect. problem. sententia 1. 2. 3. quo aquosum vinum dictum, oligophorum græcis, quòd aquosum sit & facile, summis laudibus extollunt

lunt omnes, in assiduum potum, & commune, meraca verò, & fortia vina vitant salutis tempore, & sanis hominibus, in potum, & si medicamenta concedant, dũ opus est. Quò subdit eo cap. Spiritussanctus: *Quæ vita est quæ minuitur vino?* Quasi dicat, nulla. loquitur de moderato, vt dixerat anteà; subdit, *quid defraudat vitam?* mors, id est, immoderatum vitam defraudat, nam bibitur cũ voluptate, & mortem infert, hoc est, defraudare. *ingreditur blandè, & posteà mordebit vt coluber*, Prouerbiorum 23. capite. parit morbos, quib. vita exterminatur; excitat enim omnes morbos, affluxu materiæ, quò vitam defraudat alioqui duraturam. Ergo est mors. nam quod defraudat vitam, mors est. Vita vegetatiua fælicior est vino temperato, coctionem iuuat, alimento eo conficimus melius, robustiores eius vitæ actiones efficit. sensitiua perfectior est vino, organis sensuum perfectis, nutritione animæ alentis, intellectiua altior, sensuum excellentia; quæ ergo vita est, quæ minuatur vino? soluit curas moderatum, quò dicitur ibidem. *Vinum in iucunditatem creatum est ab initio, & non in ebrietatem.* abusus est illo Noë non vsus; concludit; *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.* Exultatio animæ, & corporis vinum moderatè potatum, contraria verò infert immoderatum. Cognouere philosophi, Horatius nouit Oda 7. *Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas.* & 11. *Potamus vncti, dissipat Euius curas edaces*, Euius Bacchus, quasi obdormiens græcis, Epodon 9. *Curam metumque Cæsaris rerum iuuat, dulci lyæo soluere Baccho*; & vino lyæo illius regionis; sed simus de moderato vini potu moderati hic. Adhuc per hieroglyphicõ, & silentiũ serpẽtium, 290
per secretos ictus & patentes, quando opus est, enodatur locus ille Matthæi 18. capite: *Si autem peccaue-*

rit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos; si eos non audierit; dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Petant dentibus, si non sat est lingua, lacessant, mordeant, iniiciant dentes sanguineos, vt eiiciunt serpentes, & cinericios. Canticorum 4. *Dentes tui sicut greges tonsillarum.* Tonsillæ gregatim, agminatim, decurrunt, vellere detracto, frigidiores natura maribus, mitiores, leniores, vt sese foueant, & volatilium animantium iniurias insectilium vitent, inclementiam cœli, incommoda, rigorem, aliis & sibi vtiles, sibi fotu, aliis vellere, numquam se petunt, aut in se irruunt, tonsillæ oues, imò sese iuuant, arietes contrà, contentiosè rixantur, sæuiunt, in se ruunt, tum capra capram, hircus hircum, non ouis ouē. Serpentibus ergo prudentiæ legis, sint dentes tonsillarum, sint sicut tonsillarum greges eorum dentes cumulati, coniūcti, vniti inter se, non se petant, non in se irruant, sibi vtiles, & aliis, prudētia, & consilio, non diuisi, non doctor doctorē petat, lacessat, & carpat, sed agmine facto omnes dentes in vitia iniiciant, hæc mordeāt, discerpant; imò cùm dētes sponsi sint sicut greges tonsillarum, cùm vellus pro nobis tradiderit Christus; ministris Euangelicis subdit, *dentes tui sicut greges ouium,* nō dixit, tonsillarum, imò cum vellere vtiles sibi vellere, & aliis vtiles spe præmij, præmia pollicentes æterna viatoribus, quò
291 cap. 7. Canticorum: *Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.* Guttur rhetoris euangelici, sicut vinum optimum, quod non solùm communes vini effectus, nutritionis, virium, sensuum, & rationis acuit moderatus; imò & oris halitum commendat, firmat, dentes stabilit, confirmat, voluptatem

tem infert, non solùm dum bibitur, sed adhuc postea os roborat, adstringit, corrugat linguam, vt signet quasi post potum tacitè agendum esse, moderatè, prudenter imò, dignum vt potato semel elingatur, posteà delibetur, ruminetur Doctor & concionator sacer vt vinum Deo dignum, & vt vinum optimum sit.

De ceraste serpente.

CAPVT XVI.

GEneseos 49. capite, *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus, in Israël. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. salutare tuum expectabo Domine.* Fuit hoc Iacob testamentum, vltima voluntas, vaticinium, prophetia, institutio, exhortatio. Cerastes à κέρας Græcis Ceras, Latinis cornu, originem ducit; Hebraicè keren & zerem, quasi cum eo græcum assonet voce; est enim serpens cornutus, quadrigemina cornua ferens, Hebræis שפיפן *schephiphon*. Hinc Cerastes dicebantur insulæ Arabiæ prope Syrenem, quæ est in fine Æthiopiæ, autore Plinio libro 5. capite 9. quòd promontoriis occurrebant, non secùs atque infestis cornibus visui. Tum Cyprus insula, à cupro, aut ære, quo abundat, dicta est Cerastes, ex promontoriis, cornuum instar prominentibus, & quod Cerastei homines cornibus insignes olim eandem obtinuisse ferant, hinc Ceraſphotos, corniger dicitur, arbor Κερασία Cerasia Cornusve, quòd fructum producat similem oliuis, vulgò Capricornes appellant, *cornicabras* nostri, cerasia cerezas, à Ceraste & Κέρα Græcis, cornu scilicet. Imò cùm cornua 292

à craneo dicantur, quo Græcis κράνεα cranea appellantur, quòd de ſubſtantia Cranei, nil aliud, quàm cornua prodeat, reliquis cute & pericraneo obuolutis, deficiente vocabulo, cranea, tractu temporis cornua ſunt dicta, cornutaque omnia Ceraſtea. Non minùs à cornu Ceraſtes eſt dictus ſerpens: quò & Theophraſtus lib. 8. c. 18. Ceraſta vocauit, cerezas, Galli verò *vn cornier* appellitant, & Ceratina dicuntur argumenta apud Quintilianum, quæ nobis cornuta, & intricata nimis, quæ in vnam & alteram oppoſitionis partem feriunt, quaſi vtroque cornu. Tum apud Dioſcoridem lib. 4. cap. 42. Ceratis papauer corniculatum dicitur, & ceraſta corniculata vocat libro 1. c. 13. & capite 129. Et Galenus Ceratoriam arborem ſiliquam nominat, quòd fructus corniculatos ferat. Et Cerasbola ſemina dicebantur antiquitùs, vt docet Plutarchus in ſympoſiacis, quæ ſi ſementis tempore, cornua bubula contigiſſent, credebatur antiquis, non facilè in poſterum vri poſſe, aut coqui. Tum Ceras Amalthæas eſt dictum, cornucopiæ illud ab Amaltæa nympha, quam vt fabulantur poëtæ Iouem caprino lacte, & cornigero, quod cornuti animantis eſſet, enutriſſe ferunt. vltimò & cera dicitur à cornu, nam primò in cornu nidificabãt apes, ſuber, vbi modò mella cõdunt; Hiſpanis dicitur, *alcornoque* quaſi à cornu; & tunicã corneã oculorũ vocant Cerato, idẽ Græci. Ceraſtes ergo ſeu cornutus ſerpens, docet Dioſcorides libro 6. cap. 53. & 51. Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 3. capite 27. Ætius tetrabiblio. 4. ſermone 1. c. 28. Paulus Ægineta libro 5. c. 19. Plinius lib. 8. c. 23. Bercorius libro 10. c. de ſerpente, Perotus Epigrammate 21. Iſidorus 12. etymologiarum c. 4. Edoardus libro 6. c. 115. Geſne-
293 rus, Oppianus, Nicãder in theriacis, Galenus de theriaca,

riaca, ad Pisonem capite.4.Lucanus libro 9.est cubitalis magnitudinis communiter, & si duorum cubitorum aliquando contingat, rariùs maior, vt vult Ætius, & Auicenna confirmat; est corpore asper, globulis, arenosus, cinericius colore, vt vult Auicenna, seu arenæ coloris, solem nimiũ perpessæ, quæ cinerẽ repræsentat, tum arenam asperitate, & scabritie cutis, minutissimis squammis refertus, crassiusculæ arenæ instar, cauda solùm desquammata, & capite, vt & serpentes reliqui: eminentias habet in capite duas, ad cornuum similitudinem, iuxta Ætium citato loco: binas obtinent omnes Cerastes, trigeminas, & quadrigeminas plurimi cum Plinio, quò ij autores non pugnant, iis incertum seruantes numerum, & si communiter binas possideant. Geminaque cornua, vetustate, & senio iis cornua decidunt, iuxta Auicennam, mutilique viuunt eo tempore, vt decidunt vetustate auiũ rostra, calcaria, & vngues; ceruorumque cornua, certis statutisque temporibus, & iis destituta vitam gerunt: curtum cerastam breuissima ferre cornua dixit, & sine illis senio vitam transigere. quorum cornua seu extuberationes illas, quidam molles & carneas constituunt in fronte, omnibus iuxta tempora obortas, & si quibus quatuor fronte, & capite, iuxta commissuram squãmosam aurium, alij duras, osseas, & distortas, cornibus arietis simillimas, colore, figura, cauitate, vt vult Isidorus, & refert Plinius, & docuit Nicander locis allatis. Sunt enim per initia molles, carneæ, ductiles, vt & rostra auium, & calcaria, cornua, & similia, quæ posteà indurantur temporis tractu, cõtorquentur, consistunt siccitate, & calore resoluente humidum, vt cornua arietis, non aliter ac testæ recoquuntur igne, animantiumque squammæ, conchæ, per initia carneæ & molles, posteà sunt rigidæ, consistentes, &

ræ,inflexilesque omnino. Est Cerastes de genere surdorũ serpentiũ,vt docet Auicẽna,semel ac pigrã cõtigit senectutem: venter durissimis,siccissimisque est illi prætextus squammis, quæ dum mouetur,sonum edunt; vt cum strepitu cedat & reptet; Pumillus & titubans inclinat motu in latus vnum semper, non rectus, nec rectà graditur; Nicander in Theriacis; sic latere cedere; sic illi incumbere motu dixit, vt nauis
246 agitata ventis, titubat, inclinat dum sæuit mare, ideo quà ire videtur, fallax, animans non it, imò aliò. Caput non sequitur in motu totum, pectus imò, euerso capite in latus ruit, huc & illuc, quò dixere antiqui morales philosophi, vt Nicander refert, Deos dorsi vertebram secundam, huius animantis propter eximias eius dotes abscondisse, & arripuisse, Deorum dignam, tanto mortales indignos iudicantes dono, philtris, & amatoriis vltissimam. Volubilior est multò omnibus aliis serpentibus, adeò vt spina carere plurimis visum fuerit, tenet Isidorus. Sunt dicti ob maxillarum amplitudinem quidam maxillares Cerastæ, Auicennæ allegato capite, à quo Edoardus accepit posteà. Cornua tactus habet mollissimi primò, dum sunt mollia, carnea, & ductilia, acerrimi sensus, ac facilè indurantur, sensumque & motum amittunt, quo pollent priùs, non secus ac limaces cornibus prætentant iter oculorum loco, Plinius libro 11. c. 37. Sic Cerastes cornibus tactus acerrimi, vitat noxia, aurium loco, quia auditus carent instrumento, audiuntque cornibus, quibus instrumentum inest acerrimum audiendi, vsque dum indurantur ætate, qua surdus perstat fallacissimum animans, versutissimum, quia, vt Solinus in polyhistoria edocet, c. de Africa, Nicander in theriacis, Plinius suprà, Ælianus libro 6. Rhodiginus & alij, arenosus

nosus cùm sit, arenosis occulitur locis, quo discernatur minùs. Nec aliud indicium sui præbet, præterquàm cornua, quæ insepulta exhibet, quibus, simulata esca, illecta animantia miserè venatur, & discerpit; animalibus enim tã volatilibus, quàm terrestribus inuitatis dolo, pastibus fictis, necẽ perpetim aucupatur, deceptis cornibus, reliquis de industria obtectis, in sulcibus circa tramitem, & semitas, & rotarũ orbitis, vbi & secretus latitat, iis ènim sulcis, & orbitis occulitur faciliùs, è lateribus arena cõmota, venienti facilè, cõminuta attritu rotarũ, & motu cõtinuo viæ, itineris & semitæ, ideo ibi abditur, cum arenæ fluxu nullo negotio ruentis, tum quòd cauo loci recipiatur commodiùs, cùm inueniat latebram formatam aliorum labore, opera, fugiens. iis dolo animalia venatur quæ viam percurrunt, & aëre vagantur. Sunt 295
mares mitiores fæminis, fæmellæ sæuissimæ, quæ in mares irruũt, quos truculẽter iugulãt, inficiũtque veneno, quod nulli alteri in eadẽ eiusdem speciei contingit animanti, vt officiat veneno alteri naturæ eiusdem. Capite, cauda, dentibus, venenum obseruant foraminibus, & meatibus vuluæ, quibus fluit sanies, statutis temporibus, qua necant mares, congressu & voluptate illectos; nõ solũ rabie, & rixis, imò deliciis & amplexibus, sunt illis excidio. Sibilat quasi motu squammarum, ventris sonitu, & dorsi; Nicander sic. Quando tetrica huius animantis punctura, sæuoque ictu infremuerit quispiam, oritur tuber illico, clauo similis; callosus substãtia, circa morsum verò tumores liuidi erũpunt, bullarũ imbris instar, quorum deteriores dolent minùs: tanta est animantis malitia vt in maximo vitæ discrimine, sensum auferat, quominùs dolorem sentiant. Intra nouem dies percussi obeunt, quibus maleficũ impressit dentẽ, inquit Nican

Nicander loco citato. Inguina pruriunt & dolore vexantur ſimul, inualidantur nimis crura, lumbi flagrant incendio, & æſtu, color pallidus quaſi ictteritie læſi, debiles, inconſtantes viuunt, ſi adhuc venenum ſuperant, toto vitæ decurſu, Paulus Ægineta libro 5. cap. 19. ſic: Porrò Ceraſtæ morſu locus cum duritie, & puſtulis intumeſcit, emanat è vulnere ſanies, modò nigra, modò ſubpallida, & porraceo colore, totum corpus, varicum modo attollitur, genitale arrigitur, vt ſatiriaſi ſumma vexentur, mens alienatur, oculi obſcurantur, poſtremò conuulſione aut tetano pereunt, læſo capite; & vertigine eos corripi docet Auicenna; idem Dioſcorides loco citato. De virili erectione dixit, & de inguinum prurítu Ætius, de crurum imbecillitate & inconſtantia & tumoribus poplitũ. Omnes dolorem adeſſe vulneri infixum, velut ſi terebra, aut palo perforarentur; Auicenna, & ſi tumoribus plurimos dolore vacare dixerit, opprimuntur melancholia triſtiſſima læſi, mærore, triſtitia, linquuntur animo, vitiatur appetitus, cordis actiones læduntur; hæc ſequuntur accidentia Ceraſtis morſum. Albos Ælianus lib. 1. c. 56. in Lybia oriri Ceraſtas refert, Lybicoſque omnes infeſtare, præter Pſillos & Marſos; cum iis fœdere deuinctri ſolùm, & pacem ſeruare, Pſilloſque non ſolùm morſum ab eis inflictum non ſentire, imò aliis opitulari, ſi priùs quàm totum venenum impleat, ex ipſis quiſpiam accerſitus, os aqua colluerit, illiuſque manus qui morſus eſt, abluat, illicò ex ve-
296 neno conualeſcere; ab omnique malo liberari. Omnibus aliis generibus ſerpentium, phalangiorũque Ceraſtæ hoſtes habentur, eoſque quàm maximè inficiunt veneno, & viru, diris cruciatibus, & doloribus: ea eſt veneni potentia. Incertam ſobolem iis magis

reliquis

reliquis omnibus explorari Psillos, & Marsos docet eo loci Ælianus, nulloque modo pudicam sobolem, filiosque ingenuos, & legitimos petere, nothos verò, & spurios quàm maximè. Coniicere enim filios suspectos in vas plenum Cerastis, examinaréque sobolem illis, non secùs ac artifices aurum igne, Cerastesque protinus insultare, acerbosque fieri pueros, minitantes, eosque vt pueri attigere, remollescere; sensit hæc Herodotus, vt diximus anteà, libro 4. exemplo Atir cecinit, *Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atir, somnoque graui sopire Chelidros, Ac dubiam admotam sobolem explorare Cerastæ;* Plutarchus idem, Lucanus libro 9. Gellius 16. libro capite 11. Crinitus libro 1. capite 3. & alij. Vocat hunc dolosum Nicander in theriacis, his: posthac, & fraudulentum cognosce Cerastem; nam viperæ corpore non dispar est, interdum quatuor cornibus, interdum verò duobus omnibus conspicuus. Ac ille quidem mutilus, hic verò cornibus fretus est, squalido calore albescens, arenis, & orbitis iuxta tramitẽ assiduè dormit, huius peruersam adeò esse naturam, distortam, obliquam docet, vt figura illum conferat cum naui prolixa, & longa, ventis agitata violentis, submersionis (vt supra diximus) periculo proxima, titubanti, & contorta in latus, non secùs ac vento Africo ante vltimam ruinam disturbata vacillat. Quò Lucanus lib. 9. de hoc animanti signa referens, spinæ defectuosæ expertis, certi numeri vertebrarum, deficientisque dixit iis, *concolor exustis, atque indiscretus arenis Ammodites, spináque vagi torquente Ceraste.* Vbi numerat Africæ venena serpentium dira, & mortes. Est motus obliquus, & peruersus huius animantis, ventre repenti, alto capite, erecto, & celso Cerastes, vt autoribus adductis patet

ex Nicădro, Dioſcoride, Ætio, Paulo, Galeno, & aliis. Duo inficit veneno primo in animanti omni; crura principaliter ad pedes vſque, quæ infirmat, & inua-
297 lidat, vt nullo modo animal ſuſtineri poſſit, aut ſtare; decidat imò & labaſcat: tum virilia ęſtu, incendio, & calore, pruritu, & ſatyriaſi ſtimulat libidine, vt exuri videantur veneno animantis, arriguntur, diſtenduntúrque adeò, vt ſemen decidat dolore, ſoluto robore retentricis virtutis, quo effluit illud, non ſecùs ac ſi ſatyriaſi laborarent morbo, aut penis arrectu: ſe polluunt, ſpurcantque læſi, animantis morſu, ſubit venenum lumbos poſteà, qui æſtuant igne, ab hinc cor petit, & ſenſus aufert, & tandem caput, quod vertigine infeſtat primò circumrotatione, & motu, ceſſat motus, & ſenſus ceſſat, obſcuratur viſus, caligant oculi, concidit animal refertum tumentibus puſtulis, liuidis, terris, clauorum forma. Ætius lib. 4. ſer. 1. c. 28. Paulus & alij, quauis parte icat, hæc inficit primò, hoc ordine lædit, imò antipathia & cõtrarietate naturæ, aggreditur crura & vngues, quæ inficit vndique, in quamuis partem dentem figat, veneno & rabie, tum quòd ſitu ſint illi vicina, cùm reptet, & ſerpat ſerpens tardus, grauis, cruraque, & pedes terram contingant, in motu animantiũ, & vngulæ magis adhuc, immediatiùs aliis, quòd cùm illis lædatur, & conculcetur in ſemita, dum iter percurrunt equus & eques, has primò petit, has odit, & impetit, calcatum timens, attritum & preſſum, læſus anteà iis, aut timidus, de potentia calcanei & calcatus excandeſcit in vngues, & animantium talos; quibus conculcant. hinc memoratur, odit, vindictam tentans ſumere, hac parte aggreditur, calces odit, petit vngulas, & crura adoritur, pedeſque animantis omnis, inſidiatur calcaneo; vt dictum erat Geneſeos 3. capite, quò 33.
Deutero

Deuteronomij Aser tribui benedictæ Moses inquit: *Tingat in oleo pedem suum Aser, ferrum & æs calceamentum eius.* Ne offendat illum Cerastes, ferro muniit pedes Aser; ne serpens officiat illi, noceatque veneno affectuum, calcaneum fulcit, & circumuallat oleo, quod serpentes fugiunt; commoriuntur enim oleo facilè, docet Aristoteles locis adductis, capite de Angue suprà. Tum oleo gratiæ promissæ in Christo, & ferro, constantia, & robore virtutis, vt securus calcet, contrà ac sacerdotes Dagon, & Idolorum, proprij boni amorisque cultores, qui, vt dicitur 1. Regum capite 5. non calcant, imò reptant. Habetque ideo cum equo antipathiam maximā Cerastes serpens, quòd fortiùs calcet animanti omni, quo equū odit, dissentit cum illo, plus omnibus aliis, calcatus impetu & potentiæ robore. Quò petit equum 298
& magis ea parte qua sese exerit neruus motus, incurua dicta, ad vngulā retrò, qua læso incuruatur, & stare nequit, talo vitiato animal, dū hæc nequit inficere elatus, & altus apprehēdit vngulas, cuius est illa Cerastæ potentia, venenum, & virus, vt equitem inficiat, simul equi contagione, & contactu, infecto equo, priùs morsu, concidit equus, & eques nutat. est enim tanta horum animantium veneni potentia, illud est serpentibus iis virus, vt multoties hasta serpētis dentibus ceciderit miles, viru subeunte illa contactu, & contigit illi de quo Lucanus libro 9. in hæc verba prorupit, de Murro milite. *Quid prodest, miseri Basilicus cuspide Murri Transactus velox currit per tela venenum: Inuaditque manum, quam protinus ille retecto Ense ferit, totoque simul remittit ab armo. Exemplarq; sui spectans miserabile lethi.* Auicenna idem fen. citata, capite de Basilisco, & authores reliqui, & venenum paratur modò, quod vesti applicitum stapedi calceis

epiſtolis,reliquis quæ cõting mus,ſpiramus, aut qui-
bus contingimur, inficimur,& ad tempus, prout ne-
gotium efflagitat, & diſpoſitio cruoris fert,virulen-
tiæ, infectionis, & veneni permiſtio. Hinc odit
equum ex quo maius illi impendet periculum,quod
fortiùs, validiuſque calcet omni animanti, ſitque
calcanei fortioris, docuit Ariſt. de equo 8.de hiſto-
ria cap. 24.3.de partibus c.2. & alibi,Ælianus lib. 1.
c.37. & cum fugatur, antè ſi occurrat, qua parte ſi
veniat, præcaueri poteſt,adoritur retrò sẽper,& quà
conceditur illi,quà ferit,& mordet equum, qui cùm
retrò incuruet crura,vt animãtia omnia, homine ex-
cepto,qui flectit antè,genua,Simia excepta, & Ele-
phante,vt docet Ariſt.2.de hiſtoria c.1.Brachia verò
aues,homo, Simia retrò, vt reliqua antè,ideo retrò
concidit,quò & eques aſcenſorque equi,retrò prola-
bitur,venitq; retrò ille, equo nutanti.Satis iuxta na-
turam animantis hiſtoricus illuceſcit ſenſus; quoſ-
dam eſſe Ceraſtas crinitos dorſo, hirſutos ſetis, ca-
pillatos, docet Statius lib.11. in Thebaide, iis, *Cri-*
299 *nalem attollit longo ſtridore Ceraſtem,*lib.4. idem, *Ora, &*
anhelantes tuto Phlegetonte Ceraſtas, hoſque eſſe duriſ-
ſimæ membranæ lib.6. cecinit Lucanus, iis. Aut vi-
uentis adhuc Lybicæ membrana Ceraſtæ. antiquiſſi-
mus ille Agatharcides lib.1. ſuæ polyhiſtoriæ, quæ
de Pſillis & Marſis diximus refert, ſimul cum aliis,
& quæ ad naturam Ceraſtæ ſpectare monſtrauimus;
qui ad finem eius libri ſic ſcripſit; lædi nequeunt Pſil-
li Ceraſtis,imò cùm venenatus quidã ad eos acceſſe-
rit,vel eorum corpus attigerit, vel odorẽ ex ipſis ex-
hauſerit,veluti ſoporiferam bibiſſet potionẽ ſopitur,
& tamdiu debilitatur quoad ab eo receſſerit Pſillus.
Callias vetuſtiſſimus lib. 10.hiſtoriæ quã conſcripſit
de Syracuſano Agathocle hæc omnia confirmat; &
addit

addit vltra. Sin percussum offenderit, ægerrimè dolentem, intra dentes permultam aquam haurit Psyllus, & os suum primò ex ea proluit, post verò eam in poculum iniectam vulnerato exsorbendam tradit. Quòd si veneni acerbitas acriùs inualescit, hic ægrotanti nudo nudus accumbit, & proprio suo corpore morbi vim frangit, & malo hominem liberat. Idē sensit Gyllius libro 9. cap. 39. Psyllos, & Marsos subuenire ægrotis iis eisdem remediorum generibus, accūberéque eisdem nudos, & corpore adacto incuruari, & ad mensuram læsorum reduci, eósque sic quos venenum affligit pristinæ sanitati reuocare. Nil mediocre, moderatumve huic animanti inest, omnia quasi ad extremum redacta, externa durissima, asperrima, exuccia, decolorata, marcida: interna mollia, humida, lenia, succida, blanda, viuacissimi coloris, pinguia, & adiposa. rectissimus est infernè, & deorsum, supernè verò & sursum obliquissimus, distortus; prẹter omne animans motum incipit à sinistris, versus dextrā præfinit illū, quà videtur ire non it, nec, & si versùs sinistram motum arripiat, ipsum prosequitur versùs eam, sed pumillus ac titubans. docuit Nicander in theriacis, modò in hanc, modò in illam volutatur partem; quidam albicant instar arenæ, & ij solùm homines petunt, mortalésque affligunt, alij nigricantes subpallidi coloris, animantia inficiunt veneno, fugiūt homines antipathia & dissidio, qui infestant mortales, colorem reddunt arenæ, qua occultantur, adeo vt ab illa discerni non possint, aūt internosci; quò non pauci illis decipiuntur, vt coloris errore falsi, pedibus illos concultātes, vitæ discrimen subeant, qui exteriùs arena cineritia conspersi, interiùs delitiis fruuntur loci humidi, & delitiosi, agni cornua ostentantes, quibus incauta

alliciant animantia, vt posteà atrocissimo inficiant veneno. in morsu huius animantis sine mora ictam partem amputare, aut scalpro confestim circumcidere, & iis similia prosequi oportet. Vrentia insuper admouenda docet Dioscorides lib. 9. capite 10. Eadem retulit Auicenna locis suprà scriptis cum Plinio, & reliquis.

De historico, & figurato sensu loci Cerastæ Scripturæ sacræ.

CAPVT XVII.

GEneseos 49. capite, vt diximus anteà, sic dicitur: *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël. Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò, salutare tuum expectabo Domine.* Dan filius fuit quintus Iacob ex Bala ancilla Rachel, vt est videre Geneseos
300 30. Cùm enim peperisset Lia Ruben, Simeon, Leui, & Iudam, quintò ex Bala ancilla Rachel genuit Iacob Dan, dixítque Rachel, *iudicauit mihi Dominus & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & idcirco appellauit nomen eius Dan.* Quasi iudicium fauorabile, & sententia ex voto succedens, hoc enim *Dan* significat Hebræis. Dicitur verò, *appellauit nomen eius Dan,* & non solùm, ipsum, Dan appellasse & vocasse refert: nam in Scriptura sacra, cùm omnia sint mysteriis plena arcanis, & sacramentis, non solùm res appellantur, & dicuntur mentis conceptibus, & actu interiori, quo concipiuntur, & exteriori quo dicuntur tales; verùm & nomina dicuntur etiam, conceptúsque terminant, actu interno, & vltimato conceptu, non solùm vt signa, sed cum ratione talia,

quò & appellatur nomen, dicitur, & vocatur, nónque res ſolùm actu interno mentis. Appellauit ergo nomen eius *Dan*, id eſt, iudicium fauorabile, & ſententia ex voto, *quia* inquit, *exaudiuit vocem meam*, non ſolùm me dicentem actu interno, ſed & ore & voce, vt omnibus vtamur in obſequium Dei, & omni modo ipſum veneremur quo poſſumus, concinno & decenti. Dan ergo iudicium & iudicans eſt. Quò Geneſeos 14. de Abrahā dicitur, cum Loth, fratrem ſuum captiuum duci à Regibus Ponti intellexiſſet, *vernaculis expeditioribus trecentis decem, & octo conuocatis, illos oppugnaſſe in loco Dan, victorémque euaſiſſe vſque ad Hoba, victoriam proſequutum.* In Dan ergo decreuit Deus Abraham honeſtari victoria, in loco Dan, id eſt, iudicij Dei, & fauorabilis ſententiæ Abrahæ & Loth, contra tyrannos Ponti Reges, & reliquos, vſque ad Hoba, id eſt, vſque ad montem Dei, & dilectionem, qua diligebat Abrahamum, & Loth, *Hoba* enim dilectio eſt Hebræis, & Syriacè peccatum, vſque ad peccatum Regum Ponti, vſque ad peccati vltionem, in Loth commiſſi. Imò Dan ab Adam venit primus inter homines, iudicatus iudicio, & ſententia delicti. Geneſeos 3. vbi dicitur, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Fuitque & fauorabilis hæc ſententia ſatis, tum grauitate circumſpecta delicti, tum vt homo laboribus vexatus, conuerteretur ad Deum, exclamaret, auxiliúmque peteret in miſeria tanta conſtitutus; quò fuit locus Dan, anteà prophetico dictus ſpiritu ille, in quo Abraham palmam reportauit, iudicium ſcilicèt & ſententiam fauorabilem; quò *Daniel* iudicium Dei ſignificat, *Danna* iudicium, vel iudicans, nomen ciuitatis in tribu 301

Iuda, Iosue 15. capite, & *Dadan* iudicans, *Iordan* iudicium demonstrans, aut descensio iudicij, ibi enim iudicium factum est, & pronunciata sententia de Christo, quòd filius Dei esset dilectus, in quo sibi benè complacuit, Matthæi 3. capite, Marci 1. & Lucę 3. Sancitum est de Christo eo loci, Spiritu Sancto Patre attestante, Ior enim demonstrans est, Dan verò iudicium, quasi iudicium demõstrans Christi personam, & naturas, & Danaën filiam Acrysij, sic dictam puto, quòd iudicium Patris irritum fecerit, de custodia solicita & vigilanti, conuerso in pretium Deo Ioue compressa illa, inauratæ imbris forma suscepta. Dan ergo iudicium est, & mente, capitéque potens, iudicio & ratione, consilio & arte, prudentia, & sententia, fortis capite, robustus, integer, & Daniel ciuitatem politicam notat, prudentia, legibus, consilio ordinatam, & institutam; idcirco Scriptura sacra dicitur; *à Dan ad Bersabeæ* distantiam significans pertransibilem, pertranseundamve, vt videre est Iudicum 20. 1. Regum capite 3. & 2. capite 3. & 24. *Bersabæ* enim saturitatem significat quo à iudicio ad saturitatem, ab Adamo ad Christum, à delicto ad gratiam, à fame, & miseria, ad saturitatem, & abundantiam deuentum est: Erat Dan Bethhohob procul à Ptolemaïde, contra boreales plagas, circa regionem tribus Asser, non procul à Galgalis, & Masaloth, possessionis tribus Dan, appellata Lessen anteà, Iosue 19. Et Lais dicta, Iudicum 18. & Laisa. Est idem dicere; *à Dan ad Bersabæ*, quod ab Aquilone ad Austrum, terræ sanctæ Palæstinæ, Iudicum 10. Hieronymus vocat Panæam, aliàs Cæsarea Philippi. Dan ergo iudicio potens, mente, & ratione, capite, prudentia, astutia, & robore, dicitur, quo dixit, *fiat Coluber in*

via,

via, & Cerastes in semita; pollet enim capite Coluber, potentia, & virtute capitis, hoc icit, hoc continet robur, hoc illæso seruatur ille, læsis reliquis, è contrà deficit capite læso, reliqua integra pereunt, cauda abscissa, renascitur alia; hoc tuetur, & vt seruet caput, reliqua exponit periculis, vt latè capite de prudentia monstrauimus, Cerastes serpens potentis- 302
simus est capite, cornibus induratis semel, firmatis, rigidis, quibus & venenum fundit poris emissum, & contactu noxio inficit læsa, tum impetit animantia eisdem, infligitque. Imò non solùm vi, virtute, & robore, sed iudicio adhuc, astutia, & arte, mentita esca, animantia vocat, illicit, exertis arena cornibus, toto sepulto, quibus illecta discerpit, & deprædatur miserè, astutia, iudicio, capite, cautela, & artibus vsus, quibus pollet capite Cerastes maximè: Idcirco Dan, iudiciumve, est dictus coluber, & Cerastes eo loci, quasi potens capite, iudicio, & sententia, astutia, & arte. Et cùm lumen ad iudicium, mentem, & cognitionem pertineat, hinc est, quòd Iosue 19. missis sortibus in assignatione partium terræ promissionis, tribubus sex, Dan assignari *semes*, id est, ciuitas solis, ibidem dicitur, & exponitur ab spiritu Dei; lumen enim ad iudicium pertinet, & rationem, cognitióque. Imò vt patet eodem capite 19. partes enumerans tribus Dan, quæ sorte illi contingere inquit: inter alias, sic, *Et Meaiarcon, & Arecon, cum termino qui respicit Iopen, & ipso fine concluditur*; cum cognitione, & dolore, lamentationéque, quod Meaiarcon, & Arecon prænotant Hebræis, cum iudicio Dan, & cognitione Meaiarcon significata adest, lamentatio, & dolor Arecon intellectis; qui iudicat enim, & cognoscit, deplorabit nostri status miseriã,

& hominis calamitates. Hæc omnia expreſsè continebantur vaticinio Iacob de Dan prolato eo loci, quem contulit cum colubro, & Ceraſta, nam Ceraſtes in ſemita occulitur in orbitis rotarum, ad finem viæ, & itineris. Eſt ~~ſemita~~ ſtricta via, ſiue in itinere, maiori attritu facta frequentiori, ſiue ſola & per ſe, eſtque incluſus ipſo fine Dan, & vt Ceraſtes ibi reconditus, animantia deprædatur, ſic Dan ibi incluſus ſtricto loco inter Iopen, & Arecon, debellauit Leſſenos, vicit, oppugnauitque ciuitatem, & ſuperauit vndique; dicitur enim 19. Ioſue ſic: *Aſcenderuntque filij Dan, & pugnauerunt contra Leſſen, ceperuntque eam, & percuſſerunt in ore gladij & poſſederunt & habitauerunt in ea, vocantes nomen eius Leſſen Dan*, id eſt, iudicium Leonis, nam & Lais Dan, idem eſt, quod Leſſen Dan. Leſſen verò nominatum notat, & vocatum, quaſi Leonem vocatum & proclamatum erat Dan; dixerat enim Iacob Dan futurum eſſe Leonis catulum, vaticinio illo quo Chriſtum nunciauit gentibus, verum Leonem de tribu Iuda naſciturum figura illa contentum. Eſt ergo Lais Dan,
303 iudicium Leonis, tum factus eſt coluber in via, nam, vt coluber in viam incidens, & iter, viam deſerit, fugit iter, ſepes quærit, quibus occulatur, & lateat, & terminos tranſgreditur præfixos, & conſtitutos ſemel itineris, declinans à recto calle, & ttamite, diſtendens ſe ad latera, obliquè fugiens, quò eſt dictus anguis, quia cedit in angulos, & angulosè mouetur, & coluber, quia vmbras colit, iter deſerens, terminos tranſiliens fundi, & agri, iter, & vias, vt latè ſuprà monſtrauimus, ſic Dan fine ipſo non contentus hæreditatis, in latera ceſſit, & inuaſit Leſſen vſque dum cepit, & ſuperauit Leſſenos, vbi & abditus adhuc, & quietus, latés quaſi,

quasi, & occultus, vt coluber sepe, memordit, & compressit dentibus, Iosue 21. Nam cùm reliquæ tribus Leuiticis offerrent iuxta præceptum Domini ciuitates, & vicos ad habitandum, de Dan inquit; *De tribu quoque Dan ciuitates quatuor*, cùm simpliciter tribus alias erogasse dixisset loca, & partes: de Dan verò est dictũ quoque qnasi maiori cũ repugnantia Dan dedisset, tenens vt coluber, & apprehendens (latitans, occlusus) terram in quam discessit, quasi coluber abditus sepibus eas tenet, quo dicitur Ecclesiastes 10. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*, quòd ibi lateat: & inde vi extrahatur, difficilliméque remittat, quæ accepit semel, de quo anteà prophetauit, & prædixit Iacob de euentu Dan, non secus ac de aliis tribubus, quæ ventura erant in pere- 304
grinatione illa terræ promissæ. Quò Moses Deuteronomij 33 sic: *Dan quoque, Dan catulus Leonis fluet largiter de Basan.* Catulus Leonis, nam Leonis catulus expectat matrem, vt inuadat hostes, vt irruat ille; patres enim imitatur retrofactus, quos sequitur semel atque animalia discerpsere, dilaniareque ore & vnguibus, vt ipse aggrediatur hostem, & sese committat pugnæ, sicque prædæ assuescit exemplo patrum, maiorumque vestigia sequutus. Docet Ælianus libro 4. capite 33. Plinius libro 8. capite 16. Aristoteles libro 9. de historia capite 44. Quò dicitur eodem 49. Geneseos, vaticinio facto de Dan, vbi & iudicare populum & alia euentura huic & aliis tribubus enunciantur, subdit Iacob: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum*, prædicens quæ futura erant tribubus in posterum, indeque meritò catulus Leonis vocatur; expectabat enim Gad, vt priùs periculum subiret, & faceret, occurreretque primo occursui hostium, v. posteà

aggrederetur, vt Leonis catulus expectat genitores, & attendit quò vadant qualiterque pugnam & bel-
305 lum gerant. Moses ergo Leonis catulum vocauit Dan, cùm Gad expectaret bello, vt expectabat semter, præibat enim Gad ante Dan, & tribus Gad, ante tribum Dan ordine & situ in exercitu, & castrorũ turmis, vt hinc colligitur; tum cap. 34. Deuteronomij dicitur, *Dan post Gad erat constitutus & repositus situ, & ordine hæreditatum & portionum*; quo dicitur de Mose, *ostenditque ei Dominus omnem terram Galaat, vsque in Dan,* fuit enim hæc possessio tribus Gad, & Manasses, & Ruben, vt dicitur Numerorum 32. cap. & Iosue 13. & Deuteronomij 32. Quo Moses Deuteronomij 33. cùm tribum Dan catulo Leonis comparasset, tribum Gad Leoni contulit, iis; & Gad ait, *Benedictus in latitudine Gad, quasi Leo requieuit.* Húncq; insequitur catulus Dan. Nam cùm minor esset Gad natu, inseruiebat ei, & præparabat viam Dan; ideo præibat, vt dicitur Gen. 30. Gad enim filius erat Zelphæ ancillæ Liæ, vocauitq; Lia Gad fœlicitatem, aut fœlicẽ in euentu, quo præibat ante Dan, & fœlicem euentũ illi enunciabat. *Fluens largiter de Basan*; Basan regio erat regionis Og trans Iordané, Iosue 17. cap. quæ sorte cõtigit Dan, partim, & tribui Manasses, & Galaad partim, Dan verò ex ea parte quæ est ad Iordanis exortũ, quæ amplectitur fontem; Hieronymus quem vocat phialam, Marci 8. dicitur Dalmanutha, Mathæi 15. Magedon. Vocant alij Ior, & fontem alium quem appellant Dan, quo fluuius Iordan nuncupatur; ibi enim ortus, euanescit, & subtus terram decurrens ex Basan, labitur secretus, subterraneus, in Dan vsque, vbi apparet primò, quò fluit largiter de Basan, quasi Dan fluat largiter de Basan, semel enim ac erumpit & manifestatur, in

regio

regione Dan, fluit vſque ad mare Galileæ. ſecundus enim fons Dan dictus, in quo manifeſtatur fluuius primò ortus ſemel in Ior, non fontem, imò fluuij eruptionem, & manifeſtationem vocant, quòd quæ in Ior fontem proiiciuntur, in Dan iterum conſpiciantur, & appareant, ſubtus terram flumine aſportata, & tracta, quò fluet largiter de
Baſan, vbi fons Ior ſcaturit, & naſcitur, quaſi vati- 306
cinans Moſes ſortem Dan, & poſſionem prophetizans & dimetiens, quæ de Baſan vſque ad Dan eſt protenſa, Baſan ſomnum ſignificat, vel dormientem dormitantemve, ſic Ior quaſi dormitans, occultus, & latitans, quietus delabitur vſque dum ſe manifeſtat ſtrepitu, & curſu expergefactus, quaſi in Dan, & à Dan præterlabitur ad mare mortuum, qui vſque ad mare Galileæ, aut lacum miræ dulcedinis exiſtit, vſque ad lacum Genezaram, poſteà turbidus & inſipidæ naturæ, amaræ, & ſalſæ, quantò magis mortuo mari accedit, & appropin-
quatur. Quæ omnia, quòd vaticinium, prophe- 307
tia, & præuiſio, poſſe ad literam & de Samſone intelligi hiſtorico ſenſu, vt & de Chriſto figurato vetat nihil. Fuit Samſon de tribu Dan, filius Manue de Saraa, vt dicitur Iudicum 14. Dan diximus ſignificare iudicium rationis, lumen, capite potentem, quæ omnia Samſoni adeſſe locis Scripturæ patet. Samſon enim idem eſt, quod Sol paruus Hebræis, aut Sol eius, ſignificat lumen, mentis paruum, vel quia hominis eſt, vel quòd & ſi à Deo ſit, prout poteſt homo, ſuſcipiatur, vt poſſimus capere magnalia, quæ aliàs excedunt hominis captum & potentiam. Samſon ergo lumen modificatum eſt, Solque paruus, modificatũs Sol, quaſi ad noſtram menſuram redactus, quo nomine Dan intelli

telligitur, nomine luminis, & iudicij, Solisque, præ-stans capite. Capillis enim virtutem obtinebat, quibus recisis, amisit robur, Iudicum 15. cap. Dixit ergo Iacob Geneseos 49. Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël, iudicauit Samson in Israël viginti annis, vt patet Iudicum 15. capite, iis; *iudicauitque Israël in diebus Philistim viginti annis*; Dan ergo Samson, *iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israël*; vt hinc elucescant quæ de tribu Dan dixit Iacob, non solùm quòd iudicium ferre debuisset hæc tribus, quod & aliis, iusque dicere commune erat, imò, vt metum excuteret iudicis fortissimi, cùm terribilis adeò, fortis & robustus Samson natura esset, insuperabilisque omninò, incomprehensibilis vi hominum, vt patet Iudicum 12. 13. & aliis, ne homines pertimescerent, & expauerent implacabilem iudicem, subdit ille; insuperabilis adeò; sicut & alia tribus iudicabit fortissimus & incomprehensibilis ille, & ad modum hominum iudicabit, mansuetus, & humilis, humanus, homo factus, de Christo figuratè incomprehensibilis natura Deus, vltionum Deus, qui erat Christus homo, ad modum hominum iudicabit, imò mitiùs multò, benignè magis iudicabit; tum in Israël principaliter, tum alios, missus primò principaliter, ad oues quæ de domo Israël periere, dato signo per familiares magis, qualiter alios iudicaturus esset, vt ostenderet, quò in Israël posuit exemplum, quasi amicè iudicauit, & misericordia plenus. Iudicauit enim Christus in Israël, sanciuit, asseruit, decreuit, sanxit, iussit. Subdit, *fiat Dan Coluber in via, Cerastes in semita*; Dixit, *fiat*, & non fiet, vt prophetiæ imperium notaretur; quæ enim spiritu prophetico nunciantur, & referuntur, est ac si imperando

enun

enunciarentur, quæ renunciantur futura, cùm qui
facturus est, præbeat notitiam vaticinantibus, & im-
pellat, vt referant, quò dixit, *fiat*, & non fiet. Dan 308
ergo Samson fiet *Coluber in via*; nam, vt diximus,
Coluber obuiam factus in itinere, semel ac incidit
in iter, & viam, in latera declinat illicò, viam fugit,
vt sese occulat sepibus, & delitescat, vt ex Ari-
stotele, Isidoro, & aliis monstrauimus suprà, cùm
rectum secreti iter, & viam iudicij sequeretur, Sam-
son declinauit in latus, in fœminam, est fœmina ex
latere viri; est viri latus, secreta reuelauit, & dete-
git, patefecit arcana, & recondita tam ænigmatis,
quàm virtutis, & roboris, vt capite 14. & 16. est vi-
dere, Iudicum. Quò est *coluber in via*, *Dan* hic
Samson. tum Coluber in via: nam cùm nullum sit
animal rectius Colubro, & angue, vt linea quasi
recta sit à capite ad caudam, non in brachia aut
crura diuisum, non hâc, aut illâc in membra distra-
ctum, directum, imò porrectum, & regulare, nul-
lum est quod in motu declinet magis, aut mouea-
tur obliquè, adeò irregulare & procliue nimis, in
angulos cedit; quò est dictum anguis, voluitur, pli-
catur, circumuoluitur, vt nec certa sede caput, nec
cauda perstent; confusum omninò, indistinctum,
deordinatum, imò rectus cùm sit anguis natura,
& perfectus, directus, & in via recta constitutus in
se; hæc enim est via: nam obliqua, via non est, sed se-
mita, & limes. Nullum sic declinat in latera anmans,
peruertitur nullum sic, non secus Samson, qui
eo quod Dan intelligebatur nomine, iudiciũ erat, eo
quòd Samson sol paruus, & lumen mentis, hac tanta
rectitudine constitutus, obliquè cessit, in angulos
declinauit, in fœminam, vt ille qui natura erat rectus,
integer, fortis, & in via recta constitutus, in via man-
dato

datorum Dei, quaſi Sol paruus, ortus, Sole magno iuſtitiæ, & rectitudinis, iudiciumque, mens recta, ratio, totus Coluber hic, in via factus, declinauit tamen, defecit obliquè, viam deſeruit, ſepes, terrenaque quæſiuit, quibus abſconderetur ille odio habens lucem, vt qui malè agit, Deum, lucem, viam, deſerit fugit. Ioannis 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*, Iſaiæ 30. poſtquam de Deo plurima nuntiauerat; colligit. *Hæc eſt via, ambulate in ea.* Deũ viã fugit hic Coluber, c. 35. *Et erit ſibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus; & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam, non erit ibi Leo: & mala beſtia non*
309 *aſcendet per eam, nec inuenietur ibi.* Eſt ſemita conſiliorum, & via præceptorum Chriſtus, nõ errabit ſtultus, nec ambulabit per eã, declinabit imò, & deficiet à via ſalutis. Prouerbiorum 2. *Quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter*, id eſt, via recta, nam via recta eſt ſimplex, cùm ſolùm linea recta vna poſſit eſſe inter duo puncta, à rationis termino, & puncto in Deum centrum omnis intelligibilis creaturæ, naturæque omnis: & eodem capite: *Vt eruaris à via mala, & ab homine qui peruerſa loquitur, qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum:* Sunt ij qui declinant à mandatis tuis, pſalmo 118. *Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis*, pſalmo 125. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Qui enim declinant à via iuſta, in obligationes proprias, & in bonum proprium, & ſeſe occulunt in ſepibus amoris proprij, & terrenis rebus ſe occultant, adducet Dominus, & conſtituet cum operantibus iniquitatem; & ſi obligationis huma-

næ vinculo fidei humanæ tenerentur; tum declinā-
tes contra obligationes, & gratitudinem debitam
contra debitum, ingratos, & oblitos gratiæ acceptæ,
& beneficij immemores adducet cū operātibus ini-
quitatem. Samſon ergo declinauit à via iuſta, in me-
retricem Dalilam, vt patet Iudicum 15. reuelauit ſe-
cretum; dicitur cap. 13. & 15. Iſaias 26. *Rectus callis iu-
ſti ad ambulandum.* quò Ieremias 30. *Dirige cor tuum in
viam rectam.* Imò Exodi 23. *Non declinabis in iudi-* 310
cium, in Dan non declinabis, Dan enim iudicium eſt,
in iudicium ergo, contra iudicium, & rationem, non
declinabis, cùm ſis Samſon Sol factus lumen, &
exēplum aliorum, qui & alios lumine illuſtrare tene-
ris, quòd Sol ſis (iudicibus & principibus dictum)
ne te opponas recto itineri, aduerſeris iudicio, &
legi, vt Coluber qui recta deſerit, & illicò per tranſ-
uerſum diſcedit, declinat à via recta. Fiat ergo, &
fiat Samſon Coluber in via. Quod Moſes firmauit
vaticinio illo Deuteronomij 33. cap. iam iam mori-
turus, ampliſſima illa benedictione tribuum, qua
iterum benedicuntur ab illo, poſtquàm Iacob Ge-
neſeos 49. benedixerat anteà. Moſes enim in hæc
verba prorupit de Dan. *Dan catulus Leonis fluens lar-
giter de Baſan.* quæ de Samſon intelliguntur hiſtori-
cè, allegoricè de Chriſto; de Samſone enim ſic dici-
tur, Iudicum 14. *Deſcendit itaque Samſon cum patre
ſuo, & matre in Tamnatha, cúmque veniſſent ad vineas
oppidi, apparuit catulus Leonis ſæuus & fugiens, & occurrit
ei, irruit autem ſpiritus Domini in Samſon, & dilacerauit
Leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerperet, nil omnino
habens in manu, & hoc patri, & matri noluit indicare.*
Dan ergo, catulus Leonis Samſon robore, & po-
tentia, eminentia, & virtute, Leonis catulus, cùm
Leonem diſcerpſerit, ſuperauerit, vicerit. Fluens 311
largiter

largiter de Basan. Hebræis *Basan* dens est, & ignominia, opprobriumve. Fluxit verò largiter de dente Samson, & est fluens largiter, & copiosè de dente dictus, primò fluxit illi mel de dentibus Leonis copiosè; Iudicum 14. sic dicitur, posteaquàm mortem leonis nunciauerat spiritus Dei. *Descenditque & loquutus est mulieri quæ placuerat oculis suis. Et post aliquot dies reuertens, vt acciperet eam, declinauit, vt videret cadauer Leonis, & ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis, quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum, & matrem, dedit eis partem, & ipsi comederunt.* Fluens est ergo Samson largiter de Basan, de dente, & ore Leonis. Tum 15. Iudicum sic: *sitiensque valde clamauit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manus serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam, & en siti morior, incidamque in manus incircuncisorum; aperuit itaque Dominus molarem dentem, in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis refocillauit spiritum, & vires recepit, idcirco appellatum est nomen loci illius, fons inuocantis de maxilla, vsque in præsentem diem.* Fluens ergo est Samson largiter de Basan, de dente, cùm vsque in præsentem diem fluat adhuc, copiosèque adeò fluxerit, & fluat fonte suborto, vbi Colubrum Samsonem declinasse dicit in cadauer Leonis, vt declinat Coluber à via, & itinere.
312 nere. Per Dan ergo Samson expectatur, robustus, & fortis, vt per Samsonem Christus, qui & Leo dicitur, Ieremias 50. *Ecce quasi Leo ascendet de superbia Iordanis, ad pulchritudinem robustam, quia subitò currere faciam eum ad eam, & quis erit electus quem præponas ei? quis enim est similis mei, & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?* præterquàm Christus qui ascendet ad pulchritudinem

nem robustam, psalmo 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, robusta & constanti pulchritudine Deitatis, æterna, inuariabili, immensa, tum corporis, tum animæ; de superbia Iordanis ascendet humilis, Leo tamen potens, & mansuetus de Iordane, de quo superbus Pharao dixit Ezechielis 29. *Simul cum Nilo, & aliis fluminibus, mea sunt flumina, & ego feci memetipsum.* Ascende tergo de superbia Iordanis, de superbia mundi. Apocalypsis 5. *Ecce vicit Leo de tribu* 313
Iuda radix Dauid. Discerpsit verò Christus Leonem Dæmonem, qui vt Leo rugiebat. 1. Petri 5. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* 1. ad Timotheum 4. *Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis.* psal. 21. *Salua me Domine de ore Leonis.* Discerpsit ergo Leonem Dæmonem, & eripuit prædam de dentibus illius. Imò psalmo 57. *molas Leonum confringet Dominus*; quò fluet largiter de Basan, id est, de dente: nam, & mel educet de ore Leonis, de morte, vt sit de forti, & terribili dulcedo, vt dicitur Iudicum 14. Mors enim suauis iam & placida, sine stimulo peccati; quò dicitur psalmo 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*; suauis, & dulcis, dum confregit molas Leonum, & de Basan vitam fluere fecit. Declinauit quasi à via æternitatis, & homo mortalis factus est; declinauit & exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, sese commisit Dalilæ, & meretrici synagogæ Iudæorum, reuelauit patris æterni arcana, Nazaræus & intonsus; integer omni ex parte; Christus Deus; quò tandem inuidia perciti Iudęi, morti tradiderunt, obcæcatis oculis mundi, sole & luna, obtenebratisque, quò ruit postea

steà templum Salomonis, per Vespasianum; deficientibus duabus columnis fidei, & charitatis Iudæis, vt ruit templum Samsonis obitu. Capillis recisis, vt Sãsoni fuere abrasi, negantibus sacerdotium Christi Iudæis, dolo & fallacia, cuius erant signum, innitẽs sibi propria virtute, robustus, Infernum subuertit; Cum prius patri, & matri piissimæ, mel dederat, patri obedientiæ; venit enim implere legem: matri sacramentorum, & mysteriorum reuelatione, quæ simul & sponsa erat; cui & Samson ænigma exposuit, qualiter de forti dulcedo & de comedenti cibus, Iudicũ 14. Cùm sapientes reuelare omnes non possent, nisi illi Ecclesiæ, & matri renunciasset, quibus, & alia allegoricè patent. Significat etiam Basan in opprobrium, & in somno, quo & fluxit de Basan Samson: nam in opprobrium Philistinorum 15. Iudicum, dixit, de dente, de Basan, & de maxilla asini, qua mille Philistæos in loco maxillæ dicto interfecit, *in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros*; cumque hæc verba caneret, proiecit mandibulam de manu, in opprobrium. Ergo fluet largiter. Tum Christus in opprobrium mortis, & dæmonis, de dente dæmonis, & de ore Leonis, eripuit prædam, Paul. 1. ad Corin. 15. c. *Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis, peccatum.* In opprobrium ergo mortis fluxit largiter Christus, tum in somno, fluxit largiter, in triduo vt Samson vires exeruit, & resarciuit in somno, vt funes dirumperet, & hostes vinceret, vt vicit Christus in triduo, propria virtute resurgens. Tum vltimò Basan significat, in mutatione, fuit mutatus Samson de petra Ethan, vbi ligauerũt eum, Iudicũ 5. vsque ad locum maxillę, vbi dirupit vincula, & in maxilla percussit eos; quò

fluet

fluet de Basan, id est, de mutatione manifestabitur, vt Christus de mortalitate manifestauit, se Deum esse, resurgendo à mortuis. quò Isaias, & Ieremias 8. cap. *à Dan auditus est fremitus*. Leonis scilicèt, quo perterruit Samson Philistæos, & infernum Christus. Sub- 314
dit, *Cerastes in semita*, fiat Dan Cerastes in semita adhuc prænuncians Iacob de Dan ventura. Semita, via, & iter, non parùm inter se differunt, *iter* enim ab itero, quod est repeto venit, quòd repetatur, vel iteretur, ab eodẽ vel diuersis, & frequẽtetur iterum atque iterum. *Via* à vehendo dicitur, quò antiquitùs dicta est veha, & posteà via; nam vt docet Paulus Iurisconsultus, cõstituitur via, vel latior octo pedibus, vel angustior; vt tamẽ eã latitudinem habeat, qua vehiculum ire possit, currusve aut plaustrũ; latior enim si sit, iter erit, non via, aut veha, iave ab eũdo dicta; est enim quasi itineris medium, & dimidiũ actus. *Semita* verò est, quasi semi iter dicta priùs, idem quod via antiquitùs; Temporibus Hieronymi, & sacræ Scripturæ interpretum, distincta est à via semita, vt idẽ quod limes significet semita, partem scilicèt viæ aut itineris frequentatam magis, tritioréque, etsi semita notet etiã semitas illas, quibus fundi distinguuntur, & possessiones ab inuicem; extra iter & viam, dictæ limites. Vt ergo semita partem vię & itineris notat, frequẽtiorem magis, hoc duplici significatu pollet, vt vel partẽ notet, calcatu animantium, aut hominum tritam, vel tractu rotarum frequentatam magis, & orbitis earum signatam. Cerastem potentiam & robur in capite obtinere monstrauimus anteà, cornibus potentem, & dentibus, lingua & ore, venenum iis omnibus effundere compressione, venenosum exprimere succum tum ore; 315
eo enim compresso, saliuã perfundi experimur glan-

dulis spongiosis faucium pressis, quibus in vsum animantis continetur succus, vt deglutire possimus humida facta gula eo succo, & lingua spongiosa natura compressa, venenum exprimere poris dentium, tum cornuum cauitatibus, contactúque malignæ qualitatis, quò superat hostes, & vincit, inficit, & inquinat cornibus tetris, animantia allicere, & inuitare, quorum ostentatione, solicitatas aues perimit, & animantia reliqua, velut esca ficta, reliquo corporis de industria arenis obtecto, ne fugiant hostem patentem, nullum alterum indicium de se præbens, præterquàm cornuum; quæ vt cautiùs fiăt, tum semitas, sulcos & rotarum orbitas quęrit arenosas; & faciles minutioris arenæ, albicantis magis, vt cauum animantis corpus recipiat, ex lateribus decidente arena, colore simili, colori animătis vt faciliùs meliusque occulatur; orbitas verò & sulcos in semita exposcere, quòd quærirent animăria victũ in locis reconditis, in propatulo enim cùm omnia sese prodeant, non quæritant. Potĕtia, & robur Christi caput
316 est. 1. ad Corinthios 11. cap. *Omnis viri caput Christus, caput mulieris vir, caput verò Christi Deus.* Robur ergo capite obtinet Christus. Tum obtinuit Samson capite vires, potentiam, & robur. Iudicum 16. sic ipse Dalilæ loquitur: *Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus*, id est, consecratus Deo, *sum de vtero matris meæ, si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines.* Et paulò infrà eodĕ capite: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere, statimque ab eo fortitudo discessit.* Robur ergo Samsonis in capite erat, & robur Christi, vt est robur, vis, & potentia Cerastæ, vt cæteri

cæteri homines, Christus verus homo erat vltra caput diuinitatis; Dan ergò fiet Cerastes in semita, tum Samson, tum & Christus serpente figuratus locis adductis suprà; fiet itidem Christus, cornibus, potẽtia, & capitis robore, esca, doctrina, & alimentum; gẽtes inuitabit, alliciet diuinitatis cornu, & humanitatis, tum quadrigeminis nuncij tubis, cornibus & buccinis euangelij. Potentia & capite omnipotens, cibo, & esca inuitauit homines, abditus humanitatis semita Deus, quo dicit, *Ego sum via*, Ioannis 14. Erat occultus via, formam serui accipiens, simulatus quasi, tum in sepulchro in triduo potentiæ cornua manifestauit, patefecit Deitatem, quibus leuauit se virtute propria, inuitans gentes, & ad se trahens, deitate capite detecto, & conspicuo, vt Cerastes manifestabat in humanitatis semita adhuc potẽtiam & robur. *Cùm exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*, Ioannis 12. c. Tum Samson occulit se, vt Cerastes, primò in ænigmate, Iudicum 14. *De comedenti exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, soluite problema hoc. Hic sese abdidit primò ille, cornua solũ detegens potentiæ & sapiẽtiæ, prophetiæque simul, quod exposuit sponsæ; & illa Philistæis, Christus reuelat Ecclesiæ, & Ecclesia fidelibus. Abscondit se in domo Dalilæ, vbi quatuor cornua potentiæ detegit solùm, qui & dirupit funes nerueos, & nouos funes, vincula, & clauos, vltimò colũnas, quibus nitebatur omnis domus. Quatuor ergo his cornibus detectis, alliciebat gentes potentia, & viribus; Iudicum 16. *Lætantésque per cõuiuia Philistæi sumptis iam epulis præceperũt, vt vocaretur Samson, & ante eos luderet*. Denique 317
cornibus, & potẽtia hic Cerastes alliciebat, trahebat ad se gentes; cornua enim potestatem ostendunt, robur, & vim; quò dicitur Paralipomenon 2. c. 18.

Sedecias verò filius Chanaana fecit sibi cornua ferrea, & ait, hæc dicit Dominus; his ventilabis Syriam, donec conteras eam; cornua enim potestatem notant, psalmo 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, quæ de Christo Dauid nunciat ad literam, quo inscripsit psalmum hunc in finem, id est, in Christum qui est finis legis, ad Romanos 10. c. tùm inscripsit ad intellectũ, id est, ad mente conceptum, & præuisum Christum, Ieremias 48. *Abscissum est cornu Moab, & brachium eius contritum est*, vbi Moabitis desolationem prænunciat Thren. cap. 2. *Confregit in ira furoris omne cornu Israël*, id est, omnem potestatem. Potentiam ergo & cornua exeruit, manifestauit Sam-
318 son, & patefacit Christus. Sese obtegit in spelunca petræ Ethan, vbi victoriam & palmam reportauit, dum occultus debellauit Philistæos eo loci; se exercuit priùs duobus cornibus, spiritali potentia; erat enim consecratus Deo, intonsus, Nazaræus, officio fungebatur sacerdotij, tum tẽporalis iudicis, & ducis officio; qui iudicauit Israël viginti annis, duorũ cornuum Cerastes; Ecce adsunt duo gladij de Christo, & cornua duo potentiæ. In semita ergo Samson fiet Cerastes, in semita quæ est de Ethan, in locum maxillæ, vbi interfecit Philistæos, cornua potẽtiæ patefaciens. Christus in semita consiliorum, subdit Spiritus sanctus, iuxta naturam adhuc animantis Cera-
319 stæ, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò, dum homo malitia labascit propria, malitiosè calcaneo vitiato, inconstanti, pronus concidit, in faciem ruit tergora versus cœlum, auersatur, & abnuit cœlestia, terram amplectitur, & terrena facie, pectore, & corde toto. At si culpa equi passionum, & ignorantiæ culpa, & maiorum quibus vehitur seductus

exem

exemplis,& consiliis dilabatur,veneno infectus, supinus cedit,cœlum aspicit,retrò exclusus, ad Deum conuersus facie, auxilium implorat, clamat ad cœlum, mundum odit, & tergiuersatur, resurgitque faciliùs supinus cùm supersit, equo exclusus. Hinc sepeliebātur antiquitùs homines supini,brachio supra pectus adacto,quasi auxilium implorarent, brachio signante, vt patet in sepulchris antiquorum, quæ vsque modò extant; eratque petitionis suffragij mortuorum aptissimum hieroglyphicon, quo quasi deprecabantur homines, & ab eis auxilium expetere videbantur signaculo illo, & pietatis signo. Dan ergo Samson, momordit vngulam equi, superbiæ Philistinorum, qua elati, & celsi,equitabant,extremũ superbię,emordit basim superbię eorum,& elationis,exercitum, vires eorum superauit, vicit; nec enim timebant Deum, nec homines tumentes superbia;quò dicitur Iudicum 14.dum vxorem peteret Philistæam præcepto Domini, miratis parentibus,cùm à Domino factum nesciret,quærebat occasionem contra Philistiim;eo enim tempore Philistęi dominabantur Israëli. Vt ergo tyrãni fręnarentur superbiæ,extremum percussit,quo ruerẽt superbia & Philistæi, equus & ascensor eius, retrò tamen,vt si veniam peterent, consequerentur adhuc, vt ter fuere consequuti cap.16.illo per Dalilam ligato.Christus cùm interrogasset ministros Pharisęorũ; quem quæritis, & illi responderent, Iesum Nazarenum,cõciderent,Ioãnis 18.voluit,ibidem dicitur: retrò ruerent,& dilaberentur,vt auxilium peterent, misericordiam consequerentur, & veniam;quò iterum interrogauit,quem quæritis, quasi oblitus responsi & delicti, vsque dum pertinacia & obstinatione, reliquit illos ire in cordis desideriũ, in pœ-

nam delicti pſalmo 43. *Hæc omnia venerunt ſuper nos; nec obliti ſumus te; & iniquè non egimus in teſtamento tuo. Et non receſſit retrò cor noſtrum, & declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Vbi Dauid miſericordiam petit, & quòd ſupplicium auertat Deus, quòd non receſſerit retrò cor eius, dolet, vlulatque, quòd non receſſerit retrò cor eius, pronus imò ceciderit, ardentiſſimo rerum terreſtrium deſiderio, & in pœnam malitiæ; *declinaſti ſemitas noſtras à via tua*, in pœnam proni, non ſupini, Regum 1. capite 5. de idolo Da-
320 gon, ruina & amore proprio ſic dicitur: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra non ſupinus ante arcam Domini: tum inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra, coram arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus erat in loco ſuo, propter hanc cauſam non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon in Azoto, vſque in hodiernum diem.* In ſe cedunt proni, qui inſeruiunt ſibi, ſe diligunt, & amant, cælo aduerſantur. Eſt Dagon idolum Philiſtinorum Hebræis *piſcis* qui pronum eſt natura animal omnibus aliis magis. Fecit ergo Samſon cadere ſuperbiam Philiſtiim, vngulam, & extremum ſuperbiæ eorum momordit, equi ſuperbiæ partem potentiorem, qua nitebantur euertere Samſon, & conculcare. Viros illos, hos oppreſſit ille, qui erant calcaneum, & calx Principum, quibus nitebantur Principes, qui comprehendere ipſum tentabant, & ſuperbiæ equo inſidebant, hos apprehendit, & percuſſit, hanc equi potentiæ vngulam, qua calcare Samſon credebant; quo Zacharias cap. 9. *Et ſedebit ſeparator in Azoto, & diſperdam ſuperbiam Philiſtinorum.* Separator iudex eſt, nam reddit cuilibet quod ſuum eſt, & ſeparat rectum ab obliquo. Fuit

Samſon

Samſon iudex, vt anteà patet, *ſedebit in Azoto* in deprædatione ſcilicèt, hoc enim *Azotum* notat, *& diſperdet ſuperbiam Philiſtiim*; qui enim ſuperbiunt, leuantur in equo ſuperbiæ, dicitur Deuteronomij 17. *Dum Rex creatur, ne eleuetur cor eius in ſuperbiam*, non aſcendat equum ſuperbiæ, tum Eſdræ 4. c. 8. *In multa ſuperbia ambulat; ac ſi equitaſſet*. Tum Azotum in igne ſignificat quieſcentem; quieuit Samſon in igne, animo vulpium, dum alligauit caudas, Iudicum 15. vt incendio conflagraret regionem Philiſtiim, Ieremiæ c. 8. *à Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à* 321
voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis terra, & venerunt & deuorauerunt terram; quaſi à Samſon auditus ſit fremitus equorum eius, eius ſcilicèt, iure belli, aſcenſoribus victis, & ſuperatis, per Ceraſtem Samſon, qui equorum vngulas apprehendit ore, & maxilla, quaſi maxillaris Ceraſtes dictus ſuprà, in maxilla deleuit eos; & cùm hæc vidiſſet in ſpiritu Iacob, prorupit; *ſalutare tuum expectabo Domine*; Video enim in Dan Samſon, & in Samſon iudicium, poteſtatem, victoriam, robur, ſacerdotium, capitis virtutem, geſta, quibus video Chriſtum, quo ſalutare tuum in Dan expecto; Samſon, qui liberet Iſraël de manu Philiſtiim, & Chriſtum, qui liberet de ore Leonis, & Dæmonis, populum, & gentes. Salutare ergo, & ſalutem Angelorum, & hominum expectabat ideo, in Dan præuiſo Samſone, & in Samſone Chriſto, ſalutare expectabo. Erat Chriſtus ſalutis autor; imò ſalus erat, & ſalutare Patris. Quò ſalutatio angelica ab inſtanti conceptus exauditur, ſimulque cantus cœleſtis, dulciſonus, harmonicus, aue altili, nubiuaga, & ſonora, cuius eſt cantus, *Aue gratia plena*, cantus auis, & aue cantus, & Eua aue, Pſ. 43. in finē legis ad intellectū, & mēte prophetica præuiſum

ſum Chriſtum; cui eſt titulus ſic; *Tu es ipſe rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob*, quaſi exponeret Dauid ſalutare Iacob, quod eſſet pſalmo 26.
322 *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* imò pſalmo 32. *Fallax equus ad ſalutem, in abundantia enim virtutis ſuæ non ſaluabitur*, non in potentia, abundantia, & equo rerum fugacium fidendum, opulétia, & aliis; nam Ceraſtes ſuperat equum & vincit; imò in ſerpente potentiori equo, in figurato ſerpente Samſon, & in Samſon Chriſtus, cùm ſit ſalutis opifex gentium, vt fuit Samſon Philiſtæos ſuperans, ſalus Iſraël. Salutare ergo tuum expectabo Domine; qui depoſuit potentes de ſede equi, & exaltauit humiles; *equum, & aſcenſorem deiecit in mare*, Zacharias 10. cap. *Confundentur aſcenſores equorum*, & cap. 12. *In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amẽtiam, & ſuper domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum*
323 *populorum*. Paſſim enim in Scriptura ſacra ſenſus figurati in figurato ſenſu continentur, vt poſſimus in in Dan Samſonem expectare, & in Samſone Chriſtum; vt ſit ex figura figuratum decerptum, vt patet de Salomone Paralipomenon 17. qui promittitur Dauid eo loci; quem locum interpretantur patres plurimi de Chriſto venturo, non ſecùs ac plurima loca, quibus Dauid promittitur Regno Iſraël, de Chriſto interpretantur, cuius extant exempla plurima apud ipſum pſalmographum ſacrum. Apprimè ergo eo quòd Ceraſtes antipathiam, & diſſidiũ cum equo habeat, & præcipuè cum vngula eiuſdem, quòd ſit animal fortioris calcatus, omnibus reliquis naturæ animantibus, vt potentiam Samſon, & robur exprimeret in Philiſtæos ſpiritus Dei, populi electi inimicos & Chriſti, in Dæmonem, infernum, & mortem,

mortem, Ceraſtæ proprietatibus, & natura, hanc tantam, vt latè ſuprà diximus, ſignificauit victoriam in tyrannos principes & magnates, quibus vehuntur reliqui, vt ruant retrò, & nutentur.

An ex prædictione figurata Dan, & Ceraſtæ, Antichriſti futuri eliciatur perſona.

Capvt XVIII.

HVnc locum Iacob 49. c. adductum, vbi vatici- 324
nium de tribu Dan continetur, plurimi ex antiquis Patribus de Antichriſto interpretantur futuro, ſic Ambroſius libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 7. Irenæus libro 5. cap. 30. Auguſtinus q. 22. in Ioſue, Proſper de promiſſionibus Dei, parte 4. Theodoretus q. 109. in Geneſim, Gregorius lib. 31. Moralium c. 18. Beda, Rupertus, Ricardus, Arethas, Anſelmus, aliique plurimi, qui in his verbis futuri Antichriſti prædictionem contineri autumant; cuius loci verba eundem ſenſum figuratum cum illis continere aſſeuerant, quæ protulit Hieremias cap. 8. vbi inquit; *Expectauimus pacem, & non erat, bonum tempus medelæ, & ecce formido: à Dan auditus eſt fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota eſt omnis terra, & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem eius; vrbem & habitatores eius.* Ex his, & illis Geneſeos 49. vbi dicitur (vt anteà retulimus) *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſraël; fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò, ſalutare tuum expectabo Domine*; figurato ſenſu eliciunt, Antichriſtum, qui non ſecus ac Ceraſtes equi vngulam, quo vehimur omnes, vniuerſi finem, eiuſque extremum

ſcilicèt, eſt inuaſurus; cuius extremitates venenato dente emordebit, tẽpus vltimũ, & nouiſſima durationis vniuerſi ore mendaciſſimo, & dente venenato blaſphemiæ, & idololatriæ, eumque ideo ex maledicta, quam vocant, tribu Dan naſciturum; quò Ieremias eo loci terram ſubuerſurum prędicat, & gentes, fremitaſque equorum ſequacium, & ſubditorum eius, aures percuſſiſſe, tyrannorum ſcilicèt, & principum, quos in ſpiritu præuidebat, qui Eccleſiam erant vaſtaturi, oppugnaturique. Quò ibidem plenitudinem terræ, totumque vniuerſum ſubuerſurum eo loci dici ſuſtinent, cùm quod Apocalypſis c. 7. vbi de vniuerſali iudicio éſt ſermo, de omni tribu numeretur duodecim millia ſignati, de tribu autẽ Dan numeretur nullus: tum quòd habebit duo cornua Antichriſtus, vt Ceraſtes habet virulentia & doloſa, nam & Rex erit, poteſtatemque obtinebit temporalem, & ſe finget ſacerdotem eſſe, poteſtatemque ſpiritualem continere, Chriſtumque eſſe & Meſſiam lege promiſſum, miraculorum poteſtate pollere, quibus ventilabit Syriam, & vniuerſum, non ſecus ac duplici cornu à Sedecia facto eam ventilare permiſit Deus, vſque dum omnis contereretur. Tum coluber erit in via doloſus & fallax, vt non ſecus, ac antiquus ſerpens fallacia & dolo decepit homines primos initio vniuerſi, ſic ille ad finem vt coluber, & doloſus Ceraſtes decipiat & ſubuertat mortales. Quibus

325 præſidiis & fundamentis nituntur, Antichriſtum cõtineri illis Iacob verbis, hancque tuentur ſententiam & ſuſtinent. At vbi fuerit maledicta Dan tribus, non dicunt nec afferunt; imò hic largè benedicitur, maximéque, cum ſalutare Domini in hac tribu expectet, figurato in Samſone, qui ex hac tribu oriundus erat, Chriſtum ſcilicèt intonſum, ſacerdotem, & integrũ, quem

quem præfiguratum in Samsone sperabat, vt patet
eo loci Iacob; nam etsi ex tribu Iuda Christus oriun-
dus esset, vt patet celebri illo Iudæ vaticinio Gene.
49. & Apocal. c. 5. in hac tribu, & aliis variis modis
figurabatur Christus, mille occulebatur astutiis, & va-
riis fingebatur hic & illic. Tũ Moses c. 33. Deutero-
nomij catulum Leonis vocauit tribum hanc, & de
Basan largiter fluxurá prædixit figura & ænigmate,
qua Christus Leo obumbrabatur, in illa Samsonis fi-
gura qui ex hac tribu erat nasciturus; vt est ortus ille,
vt c. prægresso latè patet. Fuit Christus leo, qui vicit
de tribu Iuda, & Samson leonis catulus, vt ibidem
attulimus. Imò si maledictionis causa ex hac tribu
oriundus esset, antè multò ex tribu Ruben, de quo
Genese. 49. sic dicitur. *Ruben primogenitus meus &
principium doloris mei, prior in domo maior in imperio, ef-
fusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris
tui, & maculasti stratum eius.* Aut esset de tribu Leui,
& Simeon, de quibus eo loci dicitur: *Simeon, & Leui
vasa iniquitatis bellantia; in consiliũ eorum non veniat ani-
ma mea, maledictus furor eorum quia pertinax, & indigna-
tio eorum, quia dura, diuidam eos in Iacob, & dispergam
eos in Israël.* Non ergo ex tribu Dan ob maledictio- 326
nem, imò ex dictis tribubus nasciturus esset; nec quæ
ex Apocalypsi afferunt, mutant sententiam; Eodem
enim capite patet solutio, nam ibidem dicitur; *&
audiui numerum signatorum centum quadraginta qua-
tuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israël: Ex
omni tribu*, inquam, vt nulla prætermittatur, *subdit
post hæc: Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo
poterat ex omnibus gentibus, tribubus, & populis, &
linguis:* vbi & Dan tribus enumeratur, & si non
particulariter; est cuius præstantissima ratio; nam
cùm Dan iudicium significet, vt monstrauimus
antea,

anteà, non ſub Dan nomine, aut numero certo eos ſignat, qui ex hac tribu erant futuri; nam cùm ibi ſermo ſit de iudicio vniuerſali, vt patet ex contextu eius capitis, & ſequentium, Dánque ſignificet iudicium, non numerat de Dan vſque in finem vniuerſi & iudicij, numero definito & certo, quando iudicium omnium ſit habitum, & non antea; quò de tribu Dan numerauit in communi ſolùm & vniuerſali, non in particulari, vſque ad diem Dan & iudicij diem & ſeculi cõſummationem; ideo certum numerum ex hac tribu vſque ad finem vniuerſi non ſignat, vt iuſtorũ ſolutus numerus relinqueretur, notareturque Eccleſiæ Catholicæ capacitas, & amplitudo, tum gentiũ, tum aliorum omniũ, quo vſque numerentur iuſti omnes in Dan, & iudicio, non numerantur ibidem in particulari, vt ex tribubus aliis; iuſti enim omnes computãtur, & capilli capitum eorum, vt non pereat capillus capitis iuſti vnius adhuc; Lucæ 21. *Et capillus de capite veſtro non peribit*, iuſtis dicitur, & 12. c. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt, nolite ergo timere.* In vniuerſali denique eſt hæc tribus computata, & ſi ob dictas rationes ibidem eius non fuerit ſignatus numerus. At ſi ideo ex illa oriundus eſſet Antichriſtus, quòd peculiari ratione illius numerus ſignatorũ nõ fuerit præfixus, non minùs hæc ratio cogeret nos aſſeuerare, & ex tribu Ephraim
327 naſciturum fore illum, cùm & hæc tribus fuerit ibidem prætermiſſa, non ſecus ac tribus Dan; nulla eſt enim in Apocalypſi memoria tribus Ephraim, neque ex illa numerus ſignatorũ ſtabilitur, ſub eius nomine, vt nec ex tribu Dan computantur; & auget dubium, maiuſque negotium faceſſit, quòd ibi centum quadraginta quatuor millia ſignatorum computentur, quorum ſi partes fiant partitione æquales,

les, duodecim millia signatorum, prædestinationis
signo, duodecim vices recurrunt, & cùm cuilibet
tribui duodecim millia impertiantur, diuisis in cen-
tum quadraginta quatuor millia, duodecim millia
duodecies recurrent, quorum quodlibet duodecim
millia vni tribui si applicentur, duodecim tribus in
Apocalypsi videbūtur connumerari; & si sub diuer-
sis nominibus adactæ, vt nulla tribus ibidē deficere
videatur. Quò maius dubium accrescit, eò quòd si
sunt duodecim tribus omnes,& ibidem totidem nu-
merantur, vt ea numeri partitione colligitur, quo-
modo tribus Dan, & Ephraim fuerint prætermis-
sæ & obuolutæ silentio. Variis locis Scripturæ sa- 328
cræ numerantur tribus: eæque constituuntur, & si
præcipuæ quatuor locis, primus est Genesis 49. vbi
Iacob celebrem illam benedictionem largam, &
copiosam illis omnibus confert;& eo ordine imper-
tiit,vt primò benedicatur Ruben.2. loco Simeon &
Leui.2. & 3. vna & eadem benedictione.4. Iudas.5.
Zabulō.6.Issachar.7.Dan.8.Gad. 9. Asser.10. Neph-
tali. 11. Ioseph. 12. Beniamin. Deuteronomij verò
33. c. Moses iam iam moriturus iis eisdem benedi-
xit eo ordine,vt 1. loco benedictus fuerit Ruben.2.
Iuda.3.Leui.4.Beniamin.5. Ioseph.6. Zabulon, quē
simul cum Issachar. 6. & 7. eadem benedictione af-
fecit. 8.Gad. 9.Dan.10.Nephtali.11.Asser.Ezechielis
48.capite sic numerantur.1.Dan.2.Asser.3.Nephta-
li.4.Manasse.5.Ephraim.6.Ruben.7.Iuda.8. Leui.9.
Beniamin.10.Simeon.11.Issachar.12.Zabulō.13.Gad
constituatur. Apocalypsis 7. c.sic. 1.Iuda.2.Ruben.
3. Gad.4. Asser. 5. Nephtali.6. Manasse.7. Simeon.
8. Leui. 9. Issachar, 10. Zabulon.11. Ioseph. 12.
Beniamin. Quę dubiis,& difficultatibus plena vidē-
tur,cùm in Genesi.49.neque Ephraim, nec Manasses
com

computentur, cùm tamen anteà Genesis 48. Iacob hos duos Ioseph filios, tribuum principes, capitaque constituisset, sibique adoptione optasset, quos velle sibi adscribi filios, non secus ac Ruben & Simeon, reputarique sibi proprios, eo capite asseuerarat; nulla tamen dum benedicuntur reliquæ omnes, eorum mentione facta; loco verò adducto Deuteronomij Simeon obticetur, eiusque nulla habetur memoria, cùm reliquæ omnes numerentur, Ezechielis 48. omittitur Ioseph, numerantur verò duæ tribus filiorum eius, Manasses, & Ephraim, quò tredecim tribus cum Leui ibidem referuntur; in Apocalypsi Dan & Ephraim obticentur, & cum aliis tribubus enumerantur; vbi Ioseph & Manasses tribus diuersæ statuuntur. Quò plures hic, illic pauciores numerari videntur, vt summam afferat difficultatem hæc tribuum computatio. Quòd si eò ex tribu Dan nasciturus foret Antichristus, quòd in Apocalypsi tribus hæc subtacita est, hæcque esset sufficiens ratio; non minùs conuinceretur oriundus esse ex tribu Manasses, quæ obticetur loco adducto Genesis, aut ex tribu Ephraim, cuius nec ibi, nec in Apocalypsi habetur memoria, aut ex tribu Simeon silentio prætermissa, Deuteronomij 33. Exve tribu Ioseph relicta Ezechielis 48. quæ nullus asseuerabit. Imò omnibus his locis, & aliis quibus Scriptura sacra tribus enumerat, eundem semper affert numerum tribuum, eundemque sensum; quò nec sensu, nec numero est varia, duodecimque tribus refert, vt semper hic numerus in sacris historiis afferatur, & non alter; has enim elegit Deus quasi proprium peculium, suumque populũ, has legibus adstrinxit, his ex omni populo Hebræorum præcepra imposuit, quarum principes, capita, & principia filios Iacob constituit, vt posteà

poste

posteritates, successiones, generationesque eorum, ex his duodecim disseminatæ capitibus, tribus essent & vocarentur, Deiq; populus, & Israël, seu Iacob, semē, successioque maiorū eius Isaac, Abraham, & reliquorum Patriarcharum, & parētum, reliquis relictis, vel naturæ legi, vel ad aliquam ex his tribuum redactis, & coordinatis, vt omnis populus Israëliticus his duodecim tribubus contineretur. Vnde in Genesi duodecim solùm computātur tribus, Manasses verò, & Ephraim filij Ioseph hoc duodenario numero continentur; nam etsi diuersæ tribus extiterint à tribu Ioseph patris eorum, tamen Ioseph nomine hæ duæ tribus referuntur, & eodem continentur, vt cōputata Ioseph tribus; & eorundem familiæ intelligerentur, ex eo quòd tribus Manasses, & Ephraim fuerint constitutæ, quòd fuerint Ioseph filij adoptati à Iacob, & non aliter tribus constituerint, quò cùm tribus fundauerint, eo quòd Ioseph filij, Ioseph nomine continentur, & tribus eorum in tribu Ioseph computatur. Quando ergo Scriptura sacra tribus numerat constitutas ex legitimis filiis Iacob, numerat duodecim, Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Asser, Nephtali, Ioseph, Beniamin. Sunt enim ij filij naturales & legitimi Iacob. Manasses verò & Ephraim adoptiui, vt suprà retulimus. Quando verò filij adoptiui, & naturales Iacob computantur, quatuordecim inuenimus tribus, addita Manasses, & Ephraim; Est enim scripturæ mos maiorem aliquando numerum exprimere, subtacito minori, quando duo numeri eiusdem rei æqualiter proferuntur, vt Apostolos vocamus duodecim, cùm plures extiterint, & tribus duodecim, cùm tredecim, & quatuordecim computentur, vt vocamus septuaginta interpretes, septuaginta duos

duos Prolomæi, qui fuere; non secus tribus duodecim, in Deuteronomio subticetur Simeon, quia eadem benedictione cum Leui benedictus erat in Genesi, & idem de vtrisque dictum eo loci quo Moses numerat Leui, & cum eo Simeon amplectitur, quòd idem dictum esset de illis. Obticetur Ioseph apud Ezechielem loco adducto, quia Manasses & Ephraim computantur, vt daretur intelligi, filios adoptiuos legis gratiæ præferri multoties legitimis filiis legis scriptæ, & veteris: quò obticetur Ioseph, & exprimuntur Manasses & Ephraim. In Apocalypsi verò Ioseph numeratur, subtacito Ephraim; nam numeratur Ioseph tribus, qua & has duas cōtineri diximus; imò cum Ephraim Hebræis frugiferum, & crescentem notet; omisit ideò cum Dan, quòd vsque in Dan, & iudicium, de quo est ibi sermo, Ephraim & crescēs sit, crescatque frugifera tribus, vsque in eum diem; quò certo numero non definitur, sed vniuersali illa multitudine, & magna, quam dinumerare neminem posse ibidem dixerat, non tamen stricto numero præfinitur, vt reliquæ, quòd crescat frugifer Ephraim, & continuò fructificet, vel quòd alias induxerit idololatrare tribus, omittitur, vel reducitur ad Ioseph hæc tribus; & non omittitur! Tum Ephraim significat inter alia, & decem tribus simul coniunctas, quæ defecerunt à Iuda, & subditæ fuere Ieroboam Ephratæo, ipsumq; regem constituerunt, vt est videre Regum 3. capite 11. Sola enim tribus Iuda Roboam Dauid filium subsequuta est, & postea tandem tribus Beniamin; vbi solùm vndecim numerantur tribus, & si in decem iis vndecim contineantur. Nam Manasses cum Ephraim tribu continetur ibidem; quò duodecim vndecim Ieroboam, & vna Roboam addicta, quòd idola duo vitulo-

tum auri constituerit Ieroboam in Dan ciuitate; Dã subtacita idololatriæ scelere, quæ idololatra ibidem renunciatur, regionis nomine, & ciuitatis, sedis, vituli vnius, & idoli tribu dehonestata. Sed nõ ideo Antichristi sedes tribus hæc stabilitur, cũ tribus omnes, aut plures hoc vitio idololatriæ deliquerint passim, vt videre est Exod. 32. vbi omnes vitulum aureũ more Ægyptiorum adorarũt, Manasses verè recensetur in Apocalypsi, quia Manasses, Hebræis obliuionem laborum significat; videre est Genes. 41. vt notetur, signatis Dei signo illo iudicij, & iustis quorũ est sermo eo loci, nil laboris superesse, sed æternæ fęlicitatis requiem perpetuam. Multoties verò tribus Leui non computatur in Scriptura sacra, cùm ex eo quòd possessiones huic tribui non impertirentur; imò cùm sacerdotum esset familia, decimis bonorũ aliarum tribuum alebantur; quò dum tribus enumerat, tribuúmque possessiones, hæc relinquitur. Nec certã sedem obtinebat, sed inter alias tribus vagabatur. Tũ etiam nomina tribuum filiorum Israël scripta erant superhumeralibus sacerdotis, præterquàm huius, nã ij pro aliis tribubus suffragia ferebant, & orabãt, quę reportabantur in humeralibus, vt eorum reminiscerentur. Ipsi verò cùm sacerdotes essent, cum populo non commiscebantur, sacerdotum maximum documentum, ne rebus sæcularibus detenti, spirituales amittãt; fugiãt imò consecrati Deo à rebus prophanis. Tum quæ de proprietatibus Cerastis hic traduntur, Samsoni, vt monstrauimus, ad literam conueniunt; imò & euentus ipsius Dan illi ipsi conuenire, & quæ eo vaticinio continentur, dant intelligere: Figuratéq; & de Christo, qui sese abdidit astutiis, & prudentia serpentis possunt interpretari, eius qui exaltatus est sicut serpens in deserto à Mose, &

ſerpentis figuram imitatus,formam ſerui accipiens, vt latè ſuprà ex Ioanne,& Moſe tradidimus , vt hæc ipſi ſumus explicati,ſine eo quòd hæc ipſa de Anti-
329 chriſto ſentire cogamur. Præcipuè cùm ex ſenſibus myſticis ſolùm probabile poſſit duci argumentum, quo Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis locum illum Geneſeos de Samſone exponit,& literam Ieremię 8.c.de Nabuchodonoſor,qui venturus erat in Hieruſalem ad deuaſtandam ciuitatem poſt regionē Dan,vbi non de tribu Dan,ſed de regione eſt ſermo literalis.Eo enim nomine, & tribus,& regio intelliguntur.Regio,inquam,Dan dicta, quæ eſt ad Aquilonem terræ ſanctæ,vt ſuprà diximus , & de Nabuchodonoſor,nec Patres ſuprà adducti affirmant,hęc ſe ſcire,certóque de Antichriſto referunt,aut indubitanter eſſe tenenda , ſed vt probabilia hæc ſuſtinent ſolùm , vt ij ipſi teſtantur nullo modo locum adimentes aliis , ſi libuerit , quo minùs placita alia,& ſenſus ſuſtineant,& ſequantur, fidei non aduerſantia.

De his quæ tropologico ſenſu excipi poſſunt ex natura Ceraſtæ Scripturæ Sacræ naturalia plurima continent.

CAPVT XIX.

VAria ſunt,&admirationis plena,quę in hoc potentiſſimo animanti, ſumma Sapientia recondidit,vt omnibus moneremur,natura & proprietatibus rerũ,vt inſtrueremur nos homines variis rerũ iconibus,& exemplis ex viſibili natura deſumptis,vt per hãc conſpicere poſſemus intelligibilem,& æternam.Docẽt nos creaturæ omnes,docet exemplar,&

crea

creaturarum effigies, vt meritò dixerit Tarentinus ille
philosophus Architas, *Vbique Deus.* A quo suscepit 330
posteà Plato. Sunt hæc visibilia Pauli, quæ inuisibi-
lium mysteria saltem obūbrant, & in ænigmate qua-
si prefigurant. Inter quæ, mirabilia plurima continet
hoc animans. Est enim primò Cerastes mollissimæ
carnis, adeo vt dorso carere, & spina credatur, volu-
bilis, & flexilis nimis. nunquam it rectà, aggreditur
imò, quà non it, ire. Submittitur maximè, & contra-
hitur, in se cedens, coloris cinericij, asper extrà, in-
trò mollissimus serpentium omnium; sicca, &
aspera quærit loca, quæ habitat ille quæstus causa;
venationis scilicèt, vbi cùm loci siccitatem ostentet
exteriùs, interiùs humida, & molli, deliciosa arena
est obuolutus. Alimentum ostentat fallax cornibus,
& sæpè ostendit; dolo & cautela inuitat illo, depræ-
detur vt abditus, occultèque irruat; cornua exerit,
quibus ferit, venenosa & noxia; alimenti specie, fi-
gura, & forma, vt decipiat, & decepta alliciat animā-
tia. Sunt hæc contorta, caua, & prominentia, mille
anfractibus plena, duplicata quādoque, vt sint qua-
drigemina iam tractu temporis. Incuruatur maxi-
mè, dum sanguinē sugit, amplissimis maxillis, & oris
hiatu ingenti, obliquus, exterminat faciem, hiatu in-
cōcinno, & maxillarum amplitudine, summissus icit
occultè & petit fortiora, robustioráque ipso vincit,
cum strepitu cedit, quasi ventris sibilo, squāmarum
sono, surdus ad alia, acutissimi visus, odoris tetri, &
olfactus acerrimi; voracissimum animal; inui-
dens auibus cœli, quas vt capiat, abditur, non so-
lùm terræ animantibus contētus, æmulatur auibus.
Hypocrisis iconismus expressus, altáque effigies, 331
exteriora pœnitentiam prædicant, interna luxum,
mollitiem, aspera externa, squāmosa, rigida, cineritij

 coloris,

coloris, austeritatem ostentantes, interna mollia, coloris viuidi, lenia, flexibilia, delicio, saplacida. Non it hypocrita quà ire significat, imò aliò; ostentat pœnitētiam, & voluptatem sectatur, secretus, abditus, sub doctrinæ & alimenti specie decipit, & circumuenit homines, aspera quærit quæstus causa, & propriæ vtilitatis, & vt mollis in se cedat, non secùs ac Polypus distenditur versùs alia, vt comprimatur, & sit sibi vtilis, quæstu auaritiæ, vberaque exerit innumera, quasi lactis & alimenti, doctrinæque plena repræsentat, vacua cùm sint, exucca, sine lacte, succo doctrinæ, & alimenti exucca Polypus, quibus allicit animalcula incauta, quæ trahit suctu, & blanditie illecta. Cornua agni, arietísque offert Cerastes caua, distorta, anfractibus, & circũuolutionibus diducta, quæ primò in ipsum tendere videntur, posteà ad extra iterũ recurrunt, externa versùs cuspide, in dãnũ proximi, partéque illa qua icunt alios, & capessunt impetum, ad alia vergunt, & spectant ad extrà, vt in alios ruant, & si eisdem sese affligere videantur; hypocritæ, simulatione & fraude. Cornua agni distorta, & vnca Cerastis obtinet hypocrismus; imò agni cornua, arietísve ostendunt, occultantes reliqua serpentis venefici, & vafri, simplicis agni, arietísve domestici, & vtilis, signa solùm exhibent, & innocua cornua: non secùs ac bestia illa Apocalypsis 13. quæ cũ cornua agni obtineret, seduxit vniuersum orbem. Agni figuram repræsentant intùs lupi rapaces, dicitur Matthæi 7. capite. Cornua habent arietis, agni imò; exterminant enim facies suas Cerastes ij, maxillarum amplitudine, quibus omnia glis-cere tentant, hiatu amplissimo oris, exterminant facies, dicitur Matthæi 6. Imaginem & similitudinem propriam disterminant, qui ad imaginem & simi

ſimilitudinem verbi Dei erant, Geneſeos 2.cap.Iob
de Chriſto cap.13.qui eſt verbũ Patris,ſic inquit. *Ipſe
erit ſaluator meus,non veniet in conſpectu eius omnis hypo-
crita.* Nam in conſpectu & facie eius non veniet,
nec veniet cum facie eius hypocrita ; non venient,
non dicent cum illo , cum verbo , nec illo dicun-
tur verbo veritatis , fallaces & ſubdoli. Nam cùm
ſit veritas ipſa Verbum , & cauſa noſtræ verita-
tis,& entitatis; falſum, fictum , & fallax non decet
cum prototypo veri : exterminant facies ſuas , qui
cùm maxillis polleant,& omnia deuorent, extermi- 33.
nantur,qui in maxilla delebuntur,vt Philiſtæi,Pſal-
mo 31. *Maxillas eorum conſtringe qui non approximant
ad te*; imo diſtant mendacio,oris fraude , & mali-
tia,hianti ore,maxillis apertis , vt ingerant omnia.
Tropologicè cauendum,ne Ceraſtes ſerpens Dęmõ,
equum rationis iciat in vngulam appetitus, inferio-
riſque portionis,vt aſcenſor ruat homo,in ſemita &
via noſtræ peregrinationis,& cadat aſcenſor eius re-
trò.Iſaias cap.28. *vt vadant,& cadant retrorſum , & il-
laqueentur & conterantur* ; vt facit Ceraſtes ruere
retrò & nutare animal læſum ſemel, iis conſulit Ec-
cleſiaſtes 4.cap.cùm cognoſcat, Ceraſtem retrò ve-
nire , & nos ruere retrò morſu huius animantis,
ſerpentiſque Dæmonis. *Non relinquas quærentibus
tibi,retro, maledicere.* Conſolatur Iob. 17. cap. iuſtos
ab hypocrita Ceraſte læſos iis. *Innocens ſupra hy-
pocritam ſuſcitabitur , ſtupebunt iuſti ſuper hoc & ad-
mirabuntur.* Præueniénſque iuſtos Eccleſiaſtes 19.
inquit : *Eſt qui nequiter ſe humiliat , & interiora eius
plena ſunt dolo.* Deſcribens hypocritam quidditatiua,
vt aiunt,definitione, minatur illos Iob. cap. 15. iis.
*Congregatio hypocritæ ſterilis , & ignis deuorabit taber-
nacula eorum,qui munera libenter accipiunt.* Non debita,

dolo imò & fallacia surrepta, & fraude, steriles tamen & egentes semper denuntiant. est egens qui nil suum possidet. Est serpens hic formidandus, & pertimescēdus nimis, quòd reliqui latibulis, latebris occulantur vt irruant, sepibus, saxis, terræ glebis, fugientes iter, viam, & semitas, concursum hominum, & animantium vias, & tramites; hic verò semita occulitur, via & tramite ipso, frequētioribus, vsitatioribusque locis, securioribus, cōmunioribus, viis triuialibus. Quò horrendus magis, verendus, & reformidandus plus multò serpentibus reliquis est; cùm & securioribus locis occulatur, & tritioribus, tum quòd maiori dolo, & cautela recondatur, agni cornua ostētans solum. Sunt vitia sæuiora multo, & efficaciora, dæmonis artes maiores, callidioresque; in via virtutis, & semita occultantur, & boni specie, forma elucescūt. Iis enim periculum maius inest reliquis aliis, & venenum deterius iis abditur multò; hic latet Cerastes, hic venenum, & virus deterius, quando effugiunt formam propriam, figuram, & specimen vitia, occultātúrque sub virtutis nitore, induítque malum effigiem boni, Paulus 2. ad Corinthios. c. 11. sic: *Nam eiusmodi pseudò Apostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*; & non mirum; ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo mirum, si ministri eius transfigurētur in ministros iustitiæ. Leuitici 1. præcipitur, victima offeratur pelle detracta, vt interiora appareant qualia sint, & non solum externa, & c. 7. pellis victimę adscribitur sacerdotibus, qui interna iudicant, ne latitet Cerastes in virtutis semita. Ergo prospiciendū maximè, quia latet abditus, vbi timetur minùs, & speratur, imò ibi conatus apponit maiores, vt diripiat, & deprædetur incautos, non solùm animantia

mantia terreſtria inuadit, aues imò, ſpirituales homines, aliteſque cæliuagos malitia inficere tentat, qui ſemitas virtutis percurrunt, Matth. 7. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces.* Vult enim videri agnus, ouis, aries Ceraſtes dum arietis cornua detegit ſolùm, aliis quæ ſerpentis ſunt, tetectis & occultis. Deuteronomij 22. *Non indueris veſtimento quod ex lana, linoque contextum eſt.* Hypocrita enim duplici veſte vtitur, duplicata & non ſimplici, lanæ ſimplicitatem oſtentat, lini ſubtilitatem occultat, lanáque inuoluit; Auguſtinus Pſalmo 63. *Simulata æquitas non eſt æquitas, ſed iniquitas.* Gregorius 8. moralium; *hypocrita eſt phantaſma quod non eſt repræſentans.* Seneca in prouerbiis. *Malus vbi ſe bonum ſimulat, tunc eſt peſſimus.* Poëta ſic: *Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes: Impia ſub dulci melle venena latent.* Hieronymus ſuper illud Matthæi 6. cap. *populus hic labiis me honorat,* inquit. *Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus monſtrum eſt, velut quædam beſtia compacta.* Poëta ſic. Parte leo prima, Draco media eſt ipſa chimæra. Non ſecus atque Herodes, qui dum Ioanni deuotionem promittit, gladium acuit. Chryſoſtomus ſuper Matthæi 7. *Nulla res ſic exterminat bonum ac hypocriſis, malum enim ſub ſpecie boni non præcauetur.* Serpentes ficti, qui dum cauda blandiuntur, dentibus, ore, virus & venenum inſpergunt; Ceraſtes, qui ſpecie doctrinæ, & amicitiæ, inuitat occultus arena terreſtrium fugaciumque bonorum, percurrentes virtutis ſemitam, inuadit figura Doctorum alimenti, & doctrinæ, & non ſecùs atque illi, qui cum pomum nituntur puero arripere, auribus ſubleuant, ſeſe Deum oſtenſuros promittentes, quò pomum ſurripiant interim; ij Deum

ostentantes, deprædantur mortales, interim dum verbis fictis aures affectant & feriunt: sibilo ventris semper gradientes, squammarum strepitu, operum scilicèt, in se cedentium, & ad propria attendentes commoda, prophani, & exteriores in totum, vt videantur hominibus ieiunáre ab omni rerum copia, sese exterminant, & tamen se non excedunt, in se manent, redeunt in se vt Cerastes. Imò multò magis idem à se distinguitur, quàm hypocrita à se; ratione enim idem à se seiungitur, hypocrita verò sic hæret sibi, vt ratione non separetur, imò contra rationem, sibi assidet, addictus sibi omni ex parte, non secùs ac viscum, quod sibi hæret, glutinosa & viscida substantia, si extendatur, & porrigatur semel extra se, est, vt incautas irretiat aues, liget, & inuoluat; quod semel distractum maiori impetu in se redit; sic ij dum proximum contingunt, & ad ipsum tendere videntur, est, vt decipiant, sub apparentibus & fictis coloribus latent, vt artes exerceant, & machinentur dolos. Cerastes sic ergo serpens horum cinere, & arena inuoluitur, spei pœnitentiæ immiscetur in virtutis via, & semita deteriùs multò. Hieronymus super Isaiam; *Leuius est in alium apertè peccare, quàm simulare, & fingere sanctitatem*, lib. 6. & super 6. Matthæi, *Strepitu labiorum hypocritæ benedicunt Deum, mente maledicunt.* Persius satyra 5. *Pelliculam veterem retinens, & fronte politus, Astutā vapido geris sub pectore vulpem.* Iuuenalis satyra 2. *Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuūt.* In via virtutis superbus abditur Cerastes, contendere nititur, & superare cælestes, ipse sepultus terræ visceribus, & obscœnis locis, occultus rotarum or-
333 bitis; quò dicitur Ecclesiastici 33. *Præcordia fatui quasi rota carri quæ euoluitur orbitis arenæ huius.* Rota enim pondus omne sustinet; nam plaustrum & onera supertenet,

pertenet, totum onus illi innititur, omnia sustinet, voluitur, & circumuoluitur perpetuo motu, & circumuolutione continua, ascendit, descendit, remotior à mercibus quæ asportantur in plaustro, reliquis omnibus aliis magis, orbitis obuoluitur, occulitur arenis, trahitur, repit, quasi Cerastes limo & puluere, gemiscit, queritur, conqueritur quasi, & cùm nunquam vtilitatem experiatur mercium, laborat perpetuò. Cor fatui nunquam quiescit, perpetuo motu, inquietum, & vagum, orbitas facit continua circumrotatione, quibus Cerastes serpens occulitur, & delitescit; hypocrisis Cerastes abditus, & occultus, mercium expers, imò cùm quieta possit rota eadem contingere, axem scilicèt, suumque centrum per radios, ac mota, ineptè mouetur sibi saltem, & si cum aliorum vsu. Et cor fatui, cùm possit obtinere in centro, in rotæ axi, omnia in Deo creaturarum centro, dum mouetur per lineas, & dictos radios, aut radios creaturarum, solius creatoris almi, continuo motu extra centrum, sibi inutili, onera inutilia sustinendo, tanto labore, & anxietate tanta. Cor fatui, vt rota carri abditum in rotarum orbitis. Cerastes alter stultè, fatuéque mouetur, per lineas singulas creaturarum, qui omnia in centro quietus Deo amplecti & continere potest. Non secus ac si 334
Cerasta essent infecti Iudæi, cum quibus Isaias loquitur cap. 1. Accidentia enumerat, morsusque & signa, quæ apprimè huius serpentis natura deplicari & exponi queunt, & decenti allegoria depingi, sumpta ab hoc animanti metaphora, cùm serpentis venenum fuerit, sitque nostræ ruinæ causa, radixque nostri lapsus; quò inquit sic, eo loci describens quasi Cerastæ morsum, peccati, & Dæmonis serpentis antiqui, Ioannis Apocalypsis 12. 20. capite, *Væ genti*

peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum, ſuper quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mærens; A planta pedis vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas; vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Cap. verò 19. ſic: *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens, & non erit in Ægypto opus quod faciat caput, & caudam incuruantem, & refrænantem, & ſtupebunt, & timebunt.* Quæ quantum cohæreant cum iis quæ ex probatiſſimis adduximus autoribus, de Ceraſtis natura, & morſu, ambiget nullus. Semen hoc nequam, ſerpentis ſemen, & viperarum generatio, abalienati ſunt retrorſum, morſu Ceraſtis. Facit ruere aſcenſorem equi rationis, retrò læſa appetitus vngula inferioris partis, calcaneo læſo, retrò, quà non ſentit, nec ſenſus adſunt animantis, callo obducto, duritie & contumacia calcanei, quà cognitio deeſt, hac perit abalienatos à rationis motu, à ſyndereſi, & ratiore recta, illis proprior multò reliquis omnibus actionibus: præuaricantes, iter verum omittentes, & percurrentes ſemitas, non catholicam capitis, vniuerſalemque doctrinam. Ibi & latet Ceraſtes, omne caput languidum, vertigine illata veneno Ceraſtis; docent autores dicti adductis locis, læſis contingere vertiginem, animantis morſu, errareque, vomere, non ſecus, ac ebrij euomunt: mente læſi, & capite, extra rationis metas aberrantes, corrupta, & cruda infecta & malè olentia, quæ nec ipſos iuuant, nec proſunt aliis, lædunt imò, & inficiunt exemplo, malitia. Omne cor mœrens; Diximus triſtari Ceraſte læſos,

læſos, mæſtiſſimaque vexari melancholia, tales viuere, ſi ſeruentur in poſterum. moderatum vinum lætificat, & exhilarat animum, nimium triſtitiam parit illud ſpiritus recreat, regenerat, viuificat, hoc minuit, reſoluit, diſſipat, diſtẽperat, ebrij ſunt triſtes tãdẽ omnes, tẽperati, hilares, læſi Ceraſte, quaſi ebrij euomentes, triſtes; Vulnus, & liuor, & plaga tumens, à planta pedis ad verticem capitis, vt Ceraſtes referre puſtulis læſum monſtrauimus per vniuerſum corpus; vbi verò icit plaga tumens & liuida exoritur, liuorque vniuerſos apprehendit, vulnuſque ſupereſt quaſi inſanabile, quo nec ligari, nec medicamine, aut oleo ſuccurri poteſt; neque enim Ceraſtis vulnus ligari debet, ne compreſſione ligaturæ venenum intrò recurrat, vt cor petat, inficiatque, aut medicamine glutinari, & vniri, oleóve leniri & mitigari; imò omni vulneri virulento hoc eſt proprium, vt reſeruetur hians, & aperto ore, vt
virus ad extrà fluat & labaſcat; quò & Ceraſtis eſſe 335
vulnus ſimul cum aliis intelligitur; ideo ſubdit; & non erit opus quod frænet caput, & caudam ſerpentis, quibus venenũ contineri diximus. Morſus huius animantis cognoſcitur eo inter ſerpentes omnes, quòd vt anteà retulimus, virile, mirabile dictu, arrigat adeò, vt ſemẽ effũdat inuito animãti, renes & lũbi incendio flagrant, crura inualidantur, vt ſeſe ſuſtinere non poſſit animal; quaſi huius animãtis morſus principia generationis vitiata eſſe, propagationiſque ſpeciei humanæ notet, ſerpente antiquo; quò Paulus ad Galat. 5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, rixæ, iræ, diſſenſiones, ſectæ gratiam transferentes in luxuriam*, vt de iis dixit Iudas, epiſtola illa; ac ſi Ceraſte eſsẽt percuſſi, & læſi,

læsi, non secus luxuriant tales, qui semitas Cerastis percurrunt, omissa veritatis & virtutis via, & sectantur Cerastis limina, præcipuè hypocrisis, superbiæ, & fallaciæ, simulationisque, quibus caput non incuruatur rigidi veneno animantis, diximus tetano affici illos, & caudam, mentulamque arrectam superesse veneni potentia, quæ cauda appellatur latinis communiter, Horatius in sermonibus: *Accidit vt quidam testes, caudamque salacem Demeteret ferro.* Quò non incuruari iis caput, & caudam dixit eo loci Isaias, quòd superbia elati, & instigati, carnis passionibus rigeant, inflexiles virtuti.

De medela virulentorum morsuum serpentium, historico, & mystico sensu continens plurima.

CAPVT XX.

336 VIsibilis hæc corporea vniuersi machina, quæ intelligibili, & spirituali regitur natura, duplici genere corporum integratur, & coalescit; corruptibilium, & incorruptibilium; quorum illa cœlorum largo continentur numero, hæc verò corruptioni obnoxia in simplicia & mista corpora partiuntur; quorũ cùm quatuor extent simplicia, ignis, aër, aqua, & terra; specie, & situ, natura, & proprietatibus dissidentia, & diuersa; illa quæ mistá substantiá & compositam continent, quædam animata, quædam verò animæ expertia vniuersum exornant, perfectæ & cõsistentis naturæ. Perfecta mista absolutæ, & cõsistentiæ debitæ, sunt mineralia, lapides, bitumina, succi, sales, & hæc sine anima; reliqua verò nacta viuendi modum, anima viuunt, vegetabilis naturæ, aut

aut ſenſilis, rationaliſve ordinis, quibus cùm ſit cuilibet ſua propria natura, ſalus, perfectio, dum naturalem obſeruant diſpoſitionem, debitumque naturę modum, conſiſtunt integra, vt eſt cuiuis ſuamet natura, & perfectio, ſalus. At alia aliis veneno eſſe poſſunt, corruptionique, dum ſeſe affectant, & alterãt, vt quæ vni ſunt naturalia, violenter cætera ſuſcipiãt; hinc cælo venefici inſunt aſpectus, noxiæ qualitates, quibus peſtes, mortes, vniuerſaleſque morbi communi ea cauſa excitantur, dum affectat alia viru quaſi, & cruore tetro, ſæuo, atroci, venenumque hoc modo cælo ineſſe cognoſcunt mortales, dum ea quæ illi ſunt perfectioni & naturæ, cætera immutant præter menſuram iuſtam, quòd non poſſit excellentiſſima illa cœlo naturalia ſuſtinere, aut ferre, imperfectioris naturæ cũ ſint, vilioriſque, illa vſque dum temperata ſuſcipiant remiſſa, & refracta, quæ ſunt integra cœlo; quo venenum è cœleſti natura prouenire multoties ſuſpicamur. In natura verò corruptibili, ſimplici & miſta, animata, non ſecùs ac inanimi venenum inuenitur; In mineralibus plurimis, argento viuo, gypſo, ſandaracha, bituminibus, lapidibus, terris aliis, vt cognouimus paſſim, adhuc dum ſuam naturalem diſpoſitionem obſeruant, & temperamentum iuſtitiæ retinẽt; In natura verò animata vegetabili primò, flores, fructus, virgulta, rami, radices, cortices veneno pollere noſcimus, & teterrimo viru. In natura ſenſili reptilia omnia propria, & impropria, tam apedia, quàm quæ & ſi pedes continent, longo corporis reptant tractu, omnia plus, minuſve, venenum poſſident, dirumque virus in iis præcipuè inuenitur; venenumque in natura hac omni. In reptilibus aquatilibus venefica ſunt aliquot, vt Draco marinus, piſcis dictus Torpedo, Remora, quędáque

alia

alia venenoſa,& crueńta;& ſi venenum magis ſęuum, magis dirũ in natura reptili, terreſtri manifeſtetur, apedi dicta, iis virulenta ineſt natura, morſu & ſubſtantia. In natura verò pedeſtri pauca ſunt talia; Bonaſi meminit Plinius, quod inficit halitu, & inquinat anhelitu tetro, virulento, libro 8. cap. 15. Solinus in polyhiſtoria. cap. 30. qui dicitur ab Æliano Monops. In volatili ordine quædam & ſi perpauca, vt cantharides vulgò dictæ. In natura reptili præcipuè propriè tali, eſt ſummum venenum, ipſis ſalus, nobis exitium, mors, & corruptio. Vt ignis qui ſummo ſuo calore ſeruatur, & perficitur, nos alterat, corrumpit, & vaſtat qualitate eadem; non ſecùs venenum quod ſuiſmet genitoribus eſt ſalus, & conſummata perfectio, aliis mors, excidium eſt vndique, deſitio & corruptio; ſeruatur enim Baſiliſcus veneno proprio, temperie, & natura, illo altus, & nutritus cruore, quo inficit reliqua. Plurima verò animãtiũ, rabie percita & commota, venenum impertiunt morſu, vt canes, ſues, & mitiſſima alia alterata, inſtigata, venenum crudeliſſimum generant, præter modum naturæ; cuius variæ exiſtunt formæ, & ſpecies,
337 conditiones, modi. Cùm enim tria ſint, quæ nos immutant mortales, alimentum, medicamentum, venenum; illud reſarcit ſubſtantiam, inſtaurat, reponit alimentum qua tale eſt; medicamenta verò ſecundùm propriam medicamenti rationem, noſtram ſubſtantiam alterant, debitamque temperiem noſtram reſtituunt, conſeruant, fouent. Quòd ſi ſubſtantiam reponãt, id eſt, quatenus alimenti naturam & ſubſtantiam continent, & vt alimentum quà alterat medicamentum eſt; venenum verò qua tale corrũpit, inquinat tẽperiem noſtrã, vitæ aduerſatur, & principiis illius, principaliter cordi, quod priùs quàm reliquæ

partes

partes motu continuo quo ampliatur, & diſtenditur, vapores infectos, & ſpiritus alterabiles, priùs ob tenuem ſubſtantiam eorundem diſtentum ſemel ad ſe allicit, trahitque eoſdem, vt priùs alteretur veneno illud, inficiaturque primo, motu & vi maioris caloris tractiua quo pollet; quò iis morbis breuiſſimè opitulari licet, propter ſummum periculum, ſi extremis morbis extrema debentur remedia, vt dixit Hipocrates, & cum illo Galenus 1. aphor. 6. Vnde cùm inter vaſtiſſimos ſerpentes immoremur veneno tetros, & ſit nobis futura pugna cum pernicioſſimo hoc animantium genere, virulento, & terribili, cùm læſis duxi remedia afferre, curationemque virulentorum morſuum inſtituere, tum reliquos remediis præcauere artis, ne viru inficiantur, tam hiſtorico, quàm tropologico ſenſu, deplicando plurima, præcipuè poſt naturam, mores, & conditiones Ceraſtæ, qui primus eſt eorum ſerpentium, quos virulentos ſummè Scriptura ſacra teſtatur, ne ſit poſteà opus in ſingulis ſingula referre, ſed vno omnia cōtineri capite, quæ ad hanc partem ſpectant. Semel ac defecit homo, iuſtitiáque, & rectitudinem ſibi dono deſuper datam amiſit, fœliciſſimi innocentiæ ſtatus, morti animi & corporis ſubditus, inter mala plurima quæ illi contigere, inter tot tantaſque miſerias & calamitates, fuit & morbis ſubiectus vndique, corporalis naturæ, defectibus & vitiis vexatus; impetitur enim hac & illac, vt nil firmum, ſtabile nihil ſuperfuerit illi, præterquàm malorum inflictus, & calamitatum tumultus, quibus ille continuò vexatur & affligitur turba, vt etſi medicina creata ſit ab altiſſimo, vt dixit Selomon*, quæ illi ſtatu naturæ integræ non erat ex vſu, quoad effectus & opera, ſed quoad ſpeculationem ſolum, & artis notitiam, intelle

tellectuſque habitualem cognitionem, & præſtan-
tiam, mentiſque excellentiam; lapſo homine indi-
guit arte hac celebri, & clara, vt corporis, & naturæ
vitia poſſet corrigere, & frænare. Quoties verò ſuf-
fectura eſt natura expulſioni morborum, vt multo-
ties ſine adminiculo artis illos propellit, ars ceſſat,
neque opus eſt arte; mirus dixit Hipocrates 6. de
339 morbis, ſectione 1. Dũ tamen auxiliis eget, vt extir-
pet morbos, medicus miniſter naturæ ſuccurrit arte,
auxiliiſque, & medicaminibus qui naturam admi-
niculatur, vt morbos eradicet, vt ſi nequit illa, ars
efficiat quæ natura nequit, quò eius miniſter medi-
cus compellatur: qui contemplatur duo, naturam
quam conſeruare nititur, & morbum quem extirpare
conatur, omninò abolere, & cum ſimile conſerue-
tur ſimili, vt contrariis vaſtatur, naturæ ſuccurrit ali-
mentis ſubſtantia ſimilibus; morbos verò oppugnat
auxiliis contrariis virtute. Natura vel quæ eſt con-
ſeruatur, vel ad meliorem reducitur, quorum vtrum-
que alimentis iuſtis conuenienter perficitur, quò
Paulus lac impertiendum eſſe pueris præcipit, eſcam
verò, ſolidumque alimentum adultis, allegoria de-
ſumpta ab iis quæ præcipiunt medici, & conſulit
ars; docuit Galenus de ſanitate tuenda lib. 1. c. 1. &
de alimentorum facultatibus, variis in locis, Hipo-
crates libro de alimento, per initia, & alibi ſæpe, eſt
medici naturã ſuſtinere vndique, naturalia ſeruare,
protegere omnia, quantum expetunt illa, quò eam
inſpicere oportet oculo dextro, principaliterque; vt
340 Auicenna docuit, morbos verò dum reſcindere ten-
tat eorum cauſas & affectus, auxiliis & remediis
medicis opus molitur, qui cum præſentia, & futura
conſideret, vt hæc ipſa compleat: modò præcau-
tione vtitur, curatione modò, quibus vt ſatisfaciat,
triplici

triplici artis parte vſus hæc ipſa tractat: curatiuæ enim medicinæ partis ſunt tres ſectiones; quarum vna, pharmacia dicitur, Chirurgia altera, & naturæ conſeruatiuæ medicæ artis Diætica inſeruit; morbos enim explodimus pharmacis, & Chirurgia, itidem, eorum dũ cauſas extirpamus, ſymptomata, effectus, iis eiſdem illa corrigimus, alimento & victu, parteque medicinæ Diætica quæ iuſtum inſtituit cibum, naturæ ſubuenimus. Præcautiuæ partis duo ſunt remediorum genera, quibus morborum cauſis ſubuenimus, eáſque moderari conamur; quędam vniuerſalia, communia, & ſunt illa quæ totum ipſum proſpiciunt, & circa illud verſantur; quædã topica Græcis dicta, ſeu localia remedia, & peculiaria, quæ partibus admouẽtur, circa quas ſuum munus cõplẽt. Sunt enim in hac noſtra corporis fabrica partes, quæ per vaſtam noſtri corporis molem decurrunt, vt venæ, arteriæ, & nerui, docet Galenus 1. de Anathomicis adminiſtrationibus. c. 2. 1. de vſu partium. c. 3. Plato in Timęo, Ariſtoteles de partibus animalium libro 1. c. 3. Hippocrates libro de natura humana, & reliqui qui de humana corporis fabrica diſertè aſſeuerarũt.
Quãdo ergo ex his vaſis quæ per vniuerſum corpus 341
decurrunt, humores elicimus, vniuerſale remedium vocitatur, quòd ex vniuerſa corporis mole deponamus ſarcinam, materiámque exuberantem, cuius generis remediorum ſunt, ſanguinis miſſio, expurgatio, ſudor, & tranſpiratio inſenſibilis, quibus ex toto euaneſcunt ſucci, qui vniuerſaliter in vaſis cõmunibus continentur: topica verò remedia, quæ genus alterum conſtituunt, præcautiua & curatiua eſſe queunt, quæ partibus applicita, circa illas moliuntur opus, quæ non poſſunt toti aptari, cùm non per vias & meatus communes diſpenſentur, ſed ſolùm

per illas quas contingere queunt & afficere solùm. Vniuersalia remedia quorum quatuor genera attulimus, missionem sanguinis, expurgationem, sudorem, & perspirationem insensilem, non omnia consulimus veneno infectis, neque eis omnibus damus vti quouis modo ad opus redactis, quorum expurgationem omnino vitamus, ne vocet ad interna succos, & cũ illis venenũ quod exterius effundit virulentum animans. Vocant enim medicamenta expurgantia, motu facto humores ab exteris ad interna, à circũferentia ad intra versus centrum & intima quæuis animantis, liquores, interna petunt, quibus tractis, iã priùs veneno infectis animãtis morsu, viscera inficiũt, & reliqua simul, animæque domiciliũ, quo epoto veneno vomere cogimur, nõ expurgare, ne internas inficiat sedes deleteria qualitas, neque his sanguis detrahendus est, eodem consilio, ne intimè & alto in corpore delitescentes partes semel debita copia, alimẽto destitutæ, missione sanguinis facta, quæ ex internis euacuat infectos succos, venenũ alliciant, & ad se vocẽt, quo interiora, vbi inueniũtur animæ præcipua loca, inficiantur cruore. Hinc sanguinem nullo ab his deponimus modo, præterquàm in plenitudine nimia, vbi ne tanta inficiatur materia periculum imminet, & cessat trahendi necessitas interiora versus, quòd abundent interna succis, & alimenti copia in plenitudine tãta. Ad duo ergo reuocatur capita curatio omnis, quæ debet fieri necessariò auxiliis topicis, ad qualitatis veneficę extinctionẽ, eiusque si aliquid causæ superest, ablationẽ, tũ ad veneni extractionẽ subjecti motu, cui virus assidet, vt ad extrà euocetur, cessetque minitari interna, illáque affligere, in morsu cruentorum reptilium infecta natura, apochristica græcis dicta medicamina diapho

diaphoretica, omnia acria, & mordacia ; calida quæ virtutem habent alliciendi ad extrà venenum, & ab internis diducendi vtilissima iis. de quibus quouis capite latiùs infrà. Inter hæc verò topica auxilia nullum est maius, præsentaneumve magis virulentis morsibus, quàm eiusdem serpentis caput vstum, & in puluerem adactum, versum in cinerem, applicitum suimet cui infligit vulneri, vt puluere illo, immane ad se vocet virus, & tanquã in suum locũ naturalem semel effusum reuocet, virtutéque insita, & natiua, exoluat susceptum venenum, & ad extrà euocet, pulúisque ille & cinis natura siccissimus, imbibat virulentam saniem, & cruorem corrigat. Sic Paulus Ægineta dixit loco citato, Ætius, Aristoteles, Plinius, Galenus, alij suprà adductis locis. Tũ cerebrum 342
animantis bibitũ, haustumve suctu crudũ, hæc vitia corrigit, & castigat, quòd sit summè frigidum aliquibus, vt est summè calidũ reliquis reptãtibus, quò calidũ venenũ frigido tẽperatur cerebro, & frigidũ castigatur calido in eisdem. Veneno enim extremæ naturę, ad extrà propulso è cerebro, ore reiecto, cerebrũ qualitatis contrarię, & extremę superest, ad mensurã eius quod deficit veneni, in contrarium lapsum eius absentia cerebro diducto, vt hinc pulcherrima allegoria notetur illud, quòd virus superbiæ, potentiæ, & ambitionis, nullo alio frænetur meliùs, quàm cinere & puluere, quibus formati constitimus, postquàm serpens ille superbus Lucifer, tumidus, in cælum propriis viribus conscendere est ratus, miserè in terram delapsus, & puluerem iuit ; tum serpens ille qui Geneseos 3. caput superbiæ leuauit, hominémque superbire fecit, in terram & puluerem proiectus, viuit misertimè, homo superbia elatus in terram proturbatus cecidit, redactus

in puluerem, vt animi elationem cognoſceret, ideo illi dicitur Geneſeos 3. *Terra es, & in terram ibis, cinis es, & in cinerem reuerteris*, capite, capitalíque vitio ſuperbiæ in puluerem acto, veneno & morſui, cinere cognitionis applicito, caput ſuperbiæ redactum in cinerem eſt, auxilium, & medela morſus tetri veneni, quo tumidus ſeſe excedit quiſpiã, præſcriptóſque rationis terminos tranſilit arrogans, puluere applicito, ſuimet cognitione ꝓpria, quò ſuperbire deſinat, ſeſe puluerem iudicans, cinerem, & nihil; multoties imò hoc ipſum ſuperbiæ caput igne charitatis Dei dilecti ſuper omnia peruſtum, & redactum in puluerem propriæ cognitionis, ſemel ac labaſcit homo, & decidit veneno infectus, eſt ſibi in poſterum remedium, ſalúſque, vt cautè viuat, vt reſipiſcat humilis, & de ſuis viribus diffidat, ſubdatúrque regulis, præceptis, & conſiliis impoſitis, vt non ſibi arroget, aut fidat ſibi in futurũ. Auguſtinus ſuper caput 57. Matthæi: *Audeo dicere ſuperbis: continentibus expedit cadere, vt in eo ipſo in quo ſe extollunt humilientur, quid enim prodeſt cui eſt continentia, ſi dominetur ſuperbia?* Sethius diligentiſſimus medicinæ cultor, libro 2. cap. 6. Plinius vbi ſuprà, Ælianus, libro 6. c. 33. Dioſcorides, Galenus, Ariſtoteles 8. de hiſtoria c. 6. Morſui huius animantis, raphani ſemina vino trita conſulunt, & epota, quòd ſudorem moueant; & ad extrà propellant infectos ſuccos,
343 excitétque lachrymas raphani ſemen, quibus cerebrum expurgetur per oculos, & cor veneno infectos ſpiritus in lachrymas conuerſos, aqueumque humorem expurget, quò ſimul venenum tractum arteriarũ motu continuo dilatationis, expiet & emendet, vinoque cor roboretur, ex quo nouos generet halitus, vitaléſque reſarciat ſpiritus; non ſecus cha

charitatis vino refecti, in Deum & proximum, effusis lachrymis contritionis, venenum tetrum serpentis superant, expurgantque cor à suscepto viru. Cerastis morsum, penem potentissimè arrigere, Satyriasimque inferre libidinosam, suprà monstrauimus, renibus & lumbis incendio æstuantibus. Non secùs ac cantharides dictæ, & scynci inter animantia, virentiaque plurima, venerem excitant, vt libidine acta, furiis agantur, & in venerem prorumpant animalia. Huic diro symptomati nullo alio remedio 344
meliùs succurrimus, quàm pulueris castissimi animantis Castorei dicti, qui ex testiculis paratur, dragmæ semisse solutæ vino in potu acceptæ; mirabile dictu, docent animantia adhuc quantum luxuriam frænet castitas, & habitus, consuetudoque virtutis, vitia & excessus. Corrigit venenum Cerastæ Castoreum, sudorem mouet, & ad extrà propellit coinquinatas substantias, interna purificat, exoluit infectos succos, euanescere facit immane venenũ, quò cùm virus hoc immane & tetrum serpentis, naturam læserit nostram, & propagationis principia in Adamo omnis posteritatis, vt serpentis huius ictus illicò naturam infectã ostentat, cùm virile arrigat, semen fundat, lumbos, & renes, inguináque vrat, necessariũ est vti remedio castissimi totius naturæ animantis, purissimi, immunis omni libidinis labe, Castorei scilicèt, & ab illo accepto medicamento vti. Est animal hoc castitatis symbolum, castimoniæ hieroglyphicon, ambiguæ naturæ, fiber dictus Latinis, quod extremas oras fluminum incolat, lytra olim, & fibra, vestium extrema, fimbrias vocamus, & iecinoris vltimum fibriam, amphibium animal, terræ & aquæ, cuius Scytæ tres cõstituunt differentias, rusticũ, nobilem, & regem. Rusticus nostra vulgaris lytra, nu-

triave dicta; nobilis tonsus est, rex qui capite crinem obtinet instar coronæ. Sunt perfectissimi qui in Pōto oriuntur, qui medio corpore terrám tenent à capite ad renes, medio tamen, ab iis ad caudam, semper aquis innant; quò & castissima iudicantur animantia, cùm testes & generationis instrumenta quæ calore luxuriant, aquæ frigore attemperentur, & aquis mundissimis committant. A Ponto in septentrione, ad Pannoniam vsque, anterioribus huius animantis, carnis vice vtũtur, posterioribus piscis loco, quod carnis munera non obeant, nec carnis officio fungantur, & eis vescuntur eo tempore adhuc, quo edicto pontificio interdicitur carnium vsus, piscem mediũ iudicantes, qui est illius conditionis, vt anteà
345 quàm concrepuerint ossa partis apprehensæ, non remittat morsum. Hunc dixere Plinius, & alij libro 32. cap. 3. testes sibi dentibus amputare fugientem, quorum causa vexari cognoscit & angi, castissimum animans, quæ non sic intelligenda veniunt, vt suscepit vulgus, cùm testes contractos obtineat, & alligatos spinæ, altos, & quos contingere non possit, nec resecare, tamen in fuga calore æstuãs calidissimum semen, succúsque ille fuluus qui in eisdem continetur partibus, foraminibúsque duobus, quæ inter testes fiant, effluens ad tempus, vtilissimus omnibus morbis frigidis, materiæ crassæ; gnescit exercitio, & prurit motu, in cursu ignita substantia illa, quo premit dentibus partes, & sese scalpit pressione, vt dolore excitato maiori obscuretur pruritus; tum compressione pellit humorem in alias partes, impulsu & attritu pressuræ, cessatque prurigo molesta, scalptu, vt contingit in scabie animantium; quò credidere multi amputare sibi testes, quod fricet, scabiat fugiens eosdem, cùm non amputet ille, scal-
pat

FINIS.

tentia pro morbo, aut natura feretur, prout testes & signa adfuerint, & comprobabitur causa, vt ea die, vi aspectuum iudicia contingant, certa in hanc, illamve partem, prout res habuerit, aspectibus cœlestibus, & materiæ apparatu. Sic, & venena vincuntur die nono, ratione & experientia notum, ad finem trigoni aspectus, quia est causa rebellis & maligna nimis; quò nō vincitur septimo aspectu tetragono, vt morbi acutissimi, imò cōtingit nonū vltra transcendere, vt docuit Hipocrates. Hinc ictus serpentis antiqui, nono expurgabatur die, quò Leuit. 23. in hęc verba dicitur: *Sabbathum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis.* Pœnitentia & lachrymis afflictione & dolore, morsus serpentis, venenum, & rabies, pœnalitates, defectus, superabuntur: iis vincetur serpentis Cerastæ virus, cruor, & sanies atra vi-
347 tiorum. Sed nouenarius hic numerus hunc obtineat in sese ordinem, vt vnitas prima sit Dei, & Deus ipse prima vnitas, qui est simplicissimè vnus, & vnitatis vnitas, dualitas verò charitatis, quæ in aliud tendit, in rem amatam & amantem scilicèt, quibus duobus vniuersa lex continetur, Deo, & proximo. Ternarius Trinitatis & fidei primus numerus mas, nam binarius fœmina est, ternarius enim primus numerus indiuisibilis in partes æquales numericas, est vnus sibi, est Trinitas vna, est vnus Deus trinus. Tum fidei, spei, & charitatis. Quaternarius verò, vt percurramus numeros, & dies nouem, sit nobisque nono salus, & ad salutem præparemur, sit quatuor virtutum cardinalium, prudentiæ, temperantiæ, iustitiæ, & fortitudinis: quinarius horum nouem dierum sit custodia quinque sensuum exteriorum, senarius sex operum misericordiæ exercitium; quæ etsi numerentur septem, claritatis causa, & vt discant

vulga

vulgares, sunt sex re vera; est enim eadem pascere esurientem, & potare sitientem, vt Diuus Thomas docet & alij. Tum ferre iniurias & remittere offensas idem: Septenarius septem virtutum moralium decursu adimpleatur, octonarius octo beatitudinum numerus sit, post quot dies visitauit Christus Apostolos, quo sequitur nonus dies salutis & gratiæ Dei. Nouem ergo diebus intereunt, vel saluantur homines,& Cerasta læsi. Lucæ 17.c. cùm decem leprosos mundasset Christus, inquit, decem mundati sunt,& nouem vbi sunt? nouenarij ij qui salutem nono expetunt vbi sunt, vt consequantur salutem, vbi sunt nouem? Denarius enim simplex est; ex eo enim alios reditu astruimus, repetitis eius partibus; hinc Ezechielis 40. c. octo gradibus adstruebatur ascensus templi, vt iis transactis, nono templum subirent, & ipsi alloquerentur Deum, quo nono demùm salutẽ ipsam consequebantur & morsi remedium. Hinc 348
posteà obumbrata veritate irrepsit inter gentes affirmare, vt refert Ouidius Metamorphoseon vltimo, esse in Africa lacum Tritonicum appellatum, in quo Pallas primò sapientiæ Dea fuit visa mortalibus, cuius ea erat natura, vt si quis balneum nouem vicibus subintraret, vt extergeretur vndis, posteà in auem commutatus peruolabat ad sydera, alitemque cœliuagam fieri aligeram & suauissimi cantus. Fuit Pallas sapientiæ Dea antiquitùs celebrata hominibus. Si ergo sapientiæ balneum ingrediaris, Verbi & sapientiæ Patris,& sanguinis Christi, lauacrum aquæ, non eges nouem vicibus, imò vna, vt in Siloë piscina mundabantur, & vna in Christi aqua, & lateris fonte, ad supera peruolabis, renatus ex aqua,& spiritu. Capite enim 1. diximus, ex vapore aqueo aues subortas fuisse; producere enim aquæ volatiles, vt

con

constat Geneseos 1. Aqua ergo & spiritu renascuntur aues, vt ascendant in cœlum, quæ descendunt de cœlo solùm, id est, aues quæ sunt cœliuagæ & cœlo peruolant, & vagantur in aqua & spiritu, & veniunt de origine cœli partes mysticæ corporis Christi, qui originem de cœlo trahit, ducitque ortum, cuius virtute, & nos de cœli origine descendimus. Quò nemo ascendit in cœlum, nisi qui hoc ordine descendit de cœlo. Locus alioqui intellectu difficilis.

FINIS LIBRI PRIMI.

pat imò solùm, quos contingit summa cum difficultate, vt sensere docti: sic Sestius libro 2. cap. 6. à quo & Pierius, & reliqui, Ælianus libro 6. cap. 33. Dioscorides, Galenus, & alij, Aristoteles 8. de historia, c. 6. qui omnes consentiunt, generationis & libidinis instrumenta macerare & affligere, qui animanti omnium obscœno magis Cerastæ opponitur, animal mundum magis, omni labe libidinis, & huic vitio virtus aquis viuit mundus totus, sese temperat aquis, propriam castigat & corrigit carnem, frænat, imò carnem odit, vt diximus; adeo vt non resoluat priùs morsum inimicæ carnis, quàm ossa quibus sustinetur obcrepuerint, & quassentur. Nec antè Castor continens à carnis cesset morsu & pœnitentia, quàm occasiones quibus caro fouetur, & sustentatur, conquassentur vndique, & ossa quibus sustinetur. Castimonia ergo curatur Cerastis morsus, Castoréque castigatis generationis instrumentis. Mat- 346
thæi 19. *Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei: qui potest capere capiat.* Samson Cerastes dicitur, quòd Dalilæ blandicijs acquieuerit, & illecebris. Nono die intereunt illi quos Cerastes affligit morsu; nonum verò si transcenderint, saluantur decimo, vt eisdem locis & autoribus constat, eisdem enim diebus homines liberantur à morbis quibus intereunt. Docuit Hippocrates 2. prognostici, Galenus 1. de crisibus, c. 1. Hippocrates 3. prognostici sectione 30. vbi nonum diem in doloribus decretorium statuit. Sunt dies critici, quibus crisis, sententia, & iudicium fit de morbi euentu, & de naturæ victoria, quasi natur[illegible] & morbus, actor & reus essent, cælum iudex aspectibus lunæ, & astrorum fælicibus aut infælicibus; quo sen-

IOANNIS BVSTAMANTINI



PRÆFATIO.

INTRICATA ſatis, & perplexa ſerpentis natura, conditiones, & mores, quibus plicatur & circũuoluitur, ſtrictè adeò, vt ab illo abſolui ſemel ac nos irretiuit, ſummè difficile iudicauerimus, illicò ac in ipſum incidimus, detinuit, ſtrinxit nos fortiter adeò, vt difficile ſatis hûc venire potuerimus, illius ſpiris, & orbibus plicati, & detenti, ſed iam poſtquam illius nodos euaſimus, eiuſque abſoluimus ſtrictiſſimos nexus, monſtroſumque ſuperauimus animans, & vicimus, quaſi claua Herculis, cruce Chriſti, vltrà progredi datur, & cum aliis horrificis animantibus, Ceraſta & ſerpente ſuperatis, certamen inire, eo tamen ordine in eorum enarranda natura obſeruato, vt eum quem ſitu, & poſitione ſacræ Scripturæ libri continent, non permutemus, quò poſtquam Geneſeos loca in quibus ſerpentium incidit ſermo deplicauimus, ſuo ordine reliqua proſequemur.

De

De historico ſerpentium ignitorum ſenſu Scripturæ ſacræ.

Capvt I.

NVmeri.21.ſic dicitur: *Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris, loquutúſque contra Dominum, & Moyſen ait: cur eduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſem, atque dixerunt: peccauimus, quia loquuti ſumus cõtra Dominũ & te. ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitq; Moyſes pro populo, & loquutus eſt Dominus ad eum, fac ſerpentem æneum, & pone eũ pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum viuet. Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cũ percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Deuteronomij 8.cap. ſic: *Obſerua, & caue, nequaquã obliuiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, & ductor tuus fuit in ſolitudine magna, atq; terribili, in qua erat ſerpẽs flatu adurẽs, & Scorpio, ac Dypſas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra duriſſima, & cibauit te manna in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui.* Satis difficile intellectu eſt, quales fuerint ſerpentes illi, quos vocat ſpiritus Deus ignitos, & igneos locis adductis: fuerint ne veri ſerpentes, an verè ignei, an igniti, & ſi ignei ignis ſolius, an exceſſu & prædominatione ignei miſcella & ſymmetria, creati denuò, an aliunde aduecti, & qua ex parte aſportati, Iudæis vt mortem inferrent. Et faceſſit negotium, quòd cùm animal omne tactu polleat, eſt enim primus ſenſus, qui impertitur animanti, & qui neceſſariò ei ineſt,

& ſine

& ſine quo eſſe nequit, docet Ariſtot. 2. de partibus animalium.c.8. & 3.de anima c.13.nam eo vitat cauſas corruptiuas, quarum omnium cùm ſit tactus ſuſceptiuus,cùm in ratione tangibilis contineantur ex æquo, nequit tactus vnico elemento adſcribi,aliàs, contrarias ſolùm, non omnes qualitates ſuſciperet, cùm nil qualitatum elementi quod habet, recipere poſſet, qui in omni actu illarum erat, ab elemento inſito,& potentia,vt ab alio mulctaretur, deſtituebatur, qui in omni actu erat conſtitutus per naturam propriam,ſolumque oppoſitas ſuſciperet, non omnes, quò non fugeret corruptiua omnia,perfecta natura animantis, & integra,nec de omni ſenſibili iudicaret, nec cognoſceret omne,cùm non hæc magis quàm illa teneatur ſentire ſenſitiuum omne, animánſque vniuerſum per naturam inſitam;tum ſi miſtum ex omnibus elementis non eſſet,ſimplici aleretur, non miſta ſubſtantia illud, & organa ſenſuum ſimplicia forent,non miſta,non conſiſtentia, euaneſcerent:ſubitò vt ignis, aërque euolant,inconſtantia, & tremula,aqua fluit,terra,puluis dilabitur ſubitò, ſi iis ſimplicibus conſtitueretur immiſtis, & ſolis, nec animans conſtitiſſet,nec ſtetiſſet firmum,perfectum, ſtabile; euaneſceret imò, ſimul ac efformatum eſſet, exolueretur. Nequit ergo animal vnius ſimplicis elementi eſſe, ſerpentes verò, cùm animantia ſint, ignis ſolius eſſe impoſſibile iudicatur, ſi veri erant ſerpentes, non apparentes, & ficti. At veros fuiſſe conſtat, cùm quòd literalis ſic eliditur ſenſus Scripturæ ſacræ, vbi de iis, vt de veris ſerpentibus texitur ſermo abſolutus, & integer, tum quòd Sapientiæ capite 11.ſic dicitur. *Quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt ſcirent, quòd*

T *per*

per quæ peccat quis, per hæc & torquetur: non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuiſa, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas, aut ignotas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas immittentes, quarum non ſolùm læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere. Quibus veros fuiſſe ſerpentes teſtatur ſpiritus Deus. Eſt eo capite ſermo de longa populi peregrinatione, & via, de culpa, ſupplicio populi, & miſericordia, & benignitate noſtri conditoris: vbi nec ignotas beſtias, nec ignem ſpirantes, aut fumum, aut noui generis animantia immiſiſſe refert, cùm tamen dixerit, igneos ſerpentes & ignitos aduectaſſe in populum. Quò difficilius adhuc redditur dubium; & ſi conſtet illud, veros fuiſſe ſerpentes illos, imò non ignotos, vt hoc capite planiſſimè datur intelligi. Neque enim reſpuit Deus naturæ opera, quando fert natura, nec quæ poteſt natura moliri, qua vtitur Deus lege ordinaria, miraculo efficiet, aut abſoluta & ſupernaturali potentia, cùm ſufficiat ordinata, ne ſuperfluat in actione quidquam, cùm natura ſufficiat in ea, ſaltem in quæ illa poteſt. Cùm enim ſerpentes veri id poſſint malum inferre, & vltionem delicti explere, interitũ, mortẽ, metum, vlcera, morſus, quid fictis vtetur Deus? Et ſi communes id poſſunt, ſi indigenæ, cur nouis, & aduenis vtetur, cur monſtroſis, cur alienigenis, raris, inuiſis, aliunde aduectis? & ſi productis iam, cur denuò creatis? tum ſi genitis, cur factis ex nihilo? præcipuè cùm ſint adducti, vt reſipiſcerẽt de delicto idololatriæ, vt per quæ peccarunt punirentur, quòd adorauerint ſerpẽtes, & immũda coluerint in Deos, iis ipſis puniti. Ergo quibus obſequium præſtiterant, non

non aliis,non fictis,ipsissimis imò, vt delicti pœnæque causam intelligerent, & ad veram pœnitentiam reuocarētur. Præcipuè quòd Sapientiæ 17. c. vbi de Pharaonis obstinatione & duritie incidit sermo, sic dicitur. *Illi enim qui promittebant, timores, & perturbationes expellere ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant; nam & si nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium & serpentium sibilatione tremebundi, commoti peribant, & aërem quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.* Vbi non monstris afflixisse infideles adhuc testatur Deus: imò eodē c. sic. *Apparebat autē illis subitaneus ignis, timore plenus, & timore percussi illius quæ nō videbatur faciei, æstimabant, deteriora esse quæ videbantur.* Vbi laruæ, phātasmata, monstra, si quæ illis videbātur, potiùs imaginationis vitio, & timoris potētia contingebāt timore percitis, quàm quòd essent re vera talia: quò & deteriora se videre credebāt, metu perterriti, imaginationis vitio, quā erant, adeo vt imaginata facie, horribili metu, creditáq; imaginatione opinanti iā posteà videre deformia, alia plurima horrenda, & mōstrosa iudicarēt, in pœnā delicti. Non ergo monstrosis, aut fictis Deus vsus serpentibus, non laruis apparentibusve solùm rerum naturis, veris imò, & serpentibus veris, vt iis locis patet. Sed si veri, qualiter igniti serpentes, & ignei qualiter? Ægyptios natura callidissimos, inconstantes, & varios, superstitiosos nimis, molles fuisse, delitiis, & voluptatibus deditos, impensè delicatos, tum inter primos literis incubuisse, cognitioni & contēplationi rerū cōstat. Plinius lib. 7. c. 56. 57. docet Socrates libro 4. c. 33. Crinitus imò in Bibliotheca septimana, ait se legisse hos versus. *Moses primus Hebraicas exarauit literas. Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas. Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata.*

Abraham Syras & idem repperit Chaldaicas. Isis arte non minore protulit Ægytias. Gulfila prompsit Getarum, quas videmus vltimas. Apollodorus idem in chronicis, Laërtius lib. 2. Volaterranus lib. 13. c. 3. Suidas, & reliqui, & inter sacros Doctores D. Ambrosius Paschæ festum, & Ægypti fugam exponens, qualiter voluptatum illecebræ sint perfugiendæ, & in desertum per mare rubrum sanguinis, & in pœnitentiam confugiendum, ex Ægypto in desertum, ex mollitie in dolorem vitæ, austeritatem, labores, abstinentiam, docet idem. Tum Chrysostomus oratione habita in vigilia Epiphaniæ, plurima de Ægypto in hanc sententiam retulit. Aristoteles 2. cæli passim. c. 9. 10. 11. 12. Plato, & alij: Fuere enim maximè literarum cultores, tum vera, tum superstitiosa rerum & artium cognitione; syderum, & astrorum motus, actiones, & opera, percallentes, quod & cœlum semper pateat fulgens, & nitidum, aër purus, & limpidus, nubilis, nubibusq; expers, non celet sydera, sintq; in propatulo semper. Et cùm perpetuò Nilus inundet regionem, vice imbrium, quæ Ægyptiis desunt, fæcundissima semper, feracissima omniũ rerum terra, & cœlo benignissimis, cognitioni & intelligentiæ rerum aptissima, & commodatissima speculationi sit; tum quòd omnibus abundantes, cõtẽplationi rerũ addicti non distrahãtur, impediantúrve rerũ exigentia & penuria, alióve intenti, vacent aliis, præterquàm suauissimæ cognitioni, scientiis ideò fuere consecrati, & curiosæ rerum notitiæ; imò superstitioni vltrà nimio luxu & lasciuia rerum, effrænatóque earũdem vsu, abusu propriùs. Hinc legitur in libris Sybillinis illud, *Miles Romane ab Ægyptiis caue: ne luxu fias mollis & imbellis Ægyptiis deliciis affectus.* Imò postquàm Romani lasciuiam, mollitiem, & delicias Ægyptiorum

rum degustarunt, sic lasciuiere vbertate & copia, turpiter adeò se ipsos effæminarunt vt pessum ierit imperium, in Ægytios translatũ, dicti referunt autores locis adductis. Hosque adeò fuisse cupediæ deditos, vitiosos, voraces, infames adeo, vt ipsis in baiulos vterentur Græci, ingluuiei causa solo victu contenti, tradit Aristophanes, iis : *Currus imposuit duos, ac duos mortuos, quos nec Ægyptij quidem tollerent centum.* Quò 4
& vulgò irrepsit adagio, Ægyptius laterifer, id est, Ægyptius gestator laterum : quia simul plurimos gestabat quilibet, qui cum Hebræos subditos cogerent tantum pondus gestare, oneri insufficientes moriebantur, & deficiebant, vt dicitur Exodi 1. iis. *Oderant filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Horum tanta erat in Deorum cultu varietas, inconstantia, & superstitio, idololatria illa, vt cùm priùs Solem, Lunam, & stellas venerarẽtur, & in Deos colerent, posteà animãtia varia, obscœna, & immunda alia adorarunt, inter quæ erat Ichneumon animal, mus Nili, & species muris, quod Crocodilos interficiat, & enecet, quominùs sit infestus Nilus. Tum Ibis auis erat illis Deus, quòd expurget serpẽtibus oras Nili & regionem Ægypti, quibus infestãtur, ex Arabia aduectis, Africo spirante vento, quos affert alatos, & sine alis; Plinius docet lib. 8. c. 7. & Cicero 2. de natura Deorum. Cum ergo ex vastitate Lybiæ inuectos angues gliscãt, ob beneficiũ acceptũ, Deos prosequebantur obseruantia, & cultu. Tum felẽ, accipitrem, refert Diodorus Siculus lib. 2. c. 2. Fulgosius lib. 5. c. 2. Valerius lib. 5. 2. c. Plinius loco allegato. Quorum ea fuit demẽtia, stultitia illa, vt nõ solum solem, lunam, stellas, animantia in Deorũ nume-

rum referrent, alicuius notę; serpentes imò venenosos, tetros, exitiosos, summam eorundem admirantes potentiam, vim & agendi energiam, quos non citra numinis aliquid, Deitatísve, continere posse robur tantum existimabant: Imò eò res venit, vt non solum animantia, vegetabilia imò quædam, vt cepas, allia, porros, pepones, cucumeres, in summa omnia quæ vitæ mortalium præstare possunt vsum aliquẽ, aut commoditatem, aut vitam tueri, mortémve violentam inferre: Tum protuberantia notatu digna, magnitudine & mole, quò montes, flumina, stagna, lacus, arbores, & quidquid aliquo aliis præstat recolebãt in Deũ; asinũ, lupũ posteà, Crocodilũ, serpentes honorabant in Deos, quorũ quidam Deo vescebãtur Dij, vt pepone asinus, & agno lupus; hinc Numer. c. 11. sic est scriptum: *Quis dabit nobis ad vescẽdum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque & cepæ, & allia.* Hæc non edebant Ægyptij, cum vt Deos prosequerentur pietate, & cultu, vt neque pisces, quò gratis, & in larga copia vtebantur Hebræi horum omnium. Hæc vero non degustare Ægyptios docet Herodot. lib. 2. latè Sabelli. lib. 10. c. 7. & reliqui suprà citati autores, qui Ægyptios iis omnibus abstinuisse affirmant, imò Arist. problemate 32. 21. sectionis, omnium optimos pepones, cepas, & allia Ægypto oriri asserit, ob loci humiditatẽ, quod sit humida nimis illa, quorũ recordabãtur Hebræi, & ferebant ægrè, quòd illorũ copia deficeret, Ægyptios verò ritus plurimos & cultus; plurimáque ex Æthiopibus accepisse referunt ij, quò Hebræorum plurimi Ægyptiorum commercio infecti apostatare à Deo vero, superstitione & idololatria corrupti & infecti in varias abominationes abiere, & errores; dicitur Exodi

Exodi 8. c. à Moíe: *abominationes enim Ægyptiorũ immolabimus Domino Deo noſtro*. Deóſque mentitos, & falſos vero Deo offerri voluit, & ſacrificare vitulos, oues, capras, quæ in Deos recolebant Ægyptij idololatria, vt vnum Deum verum cognoſcerent, immutabilẽ, & æternũ, immortalẽ, omnipotentẽ, aliorũ mutatione, interitu & impotentia. Quò dicitur Sapientiæ 11. citato. *Quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorũ animantium in vindictam.* Hæc verò ſerpentes fuiſſe conſtat Deuteronomij allato loco, vbi ſic extat ſcriptum: *Ductor tuus fui in ſolitudine magna, atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio, ac dypſas, & nullæ omnino aquæ*, & Num. 21. *Quamobrẽ immiſit Dominus in populũ ignitos ſerpẽtes*, de delicto populi Hebræorũ ſermonem inſtituens, & de pœna delicti. Immiſit ergo propter idololatriã & ſuperſtitionẽ, quæ verum Dei cultũ derogabant, ſerpẽtes Deus, quòd ſerpẽtes colerent (piiſſimus, & miſericors Deus) vt reſipiſcerẽt, & cognoſcerẽt immiſſis ſerpẽtibus, quòd ſerpẽtes coluiſſent Deos, vt reuocarẽtur à delicto, & errore, pœna ipſa, agnita culpa, tum intelligerent, & reſcirent, vt dicitur Sapientiæ 17. c. quòd *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, vt in poſterũ ſibi conſulerent, & cauerent à delicto, pœnæ repetita memoria, moniti de peccato lege ſupplicij ſtabilita, quò vitia fugerent, ne pœnæ rationẽ ignorãtes pręſumerẽt, queſtus & querimonias de Deo efformare, imò pœnæ inflictu cõuicti omni ex parte, & moniti, damnarentur, ſi iterum reinciderent, tum vt cùm iis eiſdem affligerẽtur, perpetuò vana iudicarent, & fallacia illa, mentitoſque Deos, qui ſupplicio & malo, nũquã tamẽ præmio & mercede eoſdẽ afficerẽt, morte imò & veneno diro, quod cõtra Dei iuſtitiã & remu-

nerationem est planè; qui dum maiori cultu & obseruatione obseruabantur; pœnam, mortem, labores, mala, citra causam, sine ratione, culpa, aut labe inferebāt, obseruātibus subditis leges, præcepta, & cōsilia credita sibi, quod omni ratione à Deo alienum est, & extraneum à ratione, & lege: tandem vt verum cognoscerent Deum illū, qui semel læsos, & veneno infectos, liberabat malo, viru, & veneno, & qui superabat serpentium vires, potentiam, robur, quos victos, impotentes fugabat, quorū vulnera, ictus, morsus faciebat irritos, inanes, nulliúsque ponderis: quò Deum iudicarent, & beneficio acceptæ salutis, & profligatæ mortis, cùm Deo nil maius sit; alias omnes post Deum esse creaturas, semper potentiorem, omnipotentémque confitemur Deum. Nec si æqualis esset, serpentes vinceret, superaret, abigeret, quò superiorem illis cognoscere fuit necessarium, & ideo Deum, desistereque ab apostasia serpentium eorum. Idcircò misit serpentes fortiores, & igneos, vt cùm vinceret hos ipsos, superaret, propelleret, superiorem potentioribus totius naturæ creaturis, venenósisque omnibus maiorē, quæ inter omnes sunt maioris potentiæ experirentur, & inde Deum faterentur, cùm nō solùm alia, imò quos Deos iudicabant opprimeret, hos inquam quos venerabantur, cùm euicisset. Hinc cùm serpentes coleret, serpentes immisit: hinc per quæ peccat quis, per hæc punitur. Hoc accidit Aman; parato patibulo, patitur eodem, quod Mardocheo parauerat, vt per quæ peccauit, puniretur, Absalon capillis, quibus gloriabatur venustate superbus, eisdem periit suspensus, & Bersabee suamet ipsius pulchritudine defecit. Est malū sibi pœna, est prima pœna culpa, vt est inuidia supplicium sibi, cùm sese erodat, & in se sæuiat. Est maior pœna culpa; quàm

pœna

pœna alia quæris. Pluris est, inimicũ esse Deo, quàm
torqueri supplicio: pœnalitates enim & amicorum
Dei sunt, vt exerceantur, & resipiscãt; at culpa inimi-
corũ solummodo. Punitur ergo primò & magis quis
per ea per quæ peccat, per culpam commissam sci-
licèt. Serpentes ergo immisit in populum, vt tra-
herentur à delicto commisso, & scelere idolola-
triæ serpentium, quos Deos venerabantur & cole-
bant. Immisit verò bestias superuacuas, & mutas, id
est otiosos & desides serpentes, obuolutos, plicatos,
deteriores multò aliis omnibus, veneno recocto,
orbibus actos, calore adaucto, complicatis spiris.
Tum superuacuos vocitauit Deus, quòd ab illo vacas-
sent supplicio, si delicto non excitarentur commisso,
& quòd non fuerint ex vsu mortalibus tales serpen-
tes, superuacui; imò ob veneni summã malitiã, quod
Galenus c. 4. de theriaca ad Pisonem, hos, vt summè
virulentos reiicit ab vsu medicaminum, solúmque
viperam venenatam minus, partibus virulẽtis resci-
sis & præparatam nimis, recepit, vt cum illo sentiunt
Ætius, & Paulus, medicique omnes, & in vsum reci-
piunt. Tum mutos compellauit; sunt enim muti ser-
pentes natura illi qui sunt surdi, qui ex auditu non
incitantur, vt voces efforment suo more, nec voces
sonósve edant naturales. Sunt etiam & muti aphoni 7
græcis, quod nerui, recurrentes dicti, quibus voces
formantur, deficiãt, aut vitio laborent, vt & alia om-
nia animantia quæ voces edunt, & respirãt, his duo-
bus obmutescunt modis: dissectionibus enim patet,
in animantibus quæ vocem emittunt, illis dissectis
neruis vocem sistere, aphonaque animantia persi-
stere, eisdem resectis, quo piscium plurimi vocem
non formant horum defectu; tum quòd non re-
spirent, vt aërem alliciant materiam vocis, serpentes

verò muti qui sunt, quòd surdi natura, cerebro frigidissimo & neruorum recurrentium defectu,& distemperie sunt tales, docuit Galenus, de anatomicis administrationibus per plura capita,& 6. de vsu partium latissimè. quo serpentes qui non mittunt vocem,muti,mordent faciliùs & cautiùs ,non præuisis sono à longe;estque maius periculum in iis. Sibilant aliquot angues, non voce, pectore , & faucibus formata larynge &aliis,imò ore solùm,aëris expulsu facto extra fauces,& pectus, quò præcauentur aliquãdo;illos verò quos immisit Deus mutos omninò intulit,quia tales in Deos constituerant corrupti Ægyptij & Iudæi posteà,quo mutos immisit; cùm enim essent deteriores veneno,& sæuiores,pertimescebãt, & colebant impensiùs:hósque ipsos,vt cognoscerēt culpam,& delictum, excãdescere fecit in populum; muti enim cerebro frigidissimo recoquũt venenum in visceribus,torridúmque efficiunt caloris retroces-
8 su, & antiperistasi facta. Imò dum & in maximam perniciem deueniunt serpentes feri, muti fiunt, non sibilant adhuc,crescente malitia,& veneni potentia, quo distemperatur cerebrum, eiúsque actiones: sic docet Auicenna 6.naturalium c.9. & fen.6.tractatu 4.libro 4. Dioscorides libro 6. c. 67. Paulus libro 5. cap. 15. AEtius tetrabiblio 4. sermone 4. & 1. cap. 35. Plinius libro 4. cap. 12. Galenus, de theriaca ad Pisonem.cap.8. Hi sunt serpentes illi,quos in silẽtio mordere docet spiritus Deus Ecclesiastes c. 10. vbi dicitur;*si mordeat serpens in silentio,nil minus eo habet qui occultè detrahit.* Mordere enim in silentio est mutum esse,& deterioris veneni, vt qui detrahit occultè, & non palàm , vt corrigatur alter,& emendetur, imò detrahit occultè, vt non corrigat , sed infamet, inficiátque veneno, conspurcet. Iis verò omnibus ser

ſerpentium generibus, & aliis plurimis hiulcaabundat Ægyptus, vda, terræ vligine tepefacta, ſolis calore, Nili illuuie, & inundatione continua; ſunt enim regionis illius duplicata tempora, vt docet Plinius locis adductis, & Statius libro 4. c. 7. eſt illi ver duplex, duplicata æſtas, binus autumnus, deficit rigida hyems. Quo ab antiquis horreum orbis vocata eſt. Hinc filij Iacob Geneſeos 47. vt famem ingentiſſimam leuarent, ad piiſſimum Ioſeph confluxere in Ægyptum feraciſſimam, dictam ideo omnium regionum matrem. Cùm enim Sol leonis caput adit, & ferit, Nili diluuium excitat; increſcit Nilus, qui per ſpatioſam Ægypti planitiẽ diffuſus, fertilicat terras, propter hoc ſummum beneficium, quod à Leone cœleſti ſigno ſuſcipiunt, tubos & ſiphones, qui aquã in fontibus eructant, per terebrata capita Leonum lapidea, aut ænea, arte facta, illam immittunt; vt in fontibus communiſſimus docet vſus, vbi leonina capita paſſim adſculpta huius rei fidem adaugent, his madida Ægyptus ſigno Leonis & Arietis illuuie hac grauida, varias formas animantium ſuppeditat, virulentorum præcipuè, quæ ex putri vligine facilè erumpunt; Iuuenalis Satyra decima quinta ſic de Ægypto cecinit; *Ægyptus portenta colit, crocodilum adorat Pars hæc, illa pauet ſœtam ſerpentibus Ibin.* Idem docet Claudianus in Rufin. Senſit hæc Ariſtoteles locis adductis, ſenſere Plato, priſci & recentiores omnes quotquot de ea regione fecere verba. Ægyptus ergo tetro omni genere ſerpentium abundat, virulento, & ſæuo, omnique vitiorum genere, idololatria, vt in diuinis literis Ægyptus, cùm infernum notet, damnatorúmque regionem, tùm luxuriæ, gulæ, capitaliúmque vitiorum ſedem, & domicilium, erroris, obſtinationis, pertinaciæ, & confuſionis,
regnum

regnum virulentum & venenoſum; quibus moribus natura eius regionis aſſonat. quæ & ſignificat delicioſiſſimus Nilus ſeptemfluus oris, ſeptem vitiorum, deliciarum & luxus aptiſſimum hieroglyphicô.

De variis generibus ignitorum ſerpentium, quæ in populum Hebræorum immiſit Deus.

CAPVT II.

9 LAtè ſatis ſuprà ex Numerorum capite, Deuteromio, libro Sapientiæ, aliiſque, & quantum ratio ferre poteſt monſtrauimus, ignitos quos vocat ſerpentes ſpiritus Dei, veros fuiſſe, & non fictos, aut apparentes beſtias tantùm, imo venenata reptilia, virulenta, & lethifera; hæcque ſenſu hiſtorico eſſe intelligenda, non ficta apparentia, aut imaginaria. Quales verò illi extiterint, & quorum generum, quiue igniti ſerpentes fuerint, & ſint, id ſanè maximum faceſſit negotium, difficiléque ſatis omnes iudicarunt, & iudicant adhuc. Amantiſſimus ille Hebræorum populus, & dilectiſſimus Deo, ipſius noſtri ſummi conditoris deliciæ, oblectamentum, & ſtudium, tot tantis amplificatus donis, muneribus illuſtris, fauoribus cumulatus, electus populus, quem ſibi conſecrauit, addictus amicitiæ vinculo, poſtquàm de ſeruitute & tyrannide rigidiſſimi Pharaonis Ægyptiorum monarchæ liber & incolumis, ditatus ſupellectili Ægyptiorum locupletiſſima euaſit, id dante Deo, qui gratiam, vt dicitur Exodi 3. impertiuit Hebræis coram Ægyptiis, vt quæ expeterent reportarent, populus ille illæſus, eductus de ſeruitute dira per Moſem & Aaron, ſubmerſis in mari rubro Ægyptiis, obſtupendo illo miraculo

aqua

aquarum, quò Pharao & Ægytiorum principes mediis vndis obruti periere, illis ſicco pede maria percurrentibus, alti, & nutriti in ſolitudine vaſta & terribili, cœleſti cibo deſuper illato, & aquis potati de petra ſcaturiẽtibus, quibus noctu nubes fulgida præſtabatur, ne fortè offenderent ad lapidẽ pedẽ ſuum, quæ & dux eſſet noctu, & vmbraculum diu, ne ſole adhuc ipſo læderentur, aut à recto calle aberrarent, vt loco adducto Deuteronomij refert ipſe ſummus rerum omnium conditor & parens, illico atque eos tædere cœpit itineris, ac laboris, in ipſo tædij initio, in manſione Salmonach, quæ erat trigeſima quinta in ordine ab exitu Ægypti, poſt montem Hor, vt conſtat Scripturæ ſacræ contextu, & cho- 10
rographia, quæ ab Ægypti Rameſe ſiue Goſen, terra de qua profecti ſunt primò ex Ægypto, diſtat ſpatio milliarium ſexaginta, & ab Ægypti finibus quadraginta milliaribus ex ea parte, ad Orientem verſus, Ægyptus enim ad Occidentem aſpicit, relinquitúrque dum itur in Hieruſalem, & Iudæam, loquuti contra Dominum, & Moſen, ignitis ſerpentibus afflicti ſunt, vt Numerorum loco allato dicitur. Periéreque plurimi tetris eorundem & ſæuis morſibus, quòd abominationes Ægyptiorum cultu obſeruarẽt, mutóſque ſerpentes, & ſurdos veneno deteriores in Deos colerent, qui nec audire populi voces poſſent, & petitiones, nec fari, vt per conceptum & vocem, verbumque, quæ Dei ſunt ſolius, mortalibus ſubuenire; verbo enim virtutis ſuæ omnia molitur Deus, vt *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, Ioannis 1. c. Fari ergo & audire iis negabatur, hos cum colerent, cultu proſequerentur, & obſeruatione, hæc idoláque ſectarentur, vero Deo oblito, & relicto, ob ingratitudinem

&

nem & pertinaciam, ob apostasiam, & idololatriam, his ipsis habitis Diis, immisit hæc virulenta animantia, vt punirent idololatras, mentitósq; esse, & fictos Deos cognoscerent, cùm verum Deum ab iniuria illata, & patrato scelere vindicarent. Ægyptus omnium regionum maximè serpentibus infestatur, tum ob inundationes Nili assiduas, & annuales, tum ob perpetuam solis assistentiam. Nunquam enim imbribus interturbatur aër, nubilisve, vt suprà diximus, imò imbrium loco, colitur & inundatur tumido Nilo feracissima Ægyptus, vt latè Aristoteles sectione 26. problematum, sententia 46. & 1. meteoron. c. 14. Ælianus libro 3. c. 32. qui Nili aquas fæcundissimas vocitant. Plinius libro 28. c. 18. Galenus, Rhodiginus, & reliqui. Hinc animantibus abundat, abundantia, & vbertate pabuli, clementia cœli, confluentibus aliunde & genitis, altísque, feracitate regionis, iis præcipuè quæ ex putredine terræ oriri queunt, & communiter oriuntur, quales sunt serpentes, de quibus Auicenna loco citato dixit, tot, plures imò oriri posse, putrescenti materia, quot propagatione, & actione naturæ, generationísque veniunt. Hinc Ouidius 1. metamorphoseon: *Sic vbi deseruit madidos septemfluus agros Nilus, & antiquo sua flumina reddidit alueo, Æthereóq; recens exarsit sidere limus. Plurima cultores versis animalia glebis Inueniunt, & in his quædam modò cepta per ipsum Nascendi spatium, quædam imperfecta suisq; Trunca vident humeris, & eodem corpore sæpe Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus. Quippe vbi temperiem sumpsere humórque, calórque, Concipiunt, & ab iis oriuntur cuncta duobus, Cúmque sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes Res creat, & discors concordia fœtibus apta est.* Iis ergo abundat ideò Ægyptus animantibus; tum est serpentibus refertus, illis scatet; quod, vt docet

cet Plinius libro 10. cap. 28. ex Arabia in Ægyptum permeent ſpirante Africo vento, Cicero 2. de natura Deorum ſic: Ibes maximam vim ſerpentium conficiunt, cùm ſint aues excelſæ, rigidis cruribus, corneo, proceróque roſtro; auertunt peſtem ab Ægypto, cùm volucres angues ex vaſtitate Lybiæ, vento africo inuectas interficiunt, atque conſumunt; quò fit, vt illæ viuæ nec morſu noceant, nec odore mortuæ. Rhodiginus idem, Galenus, Edoardus. Cùm ergo Ægyptus ſerpentibus abundet, & magnam, incredibilémque eorundem copiam ferat, vt & occupent ideo vicinas prouincias, & referant, vſquedum ibidum auium beneficio, qui eoſdem citra noxam gliſcunt, vaſtantur, non fuit neceſſarium creare denuò, ſed creatos & productos iam in natura in Salmonach colligere, & congregare, in pœnam Iudæorum perfidiæ, & idololatriæ: cùm eſſent ibidem, citra id quòd denuò crearentur, aut transferrentur aliunde. Congregauit ergo ſerpentes, conuocauit, & in vnum compulit, non de nouo produxit Deus, id enim ſuperfluum foret, cùm factum ſufficeret, & ex proxima Ægypto hos poſſet conuocare, ne ſuperfluum quid opus contineret. Quales verò ij extiterint ſerpentes, dictu eſt difficile, & igniti qualiter? hos enim veros fuiſſe ſerpentes ſatis monſtrauimus, & Scripturæ locis, & rationibus anteà conuincitur; quò ſubſtantiæ ſolius ignis conſiſtere impoſſibile conſtat, tum quòd capite illo allato Sapientiæ, dicitur; *Non immiſiſti illis noui generis ira plenas aut ignotas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas immittentes.* Denique non verum 12
ignem, non fumum, non ſcintillas ſpirabant, aut ſcintillabant ab oculis, & viſceribus. Igniti ergo,

non

non, quòd ignis solius essent, conflative ex igne, aut ignem euomerent illi, sed ideo, quod quemadmodùm sunt plurima in natura, quæ cùm ignis actu non sint, effectus tamen ignis, non minùs igne moliuntur & causant; dicta Græcis Epyrotica & caustica, ignita, aut ignea Latinis, septica & Græcis, exedentia nostris: docet Galenus 7. de simplicium medicamentorum viribus, c. de Cedro, & 5. lib. c. 15. à quibus Ætius, Paulus, Dioscorides libro vltimo, c. 9. Celsus, posteà reliqui omnes medici suscepere, & si septica putrescentia vocet, quæ calida & humida constituit, pyrotica verò calida & sicca, caussarũque partium, quæ corrugatione substantiæ crassæ, & vstione calidæ & siccæ, crustam inducunt, non secùs ac ignis, priùs ampullas excitantia, calore eleuatis vaporibus, & dẽsata parte, adstrictione, crassæ naturæ, impedito halitu, & exolutione, parte in vesicam & ampullas eleuata tandem, quorum est ea natura, vt partem exurant, cõburant, crement, æstibus & incendio conflagrẽt, vt æstuet non minùs, magis imò, ac si igni cruciaretur, quò apparet vstio, crusta, ampullæ, incendium, exesio, cauitas, corrugatio, ignitio, ardor, adeo vt pars exedatur vndique & depopuletur, nudetur carne tandem, quæ non esset suffecturus efficere ignis admotus in eadem quantitate; quæ omnia medicamenta, aut saltem violenter talia, venenosa sunt omnia, vt vitriolum, argentum viuum, sublimatum, sandaraca, cineres, lixiuia rerum venenatarum, mineralia reliqua. non secus veneni potentia, potestate, & malitia, effectibus & opere. Tales serpentes dicuntur igniti, quia potentiùs igne, veneno, caustisticæ, & Epyroticæ naturæ, vrere possunt, & comburere tandem, incendio & æstu, malitia & effectu, vt febris ignis vocatur, & ignis sacer, Erysipelas siue

ſiue inflammatio ex bile, quòd effectus ignis edant, non minùs à medicis omnibus. Sunt ij verè illi ſerpentes, qui non ſolùm viru , ignem euomunt , imò ore & halitu ſpirante tetro, toto ſimul, ignem expirant, vt de Ceraſte ſuprà retulimus, ex tot, tantíſque probatiſſimis autoribus. Eſt huius naturæ Chelydros dictus ſerpens Græcis , quòd modo in terris, Græcis χέρσῳ , modo in aquis ὕδρως , moretur: 13
quaſi ambiguæ naturæ, & amphibiæ , de quo Lucanus lib. 9. ſic: *Natus, & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua. Cherſydros , tractique via fumante Chelidri.* Vbi, inter peſtes, mortes , & venena Africæ , poſtquàm enumerauit Hæmorroem, Aſpidem , & ſerpentes alios, Chelydrō numerat, id eſt , marinam teſtudinē ſerpentem, quòd illam colore æmuletur , hoc enim Chelydros eſt Gręcis, & Cherſydrum fumantem appellitat, igneum ſerpentem, ambiguum, naturæ ancipitis, & dubiæ, quòd terris modò , & modò aquis viuat ; hunc verò effumare ; fumum halitúſque igneos, ignitoſve potentia, & officio ignem, actione & opere , cauſticos vrentes immittere, ore toto & alis, expirare ignem. exurentes omnino ; quò meritò ignitus ſerpens, & igneus vocatur, actione , effectu ignis, potentia veneni, cùm vrat quę contingit ille, non igne minùs, vt in theriacis Nicāder docet de hoc animāti, Edoardus, & reliqui libro 6. c. de Cherſydro 113. Hydra aqua eſt Græcis , ſerpentes aquei quòd hydram & aquam colant hydræ appellantur. Sunt varia eorum genera, quidam mare inhabitant, flumina alij, alij lacus, fontes, ſtagna , qui magna ex parte in aquis degunt, in terris partim; horum quidā per vices aquis & terra vtuntur continuò, illi primò aquis ſuborti poſteà terras perpetuò incolunt ; hi monſtroſæ naturæ , regularis illi , vocantur natrices

angues, generali nomine, vt vocantur hydræ. Quosdam fuisse serpẽtino corpore, & facie insignitos humano, Augustinus refert, dictos Syrones, serpentinos. 3. de ciuitate Dei. c. 7. Inter hydræ species (de quibus c. de Behemoth serpente latiùs dicemus) numeratur Chersydros dictus, terræ aqueus serpens, natura ignitus & vrens, causticus anguis, cuius venenum dum áquis degit, aquis dilutum, est mitius, lenius, at terras dum visit, siccitate & æstu igneum, exedens, causticum, & exurẽs, cum sit tamẽ Chersydros terrestris totus, natura terribilis, & veneno atrox: de quo Macer sic cecinit; *his seu terga spirat spumãtia virus, Seu cùm terra fumat*, qua teter labitur anguis. Virgilius sic; *Est etiã ille malus Calabris in saltibus anguis*, & cætera. Vbi Chersydrõ describit, apprimè dicens; *Exilit in siccum, & flagrantia lumina torquens, Sæuit agris, asperque siti atque exterritus æstu*, & cætera: qui modo terras petunt ex instituto, modò verò, quòd exiccantur loca humida in quibus morabantur anteà, earũ sunt accolæ, docet Pausanias libro Corinthiorũ, de hydra mõstrosa, quo Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. c. 35. & 29. hos distinxit serpẽtes, rigidè nominibus vsus, & Paulus lib.... c. 15. Dioscorides libro 6. cap. 67. & si Ælianus lib 9. hydram appellet nomine generis; Chersydrum regionis Corcyriæ, insula maris Ionici, Plinius libro 4. c. 12. Chelydrum verò etiam à Chersydro distinguũt plures, quòd colore sit similis, χέλυ grẹcis testitudini dictæ marinæ, & capitis forma, & si naturam Chersydri, aliis omnibus non excedat. Hunc iuxta mare rubrum oriri frequentiùs docuit Arrianus libro 3. c. 9. quem oculos obtinere sanguineos, & supercilia draconis, ex crescẽtiásque supra oculos graues recenset. Horum sunt quidam caustici, adeo veneni stiptici & adstrin

adſtringẽtis, acerbi adeo & craſſi, vt ſuccum querceũ exugant, & ſuctu trahant in alimentum natura ſimile, quò ſemel ac aquas effugiunt, quercus quæritant, & fagorum radices, vbi latibula adſtruũt, & Drynus dicitur, græcis enim quercus δρῦς & drynos eſt, etiam ſi Chelydros, Cherſydros, Hydros, & Drynos eundem ſerpentem multoties notet, aliàs modo quo diximus diuerſum. Hinc Galenus de theriaca 14
ad Piſonem c.8. Drynos vocat Cherſydros, hóſque circa Helleſpontum oriri tenet, Ætius idem tetrabiblio 4. ſermone 1.c. 29. Paulus libro 5. capite 15. Dioſcorides lib.6.c.63.& lib.5.c.63. Hæc animantia duorum cubitorum magnitudinis eſſe ij autores referunt, corpore craſſo, ſquãmis vndique munito aſperrimis, quibus muſcæ continẽtur & latitãt paruulæ, ænei coloris, quæ in eodem animanti ſubortæ, ipſum moleſtant, & tandem conficiunt. Tergum obtinet ſubatrum, caput rotundum; qui ſunt adeò tetri odoris, vt occulti, & abditi, odore pateant, & manifeſtentur, & tantæ malitiæ, vt calcantem omninò pelle nudẽt, excoriéntque partes ſolo cõtactu, quorum veneno intumeſcunt crura, & manus medici, ægroti contactu, dum remediis vtitur. Qui interfecit Drynum, in poſterũ nil aliud, quàm Drynũ redolet, & quæ olfacit poſteà, toto vitæ decurſu Drynum olent, vt nil præterquàm Drynum olfaciat. Morſum Dryni grauiſſima ſequuntur accidentia, dolores acuti, puſtulæ vlceroſæ, quibus defluit aquoſus humor, & ſanies cruenta, cordis dolores, vomitus, vertigines, nauſeæ, tormina. Virgilius 3. Georgicorum, Agitare graues nidore Chelydros. Eſt huius tantum venenum, & malitia tanta, vt hos omnes à theriaca eo loci Galenus excluſerit, cùm aliis vrentibus & corroſiuis ſerpentibus, vt Hæmorroem, Dypſadem,

Basiliscum, aspidem, de quibus suis capitibus dicemus posteà. Hinc Hispaniæ *enzina* vulgò quasi endryna dices, à Dryno incola, & endryna prunorũ genus, quòd sit tetri, nigríque coloris, vt dorsũ Dryni: Imò ij vastissimas quercus, annosas, radicũ altissimarũ, semper virescentium, onustas fructibus, immunes fulminum, securas, constantes, robustas, non ramis, non trũco, radicibus imò corrumpunt, & vitiant, inficiunt, exurunt, quò ampliùs in virtutem pullulare non possint; tanta est eorum malitia, virus, venenum.
15 Idem de Dryno, Isidorus refert 12. Etymologiarum c. 4. Tum de sepe serpente idem docet Ætius libro 4. sermone 1. c. 26. Isidorus loco adducto, Edoardus, Lucanus libro 9. Cuius venenum prophanum adeo esse, vt non carnis consumptione contentum, ossa adhuc exedat, vrat, concremet, quod non datur igni, cùm ille hæc relinquat intacta, vt patet in dentibus, qui difficillimè exurũtur, & ossa difficulter nimis; vt Plinius dixerit, esse incombustibilia illa libro 7. c. 16. & Aristoteles 4. meteororum c. 4. de quo Lucanus eo loci sic: *Mors erat ante oculos, meserique in crure Sabelli Seps stetit exiguus, quem flexo dente tenacem Auulsitque manu piloque affixit arenis. Parua modò serpens, sed qua non vlla cruentæ Tantum mortis habet; nam plagæ proxima circum Fugit rapta cutis, pallentiáque ossa retexit. Iamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus; Membra natant sanie, suræ fluxere: sine vllo Tegmine poples erat, femorum quoque musculus omnis Linquitur, & nigra distillant inguina tabe: Dissiluit stringens vterum membranaque, fluunt. Quidquid homo est aperit pestis, natura prophana. Parua loquor, corpus sanie stillasse perustum. Hoc & flamma potest, sed quis rogus abstulit ossa?* Ignitus nimis natura serpens, igne imò potentior, exurens magis, causticus, & septicus,

à quo

à quo ſeptica medicamenta dicuntur, quæ partes cũ exurant, putridas decidere faciunt, vt antè diximus, dictus Seps, quòd quaſi ſepem in vlcere faciat, vt dixit eo verſu Lucanus: *Iamque ſinu laxo nudum eſt ſine corpore vulnus*: qui & Sepedon appellari ſolet, quòd *Sepe* maior inueniri ſolet duorum cubitorum; vt Pauſanias dixit in Corinthiis, cuius quatuor eſſe dentes refert, tunicula quadam obuolutos, hunc pilis omnibus nudare læſum eo loci ſuſtinet, & lepra inſpergere, vt biduo vel triduo ſequatur mors. Eſt ſerpens hic albis maculis refertus totus, capite lato, ceruice anguſta, ventre maiori, cauda breui, obliqui inceſſus, vt incedit cancer, motus tardiſſimi; Pauſanias refert: qui magnus inuenitur duorum cubitorum, dicitur *Sepedon*, & medius Seps dictus, palmi vnius, minimus vnius digiti, dictus, *Salpinga* ab Iſidoro 12. Etymologiarum c. 4. quòd minutus nimis ſit, imò digito minor ſatis, ab Ariſtotele verò, & aliis ſerpens paruus innominatus, de quo ſic dixit 9. de hiſtoria aninalium c. 29. Naſcitur in eodem agro in quo *Laſer*, ſerpens quidam puſillus, 16
cuius remedium lapis eſt, quem ex ſepulchro cuiuſdam regis antiqui innominati accipiunt, eoque perfuſo ex vino bibunt: ſed omnium venenatorũ morſus grauiores ſunt, ſi alterum ederit alterum, vt Scorpio deuorari à Vipera certum eſt. Plurimis verò eorum aduerſatur ſaliua hominis. Subdit de Sepe, cùm hæc de Salpinga dixiſſet: Serpens quidam minutus eſt, quem aliqui ſacrum appellant, quàm angues præmagni fugiunt, magnitudo huic ad cubitum, ſpecies hirſuta, quidquid momorderit, continuò circiter putreſcit. De minutiſſimo Salpinga eodem capite. Eſt præterea in Indica regione ſerpens paruus, cuius vnius remedio carent incolæ. Ignitũ om-

nes conſtituunt autores ſerpentem hunc, igneum,
& cauſticum, exedentem, & vrentem, igne magis. Ii
morſu ampullas veneno excitant ignis more, & flatu
adurunt ſubiectam carnem, exedunt, incendio
æſtuant, & flagrant percuſſi, ac ſi medio igne deten-
17 ti eſſent. Neque hoc mirum alicui videri debet, cùm
variis modis generetur ignis, igne aquæ conſiſtat
ſubſtantia, cúmque ex attritu, & mutua corporum
colliſione paſſim ignem oriri experiamur, quibuſ-
dam corporibus confricatis cum quibuſdam, & ſi
non quoduis cum quouis. Salicis enim fruſta exic-
cata & exuccia ſi confricentur, ignem erumpere vi-
demus. Idem contingit vitis palmitibus fortiter col-
liſis, fricato capite humano panno lanicinio, eliſo
felis dorſo, aliorumque animantium calidorum na-
tura ſcintillare videmus, ferro, & lapide illiſis gene-
ratur ignis, vt comprobant ſilex excuſſorium & eſca,
molendinorum molæ, & plurima alia quæ longiſſi-
mum eſſet recenſere, non ſolùm tenuato aëre, inter
hæc corpora ſuſcepto, adeoque rarefacto in minutiſ-
maſque partes diſtracto; minores, & tenuiores, quàm
vt ſuam poſſit obſeruare formam, deficiente quan-
titate debita, & congrua diſpoſitione, quo in ignem
degenerat tenuiorem natura omnibus aliis corru-
ptibilibus corporibus, cœlo genitore, & effectrice
cauſa, propter materiæ decentem apparatum, mino-
rem expoſcentem quantitatem, & ferentem aliis re-
liquis, quod & ſubtilior ſit, efficacior, penetrabilior,
vt foueat omnia, & intima quæuis poſſit ſubire, vt
in miſtione corpora reliqua alteret, fermentet &
coquat, cùm autor miſtionis ſit, ideo Ariſtoteles
docuit 4. meteororũ cap. primo & ſecundo 1. de ortu
& interitu capite 10. & alibi paſſim; fundit enim, at-
tenuat, liquat reliqua miſcibilia ignis, alterat omnia,

vt

vt permiſceri hæc ipſa poſſint, & ex vſu eſſe reliquis miſtis omnibus corporibus, animatis, inanimis, fuſa & liquata, vt caleſcat terra, ſit fluida aqua, aër facilis, vt ventilentur omnia, quæ aliàs putreſcerent quieta, & immota, non aëre difflata. Eſt ignis qui vires impertit miſtis, vt opera eorundem perficiantur; quò cùm actiuior ſit, miſtionem tuetur, continuo fermentu, coctione, & perfectione continua miſtorum, vt miſtum non dilabatur, putreſcat, deficiat. Deficiente enim calore, intereunt omnia, putreſcũt miſta illo debili, coctione ſiſtunt elementa, inutilia miſtis aliàs conſiſtentia & rigida. Putredinem vocauit Ariſtoteles loco adducto, Philoſophique & medici omnes, miſtrorum interitum naturalem, hancque langueſcente calore, exolutiſque igneis miſtorum partibus fieri comprobauit; docuit Plato in Timæo, Galenus 1. de differentia febrium, paſſim, & alibi. Tum etiam motu & attritu vehementiſſimo corporum calidæ exhalationes igneſcunt, quæ in penitiſſimis poris corporum calidorum natura, vel à primo eorundem exortu cõtinentur, ignis actione, dum miſtum fermentabat eleuatæ, vel poſteà actione perpetua, qua miſtum recoquit, miſtionis autor cùm ſit denuò genitæ, ventilanturque, & excutiuntur à fumoſis illis fuliginibus perpetuò, cum flamma excitatis, & fumo, quibus illa obruitur cum illa perpetuò eleuatis, vt ab illis libera flamma emicet, quæ anteà latitabat abdita. Non ſecus ac 18
ſufflatæ prunæ flammam immitunt, ſemotis frigidis fuliginibus, fumoſiſque, quibus illa ſpirare prohibebatur, obturatis poris priùs, poſteà verò ſufflatione reſeratis, quo ſpiret flãma, & emicet ſublato impedimento. Non ſecus animãtia plurima vehementiſſima ſufflatione, inſpiratu, & expiratu potentiſſimo ignem

visa sunt generare, & flammas eructasse ore, tum bilem recoctam, & torrefactam, in igneam degenerasse, & causticam substantiam, effectus ignis non illo minùs effecturam. Huius rei fidem adauget equus ille rapidus feruentissimusque Tiberij Cæsaris, qui flammas ôre emittere in pugna, labore percitus, continuo anhelitu cernebatur. Docuit Gillius lib. 4. c. 1. iis de equis loquens. *Iam quanto ardore sint in pugnando, Tiberij equus declarat, qui in pugna, ore flammas interdum emittere visus est.* Idem docet Heliodorus de eodem, & alij quàm plurimi dixere. Architrenius de fortissimo illo equo sic cecinit. *Ignes equus arduus efflat*: Mantuanus sic; Ardentes, & equos ad mollia ducere fræna, Marullus: *Suspensus cura fumantum totus equorum.* Mirabile est quod Ælianus commemorat libro 16. cap. 39. de admirabili draconum apud
19 Chios combustione, nam cùm Solinus in polihistoria c. 30. veros Dracones strictissimi oris, calidissimorum viscerum molis ingentissimæ, & vastæ constituisset, fistulis oris, loco tantùm & rictu anhelantes, non suffecturos temperare caloris æstum, viscerumque, quo flagrant, & perpetuò exuri videntur, tanto impetu aërem allicere strictissimis fistulis rictus, & propellere acceptum semel, vt in flammas versum passim ore, & naso reiiciant, quo Poëtæ serpentes ignem ore vomentes induxere. Scripsit verò Ælianus adducto loco, de ignis generatione ex attritu hæc: *Iam qui de Chiorum rebus historiam conscripserunt, quãdam Pelłæi montis vallem proceris arboribus frequentem, atque opacam, in ea maxima magnitudine draconem inquiunt procreatum fuisse, cuius sibilum Chij vehementer perhorrescerent; cuius magnitudinem nulli neque agricolæ, neque pastores accedendo priùs considerare auderent, sed ex solo sibilo, ingentem quandam, & formidolosam feram bestiam*

bestiã esse suspicarentur, eius tamen magnitudinem tandẽ mirabili quadam machinatione, atque solertia cognitam fuisse; vento nimirum vehementissimo vallis arbores concussas, & violenter collisos ramos ignem peperisse, & simul inde ingens incendium excitatum, locum omnem comprehendisse, & feram circumdedisse atque interceptam, cùm elabi non posset, ardore flammæ conflagrasse; itáque nudato loco omnia conspicua facta fuisse. Et verò Chios metu liberatos, cùm spectatum venissent, inusitata magnitudine ossa, & immane caput offendisse, vt ex iis quantus viuus
ille fuisset coniici posset. Chelydros ergo iis immisisse 20
constat, Chersydros, Dracones, Drynos, Sepas; quos vocat Plinius libro 29. cap. 5. Chalcidas, & Ausonius, ignitos natura, Deum in populum serpentes vrentes igneos, Sepes causticos, Cyniphias dictos ab Isidoro, & aliis citato loco, & cœcos serpentes; qui omnes sepis nomine comprehenduntur, vt posteà latiùs propriis capitibus. Tum Basiliscos vrentes flatu, & halitu tetro, spirantes substantiam igneam, exedentem, causticam, more ignis vrentem, docet Plinius libro 8. c. 21. Auicenna, Galenus, & reliqui locis adductis. Tum immisit serpentem Dipsadem, de quo etiam infrà proprio capite, & Scorpionem, vt patet Deuteronomij 8. cap. iis: *Et ductor tuus fui in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens & Scorpio, ac Dipsas, & nullæ omnino aquæ.* Immisit ergo ignitos serpẽtes, effectu vrentes, flatu igneo, & caustico, tum ignem verum spirantes aëre succenso. Ignitos serpentes immisit non è visceribus ignem euomentes, aut fumum visceribus natura contentum, sed aërem ad extra succendentes, & effectu igneos. Sapientiæ enim capite illo solùm negatur, ab oculis scintillas immisisse, aut fumum ore, ignemve spirasse ab internis, non tamen quòd aliqui

non accenderent aërem, & ignirent ad extra oris sufflatu pulso. Quibus hærent inter sese omnia vndique Scripturæ loca, & constat, quales fuerint serpentes igniti & ignei.

De Aeneo serpente Mosis.

CAPVT III.

21 NVmer. 21. sic dicitur: *Misit Dominus in populum ignitos serpentes; ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt; peccauimus quia loquuti sumus contra Dominum, & te. Ora vt tollat à nobis serpentes: Orauitque Moses pro populo, & loquutus est Dominus ad eum; fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, viuet; fecit ergo Moses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Sapientiæ verò 16. sic: *Etenim cùm illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur, sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem legis tuæ, qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium saluatorem; in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es qui liberas ab omni malo, illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum, quia digni erant ab huiusmodi exterminari, filios autem tuos, nec Draconum venenatorum vicerunt dentes, misericordia enim tua adueniens sanabat illos.* Plena est admiratione, si quæ altera narratio hæc Scripturæ, difficillima intellectu, abstrusa, & tricata satis, cùm ad sensum literalem

literalem huius loci, tum ad mysticum, tum vltrà quoad finem,& intentum ænei serpentis, cur scilicèt æneus extiterit ære conflatus,cur appositus Hebræis in signum, vt eum cùm inspicerent,pristinæ sanitati reuocarentur, vt primo ex his locis continetur,& non minùs dubium adauget, cùm adacto Sapientiæ contextu,miraculo fuisse Hebræos idololatras saluti reuocatos constet, & non aspectus virtute,aut intuitus potentia, ærisve opere,aut robore, nec serpentis effigie exaltatæ in deserto,& præfixæ; quò dicitur eo loci; *qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium saluatorem.* Cur serpens æneus & nō alterius materiæ constiterit,cur incolumes illi solùm,qui intētis oculis illum aspectabant, & intuebantur; sunt hæc omnia dubiis plena,& ambagibus intricata satis.Prima inde- 22
pendens,& libera,effectrix rerũ omniũ causa, totius naturæ finis, idea, & exemplar, modò lege ordinata, & potentia communi effectus omnes vniuersæ implet naturæ, & ea quæ sanciuit decreto suæ voluntatis, lege molitur, secundùm hanc ordinatam vniuersi dispositionem, qua nulla potuit excogitari excellentior, aut altior, secundùm præsentem rerum statum, & huius vniuersi iustitiam, & ordinem; simul cum causis destinatis ad opera, prout semel sanxit,effectus edit,& vt destinauit, semel cum natura operatur,lege ordinaria, quam obseruari voluit communi rerum discursu, actione, & opere,dum cum reliquis causis effectricibus opera absoluit; modò verò omni termino & lege agendi solutus Deus, à nullo alio præterquàm à semetipso dependens, & prout vult rationabiliter semper agens,non solũ sine reliquis causis secũdis, & infernis, effectus adstruit miros,& miraculosos, admirabiles,

biles,& ſupra omnem naturam, verùm & ea quæ neque natura poſſet, imò illa cùm vt ſic non fiant, expetere videatur, non minùs perfecit. Quæ propriè ad abſolutam omnipotentis cauſæ actionem ſpectare videntur, rationemque miraculi continere, quando præter naturæ ordinem deſtinatum, lege agendi abſoluta, effectus in eſſe producit. Hæc ſenſit Diuus Thomas 1. parte, quæſt. 105. art. 7. & infrà, tum ſumma contra gentes, lib. 3. cap. 101. de potentia. quæſt. 6. art. 2. & 2. ſententiarum, diſt. 18. ad tertiam. Neque enim nouitas miraculi ſola rationem implet, neque extitere quæ antea non extiterunt. Quò nec vniuerſi creationem miraculum iudicamus, & ſi miri effectus, admirabiliſque contineat rationem, nec animæ rationalis creationem, etiam ſi ſine ſecundis cauſis, ſolo ipſo autore naturæ Deo, conſiſtat, cauſa effectrice. In iis enim nullus tráſcenditur naturæ ordo, cùm hæc natura non poſſit permoliri, vt nec in impij iuſtificatione, aut gratiæ dono, quæ miri effectus, non tamen miracula; cùm ſuſceptum naturæ ritum non excedant, quòd hæc in ordine naturæ non contineantur, & apta ſint aliter fieri. Maioris enim admirationis eſt, probatum ſemel, & deſtinatum ordinem rerum tranſigere Deum, propter vniuerſalis prouidentiæ fines occultos, quàm omnipotentem cauſam nullíque agendi ritui addictam, nouos effectus condere, & in medium afferre; quò ratio miraculi, in iis, non in illis, vndique continetur. Nullus verò ex iis ordinibus agendi, alterum reſpuit; imò quantum quilibet ferre poteſt, alter alterum conſentit, & quæ poteſt natura, molitur ordine indito Deus, vt non inhonoretur natura honeſtata ſemel, ab ipſo ſuo conditore ſummo, illíque iniuria inferatur; quo Auguſtinus 2. libro in Geneſi ad literam, capite

capite 1. non esse confugiendum ad miracula docet, quoties suffectura est natura, effectus ordinare; multoties enim mistum est opus vtriusque causæ, sic vt quod natura potest, perficiat, Deusque cum illa lege
ordinata agendi concurrat simul. At quæ non potest 23
illa vltrà, miraculosè efficiat ipse, vt sine illa multoties opera amolitur, vt quando illa quæ potest adstruxit, posteà ipse, quæ nequit illa absoluere absoluat; multoties natura incipit, & perficit Deus, & vsque dum potest agere agit illa, vltrà Deus ipse, quæ illa contingere nequiuit, miraculo complet; nec solùm illa vsus ratione instrumenti; sed dum est illa præcipua causa effectus & operis, vt illi opus similetur in iis quæ potest natura, in reliquis ipsi solutæ legis agendæ principio & causæ. Inchoat enim multoties natura opera, & quæ potest sibi similia efficit, posteà Deus quæ nequiuit illa, superaddit; calor enim miraculo etiã productus, meliùs conseruaretur, natura priùs exiccato subiecto, quàm si solus vel in passo humido, produceretur miraculo productus adhuc, recipereturq; meliùs siccato priùs illo. Fuit alicuius vsus saliua humana, quæ virtute pollet detersiua, mundificatiua, exiccandi, & absumendi, incidendi, & extenuandi crassos humores, & viscidos, vt sensit Galenus, & medici omnes sustinent quinto de compositione medicamentorum per partes, decimo de simplicium capite de saliua, plurimisque aliis in locis. Hipocrates libro de natura humana; Plinius & reliqui. Fuit, inquam, alicuius vsus, vt cœcus ille missus in Siloë, Ioannis 9. & 11. capite pristinæ sanitati restitueretur, & si quæ natura nequiuit absoluere superadderet Deus; quædam enim perfecit natura in hoc opere, Deus reliqua sine natura. Non secus Tobiæ 6. fel piscis albugines illius inunctum per-

ſanare cœpit, abſoluit miraculo Deus. Deterſiua
& exſiccatiua virtute, qua pollet fel, omne incidenti
& tenuanti præcipuè Callyonimi piſcis ingentis
molis, refert Galenus 10. de ſimplicium c.12. quod
retulit Plinius libro 32. c.7. Ælianus libro 13. c. 4.
Menander libro 2. c.6. Anaxippus libro 3. c.5. quem
piſcem aſpectu terribilem conſtituunt, vaſtæ molis,
oculos in ſummo vertice horridos continentem, oſ-
que inter illos nimis hiantem, carniuorum, voraciſ-
ſimum natura, immanem aſpectu, ſerratis dentibus,
iecoris magni, cui maximum fel eſt annexum; quò
nil mirum, ſi puerum inexpertum exterruerit intui-
tus piſcis ingentis, carniuori, venientis quaſi ad de-
uorandum, huncque eſſe quem exenterauit iuuenis,
Angeli iuſſu credo; qui, vt docet Ariſtoteles 4. de
hiſtoria, capite 4. diu dormit, & oberrat noctu, quò
cùm iuxta Tygrim fluuium defatigatus pedes labore
ex diei itinere, defeſſus puer accederet, exterritus
piſce perfugit; qui & ſi marinus ſit, fluuiatilis non
minùs conſtituitur, quòd per flumina aſcendat, quò
Tygrim pernatauit, è ſinu Perſico in quem prolabi-
tur Tygris, aſcenditque. Mirabile dictu Solinus de
hoc fluuio in Polihiſtoria capite de Armenia, grauia
pondera ſuſtinere, aquarum craſſitie, piſces non ſub-
mergi, ſupernatare imò communiter, inuadereque
24 appropinquantes, & impetere ad litora, molis ma-
ximæ, & magnitudinis proceræ. Non ſecùs ficorum
maſſa Ezechiæ impoſita Regi ab Iſaia Propheta 4.
Regum c.20. durum, & rebelle illius apoſtema ſup-
purauit, vt poſteà Deo ipſo ſaluti reſtitueretur mi-
raculo, complens reliqua, in quæ non potuit natura.
Multoties enim abdito prouidentiæ fine, facto à na-
tura initio, præſtat reliqua Deus, vt ſine illa multo-
tiens ſe ſolo mirabilia aſtruit, & omnia molitur.

Marci

Marci 1. leproſo dixit; volo; mundare; quò mundus extitit, Naamã verò in Iordane ſepties lotũ curauit lepra, effectu munditiei aquarum naturæ abſoluto miraculo. Non minùs in æneo ſerpente opus aliquod naturæ adfuit, quo Hebræi veneno expurgarentur, tandem miraculo, nec naturæ opus illud miraculum impedit, neque illud naturam; cùm illa quæ poteſt effecerit, Deus verò alia præter naturæ ordinem; cùm in natura eſſet; vnde ſic non fierent; quò & ſi tenendum ſit, vt locus ille Sapientiæ 16. c. edocet, miraculo Hebræos ſaluti reſtitutos, non viſu, vt ibidem dicitur, aut alio quàm Dei opere. Tamen præparauit natura, & ſtrauit viã ſerpens æneus, tum æris natura, & virtutibus, tum aſpectu & intuitu, vt Deo autore, ſic diſpoſiti priùs, harum rerum virtute, & potentia æris, & intenti aſpectus, ſalutem conſequerentur miraculo, vltrà ac natura omnis ferebat. Neque hoc mirum videbitur ei qui attentè 25
eximias dotes, excellẽtias, & proprietates huius potentiſſimi metalli percalluerit, ſimul cum vi, & potentia intuitus, aſpectuſque intenti, fixáque oculorum acie in ſpectra conuerſa. Æs enim Græcis χαλκὸς, Hebræis *nechoſcheth* ſpecies eſt metalli, coloris rubri, ſanguinis quaſi cõgelati, primùm in Cypro inſula inuentum, quod Latinis à Cypro dictum eſt Cuprum aliquando, Hiſpanis verò à Cypro *cobre* literarum ſono immutato, diducto nomine ab Auro Græcis dicto χρύσος Chryſos, quòd illum colore æmuletur, & ſi æs ab *αἶ*, Græcis, id eſt, terra de qua effoditur, etymon trahat, quòd fuerit metallorum primum inuentum, tum dignitate, excellentia, pretio & æſtimatione habitum; antiquiſſimum enim metallorum omnium æs fuit, ab ære enim æra, æramenta, & ærramenta, æreum, ærreumque etymo

etymologia veniunt, quò posteà ferrum communissimum metallorum dictum est ab eo, & hoc eodem apud antiquos intelligitur nomine æs, æneumque metallum, ferri nomine, Calchos verò & Chalybs, quæ ferrum etiam notant, à Chalybũ gente veniunt, quibus copia fuere communissima. Metallum hoc propter eximias eius virtutes, & sacras dotes, vim summam, & robur vnicum, propter raras & admirabiles eius abditas, & occultas naturæ proprietates, antiqui adeò celebrarũt, vt auro posthabito, illud in statuas fumosasque imagines, & monimenta, idola in Deorum cultum, in numismataque signauerint & effuderint, dixit Ouidius in fastis; *Æra dabant olim, melius nunc omen in auro* est, Victaque concessit prisca moneta nouæ. Idem Cato edocet, Seruius Rex primus æra signare cœpit, dixit Plinius lib. 33. & si Macrobius primo à Iano signata credat. Arma antiquitus ex ære parabantur, non ex ferro. docet Hesiodus eo versu: *Ære laborabant, nec dum ferrum erat nigrum.* Apud Latinos dicitur ab ære non solum æreus, sed & æneus, æneumque aliquid. Cicero 6. Verrina, lectos æratos, & candelabra ænea dixit, Columella libro 12. cap. 20. sic, in coctura æruginem remittũt ænea vasa. Quò Æneas quasi fortis & armatus dictus est. Ab æneo ahenum ducit originem, & idem quod æneum est. Virgilius, *& luce coruscus ahena,* Horatius primo epistolarũ. *hic murus aheneus esto Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*, & si communius sit sine aspiratione. In sacris nullo alio vtebantur metallo prisci, adeò vt columnæ, pauimenta, tecta superba, imagines, vasa sacrificiorum, gladij, thuribula, supellexque omnis, quæ metallo altero parari poterat, ex hoc conflaretur, latè patet legentibus historias, & monimenta antiquorum. Dæmonum opera eius virtute

tute inualidari, frustraríque æris potentia, plus mul- 26
tò quàm aliis omnibus naturæ philtris, & amuletis,
docet antiquitas omnis. In excantationibus illo vtebãtur magiæ artis professores, tam vt aliorum opera irrita facerent, quàm vt sua firma, & valida struerent; sic enim corpora præparat virtute insita, vt applicito hac illave formula, & ratione Dæmonis artes, causásque naturæ, quas occultè applicat ille, inualidet, & eneruet; potentia summa, & admirabili agendi ratione. Eget enim Dæmon subiecti apparatu, vt causæ quas ille applicat, effectus moliantur & opera, secus verò frustrantur ab intento fine; Quò, vt late suprà diximus, spectabat Dæmon lunæ incrementa, & augmentum, vt lunaticum illum affligeret Matthæi 5. Ea enim potest aptari causa Dæmoniaco quæ infirmas & inualidas efficiat Dęmonis vires, & actiones, cùm ille solùm applicet actiua passiuis, & nil aliud præter motum loci ad extra moliatur, quid mirum, si applicita potentiori causa naturæ illius impotentior non attingat effectum & opus, quo antiqui rebus naturæ multoties Dæmones profligarunt, etsi non imperio, aut iussu, vt diuina virtute expelluntur, sed subiecto alterato aliquoties, vt suffitu sulphuris, & æris sonitu, quod dum concutiebatur vt obtinniret, calore, ex motu contracto, spirabat fuliginosas exhalationes, quibus sic reficiebantur corpora, vt Dæmon ab opere desisteret, præuiso subiecto & affecto, mirabili huius mineralis potentia, virtute, & robore; quo eo vsos fuisse antiquos contra Dæmonis artes, dum naturæ operibus & ordini committuntur, nónque impeditur superno authore agendi ratio, Rhodiginus docet, libro 19. capite 10. Ex hoc vero saluberrima parari vasa decoctionibus, & infusis mace-

rationibúsque herbarum, & rerum; præparationíque eorum quæ in sacrificiis adolebantur, docet Spiritus Deus Exodo passim, capite 26. 27. 30. vsque ad 39. Leuitici 6. & 26. Numerorum 16. & 21. Deuteronomij 28. Regum millies, Paralipomenon 1. & 2. & alibi sæpe, vbi & æneum mare, fibulas, columnas, annulos, laminas, labium, craticulas, paxillum, altare, vasa, thuribula, plurimáque alia sacrificiorum vsibus inseruientia, ornatui templi, & altaris. Ex hoc metallo condi iussit, & in summa serpētem æneum voluit adstrui Hebræis, vt pristinæ sanitati reuocarentur. Dum enim Deus rebus ipsis iuxta perfectionem suæ naturæ vti potest, non solùm eisdem figurato sensu vtitur, sed secundùm debitam earundem perfectionem, & modum, secūdùm virtutes & dotes illis impertitas. Est ea huius metalli potentia, vt carmina, magicæque artis potētissima verba soluat, & infirmet, Theodorus docet libro 1. c. 5. & Sophron libro 2. c. 9. Lycophron eiúsque interpres, non minùs quàm canis latratus interim si exsonet, dum excantatio celebratur, robur excantationum omnium dissoluere, tenent autores omnes, quod docuit in Alexandra Lycophron, & respectare Virgilius videtur in bucolicis iis: Nemo non emunctæ, quod aiunt, naris aduertit, *Nescio quis certè est, & Hylax in limine latrat*. Eius vim multa attestari videntur, in priscis antiquorum monumentis, præcipuè in sacris. Quādo enim delinire aliquos morbos, aut deuouere, aut denique exigere conabātur, vtebantur ære venefici, aut salutatores homines, Curetes enim sacerdotes dicti Cretēses ortu, à Crete Regione armisonam quandam cum saltibus agilitatem moderantes; interim, dum huc illucque furentes mouebantur, proferebant quandam de

de Iouis origine fabulam, qua Saturnum filios in lucem editos deuorasse decantabant, solumque Iouem liberatum, Rhea nympha simulatis partus doloribus, ablegato infantulo, longè Curetum opere nutrito abditè, locis hirsutis & hispidis, conuocatis apibus antro occultissimo, æris sonitu potentissimo, illis in vnum allectis, vt experientia docet modò, æris sonum easdem cumulare, edocetque lebetum, & sartaginum ænearum tinnitus, vt modò illas hoc eodem vocant apiarij, & in alueos reducunt, quo Curetes ob acceptum beneficium à Ioue vaticiuandi munere fuisse in posterum cumulatos, qui ære armati mira prædicebant; apes verò, vt sine aliquo cōcubitu filios obtinerēt, decreuisse Iouē, ideóque Curetes dicti sunt illi, quòd Iouis curā obtinuerint, Strabonius libro 10. c. 3. Seruius, Rhodiginus libro 29. c. 6 & lib. 5. c. 4. Iginus sectione 19. Hesychius & Xenodorus, tanta est ænei metalli potentia, Virgilius 4. Georgicorum: *Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse Addidit, expediam: pro qua mercede canoros Curetum sonitus, crepitantiáque æra sequutæ Dictæo cœli regem pauere sub antro.* Lucretius libro 2: sic cecinit. *Terrificas capitum quatientes numine cristas: Dictæos referunt Curetas qui Iouis illum Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.* ea erat æris præstantia. Carminius libro 2. de Italia Thuscos docet, æneo vomere in condendis vrbibus vsos, quo terram sulcabant, non alio, omine fælicissimo capto qui ære vtebantur in eorum sacris traiectitiis, hocque expiatorium iudicabāt antiqui pollutionū omniū, cuius interuētu sacrificia purgabant, tā rebus in ipso paratis, quā tinnitu & sonitu huius potētissimi metalli, cuius tinnulo Dæmones fugari suprà attulimus, explicito modo, & Apollodorus scripsit libro

de Diis c.7. Theocritus in pharmaceutria, ſectione 10. Sophocles Proſerpinæ, Seu Coreæ Sacerdotem 28 Athenis æneum pulſare inſtrumentum aſſeuerat, dum ſacra Deæ çelebrabantur, & idem in tragœdia cui titulus eſt Rhitomi, id eſt radicum ſectores, Medæam ſcribit herbas ſecaſſe, ſuccóſque earundem in cados refudiſſe æneos, herbáſque æreis ſubſecuiſſe falcibus, dum pater Iaſonis reiuueneſcere tentabat, tum apud Laconas Rege defuncto lebetibus obtinere fuit veteris inſtituti, vt aufugarentur Dæmones, ex quo illud Virgilij: *Falcibus, & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.* Macrobius, ſolita refert adhiberi vaſa ænea in iis ſacris potiſſimum, quibus delinire morbos erat inſtitutum. Quin & Sabinorum ſacerdotes cultro æneo, & non alio attonderi conſueuiſſe. Æris porrò ſonos, ceu rem potentiſſimam vetuſtiſſimos Græcos multis rerum euentibus adhibuiſſe palam eſt, Manilius, libro 2. & Statius 6. Thebaidos, Alexander, libro 2. cap. 20. de æris excellentia ſic texit ſermonem: *Æs* (inquit) *quatiũt mortales quòd inde abigi dæmonas creditum ſit, quo tempore luna ſilet, vtiliſſimum hominibus, quod improbos retrudat dæmonas.* Quæ omnia quantum veritatis obtinere poſſint, & quo ſenſu pia poſſint ſtare adduximus, æratis fornacibus vaticinantes inueniri & futurorum prædictores adiuratiſſimis arriſit, & placuit philoſophis. Dicuntur enim ærariæ fabricę Leſchæ, pauperũve ſedes, quòd hyemali præſertim ſydere rigido, & media bruma, illuc caloris gratia confluant vulgares, ſicut in furnis accidit, lociſque aliis calidis. Horatius, *balneolum Gabiis Romæ conducere furnos.* Heſiodus, Euſtathius, Pauſanias, Sirus, Leſchas appellant fornaces ærarias & vaticinantium loca, λέσχη Leſche enim vaticinatio

cinatio eſt, Rhodiginus libro 19. c. 10. ex plurimis
antiquorum affert, eos qui diuitiis antiquitus præ- 29
ſtabant, æneis poculis fuiſſe vſos, neglectis aureis,
propter eximias & admirabiles illius virtutes & do-
tes. Mirabile eſt quod docet Ariſtoteles, ſectione
prima problematum problemate 35. & 36. quòd ſi
quis ære inciſus ſit, faciliùs ſaneſcat, quàm quouis
altero metallorum genere læſus, tum ambuſta quæ
hoc metallo ignito fuere excitata, faciliùs curari,
quod ratione, & experientia certiſſimum inueniri
affirmat, ex eo quòd ſimul & medicamentum, &
morbi cauſa æs ſit, eo quod ex ipſo ſiccæ exhalatio-
nes naturæ ſtipticæ perpetuò ſpirẽt, quibus exſicca-
tur vulnus, vt faciliùs coaleſcat. Exſiccare enim vul-
nera communiſſima intẽtio eſt, vt latè Galenus 3. &
4. methodi docuit, & Hippocrates libro de vlceri-
bus, & de vulneribus capitis ſcripſit, tũ propter oc-
cultas æris proprietates, & virtutes abditas, quibus
reficitur, & firmatur natura quæuis, vt etiam Cælius
docuit lobro 29. c. 6. de ære. Hinc venatores ſicubi in
remotioribus ſyluis feras deiecere, ne putreſcant,
antequàm domi reponantur, clauum æneum inſigũt
ad auertẽdam putredinem efficaciſſimum remediũ,
quo adagio dicitur: *Eſt mihi clauus æneus*; quoties
alicui innitimur tanquam firmiſſimo fundamento.
Antiquitùs è collo quaſi amuletum contra venena,
& ſtriges, orbiculos æris ſuſpenſos geſtabant, tam
infantuli, quàm maiores natu, vt eiſdem locis hi
condocent autores. Eſt ea adſtringẽdi potentia huic
metallo, vt partes vindicet à corruptione, indicio
ſunt medicamenta ocularia quæ ex eodem parãtur.
Vtiliſſimum iudicant omnes autores ſuffitum eius,
ænearumve rerum, influxionibus contumacibus
oculorum ſuſcipere. Vel hoc ipſum attentè in-

ſpectare, aut eodem oculos percurrere, adeò vt acribus fuliginibus ex illo elatis oculi expurgentur optimè, cerebrumque lachrymis eius vapore excitatis à noxiis & infectis ſuccis. Hinc rubiginem æris, chalcitidem, tuthiam præparamus, & medicamentis ocularibus immiſcemus, & ænea reliqua, hæcque ipſa in vaſis æneis parare docuit Galenus 9. ſimplici. cap. de ærugine æris, 4. de compoſitione per locos, & 4. prog. latiſſimè, & libro de oculis cap. 4. & 4. de ratione victus in morbis acutis. 9. de ſimplicium, & alibi ſæpè, Dioſcorides, Ætius, Plinius & reliqui. Quin & in fodinis æreis oculos immorantium, eruentiumque metalla inſigniter iuuari commemorant, necnon quibus defluxerint palpebrarum pili egregiè reſtitui, aſpergo enim ex chacitide exhalans, palpebras, oculoſque contingens occultè, rheumata ſiſtit, fluxiones, lachrymas moleſtas, nimietatem omnem; Chalcon, & æs ab Homero benefactor appellatur & νέροψ. Quaſi ſplendorem adducens, lumen & viſum. Mira ſunt hæc, & mirabilia ſatis de huius mineralis natura, & viribus. Sed eſt illud obſtupendum, miraculo & admiratione plenum, quod grauiſſimi commemorant autores de huius miſti rara potentia & virtute. Græci illi priſci, qui quaſi lingua altera naturæ, eius arcana mortalibus reuelabant, tantam ineſſe huic dixere vim, roburque tantum, vt eius ſonitu, & exhalatione perpetua quæ ab illo continuò ſpirat, hoc eodem potentiſſimo metallo in propatulo appoſito, ſolem, lunam & ſtellas, vel deliquia luminis patientia, vel nubilis denſiſſimis obſcurata, iis eiſdem iterum fulgere, priſtinoque nitori, & lumini reſtitui. Qui fuit antiquiſſimus mos, quaſi apud omnes gentes, & nationes nubila fugare

æris

æris ſtrepitu, & ingenti tinnitu. Liuius ab vrbe con-
dita libro 26. ſic dixit. Diſpoſita in muris Campa-
norum imbellis multitudo, tantum cum æris crepi-
tu, qualis in defectu lunæ ſilenti nocte fieri ſolet,
edidit clamorem, vt auerteret etiam pugnantium
animos. Plinius id videtur ſignificaſſe vbi dixit, &
in luna beneficia mortalitate arguente obiit æris
crepitu diſſono auxiliante. Libro quarto metamor-
phoſeon Ouidius ſic: *Cum fruſtrà reſonant æra auxi-
liaria lunæ*, & libro ſeptimo: *Te quoque luna traho
quamuis temerata labores æra tuos minuant.* Plutarchus
in Æmilio: *Ea nocte cùm iam cœnaſſent quieti, ſomnoque
indulgerẽt milites, luna obſcurari cepit, ac deficiẽte lumine
multis coloribus permutata, tandem nuſquam apparuit,
Romanis reuocantibus, vt conſuetudo eſt æris tinnitu,
eius lumen.* Adſtipulatur Manilius primo aſtrono-
micon; vbi dixit: *Seráque in extremis quatiuntur gen-
tibus æra*, à Campanis inſtructi, qui primitùs campa-
nas excogitarunt, cymbala, & reliqua, queis popu-
lus poſſit in vnum congregari, à quibus accepimus,
cum eiſdem vocare populum, vt ſacra celebraren-
tur, æreas, æneaſque fecimus ex hoc metallo, vt vir- 31
tute qua pollent, fugent nubila eorundem ſonitu,
naturalique virtute, & ſi in Eccleſia fidelium, non
hac ſolùm tempeſtates auertant, altiori imò & po-
tentiori cauſa, quòd ſint benedictionibus, & ora-
tionibus ſacris dicatæ Deo, & fidelium vſibus, quò
maiori potentia dante Deo turbines propellunt, ſed
naturæ concurſu, quantũ illa fert ad opus hoc adiu-
uant, neque eſt cur fidem tot tantorumque autorum
erogemus, aut de eorũ autoritate quidquam detra-
hamus, cùm doctiſſimorũ hominum ſcripta recipiẽ-
da ſint ratione præcipuè, & experientia firmata; aliàs

periculum est, quòd nec nostra suscipiant. Sunt enim historiæ, quasi publica tabellionum instrumēta. ab ære as, ab ære enim facultas, bonumque omne venit; huius tubæ certo sonitu erigere animos experimur, & in bellum concitare, alio eosdem obscurare, & deprimere. Huius potentia discutit sensum ob stuporem neruorum annulis ex illo paratis æneis gestatis, præcipuè aurichalci, si cordis digito applicentur, doloribus capitis medentur, fluxionibusque, & fascinationibus esse potentissimum auxilium sensit Paulus Æginetalib. 1. c. de ære, & Athenæus dixit; ea est huius metalli natura, vt & aurum melius reliquis omnibus suscipiat, inaurationemque & seruet, rubigineque minùs reliquis omnibus afficiatur metallis, putredine nunquam contingatur, nō solùm intra, sed neque in extima superficie. Docuit Hermolaus, refert Rhodiginus libro 19. c. 10. & experientia docet, perpetuum est, nulli quasi corruptioni obnoxium metallum hoc, quo adagio dicitur *æneum vinculum* pro perpetuo, Virgilius docet; rubigine quam generat non consumitur, vt metalla reliqua; seruatur, & conseruatur imò, nitidius enim est, ea detractata subtus, internè: dixit Porphirius, & Rhodiginus loco adducto; Horatius, *diductosque iugo cogit æneo*. Si quid tetri odoris in se recipiat, sic reprimit, vt non possit graue olere aut fœtere, conseruat suaues diutissimè, quò negotiatores in vasis æneis aromata reponūt. Cùm ergo fumidæ exhalationes quæ perpetuò ex hoc metallo spirare monstrauimus, quibus plenum est æs, quod comprobat illius natura, quæ aquis si iniiciatur extensus pernatat, & fluitat earum leuitate, quod aliorum non congruit alicui, vt locis adductis docet Aristoteles, & si in pilam redactum submergatur, hæcque venenis quàm maximè resistant,

resistant, malitiamque eorum corrigant, non secus ac Pompholix Spodium, Antispodium, Stomoma, & Tuthia vulgaris, quæ omnia æris sunt congenera, aut partes, docet Dioscorides, libro 5.c.45.46.& sequentibus, à quo Galenus, Paulus, Ætius, Plinius & reliqui, qui ab illo posteà suscepere. Id fuit in causa, vt serpẽs ingentissimæ molis, qui intuitu populi publicè offerebatur, serpentium veneno ignitorũ infectis, ex æneo metallo cõficeretur, & non ex alio, vt raris, excelsis dictis, eiusdem virtutibus, malitia per aspectum corrigeretur, & contactu virtutis manifestæ & abditæ, quantum natura ferre potuit, non relicta illa, in iisque intra terminos suæ potentiæ continẽtur, explicito modo anteà, vt posteà miraculo Deo ipso semel effectis quæ naturæ erant, salutis autore integram valetudinem consequerentur. Nec mirum videri debet, quòd in tanto spatio, & populo alioqui ingentissimo, vtilis esset æneus ille serpens, cùm tanta sit eius potentia, vt totum hemisphærium illustrare in lunæ deliquiis monstrauerimus, motu aëris delata virtute in longissimum: non secus ac distenditur sonus realis continuò alterato instanti, quasi per spatia distantissima, & infecta exhalatio contagiosaque substantia trans mare peruolat in pestilenti aëris statu, ex vnoque solum corpore infecto regiones integras infi[illegible]i videmus peste ac contagio, non secus alterato aëre, & ambienti facillima transmutatione, & instãtanea quasi huius virtutis cõtrario carentis, secundum eius essentialem rationem, & primam, alterare potuit Hebræos, & corrigere æneo spirante serpente, alioquin maximæ molis. Quis enim credet, 32
palmas communiter dictas fœminas arbores, Græcis phœniceas, fructiferas esse, & fæcundas, in tanta distantia, si ad maris sui generis præsentiã conserantur,

 etiam

etiáſi plus quàm ſpatio viginti milliariũ diſtent à viro, ſecùs verò ſi illius ſurripiatur aſpectus, ſteriles & infrugiferas reddi, quòd exhalationibus ſpirantibus virilibus, & fæcundis ingrauidẽtur ad viri ſpecimẽ, libera & expedita via vento tractis, ſecùs verò impedita cuiuſuis alicuius molis interpoſitione. Sic ſenſit Dioſcorides lib. 1. c. 150. Theophraſtus lib. 1. c. 2. & lib. 3. c. 5. Plinius lib. 23. c. 5. & lib. 13. c. 4. Solinus in polihiſtoria. c. 30. Galenus 2. de alimentorum facultatibus. c. 3. & 8. de ſimplicium. Quid ergo mirum, ſi in eo poſitu per vices, quæ ſpirabant ex ſerpente æneo exhalationes Hebræos potuerint contingere vento tractæ, vt non citra opus aliquod

33 ſerpens dictus conſtitueretur æneus. Durauítque hic ſerpens ſic appenſus vſque ad tempora Ezechiæ regis, vt videre eſt Regum 4. c. 18. vbi ſic dicitur: *Diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum quem fecerat Moyſes, ſi quidem vſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum, vocauitque nomen eius Nobeſtan, id eſt, in Domino Deo Iſraël ſperauit.* Confregit, inquam, eſt enim ea huius metalli natura, vt & ſi tenaciſſimum ſit, fortiſſimúmque omni ex parte, & malleolo ductile, facile contrà, ac metallum omne frangatur. Quò non dixit ſpiritus Deus, effudit, liquàuit, deformaúitque ſerpentem Ezechias, ſed confregit. Eſt ea huius metalli natura, vt multoties facillimo negotio, leuíque ictu abrumpatur, quod fortiſſimis multoties non perfringitur aliàs, ictu inæquali concuſſo quouis, æquali verò ſecus, & ſi fortiſſimè concutiatur: quòd impulſus acceptus inæqualis in contento multo aëre intra poros, quod eius leuiſſima indicat natura, moueri cogatur, quieſcente altero, qui aliis in partibus eiuſdem continetur. Ruptio verò ex quiete

quiete & motu, vel contrariis motibus simul factis in eodem corpore diuersis in partibus contingit, vt patet dum aliquid abrumpimus, manibus contrariè motis id lacerari, vel vna quiescente, & mota altera motu inæquali, non alio. Hinc vitrea vasa, æqualiter dura corpora contingentia ore, plena aëre aut alio non quassantur impetu facto æqualiter, quod moueātur, vt non distrahantur partes, hoc enim rumpi est, partes diuidi, sic dum ictu, & impulsu aliquid mouetur, inæqualiter perfringitur quò iuxta naturam metalli dixit confregit.

De attento aspectu Hebræorum in æneum serpentem Mosis.

CAPVT IV.

NVmerorum 21. citato hæc extāt scripta: *Orauitque Moyses pro populo, & loquutus est Dominus ad eū; fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum viuet, fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Iis cohærent quæ Ioannis 3. continentur capite, vbi dicitur; *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, & sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* creditus enim attentus intuĩtus obiecti est. Prægresso capite enarrauimus iam, si quo modo æs subuenire potuerit serpèntium morsibus, ictibusque atrocissimis eorumdem; si potuit quicquam conducere, vtileque esse, & si potuit, qualiter conduxerit venenatis Hebræis,

Hebræis, etiam ſi miraculo tandem fuerint priſtinæ ſanitati reſtituti, & quomodo abſoluta Dei agendi ratio, & miraculoſa inueniri poſſit ſimul cum actibus naturæ, & potentia agendi ordinata; nunc non minùs ſi acies oculorum attenta in æs, æneumque ſerpentem, attentuſque aſpectus quidquam conducere potuerit, vt corrigeretur virus dicendum. De figurato enim horum omnium ſenſu proprio infrà, & deſtinato capite agendum. Si verò literalibus his verbis contineatur aliquis naturæ, & vis eis ſi adfuerit, quæ potuerit quadamtenus venenum frenare, aut cõfluere in hoc opus, vt poſteà miraculo ſalutem adipiſcerentur, deplicandum; & cùm iam de ære dixerimus, de aſpectu efficaci dicendum ſupereſt. Mirabile illud animæ domicilium, arx, & ſedes cor
34 dicta Κάρδοπον *cardopon* Græcis, ſeu vas, quòd in illo omnia illa quæ ad animantium vitam ſpectant præcipuè, velut in arca, fonte, & vaſe contineantur; primò viuit, & vltimò emoritur, ſenſere philoſophi omnes, Plato in Timæo, Ariſtoteles primo de hiſtoria animalium 17. capite ſecundo, de partibus cap. 10. & 3. cap. 4. plurimiſque in locis ſenſit Hipocrates de natura humana 6. de vſu partium Galenus, & ſeptimo de anathomia. Cicero tertio de diuinatione, 2. de finibus, & Tuſculanarum quarto, in quo virtutes omnes Peripatetici, non ſecus ac Platonici & Stoici collocarunt, tanquã in radice, & principio à quo virtus omnibus animantis partibus deriuatur, actibuſque & operibus, vel quòd in partibus & organis exerceantur, vel quod non ſine illis poſſint celebrari, ſaltem, quod ab illis actiones pendeant adhuc rationis & mentis, obiecti exhibitione, tum vltra terminum, & finem omnium actuum conſti-

tuunt;

tuunt cor, quòd omnia opera in ipſum terminẽtur, communione naturæ, organorumque conſortio, & conſpiratione, vna continuitate, & vnitate naturæ, in quo tendunt omnia, & ſi initia eorundem in principio per inſtrumentum externorũ ſenſuum contineantur, à quibus incipiunt animantiũ opera, per occultas propagines, & diſſeminationes, è cordis ſubſtantia exortas, diſtentaſque vſque ad externorum ſenſuum ſubſtantiam cõtinuam, & vnã cum corde; quò cum reliquis omnibus animantis organis actiones molitur. In eo enim, & natura inuenitur perfectior miſtione altiori, & alentis animæ opera temperie innata perfectiori, qua ibidẽ ſanguis perficitur, in epate priùs genitus formula rudi, ibi tandem debitam nactus perfectionem toti impertitur, viuidus & ſpiritu vitali plenus, quò viuificet totum, nutriat, perficiat, & alat, ex quo interim dum coquit, & recoquit illum, ſpiritus generat dictos vitales, qui partes noſtras reficiunt calore viuido, quibus reponitur ſubſtantia noſtra aërea, & ignea quæ perpetuò euaneſcit, diſſipatu facilis propter tenuem eius conſiſtentiam qua exoluitur ſubitò, apprimè neceſſaria ad vitæ tutelam, quòd innatum calidum, humidumque inſitum, & radicale quod vocant, in ea contineatur; quibus exolutis ſiccatur animãs, refrigeratur, ſeneſcit; ex quibus in cerebro vltrà elaboratis à corde immiſſis priùs, animales regenerantur ſpiritus ſenſus & motus, beneficio cordis elargientis ſubſtantiam ſpiritalem vitæ, quam genuit primo; cuius ea eſt vigilantiſſima natura, vt ſemper moueatur, numquamque deſiſtat ab opere dilatationis & conſtrictionis, quò perpetuò recipit ſanguinẽ, ſpirituſque totius, quos impertiuit anteà, vt viuificet denuò, & continuò perficiat iterum, iterumque elaboret, vt

per

perfectos reddat & vitales, Regis more, qui in bonum reipublicæ quæ recipit, reddit, non tyrannide retinens, & in bonum proprium, sed in commune bonum tendens, vt cedant omnia, quò magis multò quàm dilatatur vt recipiat, comprimitur, vt reddat: liberale natura cor, vt plus multò reddat quàm recipiat illud, dum debitum sibi obseruat modulum, conditiones & leges. Hinc ex omnibus recipit partibus, & communicat omnibus quæ suscepit illud; quò hæc pars omnibus impetitur, priùs salubribus, insalubribusque causis, & venenis impensiùs vrgetur reliquis omnibus animantis partibus, cùm sit vitæ principium, & à quo primò vita reliquis impertitur influxu continuo, cùm dilatatū suscipiat, quæ continet totum, ex omnique totius mole continuo trahat, & succos alliciat, in séque vocet per arterias, & communes meatus, quæ eodem motu simul cum illo tenduntur, & cōsistunt adhuc cum illo compares, vt nulla in nostro corpore pars possit inueniri, cum qua non habeat commercium, & communionem vitæque

35 influxum. Ideoque cor venenum imbibit reliquis omnibus visceribus, magis sanguine & spiritibus ad se illectis motu continuo, pulsu ex pulmonibus suscepto aëre, affectū illo, qualis fuerit, viuacissima verò cordis natura semel ac sensit morbosam substātiam, inquinarique cœpit eius contactu, mille modis pellere tentat, propulsareque vitiosum apparatum infectæ naturæ, vt domicilium animæ & vitæ fons expurgetur à corruptis, coinquinatisque succis, & halitibus; quò pulsus incipit permutare, & prout potest, pulsandi actionem exercere, quantum potest ferre, suis vsibus vtilem, prout vrgetur malitia & noxa causæ contrariæ. Quò expiatur cor à succis tetris, quatuor vasis in ipso insertis, sursum & deorsum,

porisque

poriſque in ipſo contentis,humore & cauſa ad extra pulſis, mirabili quodam & obſtupendo artificio, ſed nulla ex parte, nulloque euacuationis genere commodiùs illud euacuatur, dum halitibus veneni inficitur, pulſu tractis ſuccis vitioſis, quàm continuis oculorum lachrymis, fletuq; continuo,non ſecus ac melancholici,& mœrore affecti, cor per oculos expurgant,lachrymãtes. Docuit Galenus lib. de oculis 4.& 5.c.7. de ſimplicium,& alibi ſæpe. Rhodiginus lib.12. cap.3. Ariſtoteles 1. de hiſtoria animalium, c. 4. Xenophon lib. rerum Græcarum 7. Cor enim 36
ſemel ac mœrore, & triſtitia angi cœpit ex toto in ipſum confluentibus ſuccis, poſtquàm ad ſe ſanguinem,& ſpiritus traxit,vt ſibi eſſent patrocinio,& tutelæ in conflictu & paſſionum tumultu,quibus angitur, quaſi externa fugiens, & ab exteris timens,ad arcem reuocat ſubditum ſanguinẽ, & ſpiritus,ſimul cum imperij ordine trahit vi imaginationis, tũ compreſſione partium refrigerio ſuborta,refrigeratis externis, fuga ſanguinis, & innati calidi, ad intra commotis.Copia horum cor incaleſcit, frigẽtque externa, quo effumat & in cerebrum natura leues effundit halitus, ſimul cum ſpirituum copia vaporum fuliginum,quæ miſta & turbida ſubſtantia aſcendit actu calida, alterata in cerebro, frigida poſteà venientia eiuſdem temperie, & rigida qua cerebrum pollet natura, in aqueam degenerant conſiſtentiam, & mœſtus, ſingultiens, anxiuſque reſpiratione intercepta paſſionibus, imaginatione occupata, fouetur actus, minúſque cor refrigeratum reſpiratione, incaleſcit denuo, fumat magis cerebrum, repletur, increſcit, & augetur aquoſa ſubſtantia, quæ in oculos fluens, in angulum oculi

mino

minorem, internumve, per poros, & communes meatus optici nerui, & viſorij, compreſſione partium, & geſtibus muſculorum, motuque compreſſis iis, fluunt & exprimuntur lachrymæ cum copia ſpirituum, quæ venit maior in oculos, perſpicua natura, vtiles, vt in medio diaphano eluceant ſpectra magis, & viſio fiat puriori medio, quò oculorum nerui, dicti iam optici, inter omnes qui animali inſeruiunt, ſunt caui natura, peruij, & perforati mille viis, & ductibus, vt ſpongioſa eorum oſtēdit ſubſtantia laxa, & mollis, facilè horum omnium ſuſceptiua. Docuit Galenus 10. de vſu partium, & 16. latiſſimè, & vltrà Ariſtoteles, Hipocrates de natura humana, Plato in conuiuio, in Timæo, & reliqui. Sic in triſtitia & mœrore oculi lachrymātur, compreſſione in riſu eorum qui priùs in aquam erant iam conuerſi humorū lacrhymæ deſidunt, ſpirituumque ad externa motu, hinc cor expurgant lachrymæ, & omnino expiāt. Halitibus ergo, ſuccis, & humoribus infectum cor venenoſa ſubſtantia, quæ primò in ipſum veniunt ob continuum & vniuerſalem viſceris motum, quæ per arterias & vaſa ab illo exorta ex toto corpore trahit, & ad ſe vocat omnia, ſemel ac illud inſtigant & alterāt malitia & veneno afflictum & oppreſſum, eos remittit, deponitque in cerebrum vitioſam ſupellectilem, quo lachrymis excitatis modo quouis, communioribus, amplioribuſque viis à moleſta & corrupta liberatur ſarcina, & excrementis, per ampliſſimos oculorum meatus depoſitis, quò lachrymæ quouis modo venenatis excitentur; ſunt omnino proficuæ & vtiles, quibus veneni tenuiores partes, actiuioreſque ideo natura fluant & decidant, viruque expurgetur vitæ principium cruore & veneno, inter alia quibus venenatis occurrimus vtiliſſimè, conci

concitamus lachrymas, tum illud conſulimus, vt intento aſpectũ ſine eo quòd nictitent, aut conniueant oculos, attenti inſpectent pũctum in alto præfixum, ſignumve datum, ſuſpicientes enim in exceſſum, reſeratis oculis, lachrymamur copioſiùs, & faciliùs multò quàm demiſſis illis, aut in profundum iniectis. Cælius ſenſit 12. hiſtoriæ libro 37
3. c. & 4. & Ariſtoteles 5. ſectione problematum, problemate 13. qui recluſis palpebris intentíque aſpectant, oculis in altum elatis, facilè lachrymant, eadem ſenſit Galenus 1. de differentia morborum c. 6. & experientia docet facillimè periculo facto, quòd oculos exeramus magis in altum emiſſis, vt à circunſtanti frigidiori percutiãtur, comprimanturque, vt fluant lachrymæ preſſu; eleuamus enim palpebras ſuperiores, extollimus, mouemus, immotis infimis natura quietis, quas mutare nequimus, & cum illis oculos ſuperleuamus impenſiùs, multóque magis. Quò autor ille qui naturam condidit, eius conditiones & leges ab eo illi impoſitas cùm percalleret, iuxta naturã iuſſit, vt Hebræi venenati, infectique viru, in altũ præfixum æneũ ſerpẽtem intẽtè aſpicerẽt, vt effuſis lachrymis ea intuitus ratione, quãtũ ferret natura, veneni expiationem correctionẽque moliretur, vt cõpleret miraculo reliqua, in quæ illa nõ poſſet. hinc ex albo oculorum colore internam corporis diſpoſitionẽ coniectauit Hippocrates, & Galenus, vt internas noxas multoties præſentirẽt eo inſpectato, oritur infectio praua impuris oculis in aliquem conuerſis, iniectíſque, acie eorundem verſa affectato viſu, quibus verba illa intelliguntur Eccleſiaſtici 14. c. vbi dicitur: *Nequam eſt oculus liuidi, & auertens faciem ſuam.* Liuidus enim tetri coloris eſt, & plumbei, corruptum quaſi ſanguinem oſtentans, in-

38 quinatum, impurum, qui habet ortum color, ex mortificato ſanguine & corrupto, vitiatíſque partibus,& denigratis, viuidis, & florentibus ſpiritibus exolutis, quibus ſplendeſcebant illæ, quo niger reſultat aſpectus, docuit Ariſtoteles libro de coloribus & Galenus 3. prognoſtici,& commentario 2. de fracturis latiſſimè, ibidem Hippocrates, Plato in Timæo & philoſophi reliqui. Hinc liuere, liueſcere, liuidúſque, inuidum & æmulatorem ſignificant, quòd inuidia affectus, eóque inuidus ſit imbutus colore, vel quòd ſuccidis, tetríſque humoribus ſit refertus, mortificatis, corruptis, vt in vitioſos affectus prolabatur ex imputo corpore, imaginatione vitiata; *corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam*, vt dicitur Sapientię 9. eóque inuident coloris liuidi homines, docuit Ariſtoteles, de phyſiognomia, parte tertia. Vel inuidi liueſcere dicũtur, quòd huius coloris fiãt æmulatione & dolore continuo, quo affliguntur & eroduntur, abſumunt viuidos ſpiritus, exurunt ſanguinem quem vſtione denigrant, anxietatibus, curis, vt liuidi mœrore & paſſione fiant, pallentéſque liuore nigranti, dum ſeſe exedũt. Marcialis libro 1. *Omnibus inuideas liuide, nemo tibi*; & libro 8. *Liueſcit nulla caligine, Fuſca nec odit, Exploratores nubila maſſa focos*, & Crinitus: *Non liuentis iners inuidiæ fames*; Horatius: *Inuidus alterius rebus macreſcit*
39 *opimis*. Inquinati ergo, & vitioſis ſuccis referti, ad cor allectis perpetuo motu, & inde ad cerebrum elatis, & tractis, expulſiſque è corde; ibidemque alteratis denuò per communiſſimas vias, & ampliſſimos canales quæ in oculos veniunt, hanc vitioſam ſupellectilem euacuant, & per oculos propellunt, deponente cerebro vitioſa excrementa in oculos, quo infecti oculi, & conſpurcati eorũdem vitio,

vitio, perpetuò exhalant inquinatos halitus , infe-
ctos spiritus, corruptos,impuros , & ex materia vi-
rulenta tabificos,& atros, præcipuè vbi aciem ocu-
lorum , & pupillam è directo conuerterint , quòd
maior copia eorum ea oculi positione effluat,neruo
optico conuerso ex directo,suam omnem cauitatem
obseruante, dispositione illa. Caua enim si contor-
queantur minoris amplitudinis , & capacitatis su-
persunt. Recto ergo existenti optico & pupilla è di-
recto fixa,maiorem copiã halituum effundunt. Quò
est noxa maior, cùm halitibus spirantibus tetris mo-
do dicto,tum lumine , radiisque fulgoris oculi alia
contingentibus ; lumen enim ibidem genitum cor-
ruptæ & vitiosæ substantiæ venenatæ præcipuè &
impuræ, cùm in longissimum distendatur vt lumen
quoduis,eas producere qualitates vbi contingit vir-
tute,& contactu,æquiuoca cùm sit multarum quali-
tatum causa productiua,vt cùm attestentur orta suis
principiis & generanti,lumenque illud in oculis hu-
iusce conditionis infectis , ex inquinata substantia 40
halituum sit ignitorum natura , & fulgentium pro-
pagatum,sitque passio substantiæ inquinatæ , & vi-
tiosæ,ex forma prouenientis infecta,vt possit mor-
tiferas,impiásque producere qualitates,funestas , &
fatales,suam formam insequens,eius instrumentum
& virtus,vt subitò interficiat animãtia,abrumpat vi-
sa,quasset, integra dirumpat , euertat , non actu im-
manenti visionis,imaginationísve,vt voluit Auicen-
na 6.naturalium, & 9. Metaphysicæ , actu imò ex-
terno & transeunti actione,opereque ad extra,& ef-
fectu luminis realis naturæ , & infectorum hali-
tuum spirantium cum illo simul,substantiæque ocu-
li vitiosæ & corruptæ iis eisdem. Quò maximè ca-
uẽdum ab oculo infectorum corporũ,& impuri vi-
 sus,

ſus, à lippientibus & luſcis hominibus, luſciis, & myopis, nyctalopíſque, quòd ſuccorum vitia, oculos, neruóſque eorum viſorios contorſerint, & euerterint; quò vitioſis oculis in poſterum laborant. Non ſecùs maleuolentiæ imaginatio, aliorúmque affectuum obeſſe aliquando, aut prodeſſe poteſt, odio, aut amore, ira, beneuolentia, & aliis, efferueſcente ſanguine in corde, imperio imaginationis, tractis ad ſuperna ſpiritibus in cerebrum, ibidémque ſic alteratis actione tranſeunti, & externa organi imaginatiuæ potentiæ, qua etiam pollet immanenti non minùs, vt & corporea quæuis omnis ſubſtantia, agentis in cerebro, tanquam in principio reſidentis, & ſi in corde, vt in radice, & fine; ibidémque affectis ſuccis, tractis, & ſubſtantiis, prout vitioſis halitibus refertum fuerit organũ illud, aut puris, & integris tractis, prout paſſio efflagitat, & affectuum ratio; beneuolis, aut diris, prout paſſione inſtigatur, hac aut illa expulſis poſteà per oculos, imaginatione dira, aut beneuola cũ viſoriis ſpiritibus ſimul; mutationes enim corporales ſequuntur immanentes actiones, & affectus animi, corporeáſq; cauſant mutationes, & motus, corpúſq; alterant, & affectant variè in affectibus animi, vt materiales affectuum definitiones demus non minùs ac formales, & finis, quas vocant, quòd cum tranſmutatione corporis fiant; ſenſit D. Thom.
41 12. quæſt. 22. articulo 1. & experiẽtia docet, mutationum & motuum ſanguinis & ſpirituum, quæ manifeſtè ſentimus, paſſione affecti. Hinc vires habet imaginatio permutandi effectus, vt caſum multoties efficiat tranſititia actione; & ſi immanenti in ipſa non mutet corpora corruptiuè, ſed perfectiua tantùm actione, & actu ſuum organum alteret. Hinc monſtra contigere, effectus miri, mirabilia plurima

rima hac externa actione phantasiæ; quorum causa est imaginatio diuersimodè affecta, secundùm quod eius organum mutatione reali variè affectatur explicato modo, & alteratum alterat reliqua externa, & permutat. Hinc in fœtibus varia excitantur accidentia similitudinis, & dissimilitudinis, variè permutata materia, sanguinis, & spirituum detractione, & additu materiæ, additione, aut defectu, quibus permutata illa, causa est diuersorum actuum, diuersorumque effectuum, quæ hoc illove modo varia, variegatos effectus edit, & opera. Quantum possit imaginatiua potentia hoc genere actionis docet pulcherrima illa solertia, qua est vsus Iacob Geneseos 30. qui sanciuit cum Laban socero, variegatas pecudes futuras sibi quæ nascerentur, illas verò quæ vnius coloris, ex pacto Laban habiturum, quæ vt ex voto succederent, iuuenis variegatas virgas, per partes decorticatas in canalibus aquarum apposuit, vt ante oculos eas cùm haberent, in earum inspectu conciperent, & coirent pecudes, quæ æstuantes coitu, easdem dum intuebantur, maculosos & varios fætus edidere plurimos, ex inæquali spirituum copia disgregatorum variè congregatorumve ex albo & oppositis coloribus nigri aut aliorum, tractis ab imaginatione spiritibus, & sanguine, in visione inæqualiter, vt ad proportionem obiecti visionis actus exerceretur, relicta materia inæquali humorum & spirituum in toto, ex quibus & semen inæquale effunderetur, spiritibus varium, temperie & modo, vt varij posteà effectus prodirent. Quod posteà aliquando contigisse in regione Betica equorum feracissima, equis diuersi coloris natis, eodem ingenio, expertum dixere plurimi: non secùs ac dum pauones expectamus albos, alba sindone fæmellā oua 42

incubantem circumdamus, vt nullo alio præter album viso, disgregatis spiritibus, albedine, exolutáque calida illa & ignea substantia, pulli frigore albicent, & si serpentem suspensum opponas, aut appendas collo fæmellæ vsque ad tempus excubandi oua, pro pullis serpētes, qualis appensus fuerit, suscipies: retulit Gainerius, tractatu de peste. Galenus libro de theriaca ad Pisonem, fæminam quandam refert ex formosissimi iuuenis picturę aspectu, ipsa & viro deformissimis, pulcherrimum filium perperisse. Fortissima imaginatione fæminas in viros commutatas docet Fulgosius libro 1. cap. 6. Sabonius libro 9. cap. 8. Plinius itidem. Augustinus de ciuitate Dei libro 10. c. 4. & 23. docet, fuisse quendam qui potentissimo imaginationis actu dum vellet sudabat, qui cùm plurima deglutiisset, quæ placebat quasi de sacculo depromebat, reiiciebátque ore. Hippocrates ab adulterij suspicione liberauit puellam, quæ Æthiopem peperit, quòd Æthiopis imago quædam ante cubile adstaret. Iis similia sunt & plurima alia, quæ esset longissimum recensere. Imaginationis ergo potentia hos & alios effectus venire cognoscimus, hócque modo oculum liuidi nocere posse, vt Spiritus Dei loco allato edocuit. Hinc fascinatio, philtrum, maleuolentia, & reliqua effectum aliquem realem continere possunt, præcipuè per oculos, quibus effluit infectus halitus, Ecclesiastici 31. sic dicitur. *Oculo nequius quid creatum est?* Dum huiusce dictæ est conditionis. Virgilius sensit vim huius malitiæ dum dixit: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Plinius lib. 7. c. 2. integras familias effacisnantiũ esse in Africa; Isogonus, & Nymphodorus libro 2. cap. 6. referunt, eam esse horum potentiam, vt laudatione intereant probata quæuis, arescant arbores,

emo

emoriantur infantes, Isogonus lib. 2. cap. 5. hos, si inuidè quidquam inspiciant toruis oculis, aut iratis, lædere, aut interimere eos quos diutiùs inspexerint, ad extrà effusis halitibus tetris. Fœminas menstruatas docuit Aristoteles de sensu & sensili c. 2. specula tersa & antiqua maculare sanguineis guttulis, si sese in illa inspexerint menstruorum tempore, vetulasque inquinatas, & spurcas teneros inficere infantulos, molles, & faciles, malitia succorum, fæminarum mẽstruum inficit, lædit; Sapientiæ 4. dicitur. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona:* nugacitatis, inquam, repetentis, & duplicati oculi, qui aliena inuidiæ more maiora & duplicata videt, hoc enim nugatio est, duplicitas, & repetitio. Nam & si inuidia, & inuidus, quasi inuitus, vno oculo aliena inspectet, illi tamen maiora vidẽtur, quàm pro meritis alterius illa; Ouidius de ea 2. metamorphoseon sic cecinit. *Pallor in ore sedet, macies in corpore toto. Nusquam recta acies,* & infrà: *Illa Deam obliquo fugientem lumina cernens Murmura parua dedit.* Statius libro 5. *Nullamne notauit Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat Protinus, & sæua perturbat gaudia dextra.* Omnes enim inuidiæ affectum oculorum peruersa acie manifestant. Nec rationem miraculi salutis Hebræorum impedit figura serpentis ænei, quæ potuit quicquam conducere ad eorum valetudinem, vi imaginationis, modo iam à nobis explicito, conferreque aliquid transititia actione organi imaginationis, cuius actionem transeuntem esse natura & virtutibus, illius organi. Dimanantem diximus, diuersam ab immanenti, & cognoscitiua, cùm illud organum sua propria vi, natura, forma, & substantia qua pollet, non secus ac quælibet altera animantis pars, & nutriatur, & alteret mutatione physica, naturali,

materiam externam, vt in eius nutritione manifeſta-
tur, & actibus aliis, actioneſque plurimas moliri ex-
ternas, tum fieri hæc quædam imaginationis ope,
ex figura ſerpentis præfixæ, ſpiritibus & ſanguine
motis hoc illo modo; producique hæc aliqua, qui-
bus vel meliùs ſuſcipiatur miraculi effectus, vel vt
ſimul cum illo alia adſint, quæ etiam ſubiectum
perficere valeant, vel expulſioni veneni vtilia, aut
apta diſponere, vt quæ miraculo ſuſcepit, conſeruet,
retineat meliùs, ſuſceptis ſemel, naturæ relictis in
poſterum; vel vt cum maiori ſubiecti facilitate effe-
ctus miraculo inditus operetur poſteà naturalia
ſubiecti, & agat, nil impedit, aut obſtat quo minùs
ſit integra miraculi ratio. Non ſecus ac plurima
poſſunt cauſis naturæ produci accidentia, cum qui-
bus ſi miraculo alterum produceretur, accidens, aut
diſpoſitio naturæ, iis egens, natura productis, vel
ad agendum, vel ad conſeruationem ſui, & eſſent
cauſæ in natura potentes hæc ipſa efficere, miracu-
loque ſolùm alterum produceretur, natura impo-
tenti illud alterum facere, quod miraculo conſtitit,
propter ineptitudinem ſubiecti repugnante illo, im-
potentique, aut propter exceſſum alterius contra-
rij, aut defectum productiuæ virtutis, diſpoſitioniſ-
que naturalis, qua corrigeretur violenta infectio
iam ſemel inducta; qualis fuit in Hebræis veneno
inquinatis; non minùs naturales cauſæ ſuum opus
implerent, & ſi miraculo illud alterum conſtituere-
tur, vt in exẽplo ſuprà adducto de calore, & ſiccita-
te attulimus anteà, ratione miraculi interna ſeruata;
apprehenſa enim per imaginationem figura ſerpen-
tis, effigies eorum quantum ad literalem ſenſum
44 ſpectat, quæ illos acriter morſibus impetiere, ſpe-
ciem odij inferebat, repetita memoria virulentorum
animan

animantium, reptiliumque venenatorum, quorum figuram repræſentabat. Sunt enim omnia quaſi figuræ vnius, quò effigie vna inſpectata, reliquorum excitatur memoria; quæ ſpecies, & formula apprehenſa, eorundē repræſentatiua imaginationē ex viſu afficiens concitabat, vt eoſdem motus, quos animal excitare ſolet terribili obiecto, & horrido, inuiſoque inſpectato, iterum denuò incitaret ſanguine, & ſpiritibus metu ad cor confluentibus, & odio poſteà verſus externa effugatis, & propulſis, conſurgente iraſcibili aduersùs rem difficulter ſuperabilem, vindictam tentans, & ad extrà propellere è corde ſpiritus, & ſanguinem, inquinata veneno ad externa membra, quibus illa in rem horrificā impetus facerent, quò & memoria repetita multoties, per figuras præſentes horrendarum rerum præteritarum, contremiſcimus, & concutimur omnes metu, ad cor retracto ſanguine, & ſpiritu ex venis, arteriis, & partibus, loco cuius calidæ ſubſtantiæ, ſuccedens aër ambiens frigidus, replens locum, quo calidior continebatur, occurſu frigoris, illam alterat, ipſaque frigidam excutere tentans, tremit, & horret, concutitur, & ſubitò contremiſcit; hiſque motibus virulentam ſubſtantiam propulſat, infectumque cruorem, & ab internis ad externa eiaculatur ſæuum venenum. Quò, & figura contulit Hebræis elatæ ſerpentis, vt ad extrà virus ſuſceptum expellerent, ex figura imaginatione commota; fuit decens, ſub illa forma ſerpentis eleuari, qui figura extitit ſerpentis communis, dicti vulgaris noſtri anguis, de quo libro 1. tot tantaque diximus vtroque ſenſu, vt qui exaltatus in ligno vicit parentes primos ſuperbus, & altus, genuſque mortalium, idē altus & celſus vinceretur, notareturque victus in ſua elatione, & celſitudine,

superbia, & inflatione; quò in signum victoriæ serpens ille ex incorruptibili metallo, vt in monimentum hominibus superesset in tempus longissimum, est exaltatus, figura solùm serpens, vt figurato Christo, iam victi reliqui notarentur, vitiaque passione in signo illo Christi vẽturi, de quo infrà latiùs; figura enim rei horribilis, inspectusque, imaginatrice mota, affectare valent hoc modo; at de iis infrà.

An ignitorum serpentium ictus medicis auxiliis potuerint emendari.

Capvt V.

45 PRæscientia summa, & præuisio magni nostri conditoris, prouidentia, & gubernatio vniuersæ naturæ, moderatio, regimen, quibus omnia temperat, moderatur, & regit, propter occultissimos, abditissimosque fines, arcana, & rationes, variis generibus morborum & defectuum mortales affligit multoties. Cùm, actus iustitiæ exercens, vt delicta, & scelera supplicio & pœna puniantur: tùm, vt exerceantur homines, & patientia suas exerat vires, tùm vt delicta parentum, maiorumque castigentur, exciteturque memoria præteritorum scelerum, quò caueant posteri, & resipiscant, horumque exemplo odio sectentur vitia. Vltrà, vt glorificetur filius Dei, per quem omnia facta sunt: tandem, vt manifestentur opera Dei miraculo, & portentis, quorum omnium extant exempla in Scriptura sacra. Misericors ipse, piissimusque Deus, hominum instigatus offensis, irritatus eorundem malitia, vltus est flagitia, & scelera mortalium in bonum eorundem, cuius rei varia Scriptura sacra substituit exempla,

pla,quibus non solùm veritatem hanc, vt comprobet, Scriptura abundat: verùm & hominum gesta, monimenta, historiæ, huius argumenti sunt refertæ exemplis. Deuteronomij enim 18.cap.pœnas renũtians Deus legis transgressoribus iis minatur delinquentem populum: *Percutiet te Deus egestate,febri, frigore,ardore,& æstu, aëre corrupto, & rubigine & persequetur, donec pereas.* & infrà: *Percutiet te Dominus amentia,& cæcitate, & furore mentis, & vlcere pessimo.* Regum 1.cap.16. Saül quòd eius præcepta contempsisset, bonáque Amalec deprædasset, & Regem eorum Agag viuum bello reseruasset, contrà ac Deus iusserat, Dæmone molestissimè vexari permisit, durisque cruciatibus angi. Numeri 11. c. quòd Maria soror Aaron vxorem Mosis piissimam Æthiopissam verbis detrectasset, Mosemque, non solùm Dei sacerdotem, verùm & Aaron, illíque æqualem constituisset, lepra est inspersa fœdissima. 4. Regum c.20.Ezechias apostemate fuit percussus rebelli,cum maximo vlcere, quem liberauit Isaias Dei iussu, cataplasmate massæ ficorum superimposito;quod gratias Deo nõ reddidisset de victoria contra Assyrios. Leuitici 26.cap. sic dicitur: *Quòd si nec volueritis recipere disciplinam, & ambulaueritis ex aduerso mihi,ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos propter peccata vestra; inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei, cúmque confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri.* Regum 4. capite 5. Giezi seruus Elisei, quòd à Naaman lepra mundato ab Eliseo, duo talenta accepisset, & vestes duas; simoniacus factus, lepra est conspersus, omnisque illius posteritas in memoriam delicti. Plutarchus in Silla Eumum pediculis absumptum decessisse refert, quòd seditiones in Siciliam

indu

induxiſſet, rempublicamque euertiſſet. Valerius Maximus ex priuato Imperator creatus, quòd aduerſus Chriſticolas arma paraſſet, vermibus abſumptus obiit, docet Crantius lib.2.c.7. Idem contigit Arnulpho Imperatori, quod ſeſe cõuertiſſet ad templorum rapinas. Iob, Tobias, morbis quam plurimis fuere afflicti, vt eſſent præclara patientiæ exemplaria. Videre eſt Iob primo, & Tobiæ ſecundo. Sanctorumque, & iuſtorum hominum afflictiones, perſecutiones, flagella, vt patientia eluſceret, inflicta huic rei ſunt euidentiſſimo argumento. Maiorum crimina in ſucceſſoribus, & ſubditis expurgari, variis locis Scripturæ ſacræ non minùs inuenitur; dicitur enim Iſaiæ 14.c. *Præparate filios eius occiſioni, in iniquitate patrum ſuorum non conſurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis ciuitatum, & conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.* Ob delictum Dauid; qui populum numerauerat, quaſi confidens gentibus, & multitudini fortium, Dei oblitus, Regum 2.c.24. peſtis grauiſſima populum inuaſit, vſque dum holocauſtis, & pacificis placatus eſt Dominus. Numeri 14.cap. ſic eſt ſcriptum. *Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens, qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* De Lazari verò ægritudine, ſic aſſertor noſter Chriſtus tulit ſententiam dicens: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam:* vt ſcilicet honorẽ, & gloriã tanto Deo autori exhibeant iuſti, & ſancti homines, ſuum ſummum benefactorem Deum cultu proſequẽtes venerentur, & colãt, actu pietatis, & religionis in Deum, potentiam eius admirantes, & venerantes, glorificanteſ

ficanteſque ipſum, tandem vltimò, vt manifeſtentur opera Dei, etiam ſi rebelles, & pertinaces homines, quale fuit opus, non ſuſcipiant, detrahant imò de obſtupendo miraculo, laceſſantque verbis tanti miraculi autorem, ingrati, & duræ ceruicis, quò non vt gratias referant duri & contumaces opus molitur, ſed ſolùm, vt Dei opera manifeſtentur, vt dicitur Ioannis 9. capite, vbi Chriſto interrogato de cæco à natiuitate, an peccaſſet ille, an parentes eius, reſpondit: *Neque hic, neque parentes, ſed vt manifeſtemur opera Dei in illo, me oportet operari opera eius qui miſit me.* ac ſi diceret; Inter contumaces adhuc, & incredulos hæc oportet fieri, vt ſummi Dei manifeſtetur potentia, & ſint hæc illis in perditionem; Hæc multoties infert Deus mala, ſeſe ipſo ſine naturæ opere, modò natura vſus, cauſiſque infernis, vt & quandoque hæc remittit perficienda Angelis, & Dæmonibus, quibus cum corporalia omnia cauſæque agẽtes naturæ obediant, & pareant, eiſdem vtuntur ſecundùm diuerſas & inæquales Angelorum vires, ſpirituumque, quibus datur ex natura, poſſe hæc corpora agere, & applicare ad opus, & maiora nõ poſſe, tantumque ea permutare, vt non vltra illa: qui vt ſuprà attulimus libro primo, ſolùm actiua paſſiuis adiungere queũt, apponereque, cùm nullo alio modo naturalia opera perficere, intrinſeceve alterare paſſibilia corpora poſſint, aut mouere aliquo alio genere motus, quàm loci, vt ordinentur vniuerſi partes inter ſeſe, corporaliaque ſpiritualibus vniantur: quod eſt illis conceſſum; quo meritò dixit Ariſtoteles ſecundo cœli, ſi intelligentiæ motiuæ orbis ſtellati aſtrum denuò adderetur, impoſſibile eſſet illud loco ciere, excederet enim proportionem ſuæ naturæ, quæ in tantam quantitatem, & molem

lem poteſt, vt in maiorem non poſſit. Senſit Thomas, Auguſtinus, & alij Patres locis adductis. Hinc multoties, quod Deus permittat, vel iubeat, Angeli, & Dæmones morbis affligunt homines, tum ope Dæmonis malefici, veneficique. 2. enim Regum c. 24. hæc extant ſcripto; *immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël de mane, vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo à Dan vſque ad Berſabe ſeptuaginta millia virorum, cùmque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Hieruſalem, vt diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem, & ait Angelo percutienti populum; ſufficit: nunc contine manum tuam, erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebuſæi: dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum; Ego ſum qui peccaui, & ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt quid fecerunt? Vertatur obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* quibus conſtat, Dei iuſſu Angelos, mortales morbis defatigare: non ſecùs Dæmones eos vrgent ægritudinibus Dei iuſſu, aut permiſſione, ob manifeſtos, aut abditiſſimos prouidentiæ fines. Hinc Iob. 1. cap. tot tantiſque morbis Sathanæ opere eſt afflictus, & Matth. 5. lunaticus Dęmone vexabatur morborum illuuie. Saül Regum 1. capite 16. Dæmone affligebatur, non minùs Magici, qui inuocatione Dæmonum infandiſque incantationibus, Dæmonis interuentu artes ſacrilegas exercent, homines turpant, & inquinant morbis: magia enim quæ Goëcia vocitatur, & Thurgia quam Plinius inte-
46 ſtabilem vocat, inanem, & irritam, varias ſub ſe ſpecies complectitur, quarum vna eſt Idromantia, id eſt, aquæ magia, quod aqua vtantur malefici in eorum operibus moliendis, ac Himonantia, quæ gladiorum interuentu exerceretur, Catoptromantia,

tia, quòd carminibus vterentur, pyromantia, quòd igne, Geomantia, quòd terra, Aëreomantia, quod aëre, Necromantia, quòd mortuos alloquerentur, Capnomantia, quod fumo, Coſcinomantia, quòd cribris, & ſic alias ſortita appellationes pro variis cauſis applicitis ad opus, aut ſignis, quorum interuentu res ipſa peragebatur. Dum enim cauſæ quas Dæmon applicat, cognoſcuntur, diligentia & ſedulitate diſquiſitionis cauſarum naturæ, magia non eſt hæc deteſtabilis de qua loquimur, ſed ſcientia naturæ, & cognitio naturalium agentium, rerumque naturalium, ſecretorumque naturæ intelligẽtia, vt cognouere plurimi ex piiſſimis viris religioſis & probis ſapientibus, & piis, vt de Alberto Magno dicitur, Thoma, & aliis, qui naturam percalluere apprimè, eiuſque arcana & recondita. Hos magos vocabant antiqui, id eſt, ſapiẽtes; quò Reges Magi, & ſapiẽtes dicti ſunt ideo. Indis vocantur Brachmanes, & Gymnoſophiſtæ, apud Gallos Druidæ & Bardi, apud Siculos Galeotæ, apud alios Aſtrologi & Mathematici quandoque, vt videre eſt in ciuili iure C. de maleficis, & mathematicis, in lege, plus, in lege, artem. C. eodem titulo, tum 26. q. 3. 4. & 5. Si verò Dæmõ cauſas applicet, & agentia naturæ pacto inito cum malefico, qui pollet habitibus rerum omnium naturalium, plus minuſve, prout ſua fert natura, conditio, & perfectio, Magia inteſtabilis dicitur, exitioſa, & execrabilis, vt conſtat in capite, Epiſcopi, vbi damnantur cum autore mendacij commercia, & cum ſeductore Dæmone pactum vetatur inire. c. ſi per ſortiarias, atque maleficas artes. 33. q. 1. c. Epiſcopi. Vbi dicitur; *Epiſcopi, eorumque miniſtri omnibus modis èlaborare ſtudeãt, vt pernicioſam & à Zabulo inuentã Sortilegam, & magicam artẽ ex parrochis ſuis penitus eradicẽt.*

Dæmones

Dæmones enim causas operum occultant, signa solùm exhibent pacti & fœderis initi, vt se imperio & voluntatis tantum potentia opera moliri suadeant mortalibus, vltra legem naturæ, in totum Deo ipsi æmulantes, ac se Deos prædicantes veros inuidia, & malitia. Cicero 1. de diuinatione. 3. de officiis, Aristophanes lib. 1. c. 5. Herodotus libro 3. c. 9. Homerus Odyssea 7. & 10. Plato in Timæo, & 2. dialogo, 63. de republica, Arist. de historia animalium. c. 20. 3. Rhetoricorum, & 6. in arte Poëtica, Ouidius de arte amandi; Virgilius 6. Æneidos, Lucanus libro 9. plurimos morbis vexatos vltra Scripturæ loca adducta & iura allata, maleficorum arte posteritati reliquere. Imò caput citatum, Episcopi, ex Concilio Aquirensi. 26. q. 5. refert, Vlyssis socios à Circe venefica metamorphosi in bestias transiisse, tũ de Medusa plurimos transformasse refert, qui & si non naturam permutarunt, figuram tamen sic verè commutare, vt quibusdam corporibus à Dæmone superadditis, porrectis quibusdam, partibus contractis aliis, Dei permissione, & Dæmonis opere, cui corpora quo ad motum obediunt, locique mutationem, & non naturam, verè tamen diuersas figuras variarunt; antiquisque nouæ sucessere. Hæc enim solùm loci mutatione, varioque situ, rarefactione, & condensatione; quæ omnia ex motu locali veniunt, fieri queunt, solumque illo resultant. Hinc frigidos plurimos videmus, ligatos & impotentes homines, cuius plurima exempla extant, Sprenger retulit 1. & 2. parte mallei maleficarum; apud probatissimosque alios autores. Sic 2. sententiarum, Diuus Thomas distinctione 7. articulo decimo quarto, Augustinus locis citatis, Hieronymus, Gregorius. Videre est 26. quæstione 5. Cardinalis Hostiensis, in summa, Godofredus. Cùm

ergo

ergo ſint ij morbi ex veneno ſuborti ignitorum ſerpentiũ, aliíſque modis immiſſi à Deo, vel Angelis, dæmonibus permittẽte, aut cogẽte Deo Veneficiíſq; hominibus, vel Dæmonum interuentu permittente ſolùm, vel notitia potentiſſimarum cauſarum naturæ abditarum ſumméque latentium, vt nullo modo ex illis malum illud ſperetur, vt qui notitia pollent abditarum naturæ cauſarum; morbos inferre valent, cauſis occultis, è quibus noxa illa non expectabatur, ob cauſæ defectum, notitiæ & ſcientiæ, videndum eſt; an aliqualiter ars medica his generibus morborum poſſit ſubuenire. Cuius quæſtioni illud indubitabile eſt, morbos à Deo inflictos, vel ſe ſolo, vel cauſis naturæ, prout ille vult agentibus, nec curari, nec præcaueri poſſe, quò minùs veniant; ſubditur enim illi omnis natura in agendo, & ſe ſolo eget, vt omnia perficiat, & conſeruet, cùm omnia ab illo ſint, quò remediorum artem inualidabit, tam ad præcauendos morbos venturos, quàm ad propulſandos præſentes, & inflictos: hinc Ieremiæ 46. ſic dicitur Pharaoni, & Ægypto, qui rerum affluentiæ innitebantur, luxui, & abundantiæ, naturaliumque ſapientiæ, & cognitioni virtutum, abditarumque cauſarum notitiæ, quibus maximè gloriabãtur Ægytij, quo illis dicitur eo loci: *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti, fruſtrà multiplicas medicamina, ſanitas enim non erit tibi*: vt deprimeret ſapientiam Ægyptiorum, medicamina irrita faciens, reſinam exemplo afferens, qua maximè abũdat ea regio, copia abietum, quibus eſt referta, terebinthinaque illa celebri abietina, tot tantiſque rebus vtiliſſima, quam reſinam vocant. Tum vltrà Eccleſiaſtici 43. ſic *medicina omnis in feſtinatione nebulæ, & ros obuians ab ardore venienti, humilem efficiet eum*, feſtinabit inquam 47

quaſi nebula, medicina corã ſole iuſtitiæ, & ros obuiãs id eſt,in occurſum ſoli veniens,quod liqueſcat ab ardore ſolis venienti,quò exoluitur, & in vapores digeritur ſurſum tendens, quaſi lumen ſolis obſcurare præſumat; humilem efficiet eum, id eſt, ſiccum,& languidum,depreſſum,& humilem. Hac metaphora peccatores increpat, qui ſibi fidunt rore, pinguedine, & abundantia rerum; Exoluentur hæc facile à ſolis iuſtitiæ Dei ardore, & rigore æſtus iræ, ſuperbúſque humiliabitur,tum rerum inopia, tum morborum miſeriis,vt ſit omnis medicina inutilis. *S*unt ergo pro tempore, pro quo Deus decernit hos morbos aſſiſtere,ineuitabiles omninò & incurabiles: Tam impeditis naturæ cauſis remediorum,quàm ſubſtractione concurſus,quominùs agãt dum vult, ſed ij iidem morbi huius iam dictæ cõditionis & legis,ſi ad tempus aliquod determinatum, & certum,mortalibus infligantur à Deo, poſteà verò relinquatur ſuæ naturæ & actionibus eiuſdem expulſio, Deo ipſo ſic deliberante, ob ſuæ prouidentiæ fines,meritò tunc artis auxiliis vtemur,eoſdem vt extirpemus,tranſacto tempore diuini decreti, quo decreuit vſque ad id temporis duraturos, poſteà naturæ relinquendos.Cùm ergo de hoc certi eſſe non poſſimus, in dubiis, remediis perpetuò cõmodè vtemur medicæ artis, fortaſſis tempus cõpletum eſt iam illati ſupplicij,quando neſcimus, aut non.Sẽper priùs ſalutaribus Eccleſiæ remediis adhibitis, vt ſanctiſſima decernunt iura pontificia, iubétque proprio motu piiſſimus Pius quintus, medicíque iureiurando tenentur implere: Multoties verò reuelat ipſe noſtræ naturę conditor,actum iam eſſe de ſupplicio, iubetque remediis artis,& naturæ vti,vt hi tales morbi profligẽtur;quò Iſaias,quarto Regum c.20.Dei ira tranſacta,breuiſſimo ſatis tẽ-

pore,vt ſuperaret,& in pus conuerteret vlcus tumidum, & rebelle Ezechiæ Regis, cataplaſmate ficorum eſt vſus,quod vlceri ſuperimpoſuit,& illo priſtinæ ſanitati deſperatum Regem reuocauit, diſpoſitione facta eorum quæ potuit natura, miraculo tamen quæ illa nequiuit. Galenus enim quarto methodi,curationem omnem docet perficiẽdam eſſe, remota priùs cauſa, aut conditione ſine qua non poteſt aliud curari, vnde cùm vlcus ſit vulnus cum pure, tumidumque ideo, quòd conculcati humores, partes in tumorem eleuantes putreſcant,& pus conficiant,docet ipſe 5.aphoriſmorum, aphoriſmo 20.in Iſagoge 7.c.3.methodi.c.4.de articulis.commentario 25.de locis c. 6. Hippocrates libro de vlceribus, Celſus, Auicenna & reliqui: Ficorum verò cataplaſma, vt idem Galenus docet 2. de arte curatiua adGlauconẽ. c 7.cùm vtiliſſimũ ſit ad tumida ſuppuranda, cuius compoſitionẽ eo loci edocet,vt Dioſcorides libro 2.c.de ficulnea dixit latiſſimè,meritò eo vſus eſt remedio Iſaias,vt eo ablato impedimento Ezechias priſtinæ ſaluti reuocaretur,ſemoto impedimẽto tumoris,vt coaleſceret vulnus,& ſi miraculo eo ſublato obſtaculo crediderim, vnitũ & perſanarũ vlcus,ſemel iam opere naturæ in diſcutiẽdo tumore peracto.Cùm verò inter morborum tumultũ,ſint genera plurima, quę ſemel ac ſubiectum afficiunt,cauſa ſint plurimorum aliorum defectuum naturæ,morborumque, qui ex illo primo vitio illato proueniunt,ſi ſubiecto nõ prouideatur, medicinæ ope,interuentu primorũ effectuũ,ægritudiniſque primò receptæ,noxæ poſteà ſuccedant variæ,vitia,& affectus, tum illimet ſemel ſuſcepti, deterioris fiant conditionis,relicta natura ſuis viribus, ſi non adhibetur, & ex vna parte multoties in alias

 ſerpant,

ſerpant infectioque reliqua comprehendat corporis membra; quæ omnia ad præcautionem eorum quæ ſemel inflicto morbo primo in poſterum venire queunt, ſpectant, natura morborum agente, relictà ſemel intra ſuæ potentiæ limites, morbo priùs deſuper illato, meritiſſimè remediis ſcientiæ ſalubris vtemur, in iis, ne in poſterum deteriora euadant: quò Paralipomenon 2. capite 26. de Ozia rege ſic dicitur: *Iratuſque Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incenſum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta eſt lepra in fronte eius, coram ſacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis, Cumque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui ſacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinatò expulerunt eum. Sed & ipſe perterritus accelerauit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini, fuit igitur Ozias rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata, plenus lepra ob quam eiectus fuerat de domo Domini.* Lepra ergo ſolùm in fronte ſuborta ſuæ naturæ relicta, poſt hæc quid vitaret cohibere artis remediis, ne reliquum corporis officeretur in poſterum illa, ſi ſolùm eam partem apprehendere, fuit inſtitutum Dei vltoris, quod fieri potuit, reliquas verò iuxta morbi naturam comprehendere, aut contrà non ſanxit, ſed prout rite & decenter morbus tractaretur, aut incuria remediorum artis, reliqua corporis membra ſi non præcauerentur, inficerentur illa voluit Deus.
46 Tobiam felle piſcis vti, vt morbus extiparetur illi deſuper inflictus oculorum albuginum, quo hominibus patientiæ præclarum extaret exemplum, Leuitici 13. c. 14. curationem inſtituit Deus expiandæ lepræ adhuc in pœnã delictorũ immiſſę, relicta naturæ actionibus ſemel talis curatio in multis, & ſupra naturã morbus infligeretur. Si enim Deus has actiones

naturæ

naturæ vitasset, noua miracula efficeret, primo miraculo concesso illationis morborum; cùm naturæ opera potentis agere impediret ab ordinata lege. Diuus Michaël; in sanctorum historia legitur, vinum consuluit cum pipere homini afflicto imbecillitate ventriculi ob peccata & flagitia illius, quo, & vitauit mala quæ ventura erant, & succurrit pręsentibus, transacto iam vltionis tempore; videre est in historia Sanctorum. Paulus 1. ad Timotheum 5. modico vino & benè diluto, vt digeri & concoqui possit faciliùs, vti præcipit Timotheo, qui languido ventriculo laborabat, nonque solùm semel iam morbis immissis opus medici vtile est huiusce rationis, sed immittendis, infligēdisque morbis vtilissimū semper est opus tale, præcautionis causa, ne morbi iam recepti vitia alia pariant, relictis illis naturæ propriæ, & secundùm illam agentibus; lepra enim fœdans frontem Oziæ tantum fortassis per totum non serperet, si artis debitis medicaminibus corrigeretur. Fortassis fuit hæc mensura supplicij, ob arrogantiam, & superbiam, posteà per totum diffusa lepra est incuria & negligētia, cui summa cura, & sedulitas si adhiberetur, fortassis non totum apprehenderet malum, non secus ac robusti, & fortes homines minùs vitiarentur eo morbo, in his quæ ad supplicium non spectabant debilibus & imbecillis. Si ergo suis rebus exactè prouisum fuisset, minùs eo morbo vrgeri posset. Idem ferendum est iudicium de Angelis, & Dæmonibus, causisque aliis naturæ, dum Dei iussu ægritudines excitant, hæ enim curari non possunt pro destinato tempore pro quo inferuntur, nec præcaueri ne veniant, sed alia quæ ex his sequuntur modo dicto præcaueri possunt. Angeli nunquam homines affligunt, nec morbis, nec alio malorum genere nisi à

Deo præcipiantur, est enim ea Angelorum natura & conditio, vt ex se, propter eorum excellentiam, & nobilitatem mala potiùs à mortalibus auertant precibus, & intercessione piissima, quā inferāt; quātum in eorum ratione continetur, nisi ab ipso naturæ conditore mandentur. Cognoscunt enim hominum miseriam, & fragilitatem humanam. Dæmones verò hominum, non minùs quàm ab initio mundi, vetustissimi inimici: non solùm Dei mandato, sed ipsius permissione sola, variis morbis, & malorum generibus homines perdere tentant, & opprimere, odio imò, & malitia, se ipsis si possent inferrēt, vitia inferunt & ægritudines varias. Magicíque & malefici intestabiles, eorum opere, his mortales defatigāt, animantia, altiliáque adhuc, imò, & inanima corrūpunt corpora, & qui hæc patiuntur, dæmoniacos vocamus, & dæmonium habentes; nil est enim aliud dæmonium habere, quàm dæmonem circa aliquod subiectum operari actione ad extra, hócque continere dæmonem, est, esse subiectum actionis dæmonis cōditionis huiusce; nullo enim modo altero potest dæmon alicubi esse, aut spiritus aliquis (præter causam primam, quæ est vbique essentia, potentia, & præsentia sese ipsa) quàm actione & opere externo quo agit. Hos ergo dæmoniacos vocamus, & dæmoniū habētes, nílque est aliud dæmonē expellere, quā eius actionē omninò vitare, & facere vt cesset. Matthęi c.8. duos maximè dęmonis morbis vexatos numeramus c.9. mutū, surdum, & cœcum. dæmonis ope filiam Cananeæ vexatā à dæmone crudeliter 15. c. aliis locis veteris Testamenti, & noui, Actuū Apostolorum, Ioannis, Lucæ, Marci, inueniuntur plurimi dæmonis arte morbis læsi. Hi tamen morbi, & si imperio, & iussu summi Dei possint profligari, & potesta

testate concessa Ecclesiæ, & sacerdotibus, exorcistis, aliísque quibus hoc donũ impertiit Deus compellendo dæmones, ne applicent causas agentes, aut ab ipso Deo impediri, Angelísve, Dei permissione, caussis naturæ à dæmone applicitis inualidatis, & impeditis ab opere. Tum à superioribus dæmonibus ob maiora mala committenda, & vt seducant mortales, inferiores dæmones impediẽtes, ne agant, vel causas annexas, adiunctásque vitãtes, ne operẽtur, cõtrariis substitutis, aut illis distractis, aut à corpore semotis, quibus vexabantur, quibus, & opera maleficorũ eadem ratione intercipiuntur, quia dęmonis interuẽtu cõplẽtur, tamẽ & medicæ artis remediis hæc omnia quæ à dæmonibus, & maleficis veniunt, & si nõ imperio, neque cõparabili potestate ad Ecclesiã, ad eósve quibus hæc est impertita virtus, curari queũt non solũ prȩcautione in futurũ, nõque solũ respectu eorũ quæ resultant ex his semel incussis, sed extirpari omnino, etiãsi dæmon aliud voluerit, & cõstituerit, etiam intra tempus quo decreuit morbos non cessare, adhuc ipso reluctante, solũ naturȩ viribus, & prȩcaueri, ne fiãt & subsequãtur, contra ac dæmon decreuit; hæcque omnia viribus medicæ artis, & intra naturæ limites. Cum enim dæmon solum applicet actiua passiuis, hísque agat circa corporalem naturam formalem & intrinsecam mutationem, dũ corpora alterat internè, & si ad locum se solo tantùm imperio illa permutet, vt sensere Patres August. & Thom. in summa, libro 3. capite 99. & 101. 2. sententiarum, distinct. 7. art. 1. p. 1. quæst. 94. art. 4. 22. quȩst. 93. & 94. rationibúsque iam suprà adductis, & locis fuit manifestum; Et in naturæ agentibus superiora sint quædam quibusdam, aliáque aliis actiuiora, & efficaciora, hócque vno modo possit Dæ-

 mon

mon morbos inferre applicitis cauſis actiuis, alio,
mutatione loci, ſarcina humorum collecta, onere &
48 multitudine protrudẽdo illos vel in partes quæ eiſ-
dẽ ſuffocentur congeſtis, & obruantur eorũ illuuie,
quo minùs vitę opera exerceri poſſint, obſtructa quã-
titate, vel diſtrahendo hos ipſos ab his locis in qui-
bus vitæ principia cõſiſtunt, vt deſtituta debita ſuc-
corum portione, deficiant ab opere, & halitu vitali;
& ſi tandem mors, morbuſque oriantur virtutis de-
fectu, aut additione, contraria cauſa corporea ſuper-
addita aut deficienti, præterqnam morbis, qui figu-
ra vitiata, magnitudine, numero, ſitu, & ſolutione
continui veniunt. è quibus adhuc mors deficienti
virtute aliqua oritur; quo ſi Dei permiſſione dæ-
mon cauſas applicet potentiores naturæ in agendo,
aut concitet ſuccos permittente Deo ſolum, vt ſum-
mum malum morſque ſubſequatur illico, remediis
artis hæc vitia corrigi nequibunt, aut emendari eius
auxiliis, vt extirpentur., cùm inferiores cauſæ quæ
ſuperſunt, potentioribus totius naturæ applicitis,
vincere ſuperiores, actiuioreſque minimè poſſint.
Sunt in exemplo ſeptem viri Saræ, qui dæmone ſu-
bitò interiere, quod libidinis cauſa, non coniugij il-
lám expeterent, qui cùm potentiores naturæ cauſas
ac opus traherent, tum ſubitò interiere, cum artis
remedia eſſent omnino inualida, & ceſſarent, non
ſecùs Gundericus Rex Vandalorum capta Hiſpali,
cũ impiè animo elatus manus in Eccleſię bona tur-
piter inieciſſet, Dei iudicio dæmone correptus inte-
riit, vt docet Sigiſbertus in Chronica, lib. 3. c. 20. La-
tro Lõgobardus Mennæ Eremitæ aluearia depræda-
tus Dæmone obiit, vt refert Conrardus lib. 18. ti-
tulò de Dæmoniacis, applicaret enim, ſi illi eſſet
conceſſum perpetuò, dæmon cauſas maiores
& po

& potentiores naturæ, quibus illicò mors subsequeretur, perderetque mortales, si vti his quæ potest secundum potentiam naturæ illi daretur. de quo dicitur Iob. 41. c. *non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret*, reuerentiali, inquam, timore, sed solùm seruili, quo piissimus noster conditor eius effrenatam temperans rabiem, odium frenat, limitibusque circumscribit, huius aduersarij, quo ille dum homines exercet, castigat aut opprimit, inciduntque mortales propter sua flagitia, & scelera in dominium dæmonum; causas applicat, non maiores naturæ, quibus illicò exterminaret mortales. Ea est adhuc cum delinquentibus à lege nostri summi rectoris benignitas, vt infernis solùm vti permittat, easque applicet, reliquis naturæ causis, potentissimisque relictis; quò fit, vt in natura supersit etiam remedium propter abditissimos prouidentiæ fines, quibus vult Deus, & confundere dæmonas, eorumque ignorantiam conuincere, summamque ipsius manifestare potentiam, cùm plurimis aliis naturæ agentibus euincat, & euincere sinat eorumdem facta, & commissa opera. Imo abiectis & vilibus naturæ rebus eorumdem frustrat actiones, eneruat, & deiicit multoties, in opprobrium dæmonum, hominumque maleficorum, quo (Augustinus) sinit vanis & futilibus rebus multoties vti, vt dissoluantur maleficia; quò dixit ille, vana vanis licet retũdere, locis adductis. Hieronymus 26. q. 7. sic inquit in capite, dæmonium. Dæmonem sustinentibus licet petras, vel herbas habere sine incãtatione, id est, sine superstitione, adducitque in exemplum Thobiæ locum adductum, vbi vltra fel piscis asportatum, cor reseruare iussit, cuius suffumigio omne genus dæmoniorũ, siue à viro, siue à muliere extricari edocet,
49

hoc virtute naturæ, vt tenēt ibidem Patres adducti, & Magiſtri, in eadem hiſtoria. Cùm ergo communiter ſolum applicent dæmones, & concedatur eis applicare medias, aut infernas cauſas naturæ agentes; & maiores ſuperſint, fortioraque agentia in natura eadem; qui viribus artis, ſcientiaque naturæ inſtructus, experientiæve diſcurſu, nouerit maiora agentia, doctuſve à Deo, Angelo reuelante, per ſe, aut per alios, aut alio potentiori dæmone, (& ſi hoc impium ſit à dæmone diſcere, ab autoreque mendacij veritatem diſquirere) extirpabit hos morbos dæmone inductos præcauebit & corriget, ſi commodis ſalubris artis remediis, auxiliiſque medicinæ vtatur vi naturæ. Pomponatius folio 155. Galgerandum medicum Mantuæ, priſtinæ ſanitati reuocaſſe vxorem Franciſci Magreti, decentibus medicinæ artis auxiliis refert, quam dæmone oppreſſam iudicabant omnes, quòd cùm adhuc proprio idiomate abuteretur, ſolœciſmis plurimis, & barbariſmis pleno, poſteà omni linguarum genere, ſine magiſtro aliquo expeditiſſimè loquebatur, occulta & abdita multorum patefaciens, quæ ſolis dæmoniacis cōtingere omnes ſuſtinemus. Idem docet Iacobus 2. p. mallei maleficarum, qui remediis Eccleſiæ adhibitis, conſulendos eſſe medicos, vt impura corpora expient, conſulit, hæc enim expetit dæmon, vt obſcœna, & conſpurcata, quòd cognoſcat, maiorem diſpoſitionem his adeſſe, vt vitiis corripiantur, & morbis, quàm corporibus puris, mūdis, & integris, propter materiæ, & ſuccorū apparatū, quo exorciſtæ antequàm ſacris Eccleſiæ exorciſmis vtātur, emūdant corpora medicis remediis artis, potiſſimùm ſulphuris ſuffumigio, & Hypericonis dictę herbę ſuffitu, potioneq; ex iis eiſdē parata, toto prius præuiſo, & circumſpecto. De ſulphure antiquiſſi

quiſſimũ fuit apud gentes adhuc, vt eius fumo tetro, & grauiſſimi odoris abigerẽt dæmonas. Vlyſſes, 50
(Homerus refert) eos fugauit occiſis procis, quòd in diuerſis formis, variiſque exterrerent eius domi habitatores, cariſſimamque Penelopen, quam cõſpurcare tentauerant maleficiis, & magicis artibus. Auicenna fen. 1. tractatu 4. c. 18. curationem inſtituit afflictorum dæmone, per artis remedia medica. Dauid muſica demulcebat Saulis animum dæmone vexatum, interuentu humoris melancholici, vt meliùs haberet, 1. Regum, c. 16. Vbi, ſpiritũ malum Saulem affligere, ſcriptura docet, quo nomine nunquam humor melancholicus apud quempiam nominatus eſt, quò dæmone opprimi patet interuentu cauſarum naturæ, quas, vt diximus, applicat ille, vt effectus ſequantur. Vtitur verò præcipuè humore melancholico, vt pote triſtitiam ſummam, & mœrorem inferente intentiſſimum, defectu ſpirituoſæ ſubſtantiæ, perſpicuæ, & lucidæ, hilaritatis principium, qui ex terreſtri ſubſtantia ſicca, vſta, & nigra in melancholicis nequeunt generari, quo metu excitato, internis, priuatis, lucidis ſpiritibus, obtenebratiſque interioribus, non ſecus atque in tenebris externis, timor ſuboritur; ex quo triſtitia. Credunt enim melancholici ea ad quæ humor diſponit, continuitate & pertinacia humoris contumacis, & inhærentis impensè craſſi, & difficulter eradicabilis, propter fixam diſpoſitionem, à qua iterum pullulat. Triſtes ergo, timidi, creditu intenſo mali futuri, continuo metu, & triſtitia deſperant multoties; hos ſic diſpoſitos expetit Dæmon, vt perdat, quòd ſint paratiores multò ei quod intendit, & nimis tenaces propter ſiccitatem melancholiæ; his quæ ille ipſis ſuggerit ſpectris, & imaginibus rerum, moleſta plurima;

expectat

expectat enim cæli, & astrorum cursus, variásque corporum dispositiones, vt genera morborum, quæ illi concessa sunt inducere, mediis causis agentibus, aut loci mutatione inducat, & inferat. Neque enim omnia indistinctè illi permittuntur inferre, aut omni tempore, aut per easdem causas, sed hæc modò, illa posteà, hęc conceduntur, illa negantur, hoc tempore dantur, non dantur illo, ob summam nostri conditoris clementiam, & pietatem, illa concedit, quæ in nostrum semper bonum ordinantur. Obseruabat Lunæ incrementa Dæmon, Matthæi 5. cap. quibus abundaret pituita, vt impensè lunaticũ illum affligeret morbo Epileptico, qui ex pituita pręcipuè ortum ducit, quòd solùm eo genere morbi illi esset permissum hominem vexare, & medio eo humoris prouentu illum affligere, crescit enim humiditas omnis, substantiáque humida in plenilunio, vt posteà siccatur & minuitur, crescit mare, aquæ, ossium, cerebrique medullę, humescunt arbores, vt eæ si resecentur tempore illo, putredine afficiantur, humiditate asportata. Hæc omnia sensit Aristoteles 30. sectione problematum, problemate 1. Conciliator ibidem, vbi remediis medicæ artis dæmoniacos plurimos vidisse liberatos refert. Idem Florentinus sermone 5. capite vltimo, vbi, & curare maleficiatos docet, remediis naturę longissimè. Plutarchus in vita Pyrrhi narrat, illũ, digitũ pedis dextri magnum tanti roboris obtinuisse, vt nullo igne, viuo aut emortuo illo, potuerit cremari, vt cum aliis cineribus iustum pyramidis locum obtineret, eiusque solo contactu morbos innumeros extirpasse. Si ergo Dæmoni concederetur, digitum hunc exurere, quo posset, cùm nullum sit in natura, hoc opere vstionis, potentius agens igne, effectúsque quos

sal u

ſalutares digitus ille producebat, quos non vinceret à Dæmone illatos? Sic ſunt in natura plurima quæ poſſunt cauſas à Dæmone aduectas ſuperare, & euincere, quæ vel ex virtute cœleſti id ſunt nacta robur, interim dum generabantur, vel forma earumdem hæc poteſt edere, virtute mirabili ſuæ naturæ. Hinc videmus ſaltatores homines virtutum altiſſimarum poſſeſſores, quod vel diuinitus hæc ſint illis impertita in bonum reipublicæ, vel propter ſubiecti has aut illas diſpoſitiones varias, cum poſſit rationalis forma ſua eminentia omnes perfectiones corporalis naturæ complectens hæc producere, quæ in aliis hominibus ob eorum defectum nequit diſpoſitionum defectu, vel quòd tali horoſcopo, aſcendenti ſigno, aut aſtrorum poſitione, hæc contingant vni, quæ & alteri denegantur, hinc ruta, verbenaca, Labandula, Hypericon, ſulphur, argentum viuum, lamiarum opera inualidant, appenſa tectis, & ſtrata pauimentis, & reliqua eiuſmodi, & ſi hæc præcipuè inter naturalia hæc poſſint. Cœlorum enim conſtellationes variæ, cum variis diſpoſitionibus materiæ, in idem ſubiectũ, rationis eiuſdem, & formæ, naturæ ſimilis, virtutes cauſant diuerſas & varias, altiſſimas, perfectiſſimaſque dotes, quas in corpus eiuſdem naturæ non producerent aliter, ſi fieret concurſus earum; ſic enim cæleſtis diſpoſitio ſubiectum perficit, ſic diſponit, & prẹparat, vt poſſit forma illius inſita ſubiecti, & eſſentia, præſente eadem virtute, vires exerere altiſſimas, virtutes, dotẹs, quas ſua eminentia, aliarum formarũ forma quẹuis perfectior aliis, in ſe complectitur, & tenet, trãſacta adhuc cẹli cõſtitutione illa, quæ vt forma produceret, hæc fuit neceſſaria, productas & ſemel ſeruare virtutes, quas ſimul ope cæleſtis auxilij produxit; tunc cum diſpoſitionibus ſuffici

sufficientibus conseruatiuis, simul cum aliis productis cœli opere, eas semel productas virtutes, dona, dotes, & facultates conseruare, & tueri, virtute aliarum quæ conseruatiuæ dicuntur, quæ simul cum illis resultarunt, vt transacta cœli configuratione perdurent aliis conseruatæ. non secus figuræ astronomicæ, hæ aut illæ imagines, sigilla, & characteres, sub tali climate structa, nacta sunt potentiam & robur operandi, cùm pro varia dispositione & formatione figuræ, tum pro diuersa cœli configuratione, & constellatione diuersa. Nec solùm, vt quidam volunt, quòd forma omnis artificialis, quatenus effectum formalem causat, speciemque artificiati, naturalis sit, & per esse naturæ speciem constituat & essentiam, ad quam proprietates sequuntur, virtutesque in eodem esse, quo causat naturales effectus, vt omnem essentiam passiones sequuntur reales necessariò, quòd causet naturale esse essentiæ rei artis factæ. Quæ essentia naturalis est, & non artificiosa, & si arte sit factum opus alioqui, & nõ natura, ab efficienti artifice in genere causæ efficientis. Sicque posse posteà naturales effectus moliri, sensit D. Thomas lib. 3. summæ contra Gentes c. 104. & 105. & Ferrariensis ibidem 2. 2. q. 96. art. 2. & ibidem Caietanus, in characteribus id negãtes, eiusdem cùm sint rationis cum aliis; sed ideo hæc molitur, quòd ea proportione recipiatur cælestis virtus in corpus artificiatũ, propter variam materiæ multitudinem, & inæqualitatem, inæqualemque virtutem, simul in partibus ipsius existentem, quo hæ sint maiores partes, illæ verò minores quantitate, hæ sublimiores, humiliores illæ, rariores aliquot, dẽsiores reliquæ artificio compressę, quædã latiores, longiores quædam, pro diuersa figura corporis fabrefacti, breuiores, angustiores, mino

minores, quæ omnia actionem euariant, & paſſio-
nem, virtutemq; faciunt recipi diuerſimodè, ad quæ
effectus varij, variæque virtutes ſequuntur, diſpoſi-
tione ea ſubiecti ſuborta, tam à propria forma ſu-
ſceptę, quàm è cœlo eo poſitu, & in characterũ in-
ſcriptione, hac illave figura excuſorum, non minùs
variato his ſubiecto, diuerſo & altero, modificato
atramento, coloreve alio, hac illave forma, vt virtus
cœleſtis ex diſpoſitione varia ſubiecti recipiatur va-
riè, quòd coloris ſubſtantia corpori applicita in-
æqualis extiterit, vt ad eam menſurã forma ſubiecti
virtutes exerat, quas ſua continet eminentia, qua ſu-
ſcepit influxum variatum, hoc illove modo, vt poſſit
in poſterum miros & obſtupendos effectus edere,
occultos, & raros, quos non poteſt indiuiduum alte-
rum illius ſpeciei, aut alterius permoliri alia effor-
matus figura. Quò varia, obſtupenda, & rara in po- § 4
ſterum ab eo corpore, formáque ſubſtantiali eiuſdẽ
virtutibuſque excuſis vi radij cœleſtis, & influentiæ,
proueniunt tali figura circumſcripto, characteribus,
imaginibus, ſigillis. Sunt enim artificialia entia, cha-
racteres ſubſtãtia colorati corporis, fabricati, aut in-
ſculpti in aliquo ſubiecto recipienti, non minùs ac
reliqua alia, de quibus nobis conſtiturus eſt ſermo:
quo varios effectus cauſare figurata variè cognoſci-
mus. Nec quidquã vetat ſuſtinere poſſe, ſerpentem
æneũ erectũ à Moyſe tali climate & configuratione
cœleſti potuiſſe conſtitui, vt non ſecus, ac aduersùs
Leones, Tigrides, Scorpiones, & venenoſa reliqua,
ſæuaque animantia, cõſimiles figuras inſculptas ge-
ſtamus annulis, gẽmis, aut aliis, tali cęli climate effor
matis, vt vim habeãt vincẽdi, corrigendi & fugandi
ſæuas beſtias & atroces, venenumque earundem
corrigendi, aſportatis iis ſigillis, aut viſis attentè
conſide

consideratis, vt cane rabido morsis, vtilissimum est, canis effigiem contemplari depictam, illum æmulantem; sic ænei serpentis intuitus aduersùs bestias horrédas vtilissimũ fuisse, vt eas fugaret, disponeretque; sic subiectũ infectũ veneno, vt sanitas, miraculo etiam si concessa, faciliùs produceretur, producta conseruaretur, agente natura in quæ potest, vt miraculo quæ non potuit complerentur. Venenum ergo ignitorũ serpentiũ, ictusque diri earũdem curari pro tẽpore, aut præcaueri, quo Deus decreuit hæc perdurare, non potuerunt. Tamen ne fierent deteriora hæc, potuit artis auxiliis; & potest, morsusque ne grauiores fierent, non frænata arte causa, suisque viribus relicta natura semel inflicto morbo. Tum vitare ne serperent, aliasque partes inficerent, & affectæ primò affectarent reliquas, semelque tempore transacto diuini decreti, posse curari vera curatione, manifestissimè constat ex suprà allatis, in iis & aliis morbis priùs semper placato, & inuocato Deo, ne succedat quod contigit Asa Regi 2. Paralipomenon, cap. 16. vbi dicitur, *ægrotauit etiam Asa anno tricesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est, dormiuitque cum Patribus suis, & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.*

De figurato serpente in æneo Moysis, eiusque variis astutiis, & artibus.

CAPVT VI.

MAgna erant, obstupenda, & rara, mysteriis, & sacramentis plena, quæ in serpente æneo à Moyse elato in deserto in ænigmate & figura obumbrata

brata continebantur. Erat Christi mediatoris nostri, instauratorísque humani generis icon aptissimum & hieroglyphicon, expressaque imago. Dixit Ioannes 3.c.his: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quibus Christi figurã esse serpentem altum, deplicat ipse, & hunc loci Numerorum 21. c. figuratum sensum, ad literam eius loci esse patet expressè eius verbis: Cum enim Verbum, summaque sapientia Patris, variis rerum figuris abditus, vt homines in iis quæ deperibant, & quorum affectu tenebantur, illectique trahebantur, Christum ipsum inuenirent Deum, & hominem: mille formis offertur, vbique Deus, vt in his maximè quæ exoptabant, quiuis ipsum haberet. Serpentes adorarunt Hebræi exemplo Ægyptiorũ apud quos fuere, serpentis induit formam, vt hic etiam Deus sit, ipsúmque esse, si à peccato resurgãt, intelligãt; non secùs, ac in præsepio ortus est, vt homines in bestias metamorphosi peccati cõuersos alliceret, dum bestiarum more præsepium quærerẽt, ibidemque adhuc Deum inuenirẽt, suamque miseriam cognoscerent mortales. Nulli enim tempori, aut loco Deus se denegat, aut hominibus necessaria ad salutẽ non confert, in præsepio, in serpente adhuc. Tum vt perfectiones omnes rerum omnium continere nosceremus, summumque bonum esse, cùm sit omne bonum, omniũque perfectio, vltrà vt rigidis, aut benignis rerũ naturis quibus abditur, exterreat homines à vitiorũ tumultu, aut ad virtutẽ alliciat, mineturque mortales, vt fugiant scelera, & vt conditiones earum rerũ quibus abditur, prosequuturum polliceretur, mitem, magnanimum, liberalem, iustum, benefactorem, misericordem, pacificum, aliísque

plenum benignitatis, pietatis, amoris, notatur mille astutiis varius, vsque dum formam serui accepit, & serpentis; habitu inuentus vt homo, non secus ac sagacissimus serpens lubricus nobis occurrit in sacris scriptis, quo dicitur Ecclesiastici 1. c. *Radix sapientiæ cui reuelata est, & astutias illius quis agnouit?* id est, Verbum omnis sapientiæ radix, cui reuelatum est, nisi cui ipse voluit? & astutias illius, quibus occulitur, in Scriptura sacra quis intellexit, sensumque Scripturæ sine illo decerpsit? & cùm omnis respublica bene ordinata, fulcitáque iustis legibus præmio & pœna cõstituatur, vt huius amore inflammati mortales virtutem sectentur, metu verò alterius, odio habeant vitia; quod sensere adhuc morales philosophi, vt videre est apud antiquissimum Orpheum, Trismegistum, Platonem 1. dialogo de republica. Arist. 3. Rhetoricorum ad Theodectem, Politicorum 1. Plutarchus, Stoicique omnes sensere; Vnde Horatius, *Oderunt peccare boni virtutis amore, Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Christus sapientia Patris dum Ecclesiam ædificat, firmátque, præmium, & pœnam stabilit, quo modo timorem incutit sapientiæ initium, eóque horrendis titulis, & pertimescendis, rerumque naturis, metu & horrore plenus, figuratus, homines exterret à vitiorum agmine, modò verò amore, & mansuetudine eos allicit, vt virtutem prosequantur; iustúmque, & quod honestum est, insectentur, illecti præmij magnitudine. Quò epitheta omnia quibus in sacris literis insignitur, effigiésque omnes rerum quibus nobis occurrit, sub mille rerum formis naturísque & proprietatibus, tum abditis, tum manifestis, in hæc duo solùm capita tendunt, in hos scopos diriguntur omnia, vt virtutem prosequamur, & fugiamus vitia. Iis enim

enim duobus punctis vniuersa moles vitæ spiritalis voluitur, & sustinetur, & intellectus reformatione, institu ctionéq; habituũ, & volũtatis affectu, & propensione, tanquã esse & operari. Sunt enim loca plurima in Scriptura, quæ vltra sensus literales, alios ferre nequeunt, at tandẽ omnia vt conformemur verbo adstant, veróque prototypo: *omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt,* dixit Paulus ad Romanos 15. c. Est verò hoc obstupendum & admiratione plenum nimis, quòd cùm diuersis rerum naturis, variísque nominibus, quibus & summum amorem ostentat, & metum etiam incutit, cùm sint tot & tanta, amorem & mansuetudinem significantia erga homines, paucissima ex his sunt, quę rigorem ostentent, paucissima horrenda, respectu eorum quę pietatem, mansuetudinem, benignitatem suggerunt, quòd omnia ad legem gratiæ dirigerantur amoris plena, dilectionísque: gratiosa enim sunt pulchra, & hæc amabilia. Statuebãt enim Venerem pulchritudinis Deam, amoris matrẽ antiqui, vt docuit Plato in Cõuiuio, imò nullus est titulus, figura, aut icon, quo nobis occurrat inter illa adhuc, quæ rigidũ iudicem & indignatũ repræsentãt, quæ plurima alia non contineantur, iuxta rei naturam & nomen, misericordiæ & pietatis protuberãtia, vt sit omnis amor, gratia, dilectio, & charitas. Quò iã *Leo* rigidus, & terribilis ab Isaia vocatur c. 31. vbi dicitur; *quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædã suam, cũ occurrerit ei multitudo pastorũ, à voce eorũ non formidabit, & à multitudine eorũ non pauebit, sic descendet Dominus exercituum, vt prælietur super montem Sion, & super collem eius:* ac si precibus vocibúsque pastorum Ecclesiæ prædam quam discerpere tẽtabat, remittat, & pauescẽs, quasi relinquat. *Leo* rigidè significatus priùs iam magnanimus,

& iustus leo, liberalis,& parcens vocatur, Apocal. c.5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid*; Ex ea verò radice talis ſperabatur fructus. Dauid enim Hebræis blandus, mitis rex, liberalis, amabilis ſignificatur. Iam *agnus* innocens, patiens, & vtilis Ieremiæ 11. capite vocitatur. *Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam*. Iſaias 53. *oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obtumeſcet*. Ecce leonem, ouem factum Ioannis 1 capite: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi*. Holocauſtis, victimis,& hoſtiis figurabatur in lege veteri cruento illo ſacrificio, vt ſentiunt Patres, dū Leuitici, Exodi, & aliorum ſacrificia deplicant,& in illis ſacramenta contenta hominibus reuelant, manſuetudine, patientia, amore plenus. *Digitus Dei* vocatur Exodi 8. Cùm omnia per ipſum facta ſint, & ſignata in eſſe eo digito, & omnia quæ quicquam moliuntur per illum agant, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Hinc cùm impediret actionē cauſarum naturæ à maleficis Pharaonis applicitarum,& impediret, ne agerent, meritò dixere malefici; *digitus Dei eſt hic*, id eſt, Verbum per quod omnia facta ſunt, quod impedít modò ne hæc fiant: Lucæ 11. capite, *porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia profectò peruenit in vos Regnum Dei*; ſi in digito Dei, id eſt, ſi in Verbo, & virtute diuinitatis hæc propello: *Dextera* pſalmo 43. & *brachium* vocatur. *Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos; nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram; & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum & illuminatio vultus tui, quoniā cōplacuiſti in eis*. Digitus in multis operibus vocatur, quòd non tantum potentiæ, vt fieret, expetere videatur, ſed digito Dei, nō manu, aut brachio, quaſi

quasi facta sufficiat dicere. & digitus, quòd distinguat, & signet, iuxta debitum pondus, & mensuram creaturas omnes, æqua lance entitatis, & esse distinxerit. & quòd vno digito dæmonas euicerit, & reiecerit, potentiam ostendēs, qui vno solùm digito hęc potest: *Manus*, quòd omnia condiderit, huiusque mirabilis fabricæ vniuersi causa extiterit, non confusè, sed pulcherrimo ordine, docta manu sapientię creaturas dispensans. Manus instrumento, & organorum organo. brachium; quòd potentia, & robore, imperio hæc ipsa construxerit. Hinc dicitur Cantico illo Deiparæ Virginis; vt obstupendum illud facinus Incarnationis Verbi denotaret, omníque potentia Dei opus fuisse, vt tantum mysterium compleretur, non per digitum, non per manum, sed per brachium explicuit dicens: *Fecit potentiam in brachio suo, deposuit potentes mente cordis sui. Petra*, 1. ad Corinthios, capite 11. *Omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus:* quòd fundamentum Ecclesiæ, firmitásque nostra, robur & basis eiusdem sit. *Via, veritas, vita*, Ioannis 18. c. *Via*, quòd per illum in summam fœlicitatem deueniamus; *Veritas*, quòd per ipsum ens omne, & verum consistat, per quem omnia facta sunt; *Vita*, quòd sine ipso factum sit nihil quod factum est. Est vita viuentibus, esse, operandique principium. *Ostium*, Ioannis 10. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Non est enim ostium cœli aliud quàm Christus, qui cum sit iustum ostium, capit iustos, & iniustos relinquit foris. *Aqua* Ioannis c. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam,*

uam, id eſt, ſeſe; emundat enim, & abluit ſordes vitiorum, ſitim extinguit appetitus rerum fugacium, incendium temperat amoris proprij. *Ignis* à Deo deſcendens, qui deuorauit idololatras & perſequutores Eccleſiæ, Apocalypſis 20. c. Sanctorum plurimi de ipſo intelligunt, iuſtiſſimum iudicium iudicis exercentẽ iudicio vltimo tremendo, quò ignem vocant, ineffabile verbũ, eiuſque figura contineri autumāt, ignemque illum ſemper ardentem fabricæ & templi Salomonis, tum ignem ſacræ rubi Moyſis, Exodi 3. quò ſplendeſcebat inuſta, abſumit recrementa ſuperflua, examinat opera noſtra, accendit, & auget, charitatis ignem illuminat, & nos vertit in cinerem conſideratione pia eius quod ſumus. *Ros* Iſaiæ 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul.* 26. *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere; quia ros lucis, ros tuus*: ros enim supernè venit manè, de cœlo ſereno, & lucido, ſine nubilis turbidis, filius hominis deſcendit de cœlo, ſummo mane legis gratiæ, vmbris & nubibus veteris legis recedentibus, flatu Spiritus ſancti, ad nos venit gratia plenus, receptus in terra virginea, plena gratiæ, & rorida; hoc cæli rore fæcundans illam omni ex parte, matremque & Virginem conſtituens, deſuper veniens. Apocalypſis 2. *Manna: qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Manna mirabiléque alimentum cœleſte, omnem continens ſaporem ſuauitatis, viſcera corroborans, & firmans, ſi puro ore, & mundo ventriculo ſuſcipiatur; aliter interna lædens, & infirmans viſcera, quo nauſeam mouet, vt manna ſuſcepto ſecundum naturam propriã

conti

contigit; *Calculus* probationis & reprobationis, vt se probauerit homo, vt de pane illo edat, & de calice bibat, & in calculo candido Eucharistiæ nomẽ Verbum Dei solum ei qui accepit dignè cognoscibile. *Stella* eodem capite, vbi sese promittit custodientibus legem; *Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illi stellam matutinam.* Multoties enim qui Sol in Tabor extitit, radios suæ diuinitatis colligit, vt stella solùm videatur, at matutina, quòd solẽ proximè adesse significet. Malachiæ 4. Sol: *Et orietur vobis timentibus nomen meũ sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* quò Ecclesia ad Virginẽ Deiparam: *Ex te ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster.* Ab eo enim sol lumen accepit, fouet mortales, alit, nutrit, viuificat, tẽperat, illuminat, perficit, exhilarat, lippiẽti homini, & cæcucienti visum restituit. Depingunt mortales iustitiam cœcam, velatam oculis, his verò sol iustitiæ est, quod solùm eo iustitia videat cæca alio, & reliqua non videns. *Fons* Psal. 35. *Apud te est fons vitæ Christus Deus noster,* & 41. *ad Deum fontem viuum.* Ecclesiastici 1. *fons Sapientiæ Verbum Dei.* Principium omnium fluminum, sapientiæ & gratiæ, fons purus, non ab alio aquam recipiens, sed propria virtute scaturiens, non rapido incessu subuertens mortales, sed blando cursu, placido, & miri largiter fluens in bonum hominum. *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo,* fons à se. *Thesauri forma occultitur,* ad Colossenses 2. *Christi Iesu in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi,* Ieremiæ 50. *Aperuit Dominus thesaurum suum,* de Christo Ecclesiam vindicante & venienti. In verbo enim thesauri diuitiarũ Dei scientiæ, & sapientiæ retinẽtur, in Gazophylacio

illo ſapientiæ Patris, vbi omnis entitas, omnis perfectio, omnis creatura continetur in vero exemplari integro, circumſcripto ab errore omni, & labe, puro, imò & integro exemplari, quod cùm per eſſentiã tale ſit, deficere nequit, eſtque ideo verè theſaurus, quòd entitas omnis in eo ſit. *Mons* 31. Ieremiæ: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël; adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum; Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus.* In hoc enim monte omnem naturam excedente altitudine, ſupernaturalia videmus, beatitudinemque ex hoc mõte altiſſimo, caput qui extollit diuinitatis, ſuper omnia iugera naturæ totius, lumine abditus quaſi hironicè diceretur, vt quantum ſeſe hominibus prodeat, & manifeſtetur conſtet. Tum vt luminis excellentiam & incomprehenſibilitatem notaret intellectum ſupra creatum inuenitur Iſaiæ. 60. c. vbi & *lumen* appellatur iis: *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum* vbi & *gloria* vocatur, ſequentibus; *Et gloria Domini ſuper te orta eſt.* illuminat enim omnem hominẽ veniẽtem in mundum, vt bonorum apparẽtium effugiat effigies, vtque qualia illa ſint, talia iudicet, ſinguliſque lineis creaturarũ deceptus non detineatur, ſed cẽtrum apprehendat Deum, à quo omnes creaturarum lineæ ſunt diductæ, vt ſimul lineas omnes amplectatur in ipſo, tum gloria, quòd ſit honorificũ præmium iuſtorum, ſi verus honor virtuti innititur, patriſque gloria & honor, *ſi filius ſapiens eſt honor Patris*, vt Eccleſiaſticus dixit: *Enſis figura* obiicitur Reg. 1. c. 25. vbi Dauid enſe accingitur fortiſſimo, vt vaſtaret inimicos, non ſecus ac Pater æternus extirpat aduerſarios Eccleſię, per Chriſtũ enſem; Enſis vltrà ac arma reliqua, crucẽ fortiſſimam præfigurat, quò & crux dicta eſt enſis,

inimi

inimicorum timor & vastitas. Est ensis armatura nostra Christus crucis ense, qua exterret mortem, infernum, & dæmonem. Crux enim formata non esset, si Christus illi non affigeretur, vt ex illo & cruce arma vnum, ensis vnus resultaret, ensis enim anceps est sectione, vnaque & altera parte rescindit, & secat, non secus ac Christus diuinitate & humanitate. Gladius itidē, Psal. 7. vbi de Patre æterno dicitur: *Nisi conuersi fueritis, gladiū suū vibrabit, arcum suum tetendit*. Vna ex parte gladius in rigore dictus dissecat, posset etiā ex alia si acueretur, vna soiū resecauit multoties Christus inuoluta, altera & latenti, quā si opus esset exereret, exacueretque. *Arcus*, quòd robur nerui & potētię, vtrique extremo diuinitatis & humanitatis inniteretur; quo Psal. 7. dicitur. *Iudex, iustus, fortis, patiens*, iudex, quod regula, exēplar, prototypō nostrū operū sit, est omne bonū, ens omne, verum, ipse veritas, omnis veritatis regula, quo iustus. Nihil enim mendacij continere potest, errorisve regula. Regulator veri, ideo & boni, nā entis; *vidit cuncta quæ fecerat*, præuidit omnibus, non temerè, non casu fecit, *& erant valdè bona*; vidit, inquam. *Fortis*, quòd omnia per ipsum, & sine illo in nihilum redigantur, solū quòd velit, patiens quòd cùm summè sapiens homines quales sint cognoscat, & cùm misericors per essentiā sit, iniurias ferat, vt animi nobilitatē exerceat, liberalitatemque, cum remittat vindictā quam suscipere posset à mortalibus, vsque dum licet; & iustus cùm sit, illam accipere cogatur. *Granum tritici*, Ioan. 12. *Amen dico vobis nisi granū frumenti cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autē mortuum fuerit, multū fructum affert*: quia nō secus ac grana seminaque omnia, vt plurima generent germina, emoriūtur priùs, morteque ipsorum viuunt reliqua, eo grano sata, sic morte Christi

viuimus omnes iam mortui priùs culpa & peccato, regenerati interitu huius grani frumenti, quod non solùm vitã nobis impertiit, sed & alimentũ parauit, ideo vocatur *panis* Ioan. 5. *Ego sum panis vitæ*, & 35. *Ego sum panis qui de cælo descendi*. Hoc pane, alimẽto, cibo, & esca, nutrimento hoc, sanguine, substantia nostra, & integritas naturæ seruatur, resarcitur amissum, vt fortis euadat in futurum mens, pane ex hoc grano tritici emortuo efformato, alimẽtumque quasi aliũ mẽte, id est, ratione substituit, hoc enim alimẽtum notat, alium efficit hominem, imò hominem Deum participatione deitatis. *cibus*, quod sit facilis mundis visceribus, *esca*, quòd nimis difficilis, contritione, aut attritione egens, vt nos possit alere; *sanguis*, quòd nil illius inutile sit, sed viuidus, totus mundus, omniq; excremento, & imperfectione liber, sanguis totus, cibus totus, substãtia & alimentũ, lacte facilior, quod lac per mediũ sanguinem nutriat, cibus verò hic, sanguis ipse, immediatumque alimentũ sit. *Amor* Canticorum 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. id est, Christo, qui amoris instar animam meam eripuit, quo sine anima & viribus langueo; Floribus ergo spei, pomorum, fructus & præmij, fulcite me, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Est enim anima amantis plus multò vbi amat, quàm vbi animat. Amor enim cum morte comparatur, quòd non secus ac mors animam adimit, sic amor illam secum ferat; quò dicitur Canticorum 8. *Fortis est vt mors dilectio*. *Charitas* 5. ad Romanos nũcupatur iis: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. pro inimicis scilicèt emortuus, quod re vera excessus charitatis est, charitas enim rei summam æstimationem, & pretium significat.

Sunt

Sunt cariſſima quæ ſunt multi habita, caraque ac ſi carnis noſtræ portione illa emeremus, quo nil eſt nobis carius, ideóque cara dicuntur, quod eorum emptione careat emptor, rebus reliquis, veniatque in penuriam aliorum, propter ea quæ pretio habuit, ex eóque cariſſima illa dicuntur, & charitas omnis, ſedulitas, & diligentia, quæ vt illa comparet, exponit emptor, deſideriumq; quo tenetur, & amor. charitas ergo Chriſtus eſt, cũ ſic nos redemerit proprij ſanguinis pretio, vitæque diſpẽdio, vt omnibus obcaruerit, honore, vita, matre piiſſima, vt homines morte liberaret, nulli percens iacturæ, labori, aut pretio; pretium noſtrę redemptionis, in rigore iuſtitiæ ex propriis perſoluens Patri noſtrum debitum, 1. ad Corinth. 6. *Empti eſtis magno pretio, Chriſto* ſcilicèt, *Aduocatus* Ioannis 2. c. *Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autẽ tantùm, ſed etiam pro totius mundi:* noſtras enim cauſas agit, noſtraque negotia ſollicitat, vt qui in proceſſu & libello humanitatis omnia perlegit, nouitque omnes hominum lites, miſerias, negotia, appetitus, & rationis rixas, & crimina, ciuiliaque negotia hominũ, qualia eſſent ex parte naturæ, & qualia iis quibus dono, gratia, imperioue, hæc non erant concordia, & pacifica, factus homo, apud Patrem de cauſis hominum ſollicitus aduocatus, fidiſſimus. *Propitiatio, hoſtia, victima, oblatio, ſacrificium, holocauſtum:* horum figura Exodo, & Leuitico paſſim obumbratus, quem Patri offerimus modò, vt placetur ea oblatione potẽtiſſima. *Teſtis* omni exceptione maior, Apocalypſis 1. c. *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptẽ ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt,*

&

& Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo. qui est prior in tempore, & melior in iure, æternus est filius Dei, melior in iure, propter summam & illustrem progeniem, tot tantorumque Regum, Monarcharum, Principum, Patriarcharum, Prophetarumque, in Iordane approbatus, in Tabor Patre ipso, summaque veritate, qui cùm summè sapiens sit, falli nequit, nec cùm sit bonitas, malũ agere, aut fallere, vtriusque Testamenti autor, veteris & noui: quibus vltimã voluntatem expressit pro diuerso Ecclesiæ statu, testibusque miraculis cõdidit, comprobauit sanctissima hæc testamẽta, sacramentis plena, & mysteriis. *Amicus*, Canticorum 5. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem.* quis enim amicus maior, quàm qui posuit pro nobis, & in bonum hominũ, salutem, vitamque dispendit, sanguinẽ effudit, qui omnia in bonũ amicorum, imò & inimicorũ erogauit? quò & ibidẽ, *dilectus, totus desiderabilis, electus* ab sponsa appellatur, quòd *speciosus sit forma præ filiis hominum, electus inter omnes, prædestinatus* scilicet, causaque nostræ prædestinationis, Isaiæ 8. c. *Et dixit Dominus ad me, voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari.* quibus denotatur, Christum nominibus non significari, æquè benè ac verbis, vt continuam eius actionem nostræ salutis, opusque perpetuum pernotetur; neq; enim accelerator, spoliatorve dicitur, festinator, prędator quomodolibet, sed continua actione in opere, hæcque munia iugiter exercens, his titulis manifestatur, verbi actione significata, non nominibus, quæ habitualem solum horum significatum obseruant, non actuum, Isaiæ 53. *Abiectus, expulsus.* inuidia

mira

miraculorum, & veridicæ doctrinæ odio, *vilis*, quòd nullo habitus pretio fuerit qui erat pretium redemptionis nostræ. *afflictus* malitia hominum & blasphemiis in Deum ipsum, Verbumque prolatis. *Attritus*, quòd granum erat frumenti, ex quo panis, alimentũque viuũ parabatur emortuis hominibus. Mirabile dictu, emoritur granum, panisque ex eo confectus viuus est, hic imò vita ipsa, minimè enim viuerent mortui homines peccati labe, si mortuũ eis impertiretur alimentũ. *Vulneratus* passionis tormentis, vt cũ panis quem dat Christus, propriè eius caro sit, vt hominibus partiretur, vt diuideretur inter mortales, vulneratus est. Est principium diuisionis, vulnus & sectio in viuis facta. *Virgultum* est ideo, quòd ex arbore illa antiquissima iam senio confecta, arida, exiccata, eius occasione, pullulauerit Christus, recisa illa, & resecta, tum quòd ex arbore crucis hoc virgultum germinauerit, virgaq; hæc iustitiæ, & rectitudinis. *Radix de terra sitienti* eo loci subscribitur etiã, quòd maximã virturẽ habeat, & potentiam trahẽdi ad se humida quæuis, vitiosos peccatores, molles, humidos, & desides: & rore gratiæ humentes iustos, legisque obseruatores, dicitur Ioannis 1. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Non secus, inquam ac radix terræ aridæ, & siccæ. Radix viua exugit omnia, & sicca imbibũt humida quæuis; *despectus* itidem *virorum*, non solum vulgi, & plebis, imò Doctorum legis, virorúmque, qui si qui alij veritatem & doctrinam tueri tenebãtur, maximè ipsi. Miserrimum vero est, rationẽ nullius esse ponderis, pretij nullius inter magistros & doctos, horumque & nouissimus erat vltimus, ipsa Sapientia cùm esset, & quasi nouam doctrinam, nullo quasi esset firmata robore aut miraculis, vitæ integritate, nouissimam iudicabant,

iudicabant,ſuumq; ideo autorem nouiſſimum ſectatorem, & paradoxicum. *Vir dolorum*; quòd dolores virili animo ſuſtinerit; *Vir ſciens infirmitates*, neque enim naturã humanã aſſumpſit,eius imperfectiones ignorans,imò vt auferret quas contraxerat peccatorũ labe;*ſine vultu* ſubdit;ſpeciẽ enim & decorẽ amiſit,vultumq; diuinitatis repreſſit,quem manifeſtauit in Tabor quibus voluit electis eius. *Non reputatus*; vana iudicantes quæ edocebat cæcitate & malitia; *portans infirmitates,verus homo*, vt non ſecus ac verus Deus cognoſceretur, *oblatus quia voluit*. Cuius potentiæ collatione nulla eſt in natura potentia, neque maior,neq; æqualis, qua cogi potuerit, vt pateretur coactus, quare eſt oblatus quia voluit. *Ouis* figura ſignificatus,quòd lac doctrinæ copioſiſſimè obtulerit iam iam morientibus fœtibus inopia alimenti. *Egenus, pauper*,pſal.69.& 108. quòd omnia abdicauerit bona, vt homines ditaret; quos vt bonis repleret,*exinaniuit ſemetipſum*,dixit Paulus ad Philip.2. iiſque non contentus adhuc,*opprobrium hominũ factus eſt,& abiectio plebis*. maiorum ſcilicèt reipublicæ potentiũ,& vulgi abiectio,hacq; figura nobis occurrit, *honor Angelorum,& hominum*,pſal.21. *Sublatus à iudicio* vocitatur Iſaiæ 53. à iudicio & recta ſententia quæ illi debebatur,Iſaias 9.capite titulos huius principis afferens ſic inquit: *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius,& vocabitur nomen eius,admirabilis, conſiliarius, Deus,fortis,pater futuri ſæculi,princeps pacis. Paruulus* ſemper extitit,qui potuit magnitudinem diuinitatis manifeſtare, quò ſemper paruulus vſque ad mortem:*natus nobis*,in bonum hominum,*datus nobis*, non debitus, ſed gratioſè datus,*admirabilis*, vitæ integritate,operũ,& miraculorũ potẽtia:conſiliarius:

in eo enim vidit Pater, & per ipſum omnia gubernat, præuidetque omnibus: nil ſine ipſo, *omnia per ipſum facta ſunt. Deus fortis*, quia ſuſtinuit pōdus ſcelerum, & flagitiorum hominū, crucem, mortem, euicit, infernum domauit, ſuperauit peccatū, vt abundaret gratia, vbi abundauit delictū; quod facere non poſſet natura omnis; *fortis*, quia ferre potuit ſeſe ipſum indignatum, rigoremque, iram, & indignationem, frænare iuſtitiam, & miſericordiam conciliare, *Pater futuri ſæculi*; huius enim ſæculi vitioſi & corrupti labe, & peccato infecti, pater extitit dæmon, ſerpenſque antiquus, generauitq; filios iræ & perditionis ſæculi huius, Chriſtus vero *Pater eſt* futuri ſæculi gratię & gloriæ; hos generat filios, deificās eos. *Princeps pacis*, cū ab illo cōcordia inter Deū & homines, & per ipsū cōſtituta ſit, ipſeq; pro nobis ſatisfecerit Patri, vt cōcordia cōponeretur per ipsū; homo cōditus eſt amicus Deo prima ſui formatione. Hęc omnia vaſtauit dæmon, liteſque, & iurgia, zizaniamq; ſeminauit, rixas & contentiones, inimicitiā inter Deū & homines, eſt ille pater diſcordiæ, hinc Chriſtus cū ei ex officio impenderet pacem hanc reſtituere, vt in eadem virtute reformarentur homines, & per idem exēplar iterū formarētur, per quod omnia facta sūt, & facta propter ſummā eius miſericordiā, & pietatē, princeps pacis inſcribitur, ſemper qui pacē annunciabat hominibus, reformationē, in quā, gratiam, & cū Deo vnionē, eſtque ſemper illi titulus pax. *Angelus* Apocalypſis 22. *Et Dominus Deus ſpirituū prophetarum miſit Angelum ſuū oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito.* Angelus enim nuncius eſt græcis, & latinis; quò Diomedes Angelica carmina inſcripſit, id eſt, nuntiis vtilia; nunciauit Patris arcana, gratiæ legem, pacem hominibus, nuncius hic, & euangeliū quod

est nuncium bonum. *Aquila*, Deuteronomij 32. *Sicut aquila prouoquans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum atque portauit in humeris suis.* Christus sub Aquilæ ænigmate prouocat filios volare ad intuitũ solis iustitiæ, pullos minores natu sustinens dorso laborum, vt incitet illos ad volandum sui exẽplo, & aliorũ pullorũ imitatione, qui iam altos volatus edere queunt; Reginam auium imitantes aquilam, Prophetarum, & Patriarcharum exemplo, iustorũque & maiorũ *Expandit alas suas*, vt expãdit in cruce brachia, altissimo illo volatu, quo exaltatus est à terra, *portans eũ*, hominem scilicet, *in humeris eius. Imperiũ eius super humeros eius*, subditos sic tuetur, & defendit homines, sustinetque, super eos volitans. Hunc modum volatus Aquilæ prouocandi pullos, retulit Ælianus, Plinius, Edoardus, Aristoteles propriis capitibus, vt & reliqua quæ ad naturam dictorum spectant, hoc capite eisdem autoribus propriis locis inueniuntur, quæ vsque ad propria capita, quibus de his Deo dante dicemus relinquuntur. Ad Ephes. 6. effingitur sub specie *Armatura.* Armatura vocatus eo loci. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* id est, induite Christum, quo & hostes euincimus, & tuemur nos à telis aduersariorũ. armatura offensiua, & defensiua, tanti roboris & potentiæ, vt non solũ dũ in hostes inuadimus, eos superemus, verũ fugiẽtes adhuc occasiones vitiorũ, opprobria, & cõtumelias sustinẽtes patiẽtia, palmã, triũphũ, victoriam reportemus, armaq; aduersariorũ; cũ priùs in Christo robur amiserint, hebetuerintque, sine robore & viribus, posteà dum in nos veniũt inermia, imbecilla, obtusaque, nil vltrà efficere valent. *Alpha, & omega,* Apocalypsis 21. Explicat eo loci Ioannes in spiritu, id

id eſt, principium & finis, *à quo omnia*, cùm omnia per ipſum facta ſint, & *in quem omnia*, cùm in ipſo beatitudo noſtra, fœlicitas, finis conſiſtat. Græcorum enim alpha, circulo deſcribitur vna ex parte dirupto, cuius partes abruptæ, vna ſuper aliam diducta, crucem efformant; quaſi ea litera notetur, quòd circulus vna ex tribus perſonis deitatis, (tribus circulis ſignificatæ, complicatis inter ſeſe) crucem, mortem, attritionem, vulnerum diruptionem, eſſet paſſura, pro variis aliorũ characterũ totius alphabeti formis, & figuris, pro hominibus, quorũ caput Chriſtus eſt, primáq; litera alphabeti totius noſtri, quo & omega dixit ſe eſſe, omega enim græcis, duobus circulis integratur per ſuperna auulſis, quaſi Verbum circulum æternum, Deuſque ipſe circulum vnum immitteret, vt pro hominibus ſatisfaceret; dolorémque, & triſtitiam æterni Patris, & Spiritus Dei, filiique qui paſſurus erat tormẽta crudelia, diruptione circulorũ notaretur, & qui ſine principio & fine erat, circulo integro genitus, (*generationem eius quis enarrabit?*) & qui circulus erat integer, ſine principio & fine, in quem nullus aditus patebat, omni ex parte concluſus, in ſalutem hominum, abſciſſus, diruptus, auulſus quaſi videatur, pateatque eruptione illa aditus, quo dixit, ſum omega, dixit enim ipſe, *Ego & Pater vnum ſumus*. Hinc cõſuetudo inualuit plurimis nationibus, ante primam literam alphabeti crucem conſtituere, à qua incipiunt erudire pueros, ſic legentes ✝ Chriſtus. A. hac characterum configuratione, ex hoc alphabeto potiùs quàm ex altero, has duas literas deſumpſiſſe reor, habent enim configurationem hanc α alpha, eam verò omega, ω, iuncta verò conſtruuntur ſic, ſi ω omegæ ſuperimponas α alphã, vt extrema illius coniungãtur extremis alterius, hæc

 reſul

resultat figura ∞ quo nulla earum integra sine alia inuenitur, vt patet hic in earũ cõfiguratione, estque iis tribus circulis vno contentis Trinitas vna æterna, & incomprehensibilis notata. *Arcus* Ecclesiastici 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè speciosus est in splendore suo, gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum*; de humanitate Christi, Threni 2. *Tetendit arcum suum quasi inimicus.* de Patre æterno affligente Christum, vt fieret satis iustitiæ diuinæ. Duo extrema Christus cõtinet, diuinatis, & humanitatis, neruo vnionis, & vinculo contenta, & ille qui rectus erat, non secus atque Eliseus alter, incuruauit se, vt quasi ad nostram mensuram reduceretur, vt suscitaret nos de morte peccati, factúsque arcus, incuruatúsque sagittas suæ potentiæ in aduersarios immitteret, flexus & distentus in cruce, tensis crenarum extremis, & confossus clauorum vulneribus, sacro perforato cerebro, spinis rigidissimis, vt in his scissuris & crenis huius arcus, neruo nostræ redemptionis & robori locus daretur. *Baculus* psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* hic est baculus in quo transiuimus Iordanem, mare rubrum rigoris, & sanguinis, vltionum & laborum, dicitur Geneseos 32. Est virga iustitiæ Dei, vlna qua metiemur omnes, virga cuius rectitudine, & emetiemur & puniemur, deficientes ab ea rectitudine, per ipsum enim per quem facti sumus integri, & recti, ad imaginemque & similitudinem illius efformati, naturæ & gratiæ donis, auxiliis susceptis, regulabimur, deficiamusne, an secùs, ab ea rectitudine, iustáque conformatione, quo est virga Patris, cuius rectitudine metitur. Est & baculus; ipsi enim innituntur omnia patris decreta, tum in illo requiescit ipse; est gloria Patris, requies,

&

& deliciæ; est baculus iustis, qui virga est rigoris scelestis, & corruptis hominibus. Fuit ille amor æterni Patris erga homines, vt hunc baculum contriuerit in bonum eorum, Isaiæ 14. Contriuit baculum suum; vt omnes partem huius baculi adipiscerentur; baculus Elisei, baculus Iacob, requies hominum, & Angelorum. Comes nostræ peregrinationis, baculus à Paulo dicitur 2. ad Corinthios c. 8. & si ad literam de comite Tito intelligatur. *Custos*, Iob. 7. c. *Peccaui, quid faciam tibi, ô custos hominum?* Fatetur hominem nullo modo posse satisfacere Deo, nisi Deus in se caussam assumat, & pro delinquētibus delicto & offensæ contra ipsum patratis satisfaciat. *Caput* à quo virtus omnis in membra venit per neruos, & sacramenta Ecclesiæ, 1. ad Corinth. 1. capite 11. ad Ephesios 4. & 5. ad Colossenses 1. & 2. vocitatur. *Calcator* Isaiæ 63. *Torcular calcaui solus.* Diuinitas enim racemum terræ promissionis calcauit Christum, vt liquor & sanguis flueret, quo omnes aleremur, & nutriremur, vt mundi essemus, puro sanguine alti; mūdaremúrq; in ipso, vt essemus ab excrementis liberi, & succis vitiosis, quibus nostra erat infecta natura, sumpto depurato, & viuido alimēto, quo Verbū expressit, suppositū, Christū, vt sanguis hic flueret, qui & vinū erat, potusque, cùm omnes vini effectus caussaret, inebriando homines, & ducendo extra se, vt in Christo solùm viuerent, cordis lætitia, & robore, adepti vini effectus, & alimentum, quod integraret, resarciretque naturam laceratam, & corruptam succis vitiosis ex interdicto alimento confectis acerbi pomi, cuius esu homines in varios morbos inciderunt. *Ceruus* psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum viuum.* Mirabile est quod nunquam

Christus de fame conqueratur, de siti verò animatum, & hominum hîc, & in cruce sitim incompescibilem habere fassus est, quòd hæc passio plus multò affligat, causisque actiuioribus excitetur, caloris incendio, & siccitate, quibus æstuant viscera, bileque actiuissimo humore; ceruus verò cum calidissima viscera obtineat, quibus bilem recoquit, vesicámque felis longissimè dissitam, vt hunc illa possit minùs ad se allicere humoré, recoquitur in visceribus relicto, quo melancholici natura fiunt cerui, & incompescibilis sitis, propter incendium, siccitatémque humoris melancholici, & biliosi exurentis. Hac passione summa bonitas curam nostri præfigurauit, ingénsque desiderium nostræ salutis. *Cythara forma* venit, *psalteriique* psalmo 56. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cythara, exurgam diluculo.* Psalterium instrumentum est, quod sursum percutitur, desuperque cordæ sonum accipiunt, scuti formæ, decem cordarum, aptissimum, vt cum eo canere possint propter medium, quem continent tonum clauis, quo inuitat Dauid mortales, psalmò 143. Vt in psalterio decem cordarum laudent Deum; Est Christus *scutum nostræ tutelæ*, desuper sonum recipit, vi diuinitatis verborum, & operum, qui in decem præceptis legis pulsatur. Est cythara, quæ, vt docet Augustinus eo loci, Cicero de aruspice: Quintilianus, libro primo, capite 10. infernè pulsatur, sex cordas tantùm obtinens, humanitatis effigies, quæ infernè percutitur, vt sonet sex cordis, sex operum misericordiæ resonans. *Dux* Psalmo 54. *Homo vnanimis & notus*, vbi dicitur: *Tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus*: quæ de Christo ad literam intelliguntur; Vnanimis, eiusdémque sententiæ cum Patre, & cum Dauid: Vnanimis, cùm dictum

ctum fuerit illi; inuentum fuisse qui vocat eum vnanimem ibi secundùm cor Dei. Vnanimis, non duplicatæ mentis, cùm sit summa veritas, sed animi vnius. Dux, quod ducat omnia in suum finem, & dirigat, vt integritatem adepta vniformia sint cum suo exẽplari. Notus etiam, quia notitia ipsa genitus est Patris, notusque hominibus operum, & miraculorum potentia. *Deliciæ* Ezechielis 28: *In delicijs paradisi Dei fuisti*, est Verbum Dei paradisus, in quo omne esse, omnis entitas, perfectio, scientia, sapientia, omne bonum, delectabile omne, & honestum semotis imperfectionibus continentur, vt in fonte, principio, medio, & fine. *Deus, Dominus, Rex*, Deus passim in Scriptura sacra. Psal. 5. *Rex meus, & Deus meus es tu*. *Rex* quòd regat omnia prouidentia & ordine; natura Rex, quia omnium Dominus, Dominus, quia Deus; Deus quia ipse est, per quem omnia facta sunt, & à quo omnia accipiunt esse, vt nil nostrum, sed omnia illius, & quòd ab ipso acceperimus nostra; hoc verò quia solus ipse, ipse est ex se sine alio. Omnimodo ipse, nos quo modo ipsi, per ipsum, quo ille sine alio est ipse, nos non ipsi, nisi per ipsum. Hinc Deus, id est, primus, & vnus. hinc omnia est solus ipse, continens omnium perfectiones, quia causa omnium, hinc omnium Dominus, hinc Rex natura, & iure omnium quæ sunt. psalmo 3. *Domini est salus, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in ea*, & Psalmo 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Secundæ partis eorum, quæ ad astutias pertinent serpentis figurati in æneo Moysis.

CAPVT VII.

NE tædium afferat hæc nostra longa alioqui, de astutiis serpentis figuratis in æneo serpente Moysis enarratio, argumentum hoc duo exigere capita videtur, quasi vt duobus capitibus occurrat nobis serpens hic Christus, non secus atque Amphisbena serpens in hoc genere reptilium duobus capitibus incedit, salitque ex vtrisque serpens naturæ mirabilis, de quo proprio capite infrà, dante numine, dicemus. Capitatus est vtrinque serpens hic. Diuinitas caput est Christi, dixit Paulus 1. ad Corinthios c. 11. vir caput mulieris, caput viri Christus, caput Christi Deus: & secundùm humanitatem caput est nostrum nostræque naturæ caput, quo saliit vtrinque obstupendis, & raris rerum effectibus, verbísque excedentibus omnem captum intellectus creati. Hic ergo qui tot, tantísque astutiis vsus est quot capite præcedenti vidimus, occurrit modò emptor hominum factus, redemptor, fideiussor, protector, liberator itidem in Scriptura sacra. Prouerbiorum 20. *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cùm recesserit, tum gloriabitur.* Angustiæ, dolores, afflictiones, tormenta quæ Christus tulit, mala meritò iudicauit, sed & tulit amore hominum illectus; cùm verò recessit emptor noster de mortalitate hac gloriosus & immortalis, cùm dæmon Christum decepisse intellexisset, emptione, pretio soluto, quo emerat mortales, gloriatur Christus, quòd ipsam mortem, dæmonem, & infernum illuserit, cùm Chri-

sti

sti mortem solicitassent anxij, & soliciti, & hac ipsa pretium nostræ redemptionis attulerint, quo illusis his, meritò gloriatur noster emptor, redemptórq; noster, qui de dura seruitute dæmonis redemit nos, pretio sui sanguinis, quod persoluit Patri, vt nos extraheret de diro & obscuro carcere principũ tenebrarum. redemptor vocatur noster, fideiussor, Prouerbiorum 20. *Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis, aufer pignus ab eo:* vt detractum fuit à Christo, in humanitate scilicèt, qui fideiussor noster extitit, faciens debitum alienum proprium, & pro debitoribus soluens qui erant iam dæmonis præda, labe peccati. quò dicitur Ecclesiastici 29. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.* fideiussit enim pro nobis, fidémque suam pro nobis interposuit cum Patre, & cùm homo bonorum cessionem effecisset, cedens bonis, nilque in illo esset, quo debitum solueretur, persoluit ipse vitæ dispendio. Protector iustissimè appellatur Psalmo 17. *factus est Dominus protector meus,* & 27. *adiutor meus & protector meus es tu*: qui non solum hæc magnalia fecit, sed conseruat, & protegit continuò. *Adiutor & liberator*, Psalmo 17. *refugium meum, & liberator meus es tu*, & 143. *Susceptor meus & liberator meus es tu.* Daniel. 6. *Ipse liberator atque saluator.* quibus titulis homines inflammare cupit amore suæ bonitatis, cùm tot, tantísque figuris & modis occurrat blandus, & mitis amore plenus, flagrãs hominum desiderio, qui in finem dilexit eos, in se, & vsque ad se, vsque ad finem. Vocatur *emendator sapientium* Sapientiæ 7. & *dux.: mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur, quoniam ipse sapientiæ dux est & sapientium emendator.* Regula enim emendamus vitia, & errores in

quauis arte; Verbum veritas est; quò est regula omnis notitiæ, & entitatis, & sic emendator errorum, & defectuum, duxque, quoniam ducit nos in cognitionem veritatis, cùm sit magister sapientiæ, & doctrinæ, cúmque hominis sit exemplar, & extiterit regula suæ formationis, reformationis, instaurationisque eius dux ob suam pietatem, quia nullo alio posset homo formari iterũ, neque eius intellectus, aut voluntas possent integrari denuò, nisi eodẽ. *Emmanuel* vocatur Isaiæ 7. & 8. capite. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, Ecce virgo, rem admirabilem & obstupendam, omnem potentiam naturæ excedens enunciat vaticinium hoc, virginem concipere, & vltrà parere. Nam & si virgines concepisse videamus, id est, non corruptas effuso semine virili ad os vuluæ, & inde suctu vteri tracto, sicq; fætasse plurimas, vt posteà necessariũ fuerit, vt possent parere, vel rumpi artis instrumentis, vel propriis coniugibus, & sponsis tradi, vt abrumperentur, tamen virgines parere, vltra omnem naturam est, quò non dicitur eo loci, solùm virgo concipiet, sed vltrà, *& pariet filium virgo*; Virgo, inquam, nõ solùm integra & non corrupta, dono imò virginitatis illustrata, *vocabitúrque nomen eius Emmanuel*; id est, nobiscum Deus, eius enim aduentu placatus est pater æternus, & nobiscum est, eius felicissimo ortu. Filius hominis, Dei filius, passim Scriptura sacra nominatur; vt eius summam potẽtiam cognoscamus, incredibilemque erga mortales humanitatem. *Fluuius* Isaiæ 59. *Et timebunt, qui ab occidente, nomen domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius; cùm venerit quasi fluuius violentus.* Quem spiritus Domini cogit. Vẽro cõpressus fluuius rapidus decurrit adeò, vt omnia subuertat, nil firmũ, nil stabile, vt supersit, terrã

inun

inundat, rupes & crepidines euoluit, euertit fortia, quorum quæ ſunt lapideæ naturæ, duræ, & rigidæ, proprias ſedes magis amittunt,omnimodò illis præpoſtera,& aduerſa multò plus inundatio & illuuies; at mollis terra,natura facilis, humilis, inundatione fertilis redditur, ferax, vt quæ anteà ſicca & arida producere non poterat,modò exerat,procreet, germinet vndique vtiliſſima plurima & proficua. Non ſecus duræ ceruicis gentes, idololatræ, ſine ſenſu & intelligentia,ſtatuæ quaſi lapideæ,fortia hæc,Chriſti aduentu ſubuerſa ſunt,rupes illi fortiſſimi, rigidi, & duri; molles verò, humiles, & dociles hoc eodem fluuio gratiæ quo alij ſubuerſi,& ſubmerſi fuere, ij feraces, gratia abundantes, fertiles, huius fluuij fœcundiſſimis aquis, nimiſque feracibus irrigati extitere. *Frater* pſalm.132. *Ecce quàm bonum & quàm iocundũ eſt,habitare fratres in vnum*; de Chriſto fratre in vna natura habitante nobiſcum. Voluit Adamus ſicut Deus eſſe,nequiuit, deriſit Deus eius ignorantiam, ſed ne dæmones irriderent,ſi non potuit Adamus, vt Deus fieri, Deus vult vt Adamus eſſe, fratérque eiuſdem naturæ,frater noſter maior, qui eſt pater noſter. maioratus noſtræ naturæ, qui alimenta & reliqua ad vitã neceſſaria nobis impertitur, liberaliſſimus, & fratrum ſuorum amantiſſimus. Canticorũ 2. *Ego flos campi,& lilium conuallium, ſicut lilium inter ſpinas. Flos campi*, quòd omnib. ſit in propatulo,& denegetur nulli,nõ difficilis aditus, aut inacceſſibilis viæ, non ſecus ac campi flores erumpunt, omnibúſque ſunt in propatulo non ſati opere humano, rore cœli imò deſuper venienti ſuborti, ſic flos iſte ſpiritu Deo irruenti de ſuperis productus,& efformatus. Hoc videtur intelligere Iſaias c.45.his: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.*

Zacharias 8. c. *& terra dabit germen ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum.* Flos campi, quòd agitatus ventorum vixerit procellis, ſubditus iniuriis, & inclementiis hominum, non in aprico loco conſitus, & delicioſo aut ſuaui, imò hiſpido, hirſuto, & rigido. Flos campi quòd abſq; ſemine aliquo conſtiterit, vt multoties ſine ſeminali principio ſola cœli influentia, & terræ congrua diſpoſitione virentia plurima erumpere videmus è terra non ſata, aut virtute ſeminis producta; non aliter ac cœlum varia producit animantia, tãtò perfectiora plãtis; his ſolùm principiis, abſq; geniturę principio; ſic campus germinat ſine ſeminio herbas, floréſq; varios procreat, flatu viuifico, ſpirante africo, qui meritò dicuntur campi flores, quòd abſq; natura efficiẽte ſui ordinis eruperint illi, germinauerintque. Hinc dictus eſt ſpõſus flos campi, mitis, ſuauis, gratus, & placidus, Spiritu ſancto cooperatus, & flatu cœleſti, nõ ſecus ac flos natura cõſiſtit, Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum ego.* Cùm tamen hic de lilio ſermo inciderit, non poſſum quantiſper non diuagari, propter difficilem eius naturam, & variam ad plurima Scripturæ loca enodanda neceſſaria, quę de hac planta ad literam loquuntur. Sũt enim variæ & diſcordes liliorum ſpecies, vt ex variis locis grauiſſimorum autorum licet colligere. Lilium eſt commune noſtrum dictum, ἴρις græcis, quòd colorum varietate floſculus ille, quoad medias partiũtur folia, æmulatur arcum cœleſtem, nubis roridæ, qui pluuiæ tempore adſolet euenire. Eſt hoc cœleſtis coloris, & liueſcentis, radicis oblongæ, euerſę, & diſtortæ. Sic Dioſcorides lib. 1. c. 1. Plinius lib. 21. c. 7. Theophraſtus libro 6. c. 21. Rhodiginus libro 25. c. 25. Eſt alia huius plantæ forma coloris purpurei, rubrique. Háncque oriri in Syria, & Pyſidia Pamphiliæ,

liæ, refert Dioſcorides libro 3.c. 110. Theophraſtus lib. 6.c.22. & loco ſuprà citato, Rhodiginus, Galenus 6. ſimplicium, Mathiolus, Rambertus, Lacuna ſuper caput citatum Dioſcoridis, etiam ſi lilium hoc ſpeciem lilij albi vulgo dicti, *azuzenas*, Græcis verò Κρίνον βασιλικὸν, id eſt, flos regius, conſtituant quidam, quod radicis bulbuloſæ ſit, rotundæque, modò vnius globuli, duorum modò coniunctorum per ſuperna, cùm re vera figura vnius partis non ſit raro ſufficiens colligendi ſpeciem, neque ex his conueniens ratio adduci poſſit, vt entitatem, aut diuerſitatem naturæ aſſeueremus. Vires enim, virtutes, proprietates, actiones eaſdem habet cum lilio iride dicto, vt eiſdem locis medici, & philoſophi dicti affirmarunt, & ipſa notitiæ parens experientia, ex quibus meliùs venamur rerum formulas, quàm ex accidenti figuræ communiſſimo, vt eſſe lilij ſpeciem iudicemus, rubrúmque hoc lilium natura produci modò ſola, modò arte, ſi radices aliorum liliorum in vino rubro maceremus priùs quàm conſeramus, & fumo ſuſpenſas nouem diebus exiccemus, tenent iidem autores locis allatis. Tum vltra hoc oriri proceræ magnitudinis, & rubriſſimum in vallibus, & conuallibus, locíſque apricis ſoli expoſitis & tepidis. Contrà ac lilium commune vulgare noſtrum, qui irriguis & humentibus minùs benè ſeritur & germinat minùs, montuoſis verò, & ſiccis, copioſiùs venit, & fertile magis. Turribus enim tectis muris, & aliis altis ſqualidíſque locis erumpit. De hoc lilio rubro intelligitur adductus locus, vbi Chriſtus abditur ſub lilij formula, ſeſéq; lilium vocat cõuallium; ruber vndique ſuo ſanguine, purpureúſque, & rubẽs, in cõuallibúſq; & infimis locis paſſionis, tũ in conuallib. in locis delicioſis, & humilibus,

vdis

vdis gratiæ rore, & aquis humentibus irriguis. Seruat enim lilium hoc figuram & formam in præcipuis partibus lilij veri iridis dictæ, in foliis, caulibus, floribus, calicibus, flosculis & reliquis, quo meritò, cùm polleat eisdem virtutibus, lilium sapiẽtes iudicarũt. De hoc liliorum genere intelligitur locus ille Canticorum 2. vbi dicitur, *dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*; vt abundantiam, & copiam prænotaret, fertilissimáque pascua, & plena, in quibus spõsus nos oues pascit, & alit, summámq; eius curam, & diligentiam, amorem & vigilantiam. Lilia enim hæc in conuallibus fertilissimis adnasci, locísque abundantibus, & feracibus diximus, vbi pascua fœcunda, vberrima, copiosa inueniuntur, locíque vbertate virentia abundant, & in magna copia subcrescunt. Humiditatem verò quæ ex loci illuuie & vditate accedit, si quæ est nimia, potentissima trahendi virtute radicis liliorum, (qua pollent inter omnia virentia) ad se vocant, & alliciunt; qua egent, & in se absumunt, feracis naturæ & siccæ, quò supersunt pascua moderata omnino, temperata, dispositáque ea proportione qua expetunt pecudes, vt salubri vtantur victu, crescant, fætificent copiosè, prolemque in maximo prouentu reddant, inter lilia huius formulæ; nulla est enim radix virentis aut plantæ, quæ faciliùs germinet, & sese multiplicet, lilij radice. Absumit superfluam loci humiditatem, fugit potentissimè ex quauis parte. Quò, & in locis siccissimis, vbi alia non pullulant; aut congerminant, hæc radix terram comprehendit, & virescit, potẽtissimo suctu humiditatem loci cuiusuis ad se aduocans, & alliciens. Hinc muros, ruinas, lapides, loca excelsa & ima apprehendere videmus, sicca & inermia, in quibus humiditatis defectu non possent virentia alia germen

emit

emittere,ſeſe extẽdit ad virẽtia quęuis reptu radicũ, quæ non exſiccat,aut defraudat alimenti debiti,humiditatíſve requiſitæ ad vitæ tutelam,ſed ſuperfluũ, & exorbitãtem abſumit humorem, vitioſum, & noxium. Quò Exodi 25. aliíſque plurimis in locis iuſſit conditor hominum , in candelabro puriſſimi auri pendere lilia, & ſphærulas ex auro fabricatas , ſimul cum calamis & ſcyphis , vt notaretur Sacerdotis, & Doctoris officium, qui lumen communicant ſubditis,vt liliorum more in ſphærula mundi ſuperfluam humiditatem calami & ſcyphi vana natura abſumant, & corrigant, debitúmque illis alimentum inſtituant. Quò Paralipomenon 2. cap. 4. lilia inſculpta,reptantia cęlari voluit,vt officium notaretur eorundem , & ad alios venire humiles , percurrendo terram,non in altum ſuperbia elatos & tumidos daretur intelligi. Hinc laudatur ſponſa Canticorum 7. poſtquàm dixerat ſponſus, caſtiſſimam eſſe, vmbilicúmque eius temperatiſſimum , non indigere poculis,quòd non exureretur igne concupiſcentiæ , ſubdit; *venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* abſque ſuperfluo humido & exorbitanti , ſed moderatus & caſtus , immunis ſuperfluo quouis. Scimus ea quæ virtutem habent trahendi ad ſe humiditatem,caules immittere citiùs , iuxta triticum conſita , vt in cæpis , alliis , melopeponibus , & reliquis eſt videre; quò cùm lilium potentiſſimæ naturæ tractiuæ ſit, triticum exiccat & ſugit. Vnde venter ſponſæ, & ſi per naturam propriam non ſic diſponeretur , Liliis verò gratiæ circumuallatus , purus omninò , perfectus vndique ſuperfluit. Eccleſiaſtici 39. ſic dicitur: *Florete flores quaſi lilium , & date odorem , & frondete in gratiam.* Mirabilis eſt diſpoſitio foliorum floris lilij, qui in plures partes diſſecantur illicò ac flos perfectus

fectus est, quorum duæ sursum spectant cœlum versus, coniuncta; reliqua verò terram respiciunt, & illam versus retorquentur, separata & diuisa. His vniuersa lex continetur; Dei amore, & proximi dilectione. Florete ergo sicut lilium amore Dei, & proximi. De lilio rubro intelligitur locus ille Ecclesiastici 50. cap. vbi prænuncians Christum venturum, inquit, Veniet quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ. Id est, quasi lilium rubro suo sanguine, cùm pretio sui sanguinis redemerit nos in transitu aquarum, & afflictionum, quæ intrauerunt vsque ad animam eius. Ideo iussit Christus Matthæi 6. & Lucæ 12. lilia agri considerare, quomodo crescant, & florificent, foliis in altum suorum florum, & in terram demissis, & tandem Canticorum 4. *Sponsus vbera sponsæ* contulit duobus hinnulis gemellis capræ qui pascuntur in liliis. Quòd Ecclesiæ vbera copiosissimo lacte abundent, doctrinæ. Non secùs ac hinnuli, qui inter lilia dicta rubra pascuntur, pastus copia, & abundantia lac quasi sunt, & abundant lacte, loci feracitate. Cum gemellis verò contulit hinnulis, quòd cùm tanta sit lactis copia eis locis conuallibus, ab vtrisque vbera exugantur, ne superfluum, & redundans lac notaretur, cum gemellis vt doctrinæ concordantia, & concentus notaretur. Formula est alia liliorum, quæ candidissimos, albissimósque flores effundit, omnibus simillima lilio cœlesti communi, præterquàm colore, radices oblongas exerit, distortas, nodosas, folia eiusdem cum illo figuræ, caulem, calices, & reliqua, quod referunt dicti authores, & modò est videre in viridario Transtiberino amplissimi Cardinalis de Vitero Romæ; narrat Mathiolus super caput primum Dioscoridis, Lacuna doctissimus eodem loco, Rambertus, plurimísq; aliis in locis

cis apparet hæc planta pulcherrimi aſpectus, Flādriæ, Italiæ, & Galliæ. Meminítque Plinius ſpeciei huius l.21.c.5. cui ius, folia indurari adeò, ſole exiccata, vt in ſpinas earundem cuſpides degenerent, & ſummitates acutæ & figuræ anguloſæ. Norunt ij ipſi naturę interpretes, vt & aliæ ſentes & ſpinæ ſole arefactę, cū per initia in ſpinoſis plantis adhuc non ſpinæ, imò facilè tractentur, contrectentúrq; manibus, temporis proceſſu, ſolis actione, rigidæ & duræ ſpinę fiunt, & intractabiles redduntur. Huic lilij formæ, & eximiæ pulchritudini ſponſus comparat amātiſſimam ſponſam eo loci Cāticorum 2.c. vbi *lilium inter ſpinas* illam vocat; neq; enim aliud lilium inter ſpinas ſubcreſcit, præterquàm lilium hoc albū naturæ puriſſimæ. Vnde virgo Deipara apprimè hoc lilij genere ſignificatur, puriſſima & candidiſſima; tum mater, dum filiū oſculabatur de cruce defixū inter ſpinas coronæ circumpoſitæ, quæ tēpora ſacra, & caput noſtræ ſalutis circumueniebat, lilium hoc album inter ſpinas dicta eſt. Tū & de Eccleſia inter perſequutiones & anguſtias ſpinarum, tum anima cādidiſſima iuſtorum inter afflictiones & paſſiones, ſpináſq; oppreſſa laborū, & miſeriæ humanę. Deifera virgo, tota pulchra, candida tota, ſpinis circūuallata, & fulcita, vt eſt hoc lilij genus, nulla ex parte impetita eſt labe, defectuve aliquo: quo cum hoc lilij genere meritò confertur. Sunt tandem rubeſcentia & aurata lilia coloris auri, refert Plin. eo loci. Dioſcorides lib.1.c.1. quos æmulantur flores illi liliorū, quos gēſtāt pro diuiſa Reges Galliæ, ab eo tempore quo Clodouęus cōuerſus eſt ad Religionem Chriſtianā. Eo enimmet die quo ſuſceptus eſt de ſacro fonte, de cœlo immiſſi ſunt, in ſcutóque apparuere tres lilij aurati flores, trinitatis ſymbolon, nomine cujus baptizatus eſt, loco trium ſerpen

ſerpentium horrendiſſimorum, quos pro inſigniis aſportabat. Fructus forma occurrit Luc. 1. c. Chriſtus vbi virginis fructus appellatur; ſperabatur enim fructus & gratia in floribus, & cæremoniis legis veteris; fructus erat, cùm eſſet finis legis, & vltimum quod ſpectabatur, in quem omnia protendebant. Paulus ad Romanos 10. *finis enim legis Chriſtus.* Tum ventris virginalis fuit fructus, non floris nomine ſignificatus; quòd deſuper prouenerit, non præuia humani operis virtute virili, vt flores fructus pręcedere adſolent. *Gigantis forma* aſtutè venit, pſalmo 18. vbi de Chriſto dicitur: *exultauit vt Gigas ad currendam viam.* excedit enim noſtram menſuram exceſſu infinito, cuius reſpectu nos nihil ſumus, non ſolùm Pygmæi. *Gratia* pſalmo 83. *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Miſericordiam & iuſtitiam ſcilicet, nec enim defraudat in aliquo iuſtitiam, quam vocat veritatem, quòd eſſe ſuum cuilibet reddat, entitatémque veri, *gratiam & gloriam dabit Dominus*, id eſt, Chriſtum, qui totus gratia eſt, & gratioſus vndique & gloria; cùm in viſione Verbi beatitudo noſtra conſiſtat. *Germen* vocatur Ieremiæ c. 23. vbi dicitur; *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Dauid nomine intelligitur, & promittitur iudex iuſtus de domo Dauid. *Hinnulus* Prouerbiorum 5. propter humilitatem, & obedientiam quam matri piiſſimæ præſtitit, non ſecùs ac hinnuli proſequuntur matres, ac ſi patre eſſent deſtituti, vt eſt videre in omnium fœtibus ſemel natis, qui omnes hinnuli dicuntur, vt Chriſtus temporali ortu ſine patre natus eſſe notaretur. *Homo* plurimis in locis Scripturæ inuenitur, non fictus aut effigie eius ſimulatus, vt

in aliis

in aliis rerum iconibus occulebatur; imò verus homo, verus Deus extitit hominibus. Vocat enim se hominis filium Marci 9. Matthæi 20. & alibi passim, vt hominem iudicem habere intelligamus qui nostra cognoscit, & nos respicit, vt caput membra virtutis influxu, motus & sensus, *Est Christus caput nostrum; nos verò membra*, vt dixit Paulus 1. ad Corinthios, cap. 11. *Hominis caput Christus.* Iesus vocatur, Saluator noster, Matthæi 1. cap. Lucæ 2. Quòd nos liberauerit de manu Sathanæ propria virtute, imperio, & potentia, & soluerit pro nobis pretium quod à nullo altero persolui potuit, præterquàm ab ipso. *Legislator*, Iob 36. *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.* Spiritu prophetiæ Christum à longè spectans, psalmo 9. *Constituet hominem legislatorem super eos, pollicitationibus*, continuis & precibus Patrem æternum sollicitans; psalmographus sacer de Christi aduentu, psalmo 83. sic. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Est enim verè legislator, qui debitam cuiussuis rei mensuram nouit, & iuxta mensuram æstimationemque, & veritatem rei cuiusuis, & esse, leges condit, ex ea enim notitia quid in omnibus constituendum sit, exponit; imperat. Omnium ergo Dominus, & conditor rerum solus, leges potest stabilire, & per illum alij, omnia enim tantùm veritatis, & esse continent, quantum illi per quem omnia facta sunt, similantur. hinc lex est sententia æterna. In luce occulitur serpens hic: Ioannis 8. vbi dicitur, *Ego sum lux mundi*, & infrà. *Ego lux in mundum veni.* & alibi sæpè. Lucis enim sunt duo, & manifestare omnia, & fouere cuncta naturæ influentia & virtute calefacere & viuificare. Notitiam

attulit rerum supernaturalium naturæ Dominus, qua & intellectum formauit vero, inflammauitque voluntatem, & perfecit bono, influentiáque auxiliorum corroborauit, non secus ac lumen omnia confirmat, & sustinet in esse. *Misericors & miserator, iustus Dominus*, psalmo 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se*; psalmo 111. *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus. Iucundus homo qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Ille qui est lumen exortum post tenebras legis veteris, misericors est, cùm omnis perfectio rerum ab illo productarum translata sit ab ipso, in quo omnium rerum exemplaria continentur; quò misericors est, & misericordiæ exemplar, & miserator, exercens scilicèt misericordiam, & illa vtens, sed & iustus, nam simul iustitiam agit, memoriam fecit mirabilium suorum, legis, inquam, & sanctionum. Est hoc testamentum quod condidit, suæ vltimæ primæque voluntatis relictum nobis, vt legem iustitiæ sectaremur. Medicus Matthæi 9. *non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Quò se medicum vocat; dictum enim fuerat Ecclesiastici 38. *Da locum medico*, id est, Christo. officium enim hoc exercuit, vt non solùm languores, morbos, ægritudines, virtute illa supernaturali expelleret, propulsarétque imperio, & potentia supra naturam, imò vltra omne opus medici infirmitates nostras, & vulnera quæ ex nobis extirpauit, in se recipit, venenumque nostrum, cùm non posset aliter educi, quàm suctu & haustu, vt est veneni conditio, suxit & recepit in se, vt nos ab infecto cruore liberaret, Matthæi 8. Omnes malè habentes curauit, vt adimpleretur quod dictum est, per

per Isaiam prophetam dicentem. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes portauit.* Isaiæ enim 53. dictum erat: *verè languores ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Mediator Dei & hominum* vocitatur 1. ad Timotheum 2. cap. Vt hac astutia alliciat homines, & vocet ad se, & verè mediator, & medium est Dei & hominum, cùm participet vtroque extremo deitatis & humanitatis, verè mediator, cùm extrema conciliauerit nostræ culpæ, ruinæ, & lapsus cum iustitiæ rigore & extremo, satisfeceritque Patri pro hominibus. *Pater piissimus*, cui impendet filiorum cura, Isaiæ 9. *Pater futuri sæculi.* Ex eo quòd cùm in lege scripta iudex rigidissimus extitisset, Deus vltionum, in lege gratiæ Pater benignissimus sit, placabilis, blandus, & mitis. *Qui est*, dicitur passim, quòd à se sit, reliqua verò existant, & sint ab illo, vt ab essendi causa. *Robur & fortitudo* Ieremiæ 16. *Ructus Patris* appellatur psalmo 44. vbi dicitur. *Eructauit cor meum verbum bonum*, ructus enim eandem substantiam suscepti alimenti ad os reddit, estque in ipso iterum repetitus sapor, gustúsque & substantia eadem. Quò ructus Patris appellatur æterni; quod eiusdem substantiæ cum ipso sit, tum ructus prouenit ex abundantia & copia substantiæ intra nos contentæ, quæ quasi contineri nequit, nec capi, ideoque eandem substantiam in æternis commouet repetitque ad intra. idem cum principio totius Trinitatis Patre substantia fœcundissima deitas, in Patre qui sese continere non potest, quin filium vberrima productione generet substantia similem, idem substantia cum principio generante, interno actu ad intra, hinc verbum *generatur*, fatur enim Pater sibi eo Verbo genito, vidétque & noscit ea loquutione qua sibi in verbo alloquitur omnia,

& per ipsum omnia facta sunt, externa quasi loquutione ad creaturas, quâ producitur esse,& substantia omnium earum,per appropiationem ad Verbum,etsi opera omnia ad extra, indiuiduæ Trinitatis sint. Sapientia vocatur Pauli 1. ad Corinthios, capite 1. his. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo.* Cum enim in ipso sint omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, exemplar esse & entitatis, perfectionísque omnis creaturæ, cùm ab eo sint creaturæ vniuersæ, & ab ipso in esse constituantur,efficientis rationem obtinente,& quæ continent entitatis & veritatis ab illo, vt ab exemplari sit, in ipsúmque ordinetur, vt in finem; omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus, in tantumque à Deo ipso cognoscantur, in quantum in verbo suæ notitiæ habent esse, & in tantum sint. Sapientia est scire Verbum, per háncque altissimam causam, & supernaturalem res callere, sapientia enim in se, est altissima causa cognitionis rerum, in reliquis verò est sapientia, per hanc ipsam causam res noscere. *Sacerdos*, psalmo 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* obtulit enim Melchisedech Abrahæ post victoriam quinque Regum Sodomorum, panem & vinum, non secus ac Christus obtulit Patri pro nobis sese ipsum, suúmque sanguinem ex pane & vino transsubstantiatione facta,& instituit Sacerdotes offerre & pro se ipsis, & populo, panem & vinum, duplicata figura Melchisedech, incruentúmque sacrificium in memoriam cruenti, ipsummet Christum,suumque sanguinem offerentes nostræ redemptionis pretium, quod acceptat æternus Pater, non secùs ac accepit Abraham, placidéque suscepit de manu altissimi sacerdotis Domini Melchisedech,

quæ

quæ ille obtulit. Fuit enim Rex Salem Melchiſedech, & ibi altiſſimus Domini ſacerdos; Salem verò Solima fuit priùs dicta, & poſteà Hieruſalem, interpretatúrque Rex iuſtitiæ Hebræis, Geneſeos 14. c. Eſt enim ſummus ſacerdos, à quo omne ſacerdotium eſt, & qui ſeſe obtulit Patri in crucis ara, ſacrificio cruẽto, ſacratiſſimáque illa oblatione, nos de manu mortis liberauit, eripuitque de inferni ſeruitute. *Splendor*, ad Hebræos 1. *qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portánſque omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Patris ſplendor*, quòd in ipſo videat omnia & ſit ſimul cũ Patre, vt ſplendor cum lumine, docet Ariſtoteles 4. Topicorum, cap. 3. lumen, prunam, & ſplendorem lucem eſſe, ſplendorem verò à luce originem ducere, & generari, eſſeque eandem ſubſtantiam cum lumine, & naturam vnam, luménque in ſe manere, & in ſubiecto cuius eſt, ſplendorem verò ad extrà diffundi, & reliqua illuminare. Intelligibilis illa ſubſtantia Patris in ſe manet, Verbum verò genitum in Patre permanens illuſtrat, & manifeſtat omnia, ſplendétque in omnibus, eſtque figura ſubſtantiæ eius, hoc enim habet figura, quòd repræſentet expreſsè quæ in eſſentia continentur tanquam in principio, ſubſtantialiter tamen, vt vera ſubſtantia eiuſdem ſubſtantiæ. *Seruus*, Paulus ad Philippenſes 2. *Sed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus.* vt poſſet dæmon Chriſtum impetere, poſſet mors ipſum aggredi, formam mortalium, & peccatorum induit, aliter pertimeſcerent omnia, fugerent, non ſubiret crucis tormentum. Seruus hominum factus, ſuis commodis intentus ſubminiſtránſque omnia illis neceſſaria, & vtilia. Sponſus

Ecclesiæ per verba de futuro in lege veteri, per verba verò de præsenti in lege noua gratiæ. *Terribilis* dicitur, Deuteronomij 7. Daniel. 9. psalmo 46. plurimisque aliis in locis, quòd exterreat, & expauescere faciat iratus, summam eius potentiam pertimescentibus mortalibus, Dei enim est omnia posse. *Vinum*, Prouerbiorum 9. *Bibite vinum quod miscui* (inquit Pater æternus) bibite vinum, quod temperaui, id est, Verbum humanitate attemperatum, quod non secus ac vinum homines extra se educit, vt in illo viuant. Quod dixit Paulus, *Viuo ego, non viuo ego, sed in me Christus*, quasi ebrius & extra se, hoc vino titubans de eius vita asseuerabat. *Vox*, ad Hebræos 3. *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Est enim verbum, vox, per quam fatur æternus Pater, suaque placita hominibus manifestat, & explicat. *Vnigenitus*, Ioannis 1. & 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Omnimodò vnigenitus non solùm secundùm æternam generationem, sed secundùm temporalem qua ortus est de Virgine Deifera, seruauit enim in quantum potuit modum generationis æternæ Virgo sacra, vt summa eius notaretur perfectio. *Vitis* vocatur Ioannis 15. vbi dicitur, *Ego sum vitis vera, vos palmites*; Vitis palmitum est caput. Dicuntur enim brachia vitis, partes illæ quibus annectuntur palmites, & pollices, palmitum principia. Caput verò eorundem, vitis ipsa & parilema. Hominis caput Christus est, dixit Paulus 1. ad Corinthios 11. *Hominis caput Christus, caput Christi Deus.* Quò cum hominibus vnum corpus efficit Christus, cuius capitis, & vitis, nos sumus membra & palmites. Nulla est enim planta in vniuersa rerum multitudine quæ adeò, rescissis ramis, & palmitibus effundat lachrymas,

mas, ac vitis effundit. Hinc contulit se viti assertor noster, quòd semel ac palmes aliquis rescinditur, lachrymas copiosissimè emittat, quòd filium amiserit, suíque corporis partem, palmitémque, quò flet, & quasi mortuum deplorat amissum membrum, rescissum. *Pastor* Ioannis 11. *Ego sum Pastor bonus, qui cognosco oues meas, & ipsæ cognoscunt me.* Pastores alij cùm difficulter ouium sibi subditarum dignoscere possunt vitia, quibus infestantur, latentes ægritudines, morbos abditos, tum quibus egeant infectæ, & perfectæ adhuc pecudes non omninò callent; tum non omnes pastorem norunt, nec ipsum prosequuntur, aliæ imò alias, neque omnes vnam, neque omnes ducem vniuersalem catholicumve. Christus verò sic est pastor, quòd est bonus pastor noscens oues suas, & quæ sint de eius ouili, omnibus prouidens quæ ad bonum earum spectant, & illæ omnes pastorem cognoscunt, & insequuntur, duce & capite medio vno, Petro & Petra, eo quòd illas cognouit pastor, & ad bonum ouium solùm attendit, non ad peculiare & suum, cùm nullo egeat ipse, nec detrahat de ouibus vellera, aut vt pastores plurimi, eas in carnificem diducant, fallacia & dolo, ideóque de iis curam gerant, vt in se cedat sedulitas & cura captiosa. Pastor, quòd in terra dormiat apud nos in sacramento Eucharistiæ, discooperto capite diuinitatis. *Victor* Habacuc 3. *Deus Dominus, fortitudo mea, & ponet pedes meos, quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem:* agiles, & veloces, ponet pedes meos quasi ceruorum, vt leuissimè percurrant terram, & ea quæ terræ sunt; minúsque hæreant rebus caducis, & momentaneis; & super excelsa mea, supra rationem & naturale lumen, victor ipse deducet me canentem in Psalmis beatitudinis & gloriæ,

supernaturalísque visionis. Est in Hebræis loco illius verbi, in psalmis, *diaspalma*, quod est idem ac Sela, quod verbum, ex septuaginta, & ex interpretatione Theodotionis & Symmachi, idem est, quod semper, quo reddit hunc sensum locus hic. Victor mortis, inferni, & peccati, deducet me canentem diaspalma, id est, in æternum, & semper gloria, & honore. Serpentis ergo effigie Christus voluit figurari, propter tot tantásque astutias quibus vtitur, vt homines ad se alliciat & trahat; est enim serpens, vt monstrauimus latè suprà, totius naturæ callidissimũ animans, vt dicitur Geneseos 3. & ex tot, tantisque autoribus adduximus: quo modo Dauid nomine, Christus subintelligitur, ob mansuetudinẽ, & pietatẽ, ob dilectionem quam nomen Dauid significat. Diximus modò Samsonis nomine quod lucem & solem notat, Iosue nominis quandoque quod Saluatorem obumbrat, variis epithetis, attributis diuersis, vt tandem vbique Deus, vbique doctrina, vbiq; Christus. Cùm *omnia quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sint*, vt dixit Paulus ad Romanos 15. quod scriptum est, ad nos scriptum est, vt non secus Prophetæ nomine multoties veniat intelligẽdus, dicitur Deuteronomij 18. *Prophetam suscitabo eis.* Ignis denique Deuteronomij 4. ob summam eius potentiam, & puritatem, & Dominus Deus tuus ignis consumens & edax: nam more ignis omnia ad se trahit, purificat, & emendat; & ad se allicere conatur, in seque commutare, secundùm regulam ver itatis eius in quo viuimus, mouemur, & sumus. Vltrà *Deus, Christus, verbum, gloria, honor, præmium, maiestas, missus, triumphus, puer, paruulus*, de quibus & aliis infrà.

De ſenſibus myſticis, & figuratis elicitis ex locis ignitorum Serpentium.

CAPVT VIII.

COnditor hominum, eorúmq; inſtaurator, ſemper bonum eorundem intẽdens, variis mediorum generibus, remediorum variis modis vtitur, vt mortales bono & æquo conſulant, viámque virtutis ſectentur, & à vitiorum tramite auertantur. Hinc 57
cùm Hebræorum gentes apud Ægyptios commoratæ longo illo temporis interuallo in captiuitatem deductæ, ritus & mores Ægyptiorum imitarentur, qui, vt ſuprà monſtrauimus, atrociſſimos, & diros venenóque ſæuiores, mutos, & ſurdos colebãt ſerpentes, & in Deos venerabantur: hæc ipſa obſcœna animantia poſteà ipſi proſequebãtur cultu & adoratione in deſerto (id poteſt cum corruptis hominibus conuerſatio & commercium) quos vt ſumma ſapiẽtia ab idololatria & apoſtaſia reuocaret, ignitos immiſit dictos ſerpentes, in vltionem delicti & flagitij commiſſi, vt *per ea per quæ quis peccat, per hæc ipſa extorqueatur*, vt dicitur Sapientiæ 1. Tum, vt reſipiſcerent, & intelligerent, ea ipſa pœnæ effigie cõmiſſam culpam, eámque fuiſſe inflictam ob ſcelus perfidiæ & idololatriæ, vt ad veram pœnitentiam reuocarentur, fictóque ſerpente æneo Dei iuſſu elato, victos & ſuperatos ſolo aſpectu, & ſigno dato, cùm viderent ſerpentes illos, Deos non reputarent, vmbra & figura ſerpentis ſola, depulſos vero Deo, numen aliud maius cùm experirentur. Voluítque ſub hac forma ſerpentis obumbrari, exaltati, celſique cœlum

versus, vt cùm naturam serpentis æmularetur astutiis, & artibus, tot tantisque quibus vti veniebat, vt homines cœli participes, incolasque efficeret, & serpens antiquus, Geneseos 3. Terra reptaret submissus pumilus terram versus, cognoscerēt homines, quantum interesset inter vnum, & alterum distantiæ & oppositionis, & cùm nos progenies viperarum & serpentium essemus, cùm factus fuerit tanquam vnus ex nobis ipse hominum artifex, *habitu inuentus vt homo,* (dixit Paulus ad Philippenses 2.) Serpentis formulam induit, vt mortales hanc ipsam antiquitùs inuestiere, vt serpentes serpentem non reformidarent aut expauescerent, non secùs ac in præsepio oriri voluit, quòd homines in bestias iam metamorphosi peccati cùm abiissent, in præsepio Deum inuenirent, non in loco altiori, nobiliorive, ne ipsi ignobiles, humiles, maiestate loci deterrerentur; imò loco illo humili & abiecto, hominem Deum humilem, ad modum hominum factum reciperent; *habitu inuentus vt homo*, quò se vocat granum multoties, in hoc scilicèt præsepio appositum, vt esset hominibus alimētum. Consuluit Deus Matthæi 10. Euangelij nunciis, gentiumque concionatoribus vniuersalibus Apostolis, mittens illos, vt gentes ad verum cultum allicerent, veramque Dei legem euangelicam promulgarent hominibus, prudentes
58 esse sicut serpentes, mille astutiis, artibus mille. Prudentia sacer concionator vti tenetur, vt hominum animos ad veram reuocet sapientiam; debet esse acutissimi visus, non secus ac serpens (diximus latè anteà,) vt vitia populi callere possit; acerrimi auditus, vt spiritum & verbum, quod in sacris literis resonat, audiat; serpenti enim inesse auditum acrem monstrauimus, tum exuere veterem hominem,

vt

vt ſerpens exuit ſenectam, & exuuias antiquas ad iuſtitiæ ſolem circulo actus, vt ſerpens ſeſe circumuenit: à Deo incipiat,& in Deum tendat; eſt enim Christus alpha & omega, & à ſe in ſe tendens ſerpentis more,ille debiliſſimi capitis, vt ſerpens continet, non ex proprio capite loquatur, ſed ex capite Chriſto qui caput eſt hominis; iam anteà tẽpus obſeruet,prudenter agat,increpet,corrigat,omni inſtet tempore,prudentia & arte,non ſecùs ac ſerpens expectat tempus, reditus ſolis ad æquinoctium, vt ſe nudet vitioſis exuuiis,ſolem ſcilicèt iuſtitiæ & æquitatis dierum,vt nudetur ſpoliis ſenſus & motus impedientibus;locum etiam ſeruet cautè,vt ſeruat ille qui ſolùm ad radicẽ fæniculi viſui vtiliſſimam nudatur,ab oculis & capite incipiens, à Chriſto, à Petro,ab Eccleſia,primóque deponens ſenectam propriam,aliorũ poſteà.Certis locis legis Doctores ſeſe manifeſtent, non vagè errantes; imò ſerpentes imitentur, dum renouantur;nec nimis popularibus negotiis miſceantur,ſed ſi opus fuerit,ſeptem mẽſibus more ſerpẽtium terra circumuoluti, propriis domiciliis,ſemimortui viuant. His omnibus circunſtãtiis integratur prudentia; lac, doctrinamque ſugant ab ſponſæ & Eccleſiæ vberibus,actiuæ & contemplatiuæ vitæ; ſerpentibus enim lacte auidiſſimis illud eis non cõceſſit natura,ab aliis imò ipſis erogatur,dum loco fœtuum,vbera animantium emungunt, auulſis fœtibus ab vberibus piiſſimarum matrũ,ſerpentium artibus,quibus caudam ori ſubſtituunt, vt captioſè ipſos detineant, eis illudentes interim, dum vbera exiccant, eoque modo lac eis ab exteris venit. Doctrinæ lac,ſcripturæque intelligentia ab externis accedat, ab ſpiritu, non ſecus ac Actuum Apoſtolorum 8. c. Eunucho Candaces Reginæ Æthiopum legenti

legenti Isaiam, qui intra currum suum non intellexit literæ spiritum, vsque dum Philippus ab exteris venit, in curru susceptus, locúmque enodauit. Hos sic instructos, & paratos serpẽtes blandos, & mites, acutissimi visus, acerrimi auditus, denuò renatos, non à se edocentes, lactis auidissimos, & doctrinæ, prudentes, tempus, locum, personam obseruantes, demulcentes fœtus, nullius veneni (cùm in hoc genere plurimi sint cruore diro abundantes) immisit Deus, dum ipse mittit Doctores fidei in populum edocendum; sic legat. Si verò, vel intromittantur ipsi ambitiosi honoris, & gloriæ cupidi, vel populi vitiis, diuidunt influxum hunc, húncque continuum motum, inter Deum & homines; dicitur Ieremiæ 59. c.
59 *Iniquitates vestræ diuiserunt inter me, & vos.* Peccatum enim cùm alterius rationis sit, diuidit à Deo, vt id quod nõ est, diuidit ab eo quod est, loco horum serpentium, ignei, veneni turgidi, vrentes, & tumentes cruore immittuntur serpentes, vt populum vastent, & depopulẽtur. Cœci, muti, & surdi, capite proprio potentissimi, malitiæ & veneni, igne concupiscentiæ & ambitionis æstuantes, ostentantes sese, qui subiectum potiùs commendant, & sese operis suscepti, officij & muneris, quàm obiectum, in quod tendere tenebantur iure; surdi, & muti, qui nec Dei verbum audire possunt, nec loqui Dei verbum æternum, & ineffabile his qui sine ipso ipsum fari conantur, nisi illo detur lingua expedita & diserta; quo legis Magistris, quibus cura huius ouilis ex officio impendet, & quasi fortissimi, vigilantissimique canes, fidissimíque huius gregis quem custodire tenentur, de illóque anxij & soliciti esse dicitur, Isaiæ 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia,*

nia,& canes impudentissimi nescierunt saturitatem,ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam : neque enim panem alimentum hominibus impertiere doctrinæ, imò vt dixit Paulus 2. ad Timotheum 4. *Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt ,sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus,& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila , in omnibus labora , opus fac Euangelistæ , ministerium tuum imple. Sobrius esto.* Qui hæc nesciunt saturitatem ignorant , & intelligentiam. Ezechielis 3. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans. Cùm autem loquutus fuero tibi,aperies os tuum.* Surdi verò quòd nec sua vitia , nec populi audire valeant. Sed piissimus hominum structor , non salutis desperatos reliquit hos idololatras homines;legísque peruersores,æneo elato serpente quem in signo datum cùm prospicerent,pristinæ saluti restituebantur,in signo,inquam, mediatoris Christi venturi , vt corporalis salus hieglyphicon esset expiationis,& salutis animæ.Noluit verò,verum serpentem intuerentur, non viuum, ne serpentis vi pristinæ saluti reuocari censerentur læsi, & factum naturæ serpentis, animantísque adscriberent. Serpens verò erigi voluit , hácque occurrere figura non recusauit,vt cùm homines serpentes amplecterentur,reciperent sub ea forma latitantem,abditúmque Deum, vt dum in serpentem oculis venirent infecti , in manus ipsius Dei inciderent : quasi esca tracti in hamum crucis Christi. Serpentis sola effigie elata est in deserto, figuram progeniei viperarum peccatoris,seruíque suscipiens,factus homo verus,serpens ,& peccator,seruis apparẽs solùm,vt pro hominibus satisfacere posset , patique carne passibili ; *semetipsum exinaniuit , formam serui accipiens, in simi*

in similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo. Paulus ad Philipp.2. Isaias verò 53. *& cum sceleratis reputatus.* Marci 15. *& cũ iniquis reputatus est.* quò serpentem noluit esse aliò quàm figura elatũ, vt solùm peccatoris stẽmata & insignia reportare intelligerẽt homines, non tamẽ labe aliqua peccati infici, aut culpa detineri, & pro hominibus serpẽtibus vt satisfaceret, voluit iis eisdem insigniri. Dicuntur enim Matth.3. & 12.c. viperarum filij mortales. Interna verò secreta, & abdita illius celsi serpentis, incorruptibilia, solida, & personantia erant, æneі metalli, diuinitatis, vt verum Deum & hominem enunciarent gentibus venturum, primo enim Paralipomenon cap. 15. ordine secundo constituebantur, qui cymbalis æneis personabant, prima serie voces erant resonantes; Dei scilicet attributa, diuinitas, Deus ipse. secundò cymbali benè sonantis humanitatis, iuxta vocem diuinitatis & Verbi, iuxta verbum quo dicitur psalmo 150. *laudate eum in cymbalis bene sonantibus*, in operibus humanitatis Christi, quæ iuxta diuinitatem & in diuinitate ipsa erant in eodẽ supposito, quibus nos persanauit à serpentis venenato morsu, tum constitui huius metalli immutabilis voluit reptile illud æreúmque serpentem, vt ob peccata & vitia Idololatriæ, & perfidiæ intelligi daretur celsum, serpentísque circulo figuratum cœlum æneum esse, terra verò, quæ reptu huius animantis notatur ferrea & sterilis. Deuteronomij 28. his minatur idololatras Deus: *Sit cœlum quod supra te est æneum, & terra quam*
62 *calcas ferrea*; Vt ergo cognoscerent homines propter morsum serpentis & ob illius ictus, Christum cruci affigendum esse, serpentem exaltari voluit, vt cognoscerent, ob superbiam & elationem, formam serpentis illos contraxisse, qui priùs erant ænei originali

ginali iustitia innocentiæ statu. Dum enim reptauit serpens terra, hominem icit, infecítq; veneno, cuius est ea conditio & natura, vt repens terræque affixus icat, & venenum diffundat; sublatus verò & altus pungere nesciat, nullóque modo possit, quò si viriliter homo illum speret, sublatis & extensis brachiis, distentísq; instar crucis, illum percurrit plicaturis & orbibus repens, vsq; dum altiora & sublimiora inuisat; quò cauti & sagaces homines fortes manus expandunt, & brachia subleuant in altum; vt dum summitates, & eminentiora eorundem contingunt; impetu propellant, agitent & proturbēt concursu forti, vt serpentem procul amoueant, quassentque impetu terram versus, docuit experientia. Ælianus, & Aristoteles locis adductis, Plin. l8. c. 16. Rhodiginus, & reliqui; non aliter tetendit Deus brachium suum, Verbum scilicèt, & filium, vt dum ipsum adoriri tentasset elatus, & altus, brachio deitatis fortiter concusso & vibrato deprimeretur ille, æneo robore & brachio forti æreo diuinitatis Verbi. Non aliter cecidit Lucifer conscendere tentans Dei altiora. Itidē dum spirante Christo, expansis brachiis ascendit crucem, ratus posse impetere ipsum aliorum hominū more. Mirabilia plurima admirationis, & nouitatis plena Chersydrum serpentem ignitum continere mōstrauimus, vrentem, & causticum, immissum inter illos, quos suprà numerauimus, populum Hebræorum afflixisse ob scelus idololatriæ, húncque priùs aquis viuere, in eisdémq; commorari, ibidē genitū semel, nullius veneni aut malitiæ, posteà terras inuisentem, atrocissimi esse veneni, diri, & tetri, corruptissimíque odoris, inficere omnia quæ ipsum contingunt, vrere, absumere, ignis more, radices quercuū colere; drinos dictus gręcis, quasi quercinus, qui abdi

abditus in radicibus quercuũ, fœtido odore detegitur, læſóſque ſemel hoc animãti ſemper in poſterum toto vitæ decurſu tetrum illum odorem in perpetuũ ſentire; aptiſſimum hieroglyphicon eorum qui cùm priùs viam virtutis ſectarentur, mediis aquis laborum, & afflictionum, pauperie media, egeſtatéque, ibidem malitia, & veneno aquis & laboribus dilutis, poſtquàm honorificam quercum inuiſere, eiúſq; radices, & latibula occuparunt, illius foliis & ramis coronati, honorum & dignitatum, omnia corruperunt, inquinarunt tetro odore, infamia, & ſcandalo, ſic alios conſpurcarunt, vt nunquam in poſterum aliud quàm virus ſemel ſuſceptum redoleant, cruore infecti malorum, quibus & populum inficiunt non ſecus, atque hic ſerpens ignitus cum aliis vaſtauit Hebræorum gentes. Meritò enim aquæ labores & afflictiones obumbrant, naufragio, & fortuna, quibus hæc noſtra fragilis nauicula ſubmergitur, quibus & cor opprimitur, & ſuffocatur, vitali halitu intercepto. Pſalmographus ſacer Pſalmo 68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Vſque ad animam, id eſt, vſque ad cor, & vitæ principium, vſque ad os, vſque ad ſpiritum & halitum quo viuimus.
63 Quercum honorum eſſe arborem docent antiqui omnes, præcipuè Plinius libro 16. c. 4. & ſecundo, Cicero 2. de diuinatione, Ælianus libro 6. Rhodiginus libro 10. cap. 9. Iouíque ſacram, quòd ſemper vireſcat, nulláque ſenectute opprimatur, quaſi ſemper eadem Deorum more fulmine non impetatur, robore polleat reliquis omnibus arboribus maiori, vegetior ſit, duret magis, carie nõ infeſtetur,
robu

robuſtiſſima arbor, cuius ſpecies robur eſt arbor, Hiſpanicè, *Roble*, à quo propter fortiſſimam eius naturam, vires, robur, allegoria ad ipſam appellamus, dicta robur à colore robo, rufove, quòd in hac arbore plurimæ huius coloris lineæ manifeſtētur. Non ſecus ac ſunt robuſti, rufi homines; docuit Ariſtoteles 2. parte phyſiognomiæ. Quò antiquitùs coronis ex hac arbore intertextis (quercinæ dictę) honorabātur, qui ciuem bello ſeruaſſent, & qui maieſtatē, honorem, & dignitates oſtentabant. Qui veneno huius animantis fuere infecti (ſerpētis antiqui) ſemper idē ambitioſè odorantur, nec quiquam, quod non redoleat tumidam ſuperbiā, ſentire aut percipere queunt. Quò Paulus 1. ad Corinthios ſic hos increpat, c. 12. *Si totum corpus oculus, vbi audiius? ſi totum corpus auditus, vbi odoratus?* Ij enim ſolum quercum & honorem proprium ambitioſi contendunt, quaſi ſolus eſſet odoratus ſuis paſſionibus impertitus; Pſalmo 113. *Aures habent, & non audient, nares habent, & non oderabunt*, Eccleſiaſtici 30. his idolis ſui ipſius ſic dicitur: *Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur*. Non vtetur doctrina, nec odorabitur aliud quàm ſe, vt drinos ſe ſolùm odoratur, & qui drinum tetigit, quibus dicent ſubditi, & inferiores, quos in cura habebant, corrupti & vitiati eorum veneno, quod ſcriptum eſt Exodi 5. *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius*, coram mundo & Dæmone. Iuſti verò à paſſionibus Cher- 64
ſydri & Drini liberi cum Paulo dicent: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his qui ſalui fiūt, & in iis qui pereunt*. Aliis quidē odor mortis in mortē, aliis autē

odor vitæ in vitam, *non adulterãtes verbum Dei.* Corrupti dicẽt, quòd de Antiocho illo miſerrimo 2. Machabæorum c. 9. Antiochus *qui ſibi videbatur etiã fluctibus maris imperare, ſupra humanũ modũ ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nũc humiliatus ad terrã in geſtatorio portabatur, manifeſtã Dei virtutẽ in ſemetipſo conteſtãs, ita vt de corpore impij vermes ſcaturirẽt, ac viuẽtes in doloribus, carnes eius effluerẽt,* odore etiã illius, & fætore exercitus grauaretur. Sũt eæ muſcæ, quas creat Drinus in ſquãmis, quę cùm ad ſupera peruolare poſſent mente, cogitatione, & conceptione, Drinum tandem interficiũt, exedẽtes animantẽ, propriis altæ carnibus, vt iis conſumptus intereat ille quæ generauit vitioſa natura, & halitu te-
65 tro. Illud eſt virus huius animantis, ea eſt potẽtia tetri vaporis ſpirantis ab ipſo, ſic olfactum inficit; & in ſuam naturam potentiſſima agendi ratione commutat, vt intus exiſtẽs in poſterum prohibeat extraneũ. Quò perpetuò Drinum redolent, & nil aliud olfacere poſſunt cuſi. Mirabilis eſt conſonantia, quæ in plurimis morbis vitiiſque animæ & corporis eandẽ reſonat, & ad proportionem eiſdem quaſi remediorum generibus eodem ordine, & ſi alterius ordinis hic & ibi, priſtinæ ſaluti reuocẽtur ægrotantes. ſummam auxiliorum omnis curationis corporeæ ſalutis reduxit antiquiſſimus ille Hippocrates ſcientiæ ſalubris facilè princeps, ad tria capita libro de morbis, & in aphoriſticis ſententiis his verbis: *Quæ non curat medicamentum curat ignis, quæ non ignis ferrum. non ſecus ipſe hominum autor medicus ſalutis ſpiritus, blandis remediis,* medicaminibus facilibus, vitia hominum corrigere tentat; quæ ſi non ſunt ſatis corrupta, membra igne exurit, ne alia inficiant & coinquinent, vt hic contigit Hebræorum populo, cuius corrupti &

fœdi

fœdi homines cùm præcepris & consiliis à vitiorum tumultu non reuocarentur, leni illo & blando auxiliorũ genere, igne, vstione, causticis remediis vti coactus, eos ignẽ, ignitísque serpentibus incipit exurere, vt tandem ferro aboleat membra reipublicæ corrupta, & obscœna, vt per manus Angelorum ense nudo, & gladio ferreo vastauit populum ob scelus Dauid, & Moses idololatriam vltus est ferro, & in virga ferrea multoties populum rebellem excussit & direxit. Inter quos adhuc corruptiores magis, vitiosósque homines veneno serpentium infecisse 66
reor, vt in his corruptis, & nullius vsus, facto periculo, reliqui non desperatæ salutis resipiscerent, & ab idololatria & apostasia euocarẽtur; nõ secus ac belli duces, homines bello ineptiores, impeditos magis morte damnant in communi crimine, vt reliqui caueant in posterum, attentéque viuant, expergefacti aliorum supplicio in alieno capite experientia facta, & non aliter minùs bene appositos & efformatos panes in furnum coniicimus priùs, vt in his periculũ fiat ignis accensi, qui cùm deformes essent, quòd vitientur ampliùs nõ pertimescimus igne quouis. Horum plurimi interire subito, aliis semel cussis veneno eodem, & tetro viru serpentium; datus est remedij, auxiliorumque locus, vt ad signũ aspiciẽtes ænei serpentis, ad Christum venturum cuius signum serpens erat, salutem adipiscerentur; His datur locus illis secùs. Non aliter serpentes euangelici tenentur populum castigare, & corrigere medicaminibus, dum opus est blandis, secùs igne & potentia verbi Dei, tandem ferro desperatæ salutis homines, vniuersum robur apponentes supplicio & pœna. Igne communiter vtitur Deus in delictorum pœnã. Exussit Sodomam eiúsque incolas igne guttatim



descendente de cælo,guttatim , vt more seruorũ rebellium,& contumaciũ exurerentur,punirentúrque, Hebræos Idololatras igneo veneno cõbussit,damnatos extorquet igne & sulphure,dixit Ioãnes Apocalipsis 9.14.19.& aliis. Est ignis potentioris actionis omnium corporum sublunaris naturæ , insuauioris, acerbiorísque & minùs corruptiuum , sulphur verò odoris corruptioris,magis fomentũ ignis,quod igne eget vt spiret tetrum illum halitum , ignísque in ipso seruetur maximè,& accẽdatur. Quibus olfactum & tactum excruciat Deus damnatorum hominum: ij enim duo sensus torquẽtur magis in reprobis hominibus, olfactus & tactus. Tactus , quòd maximè
67 eodem voluptates sectentur,& dolores fugiant , laborésque , cùm ex hoc sensu intensiores excitentur passiones, & vehementiores , doloris & voluptatis, quibus sensus trahitur , & ratio subuertitur magis, quàm ex reliquis omnibus aliis;præcipuè si cũ tactu gustum complectamur:est enim gustus tactus quidã, 2. de animo docuit Aristoteles. Actiuiores enim qualitates ad tactũ spectãt,quibus subitò reducimur ad naturam nostram , non paulatim , dixit Plato in Philębo,& 3.dialogo de legibus,Aristoteles 2.Ethicorum & 2. Rhetoricorũ ad Theodectem passim, ex gustu & tactu maiores passiones excitari , quòd maiores voluptates & molestiæ maiores in illo cõtingant propter efficaciã obiectorum horũm duorũ sensuum,quibus substantia nostra seruatur,aut corrumpitur. reliquis verò sensibus accidentia solùm nostra immutantur.Est gustus alimenti sensus,tactus verò temperamenti nostri conseruatiuus , nostræque substantiæ & vnionis. Quò maximum dolorem sustinet,dum dissoluitur , aut corrumpitur illa, corruptiuis causis subitò agentibus. Sunt enim actiua

ua magis eorum obiecta; subitò enim dũ agunt, multùm obiecti præsentant simul, sine interuallo quasi. Quò ex sensatione maiori cognitione facta, magis inclinatur potentia, vt fugiat, vel amplectatur obiectum, passione excitata ab ipso, amoris aut odij. Sũt in hoc venus, mollities, otium, desidia, vt in altero ebrietas, gula, vitiáque alia capitalia dicta; his enim res ad nos trahimus, & illis coniungimur, saltem in medio interno nostro, mutatione reali, reliquis per simulacra, figmenta, & species vtimur. Hinc maximè excruciãtur inter sensus isti, quod in maiora vitia ex ipsis incidamus, quàm ex quibusuis aliis. Hæc verò illius cuius est tactus, sunt vitia quæ possunt occultari quadamtenus, & silentio inuolui. Olfactus verò punitur post illũ sulphure tetro, quòd vitia olfactus, defectúsque illius scandalo fiant, inficiant alios exẽplo malitiæ, & quasi ex cathedra pestilentiæ alios edoceant, corrupta fama odore tetro; odoris enim nomine fama, & infamia, quæ ad alios est natura sua, intelligenda veniunt literis sacris. Dicitur enim Cãticorum 1.4.& 7. *In odorem vnguentorum tuorum cur-* 28
remus, id est, in famam operum altissimorum, Paulus 2.ad Corint.2.c. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam*, & ad hæc quis tam idoneus? Augu.lib.de communi sermone clericorũ; *Duo sunt tibi necessaria, scilicèt consciẽtia, & fama: conscientia propter te, fama propter proximum.* Hieronym. super illud Matth.4. *abiit opinio eius. Opera salutis sine fama boni odoris, non satis relucent auditoribus, nec fama sine opere proficit, sine quibus forma* veri sacerdotis non commen-

datur. Gentes thuribulum suffumigans ex thure purissimo suauissimi odoris depingebant, vt famam alicuius inculpatam denotarent. Inter omnia enim corpora quæ naturam complent, ignis violentam magis corruptiuámque continet naturam, vt mista omnia eius calore dissoluantur, putrescant, vrantur, elementáque summa violentia ab ipso alterata deficiant. Quò dixit Aristoteles 4. Meteorologicorum, cap. 2. omnia dempto igne, putrescere, & vri. Hinc igne absumenda sunt omnia iudicij die, ob eius voracem naturam, reliquis omnibus aliis magis exedentem; cuius duæ sunt partes elementaris ignis, altera cauum Lunæ tenet, quæ commutando in se aërem, ascendentésque exhalationes fouetur, & conseruatur, vt elementa corporáque reliqua quæuis in quæuis mutata durant. Est alia in infimis & opacis, cauísque terræ locis, in cauernis ipsius, iuxta terræ centrum, ex diametro distans à cælesti corpore, lõgiùs dissita ab illo, omnibus aliis vniuersi partibus, ima mundi parte, quæ est dicta inferior; cuius pars quædam infernus dicitur; purgatorium altera, & si hæc per diuinam potentiam vbique esse possint. Imò & non in loco, vt dæmon secum suam pœnam affert, vbicumque it ille, & tormentum ignis in carcere tetro secum affert, hic sulphure fotus, vt teterrimo odore aspiret, dãnatorũ animos, & dæmonas affligit, in eisdem terræ visceribus genitus, sulphureis exhalationibus ignitis, dispositione grãdi materiæ radiis solaribus, & astrorum influxu succensis, ob perpetuum ortum sulphureæ substantiæ in imis terræ partibus subnascentis metallorum massa, quæ excruciat spiritus, ignita, in fame magis totius naturæ corporum metallorum corpus, fœmina, ex sulphure enim vt ex materia deformi,

omnia

omnia metalla fiunt, vt patet in locis mineribusque, in quibus hæc ipsa generantur metalla, sulphuris continuò partes incoctas habere, quæ si coquantur ampliùs, perficianturque vlteriùs, in metalla abeunt. Imò Chymici artifices crudas partes ex metallis deponunt, sulphureas natura, & ex ipso metalla eliciunt sublimato, & recocto, crudam eius corrigentes naturam imperfectam, fæmineam, vt semper, quod sulphuris est sit cruda materia, subterraneum magis, terrestre, imperfectorisque naturæ mistorum omniũ. Metalla enim vt minùs perfecta aliis reliquis naturæ mistis terra contenta, sine aëre, aut aqua, naturæ perspicuę, cœlestis luminis susceptiua, influentiæque cœlestis, terra obuoluuntur, inter quæ sulphur materia, & fæmina extat, substantiaque cruda coctionis expers, imperfectissimum corpus, putridum quasi, tetrum spirans odorem, imperfectiori sua dispositione, & mistura, quasi corrupta, putrida, & fœtida. His ergo duobus corporibus igne & sulphure, corruptissimæ essentiæ, naturalissimisque omnino corporibus infamibus, alligantur damnatorum spiritus, & dæmones natura liberrimi, naturalissimis iis, imperfectissimisque corporibus maximè corruptiuis, in terræ carceribus opacissimi corporis, absque luce fulgenti, & clara, imò tristi & obscura, coloris liuidi, sulphureo halitu, per vices spirante, coguntur; circa hæc operari eo carcere adstricti, nulla altera eis totius naturæ parte concessa, quò summè affliguntur constricti & ligati spiritus, non secus, ac ligati dæmones, & coacti torquentur, Deo, Angelis, supernove dęmone, necromanticis extorsi miserè; sic & damnatorum animi, contra liberam eorundem voluntatem adstricti his rebus infimis ligati cruciantur, & extorquentur diris cruciatibus. Vniuntur enim

 his

his corporibus tanquam loco infami naturæ totius; ſic enim alligantur his, vt alibi eſſe eis nullo modo detur, voluntatis cruciatu. Poſtquàm verò corpora ſuſcipient animæ mortalium, iis affligentur exceſſu terribili ſenſibilis tactus, & olfactus, ignis & ſulphuris, alteratis organis eorundem ſenſuum, obiecto excedenti, quo non corrumpentur, etiam ſi illis detorqueantur, quòd eorum ſpiritus poſſint corruptionem vitare, animæque corporis corruptionem, autoris naturæ potentia in pœnam, immortalitate ſuſcepta, & ſupplicium damnati, vt illis maior, æternaque infligatur pœna, præcipuè quod Deus eleuat ignem, ſulphurque, vt pœnam inferant in ſpirituales adhuc ſubſtantias, etiam ſi diuerſas genere & ordine. Ideo ergo corruptiuo igne ſcelera punit, ſulphureque tetro.

De innominato ſerpente.

CAPVT IX.

70 ACtuum Apoſtolorum c. 17. ſic extat ſcriptum: *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait; Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video, præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & arã, in qua ſcriptum erat, ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annucio vobis,* Athenienſium enim alioqui doctiſſimi plurimi, iudicantes vnam eſſe cauſam primam aliarum omnium motiuam; ſenſit Plato in Parmenide, & Timæo, Ariſtoteles Phyſicorum 8. Metaphyſicorum 9. Hancque incorpoream, immutabilem, æternam, infinitæque virtutis, Deos alios, imò Dæmones, quos Deos gentes, vulguſque conſtituebat,

ſtituebat, fide non recepere, & ſi exterius Ioues, Saturnos, Martes, reliquoſque in gratiam populi faterentur, ignoto verò Deo occulto & abdito, innominato, vero, aras, templa, phana, ſtruxere, vt veritatem ipſam abſconditam ſolo intellectus lumine viſam proſequerentur cultu, & adoratione, ob populi metum non audentes nominare; hic eſt Deus ſine nomine, qui ſerpentis effigie occurrit locis adductis. Inter ignitos verò, vrentes, & cauſticos ſummè ſerpentes, Sepem adduximus reptilem ex Iſidoro 12. etymologiarum libro capite 4. & Ariſtotele locis plurimis adductis ſuprà, Solino, Plinio aliiſque grauiſſimis naturæ hiſtoriæ autoribus. Serpens prophani, ambitioſique veneni, mole minimus, potentia maximus, inſuperabilis naturæ viribus, quem Ariſtoteles ſerpẽtem innominatum vocat locis eiſdem, cum Iſidoro, & reliquis; vocauit Iſidorus ſepem, quòd ſeptica Græcis carnem abſumant medicamenta, exedentia dicta, & exurant, & ſepto quaſi laterum facto, vlcus ſe offerat profundum & cauum, huncque in agro in quo lazer colligitur, oriri referunt, implacabilis morſus, cui ſolum extat remedium contritus lapis, in puluerem redactus ſepulchri cuiuſdam Regis antiqui, cuius ignoratur nomen, vino epotum: Qui ferunt, ſerpentes alios veneno teterrimos, ſi hunc deuorauerint, atrociſſimi virus fieri, cuius tres enumerant ſpecies, innominatum; Salpingam dictum ab Iſidoro ſerpentem; & indicum, cuius cruorem non inferiorem eſſe igne ſtabiliunt; huncque ſacrum ſerpentem appellari ab incolis eius regionis, ob ſummam & inſuperabilem eius energiam, & actionem, quam impertiri reliquis ſerpentibus docent, ſemel ac ipſum vorarunt, ipſoſque inſuperabiles fieri ipſo ſuſcepto ieiunè. Serpentis 71

effigie nobis occurrit Christus exaltatus in deserto; sic enim oportuit exaltari filium hominis, *in similitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo, reputatus cum iniquis, & sceleratis*, cum progenie viperarum serpentium, & cum filiis antiqui serpentis, vt humanum iudicem mortales habere intelligerent, hominemque, non solùm vltionum Deum, habitu, & natura humana, placatum, rectum, liberum omnis culpæ reatu, cùm regula futurus esset omnium nostrarum actionum. Quò serpentis effigie voluit obumbrari, serpentesque, Apostolos discipulos legis Doctores, consuluit esse cautos & prudentes, ipse serpens circulo æternus, & astutiis amoris hominum flagrans, qui de se inquit Psalmo 21. *Factus sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*; factus homo quasi non homo; vermis, inquam, & hominum abiectio, humilis, mitis, inferior factus, & subditus, ministrans, sine nomine, qui factus est obediens vsque ad mortem. Marci 10. sic: *Nam & filius hominis non venit, vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* Vermiculi verò huius, minimique serpentis, ea erat potentia, vt amplissimam hederam fortissimi trunci, altissimarumque radicum eroserit, & subitò vastauerit, Ionæ 4. capite. Hominumque delicias & vitia, serpentem hunc semel ac edêre serpentes reliqui, Christicolæ semel atque hunc serpentem degustarunt, ieiuno & mundō ventriculo, & corde, sub exuuiis panis & vini, Eucharistiæ sacræ participatione deitatis Dij facti, ipsum robur, eandem virtutem recipiunt, quæ in serpente hoc sacro & minimo continebatur, innominatus erat, ineffabilisque, ob summam eius potentiam, quam nullo

nullo nomine circumſcribi poſſe fatebantur, omnes quotquot de illo fari ſunt auſi. Hunc latiſſimum caput obtinere, ventremque ampliſſimum in ſua magnitudine, iidem efferunt autores. *Christi caput Deus.* Paulus 1. ad Corinthios 11. Latiſſimum eſt caput Chriſti, nullo termino circumſcriptum, venter ampliſſimus; deglutiuit enim mortem ille qui vita erat, digeſſit illam, commutauit in vitam; nam in ſe euertit; quò iam non mors, confecit enim illam potentiſſimus iſte Seps; omnipotens, fugans ſerpentes omnes alios mundi, dæmonis, peccati, mortis, quos fugare Sepem ſimul ac apparet, docet Iſidorus loco adducto, carniſque paſſiones; qui cùm paruus ſit, minatur reliquis, illumque expaueſcunt alij. Iſaias 11. c. *Paruulus minauit eos*, de Chriſto. Termino nullo, nullo nomine exprimi poteſt hic innominatus ſerpẽs; ineffabilis, ſine nomine, omni ex parte infinitus, incomprehenſibiliſque ſubſtantiæ, inacceſſibiliſque naturæ viribus, ab omni intellectu creato, cùm eſſendi modus ipſius excedat noſtræ naturæ modum, eiuſque actus, cùm ſit illi eſſe ſubſtantia, & ſubſtantia eſſe, nulli alteri, præterquàm ipſi ex eſſentia conueniens, ex Diuo 72
Thoma colligitur 1. part. quæſt. 12. artic. 7. in corpore, nulloque nomine ſic enunciabilis, aut vt eſt præfigurans nullum, ſubſtantiamve eius exprimens, quo dicitur Exodi 6. *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Duo enim ſunt genera nominum quibus res vocitamus, primitiua & deriuatiua; primitiua ſunt, quæ imponuntur rebus primariò inuentis. Deriuatiua, quæ ex primitiuis veniunt. Quodlibet verò genus ex his dupliciter imponitur rebus ſignificandis dum rationabili cauſa, & non ad libitum temeréve nomina aptamus, aut propter effectus rerum,

rerum,& opera,nomina imponũtur, ex aliquibusve accidentibus quæ rebus contingunt : aut propter ſubſtantiam ipſam nobis notam eo modo quo poſſumus,quam eo nomine terminamus, in ſubſtantiis quarum notitiam nos habere poſſumus, vt in rebus corporeis, & materialibus pro hoc ſtatu, quo anima aſſidet corpori; ſeparata verò,& Angelis ſecundùm ſubſtantiam nomina imponere poterit, quòd eorum valeat ſuſcipere eſſentias. Cùm verò Dei ſubſtantia ſit ſupra omnem captum hominis, ſolúmque à nobis cognoſcatur naturæ viribus per actiones & effectus ad extra, vel negatione rerum omnium, ſuperiorem conſtituendo naturam, aut collectione perfectionum vniuerſarum, imperfectione ſublata, eiuſque ſubſtantiám non poſſimus intelligere aliter, nomina quæ nos illi imponimus, vno ex his tribus modis coaptamus,ſignificatiua accidentium; at ſubſtantiæ eius nomen nullo modo poſſumus aptare ſignificatiuum ipſius per ſubſtantiam Dei, quod exprimat entitatem illam ſupernaturalem,& eſſe ipſius. Aliàs,eſſentiam Dei intueremur, & viribus naturæ ipſum, qualis eſt, ſpectaremus modò. Quò nos nomen imponere illi nequimus,quòd ipſum qui ſine termino eſt, terminet ex ſubſtantia; ineffabiliſque eſt nobis ſecundùm hanc rationem,vt eſſentiam ſignificet, niſi ipſe nobis reuelet, manifeſtetque Deus. Variis enim nominibus,& notis ex effectibus ab ipſo productis ipſummet rerum omnium authorem appellamus,nominaque varia illi imponimus, hoc & illo genere linguarum, omnia ipſum per reſpectum ad extrà ſignificantia, & vt creaturas aſpicit, earundemque protector & benefactor eſt; ab ipſo verò eſt nomen ipſum, abſolutè denotans in ſuo eſſe naturæ;adie-

ctiua enim nomina ex attributis illi impertimus varia & diuersa, vt sunt varia Scripturæ loca, quibus hæc patent. Geneseos 1. *Elohim* in plurali numero, id est, Dij, vocitatur Deus, cuius nominis singulare est, *El*, id est, Deus, aut *Elohah*, *Deus* etiam Latinis, Deus enim idem est, quod ambiens omnia, & complectens, currensque per omnem naturam, à verbo Græco τέω Teo quod est ambio & percurro. Dicitur enim Geneseos 1. sic: In principio *Elohim Bara*, Elohim enim Deum iudicem consignat, vt à primo Scripturæ verbo nos iudicem habere intelligamus, & sub iudice viuere, id est, *Dij creauit cœlum & terram*: plurali huius nominis *Dij* iuncto singulari illius verbi *creauit*, cùm nomen hoc singulare habeat *El*, & *Elohah*, & verbum *Bara* plurale *Barauht* vt essentiæ diuinæ vnitas, singularitasque, in singulari illius verbi notaretur, in plurali verò nominis personarum Trinitas, opera enim Trinitatis ad extrà sunt indiuisa, omnibusque tribus abscribuntur personis, vt dixit Augustinus. Quò dixit *Dij creauit*: verùm, vt essentiæ vnitas notaretur, mysterio Trinitatis obumbrato eo in nomine, pio auditu; *Dij* enim, & si dicatur, non plures Deos stabilit, aut decernit locus ille, cùm solùm vnus orthodoxa fide fatendus sit, & ex symbolo sacro Athanasij, de fideque est tenendum, vbi dicitur; non tamen plures sunt Dij, sed vnus est Deus, sed Dij nuncupãtur, id est, habentes deitatẽ numero vnam, quod verbo Hebræo dicitur; quod adiectiuè significet; latinè verò cùm substantiam notet magis, numerum non admittit, ne in essentia pluralitas concedi videatur, *Elohim* Hebræis *deitatem habentes*, vi nominis enotatur, & vt Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, tenemur concedere symbolo Ecclesiæ, &
Care

Catechismo sancto, deitate eadem numero vna, in generante & genito, pluresque personas eiusdem deitatis, hoc nomine Hebræo, non Deos plures notant Hebræi catholici, sed plures deitatem habentes eo nomine signant; quò idem est dicere, Dij creauit, quod Deus creauit, qui in tribus personis est, & hoc est *Elohim Bara*. Posse mysterium Trinitatis eo nomine colligi, tenet Magister 2. sententiarum, distinctione 1. quem sequuntur Scholastici, omnes fermè Theologi, tũ Burgensis, Nicolaus de Lyra in Genesi, Galatinus, Augustinus, Eugubinus, Ambrosius Catherinus, aliiq; nõ pauci. Nec qui ex Rabbinis sustinent, nomẽ hoc *Elohim*, singulariter & pluraliter indifferenter significare plurali numero acceptum, vt modò Deos, modò Deum plurale significet, huius nominis significationem, illiusque rationem percallent, nec quod vltrà asseuerant, iunctum singulari verbo, Deum solum significari, plurali verbo Deos verum tenet. Quò negãt, ex hoc nomine Trinitatis mysterium colligi posse, nã inquiunt, singulariter accipitur iunctum singulari verbo, & sic eo loci Genescos *Elohim Bara*, idẽ est quod, *creauit Deus*, non *Dij creauit*, Geneseos enim 35. legitur. *Quia ibi apparuerunt ei Dij*. Vbi, de vero Deo facto sermone plurale *Elohim* plurali *apparuerunt* nectitur, vt iam plures Deos fateremur, quod impium esset, nam vt docet Rabbinus Ioanas super eũ locum, & Hunna, loci omnes Scripturæ sacræ ex quibus Epicurei plures Deos nituntur colligere ob Hebraismata, in eisdem, & remedium suæ inscitiæ manifestissimè patet: nam vbi legitur 35. citato: *Quia ibi apparuerunt ei Dij*, consequenter legitur; *& fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi.* Deuteronomij 4. vbi dicitur: *Quæ est gens tam magna, quæ habeat Deos appropinquantes sibi.*

Illico

Illico legitur, *ſicut Dominus Deus noſter.* Neque enim
myſteria omnibus locis reuelanda ſunt, ſed vbi opus
eſt Trinitatis ſacramentum figurare, ibi *Elohim* plu-
rale cùm verbo ſingularis numeri addictum obum-
brat. Quod nomen, etiam ſi cum verbo pluralis nu-
meri connectatur multoties in ſacris ſcriptis, non
ideo eſſentiæ pluralitas colligitur, vt obiici poſſet in
hanc ſententiam argumento facto à contrario ſenſu,
ſed ſolùm Deos, id eſt, deitatem habentes, perſonáſ-
que diuinas enotat, eadẽ deitate vna numero tales,
vt Deus de Deo eadem deitate ſit, & eodem Deo,
& tunc vtrumque nomen & verbum, perſonarum
pluralitatem pernotabit; vnitas verò eſſentiæ ibidẽ
non manifeſtabitur, aut Trinitatis adumbrabitur eo
loci myſterium, ſi opus non eſt ibi reſerare, quod
Rabbini plurimi intellexere, vt in Gloſſa Salomonis
ſuper Oſeam cap. 11. extat ſcriptum apud Hunnam
& reliquos: neque enim omnibus eadem myſteria
conceduntur; Ineffabilis illa ſubſtantia, & eſſentia
prima; Deus ipſe incomprehenſibilis, variis nomi-
nibus ex rerum effectibus impoſitis obumbratus,
nullo meliùs alio nomine ſignificari potuit, quàm
nomine illo, ab ipſo hominibus dato *Iehoua.* Quòd 74
ſi proprietate, qua hæ literæ iuxta idiomata Hebræa
proferri merentur, enunciaretur, omnimodò ineffa-
bile eſſet, hocque ipſum eſt apud nos Dei nomen,
negatione nominis ipſum exprimere, cũ ſit vnus ex
modis cognoſcẽdi Deum, per negationes rerũ om-
nium creatarum ab illo, indicibilem ſuam ſubſtan-
tiam conſtituere, hoc tenebræ ſtatu, interim dum
militamus, & viam percurrimus, vſque dum termino
ipſo, Deo dante, fruamur, eum videntes pacificè, &
quod illi nomen competat, ſecundùm quod eſt ab
ipſo ediſcamus, & in ipſo eius eſſe, & ſubſtantiam
contem

contemplemur. Hoc verò excelſum nomen, myſte-
riis & ſacramentis plenum , *Iehoua*, quantum à no-
bis capi poteſt, hoc vmbræ ſtatu, ſignificat ipsũ ſub-
ſtantialiter magis, & ſi in ænigmate, vt dixit Paulus,
liberumq; magis eſſe ipſius, non per effectus, ſed per
eſſe, quaſi eminens eſſe adnotans, excellens , ſuper-
naturale, vnum & multa ſignificans , ſeu illum qui in
ſe eſt, tum generans, amore flagrans geniti, quo tota
Trinitas eo venit nomine intelligenda , Pater ge-
nerans , genitus filius , vtriuſque productus amor,
quod vt proferrẽt Hebræi, cùm propriis literis nun-
ciari non poſſet, literis tãtùm cõſonantibus cõſtans
ſcripto, ineffabilibus omnimodò, cùm iis os clauda-
tur, vocalibus verò aperiatur illud , eius vice nomen
ſubſtituere fabile *Adonai*, quod proferebãt eius loco
ſemper, quod ineffabile alterum occurrebat ſcriptis
ſacris, quod ſecundùm proprium ſignificatũ Deum,
ſecundùm pronunciationem Dominum enotabat,
dictum ab Hebræis , *Sem Hemmephoras* , id eſt , no-
men expoſitum & manifeſtum , quod Deum ipſum
inter illa, quæ ſubſtantiã eius figurare valẽt, clariùs
75 reliquis adumbraret. Quod primitiuum & à nullo
alio deriuatũ nomen exiſtit à ſe, & nõ ab alio ſigni-
ficans, aut enuncians, quod cum Sceua, & He, literis,
per lenẽ aſpirationem ſcribi, & pronũciari debet , vt
propriam ſeruet naturam *Iehoua* non corruptam, vt
quidã corrũpere conantur , quòd Sceua, He, literam
gutturis præcedens quamlibet , per ſyncopen tunc
nomen proferendum eſſe ſuſtineant quoduis ; quò
legunt & ſcribũt *Ioua*, à quo nomen Iouis irrepſiſſe
opinantur , impiè ſatis, cũ nil in eo nomine mutan-
dum ſit, addendũ, detrahendumve , nomenque hoc,
cum He aſpirari debeat , quod Ioui non quadrat
ſcripto præcipuè , quod iam nomen iſtud , non
Tetra

Tetragrammaton, id est, quatuor literarum esset, sed trium dumtaxat, & cùm Moses illud scripserit, hoc ordine *Iehoua*, non habet locum, quod ipsi nituntur per syncopam auferre. Nec regula est vera, nisi rarissimè, vt syncopa rarissimè efficitur linguis omnibus, & sine regula, vt docet Rabbi Haccados, dictus Doctor noster Sanctus, in libro reuelationis secretorum, in Epistola illa, quam misit ad Antoninum cõsulem vrbis Romæ. De huius sacri nominis significatu, & Rabbinus Moses filius Maimonis, Moses Ægyptius, libro More capite 60. primæ partis, Nehumias filius Haccanæ in Epistola secretorum ad filiũ suum Haccanã, qui docent, huius nominis *Iehoua* tantam esse reuerentiam, & cultum, vt solùm sacerdotes in Sanctuario proferrent, dum populum benedicebãt, certo quodam, occultóque modo pronunciationis, quod non scriptis, sed traditione maiorum in posteros reuelabãt, venisséque vsque ad Simeonis sanctissimi tempora, qui Christum circumcidit. Ex quo verò mortuus fuit ipse, cessasse, veramque eiusdem prolationem. Vice huius nominis per nomen *Adonai* iureiurabat populus, indissolubili quodam iuramenti genere, cæremoniis plurimis, tãquam ad maximum Sacramentum accedentes, ieiuni, in templo, conuersi ad Solẽ, brachiis crucis figura appositis, tribus manuum digitis compressis, soluto indice, & pollice, quasi per mysterium Trinitatis iureiurando pollicerentur, digitis occultatis, & compressis tribus, simul hac figura cum nomine mysterium Trinitatis enunciantes, & absconditum sacramẽtum, mysteriumque abditum. *Iehoua* verò nomẽ sacerdotes vna vice in hebdomada filios edocebãt, significatumque eius, & prolationem, qualiter ab hominibus proferri poterat, in se ineffabile &

indicibile nomen; docet Rabbi Moses Maimon 1.c. & 60. primæ partis. *Adonai* enim, non solum de Deo, sed & de Angelis dici consueuit, vt videre est Genesis 18. capite: vbi illi Angelo dicitur; *Adonai, si inueni gratiam in oculis tuis*, cùm *Iehoua* solùm ipsi adscriberetur Deo. Hebræi verò, nullo modo audebant nomen hoc pronunciare propter illa, quæ in libro sanctificationum, in capite decem nobilium, super illud Exodi c. 3. dicitur à Rabbi Abina, vbi sic, *hoc est nomen meum in æternum*, legitur ibi, seniorem quendam dixisse, non esse ibi scriptũ *in æternum*, per verbum *Leolam*, sed *Lealam*, quod significat, vt celetur & abscondatur. Rursum & ibidem est
76 dictum: *dixit Deus Sanctus & omnipotens, voce non pronuncior, sicut scribor; scribor enim cum Iod, He, Vau, He*, consonantibus ineffabilibus: Quæ literæ correspondent his nostris. I. h. u. h. quæ sic scriptæ fari nequeunt; *legor tamen his superadditis, vt addidit Hebræorum populus, vt Deum possent nominare*, Aleph quæ est consonans Hebræis, Daleth, Nun, Iod, quæ correspondent nostris a. d. n. i. quæ coniunctæ cum alteris ex lege pronunciationis, & Grammaticæ Hebrææ, reddunt *Adonai*. De Iehoua verò dixit Abba Saul, in libro *Sanhedrim*, in capite *Helec*; qui pronunciat ipsum nomen quatuor literarum, (vt literæ eius sonant, pronunciatione adhuc hominibus concessa irreuerenter) non habebit partem in sæculo venturo: quapropter populus dum occurrebat nomen hoc, subtacito eodem, *Adonai* loco illius substituebat. Nouit, Deum nomine carere debito Mercurius adhuc Trismegistus in Pimandro, vbi inquit, Dei nomen non potest humano ore effari. Tum Delphicus Apollo Cacodæmon hæc tacere non potuit interrogatus, quid esse Deus, dixit,
qui

qui ſine nomine. In hoc verò ab ipſo hominibus
reuelato *Iehoua* , Trinitatis myſterium contineri,
ſymbolo & figura, ij omnes Rabbini aſſeuerant lo-
cis adductis: Sunt enim tres eiuſdem literæ. *Iod,He,* 77
Vau,vt ex numero earundem perſonarum, numerus
daretur intelligi,He, quod bis inuenitur in hoc no-
mine , naturam duplicem ſecundæ perſonæ notat,
vnius ſuppoſiti:prima enim litera,*Iod*,principium ſi-
gnificat , eo quòd aliarum omnium principium ſit,
cùm omnes Hebræi alphabeti literæ, eius figura ſup-
poſita efformentur ſcripto,ipſaque à nulla altera du-
cat originem , quæ rectiſſimè Patrem notat in diui-
nis,qui eſt omnis Trinitatis principium, vt Auguſti-
nus dixit, ſecunda verò ,*He* , quæ eſſe & viuere He-
bræis exprimit,Filiũ,*per quem omnia facta ſunt, in quo*
viuimus,mouemur,& ſumus;Paulus dixit. Tertia Vau,
dictio copulatiua eſt,& ſignificat copulam,& nexũ,
qua optimè Spiritus ſanctus exprimitur,tertia Trini-
tatis perſona.Chaldæi per triplex,*Iod*,circulo inclu-
ſum , ſigno Camez appoſito crucis formam repræ-
ſentans, (mirabile dictu) Deum compellant, vbi al-
tiſſima latent ſacramenta. *Iod*, enim principiũ ſigni-
ficare diximus & eſſe , omnium aliarum alphabeti
Hebræi literarũ ; quo notatur,tres indiuiduæ Trini-
tatis perſonas omnia ad extrà produxiſſe , quælibet
per,*Iod*,vnũ adumbrata principio , Camez verò dei-
tatem vnã ab ipſis æqualiter participatam deſignat,
crucis inſtar infrà ad medium appoſitũ,quod ſecũda
Trinitatis perſona ſubire voluerit crucis tormentũ,
circulo æternitatis hæc omnia cõprehenſa , ſine fine
& principio. Cuius nominis ineffabilis tres ſyllabæ
hoc itidem notant, tres Hypoſtaſes , quæ ſicut eiuſ-
dem nominis æqualiter rationem participant , ſic
illæ æqualiter diuinitatem. Imò nomen illud , in

quo omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, *Iesus* omnium redemptor, instauratorque illius imaginis, quam à mundi principio homini impresserat, easdē literas quas nomē Iehoua amplectitur, & nomen ipsum Iesu continet, & si non figura, saltē pronunciationis lege, qua iuxta ritûs antiquos Hebræos proferebatur ab angelo, ea prolatione qualis illi debetur lege, priùs audito & à nullo anteà, eo proprio dicendi ordine. Cuius literæ cū *Iehoua* ex lege dictis eundem reddere sonum constat, videlicet. *I*. & *V*. inter quas, *H*. duplicatur iuxta *E*. secundam literam; *Ihehu* ac si dicas Hebræorum more; quòd naturam duplicem obtinebat secunda persona indiuiduæ substātiæ. Non seruatur verò scripto figura eadem in literis Hebræis in *Iesu* & *Iehoua*, quòd verbum formam serui acceperit, aliamque à se figuram, habitu inuentus vt homo, quo *Iehoua* in *Iesu* abditum & occultum erat, & deitas in humanitate. Nomē enim hoc Messię proprium erat, quod Saluatorem exprimit, vnde Abacuc 13 gratias Deo reddēs de hoc nomine, quod à Patre æterno impositum fuit Verbo, prædestinatione & præuisione æterna, & in spiritu præuiso Prophetis reuelato, sic inquit: *Ego autem in Deo gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*. 4. Esd. 7. *Reuelabitur filius meus Iesus cum iis, qui cum eo lætabuntur; morietur filius meus Iesus, & conuertetur ad me sæculum*. Rabbinus Haccados, qui tempore Antonini consulis vixit de hoc sacro nominè sic inquit: Quia Messias homines saluabit, vocabitur *Iesuha*, gentes verò, quæ fidem eius sectabuntur, vocitabunt eum *Iesum* Hebræo idiomate, & prolatione propria. *Iesuha* enim saluatorem significat. *Iesus* qui saluauit salutémque; saluatorē denique, quasi idiomate Hebræo notetur, ip sū principaliter

liter fuisse missum ad oues quæ periere de domo Israël, sicque saluatorem, quasi munus suum actu exercens, appellant Hebræi *Iesum*, gentes verò, *qui saluabit*, è longinquo magis eis salutem promittens. Etiam est mirabile quod Geneseos 49. c. illis verbis continetur: *Non recedet sceptrum de Iuda*, quæ verba apud Hebræos sic habent, *Iauo*, *Silo velo*, quorum verborum, si primæ literæ initiales vniantur, Iesu nomen reddunt Hebræis; hocque nomen eisdem constituitur iuxta Hebręorum prolationem, *I.* cum punctuatione. *E.* sumitur ex *Iauo*, quæ reddit *Ihe. S.* ex *Silo. V.* ex *velo*, quibus resultat nomen *Iesu*, *E*, aspiratarata, hoc modo Iesu, quo inualuit vsus apud Latinos & Hispanos scribendi hoc nomen hac cifra, *IHS* Iesus, ex Hebræo, vt H. aspirato linea transuersa crucem configurent eo nomine, & hoc modo scribant, & præfigurent *IESVS* iuxta Hebræorum graphides; nomen mirabile, de quo Isaias capite 61. sic: *Vocitatur tibi nomen nouum, quod os Dei nominauit*. Nam, & si in sacris scriptis tres fuisse hoc nomine notos reperiamus, Iesus Naue, Iesus Syrach, & Iesus Iosedec; quorum, Naue, vir fortissimus extitit, qui deuictis hostibus filios Israël in terram promissionis introduxit, vt Christus in patriam, & Iesus Syrach, qui sapientiam renouauit, figura Christi, qui vera sapientia Patris erat, & Iesus Iosedec Sacerdos sanctissimus, qui templum Domino ædificauit, vt Christus Ecclesiam fidelium Christicolarum, tamen ij non *Iesua*, id est, *Iesus*, sed *Iehosua*, quod non est idem nomen, sed longè aliud ab illo. *Iesus* enim saluatorem significat, salutem, & saluationem, prolatione debita. Iehosua verò idem quod, *Deus saluabit*. Vt clarè pateat nominis differentia; hoc enim nomen nunquam cum re significata auditum fuerat,

vſque ad aduentum Chriſti, neque eo aliquis nominatus, vſque dum reuelauit per Angelum Deus, nec ſaluator vſque ad Chriſtum, à longè imò ſaluabit Deus venturus. Similiter & innominatus hic ſerpens Deus, cuius ſubſtantia mortalibus viatoribus nullo poteſt exprimi nomine, ſed ſolùm ex parte per reſpectus ad creaturas notificari, nomine duodecim literarum vocitarunt Hebræi, loco illius nominis ineffabilis *Iehoua*, *Abbenruahaccodes* ſubſtituentes, id eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, *ab* Patrem ſignificantes, *ab*, enim Patrem ſignificat Hebræis, *ben*, filium, *ruah haccodes* Spiritum ſanctum, quæ & ſi nomina diuerſa ſint, vno nomine dixere illi, vt vna eſſentia trium perſonarum notaretur. Aliis, aliiſque nominibus exprimere cupientes hanc immenſam ſubſtantiam, tandem ſine nomine reliquerunt, poſtquàm mille nominum generibus eandem ſunt aggreſſi nominare. Quò innominatus relinquitur ſerpens hic æternus circulo actus; imò Chriſtus ipſe ſerpenſque ille minimus factus, quia ipſe voluit, vt Iſaias dixit, internus, humilis, & ſine nomine vixit, abiectus, & ignotus; tamen ea fuit eius potentia, illud robur, vt potentiſſimos mundi ſerpentes aufugauerit, ſuperauerit, vicerítque, vermiculúſque iſte Ionæ, vanas & virentes mundi hederas nocte vna paſſionis eroſerit, Eccleſiam ſtruxerit, aduersùs quam nòn præualebunt portæ inferi, maximum exemplar concionatorum legis Euangelicæ; qui & ſi ignoti, & ſine nomine, ſi innominati fuerint, hi minimi potentiùs multò, quàm arrogantes, ambitioſi, conſulentéſque ſolùm auræ populari, lucrabuntur mortales, minimi, ſerpentes alioqui, vitia maxima aufugãtes & eradicantes penitùs. Neque ideo illis de ſua ſorte pœniteat,

teat, sed sit hoc solatium maximum, serpentesq; cum sint Euangelici, hunc potentissimum imitentur, eumque æmulentur vigilanter. Est ea huius animantis potentia, vt non solùm carnes depopuletur, verùm ossa & neruos absumat; non solùm carnis mollitiem, verùm & ossa vitiorum; non solùm vitiorum actus, imò & habituales eorũdẽ dispositiones, è quibus proueniunt. Potẽtissimũ extat auxiliũ huius serpentis morsui, conscientiæque stimulo, vino charitatis bibere huius Regis innominati lapidem sepulchri, vti scilicèt sepulchro, morte, & Christi passione, Ecclesięque Sacramẽtis salutaribus. Hic est ignotus ille Deus, innominatúsque, de quo intelligitur locus ille Pauli adductus; & scriptum aræ, *Ignoto Deo.*

De Dipsade Serpente.

CAPVT X.

DEuteronomij 8. capite sic legitur: *Obserua, & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, atque iudicia, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, ne postquàm comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerísque armenta boum, & ouium greges, argenti, & auri, cunctarúmque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis; & ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac Dipsas, & nullæ omnino aquæ; qui eduxit riuos de petra durissima, & cibauit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui.* Dispas Græcis

Δίψας, à δίψος, id est, sitis etymologiam trahit, quod hoc animante percussi incompescibili siti vexentur, vt dirumpantur priùs grauitate potus, quàm desi-
78 stant bibere; sic Galenus 11. simplicium, capite de vipera, de qua Nicander in theriacis, sectione 40. sic fatur. Dipsas forma, viperæ minori adsimilatur, cæterùm mortis breuior sors aderit his, quibus tetricum suum morsum incusserit. Huius modica cauda, & lata nigricat è summa eius parte, duabus lineis coniunctis, quæ literam Pythagoricam reddunt ypsilon, hancque quasi totam occultat, dum icere tentat. Cor humanum ex huius morsu prorsum succenditur, ac labia præ nimia siti finduntur exiccata; ipse verò læsus fluuios quærit, super quos hiando procumbens, distentus, instar Tauri hiulci; tum immenso potu sese replet, vsque dum venter, vterusque, vmbilico fracto, graue onus, ruptis visceribus, effundit. Et infrà sic cecinit de hoc animanti: *Quin & hiulca siti finduntur labra dolentis*, & alibi Nicander in theriacis de hoc animanti sic. *Dipsade læsus: Nec secus ac Taurus fluuij se ingurgitat vnda. Non cessans donec crepitans iam venter hiulco Fragmine dissiliat fundens graue pondus aquai.* Galenus 11. simplicium cap. 2. Dipsadem affirmat incompescibilem adeo sitim inferre, vt priùs Dipsade læsi potus onere dirumpantur, mediis visceribus, quàm à siti liberentur. Ælianus idem libro 6. cap. 50. Auicenna libro 4. fen. 6. Tractatu 6. cap. 38. Paulus libro 5. capite 61. Ætius Tetrabiblio 4. sermone 1. cap. 22. Dioscorides libro 6. cap. 48. Rhodiginus libro 25. cap. 33. Sostratus libro 7. cap. 3. Edoardus libro 4. cap. 9. Sophocles libro 10. cap. 90 Dinolcus libro 6. cap. 10. Ibicus libro 9. cap. 2. Rogerius libro 1. cap. 10. Aristias libro 10. cap. 60. Apollophanes libro 2. cap. 30. Ælianus loco

loco citato, Plinius libro 32.cap.5. & libro 22.cap. 6. Dipsas ergo, quòd inexplebile bibendi desiderium inferat, appellatur omnibus, ab effectu. Hinc *dipsacon* dicitur renum affectus, quo ingentissima cruciantur siti ægrotantes, *diabetes* alio dictus nomine, seu *hydrops* dictus, ad matellam, in quo morbo quale bibitur, emingitur, docet Galenus 6. de locis affectis, cap. 3. & 1. de Crisibus, capite 12. à quo accipiunt reliqui omnes autores: tum *Dipsacon* spina alba dicta est, *aspalatus*, & *Diaxilon* Græcis, quòd herba hæc sitim inducat maximam, vt vult Plinius libro 24. cap. 13. Vocauit Ouidius hinc lepidissime lænam quandam vetulam, dipsadem, quòd insatiabili auri siti hiaret, elegiorum 3. *Est*, inquit, *quædam, quicumque volet cognoscere lænam Audiat, est quædam nomine Dipsas anus.* Lucanus libro 9. obstupendum refert, & lugubrem iuuenis Tyrrheni casum, qui hac fera percussus, animam miserrimè exhalauit iis: *Et torrida Dipsas Signiferum iuuenem Tyrrheni sanguinis Aulum Torta caput retro, Dipsas calcata momordit. Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe. Ebibit humorem circum vitalia fusum Pestis & in siccum torrere lingua palato. Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum. Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque, Padumque arderet, Æquoreusque placet, sed non & sufficit humor. Sed putat esse sitim, ferroque aperire tumentes Sustinuit venas, atque os implere cruore.* Tanta erat sitis Dipsadis morsu, vt proprium sanguinem biberet, cùm non daretur aquæ copia, venis ense ruptis, Aulus hic iuuenis Catonis miles. Sostratus loco adducto albissimas inueniri Dipsades toto corpore, caudis solùm nigerrimis, lineis nigricantibus refert, easque in Africa communiter oriri, & si frequentiores in

Arabia. Quæ animantia siti ingentissima vrgeri memorat, vt non solùm aliis siticulosum sit earundem venenum, sed & ipsis sitis inexplebilis sit causa. Hinc Lucanus libro 9. versu 122. *in mediis sitiebant Dipsades vndis.* Has variis nominibus appellant autores ob effectus varios, figuras, colores, motus. Imò plurima alia nomine Dipsadis vocitant, quòd huic animanti aliquo ex his assimilentur. Gilius libro 9. capite 40. Cælius Rhodiginus li-
79 bro 25. capite 33. Pierius libro 16. capite 1. Solinus libro polihistoriæ cap. 40. hoc animans docent iis nominibus insigniri; appellatur enim Causos, Præster, aut præser, Centrina, cencrida, centris centrinæ, Melanurus, Anobates, Amobatesque. Quæ omnia etymologiam ducunt ex variis Græcorum nomenclaturis. Dicitur enim febris Καύσαλις ardens & Καῦσις combustio, Καυστός cremabilis, quo Dipsas *causos* dicta est, quòd exurat, & cremet ícussas partes, vt æstuent, & exurantur, non secùs ac si ignis incendio conflagrarent, Præser verò à Πρέσερ, & à Πρεστὴρ, quæ flammam cœlestem, fulmenve notant quòd sit eius effectus, quasi fulminis, ardore & æstu, flammæve, quasi cœlitus demissæ; quarum aliquot, vt docet Rogerius libro 7. cap. 9. & Aristias libro 3. capite 16. circa guttur fulmen aureum continere videntur, eius formulæ, qua depingi solet in manu Iouis insidentis Aquilæ, ignis & æstus tetri animantis nota, & præsagium, Centrina verò à Κεντρίδες, aculeatus Latinis, asper, & pungens cum dolore acèrrimo, & à Κέγχρος, seu milium, quod illum cæruleo colore æmuletur, quo milium pollet, Melanurus à Μελαίνομαι, quod est, nigreo, quo μέλα, nigra est & ὐρὸς cauda, quasi nigra cauda, quòd ea sit Dipsadum cauda, nigris illis

illis duabus lineis distincta, Pythagoricæ literæ Y. quorũ segmentis, & virtutis, & vitiorum via commonstrabatur antiquitus Pythagoreo symbolo; quarum illa quæ virtutis est ab stricto incipiens, rigidaque appetitus effrænis moderatione, in amplum honoris, gloriæ, & præmiorum terminabatur, alia verò ab amplo vitiorum ortum sumens, in infamem, miserabilemque mortem, sine honore, & gloria præfiniebatur. Amobates Græcis Αμόβατες, ab Αμοβεῖος, id est, mutus, quòd sit mutus hic serpens, & in silentio mordeat, vt dicitur Ecclesiastes 10. cap. *Si mordeat serpens in silentio, nil eo minus habet, qui occultè detrahit.* effundit enim venenum maiori malitia, cùm non possimus satisfacere secretò obiectis, & Anobates ab ἄνοδος, locusve inuius, & inaccessibilis; vt sunt illa quæ hoc animans incolit, docet Solinus 40. capite polihistoriæ in viis, locis siccis, & squalidis, nasci hoc animantium genus, æstuantesque Dipsades illicò aquas quærere anhelantes, quibus immerguntur, si earundem ipsis concedatur copia. Iconismus eorũ, qui orti parca supellectili, squalidis & siccis locis, posteà plus multò reliquis, si possunt, luxuriant, & vagantur, affluentiam sectantes, & luxum. Eadem refert Ælianus lib. 6. cap. 50. Apollonius poëta lib. 3. cap. 5. qui, & terram aridam vocat Dipsadam quòd virtute talis sit, vt eas facillimo negotio producat. Quò spiritus Deus hoc loco adducto acriùs increpat ingratos Hebræos, cùm eos duxisset securè & impunè per inuia loca, & inaquosa Dipsadis referta animantibus; ipsi verò tanti beneficij immemores, & obliti idololatrassent; verum Deum à quo tot tantisque beneficiis cumulati fuerant, obliuiscentes. Dicitur psalmo 62. *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In terra*

deserta & inuia & inaquosa, sic in sancto apparui tibi vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, id est, vt viderem, quem cultum, quam reuerentiam mihi exhiberes, tuamque vt inuiserem virtutem, & sanctimoniam, & gloriam tuam, id est, ex te ortam, quam
81 mihi præstares. Nullum extat maius remedium huius animantis morsibus, quàm tenuissima, purissimáque aqua, & vt docet Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. cap. 22. Ælianus loco adducto, Paulus libro 5. c. 16. Ibicus libro 9. cap. 2. Solinus 40. capite Polihistoriæ, & historiæ naturalis libro 3. cap. 6. præcipuè quæ percolatur lapidibus, durioribus præsertim, densioribusque; quòd hæc depuratior sit, substantiæque tenuioris, subtiliorisque; quòd hæc penitissima quæque corporis subeat, intimaque magis, vbi subtile exurens recoquitur venenum, illudque corrigat, siccitatemque & squalorem attemperet, minúsque in hypocondris & ventre retineatur, moretur; præsentaneum imò, maximumque adsit remedium, sese subitò effundens in altissimas, latentesq; corporis cauitates, quibus, & squalor corrigitur, & æstus, sitisque extinguitur, veneni potentia calida, & sicca restincta. Summis laudibus extollunt aquam è mortariis lapideis extractam hi autores, medicique omnes, quòd sordes, crassamque substantiam deposuerit colatura; quantò magis si densioribus, durioribusque saxis percolata extiterit? ideò increpat acriùs Deus obstinatos Hebræos, quòd cùm ductor eorundem fuerit ipse, in solitudine vasta & terribili, vbi erat Dipsas sitim incompescibilem inferens morsu, & mortem simul, cùm & eos duxerit per securiora loca, tum ne si aliquem Dipsas morsu apprehenderet, contingentia rerum relicta in causis iuxta naturæ modum, remedium in tanto discrimine

mine defecisset, riuos eduxit de petra durissima,
maximum, vnicumque auxilium earundem ictibus,
his tot, tantisque summis obligationibus detentos,
retributionis immemores, mercedis acceptę oblitos,
eorum ingratitudinem, huius fauoris & penè innu-
merabiliū aliorum carpit, & corrigit his; *Erat dipsas,
& nullæ omninò aqua.* Dixit Solinus c. 40. Polihisto-
riæ. *Dipsas siti interficit aquæ.* Strozzius pater, siticu-
losas Dipsades vocat aquaticas, quòd mediis vndis,
non secùs ac Tantalus crudeliter sitiant; haud secus
atque auari media affluentia, rerum copia, & abun-
dantia hiant, & anhelant diuitiarum siti; quò dixit
de his Strozzius, *Non adeo feruet quem læsit aquatica
Dipsas*; Tum etiam aquatica, quòd hydropem cau-
set, aquaticosque reddat homines viru, & cruore vi-
tiato iecore. Hinc Dipson vocarunt Siciliæ fluuium
ex Tauro monte defluentem, quòd aqua tenuissima
siti extingēdę illatę veneno Dispadis aptissimus ex-
tet, cōmodissimusque. Lepidissima amplificat histo- 82
riam Dipsadis narratione Nicander in theriacis, se-
ctione 40. Ogygio casu, quem Thebani à suo Rege
antiquissimo Ogygio traditione suscepere. Circum-
fertur inter adolescentes sanguine feruidos Ogygia
traditio; quando cœlum occupauit maximus natu
Saturni filius, fratribus suis seorsum inclytis princi-
patibus distributis; vt semper virescerent, iuuentu-
tem ipsam hominibus dono dedisse, ne conquere-
rentur, in tam larga rerum diuisione nihil ab illo re-
ceptos, præcipuè cùm Prometheum cœlestis ignis
furem suggillassent, famamque eius læsissent ob fur-
tum, & facinus commissum; cùm vana promissa co-
gnouissent immortalitatis, & perpetuæ iuuentutis
promissæ illius ignis interuentu, quam defessam
longo itinere, asino ferendam imposuerunt morta-
les,

les, labore ille sitire cœpit, Dipsadem supplicat humilis, & adulans, quæ fontem habitabat, sinat eum bibere, negat serpens, instat ille, pretium exposcit Dipsas, petit iuuentutem, quam asportabat, concedit ille, rapit serpens, bibit asinus, senectutem exuit illa, & exuuias deponit quouis anno; punitur tamen, quòd spiritalia dolo, & pretio arripuerit ab asino, asini sitim nacta discedit, vltore Ioue perpetuò laborat siti, extorquetur continuò, asinus verò senescit facilè, labore opprimitur, perpetuò defatigatur maleficij causa, quò vulgo irrepsit adagium, (Aristophanes docet,) *asinus portans mysteria*, in eum qui sine meritis dignitatem portat, & illud, *segnior est asinus iuuenis homine sene*, in eos qui ob senium alios tentant explodere ineptè. Hæc eadem referunt Sophocles tragœdia 3. & Dinolucus libro 5. c. 4. Antagonistes lib. 3. c. 10. Epicharmus sectione 9. Rogerius libro 7. c. 9. Aristias lib. 4. c. 7. Apollonophanes comœdia 3. Ælianus libro 6. c. 50. Gilius libro 9. c. 40. Rubris maculis inspersas Dipsades toto corpore albissimas præterquàm cauda, quæ perpetuò nigricat Ætius vidit, Solinus Ælianus locis adductis; & Sostratus libro 3. cap. 7. solo capite albas, & ventre, quasdam esse firmat Solinus 40. c. polihistoriæ, reliquo corporis fusco & nigricante, nigris maculis vario ad caudam vsque. De natura huius animantis Solinus in Polihistoria c. 40. sic scripsit: Plures, diuersæq; sunt Aspidum species, verùm effectus inæqualis ad nocendum, Dipsas enim siti interficit, hypnale verò aspis, sic dicitur, quòd somno necet, teste enim Cleopatra emitur ad mortem, aliarum virus: quoniam medelas admittit, minus famæ meretur: vbi Dipsadem aspidis speciem constituit. Galenus 11. simplicium. capite 2. vt ipse testatur; Romæ cùm

cùm conſuleret Pſillos & Marſos de huius animantis forma eos eſſe in eam ſententiam refert, vt Dipſadem, viperam eſſe exiſtiment, eò ſolùm ab ea diuerſam, quòd marina vipera ſit, ſalſuginoſas & ſalſas gurgitis oras incolens; quò & ſitim inducit inexplebilem, multóque maiorem viperis reliquis loci ſalſedine, quæ & ſitim cauſant non leuē, morſu; vipera enim omnis, Scorpio, & venenoſa alia plurima, vt Hæmorrhois & reliqua ſitim moleſtam inferūt ictu,& quæ calidi & ſicci ſunt veneni. Idem retulit Ætius lib. 4. ſermone 1. capite 22. iis: Dipſas ab aliquibus *cauſus*, ſeu incendium appellatur, eſtque viperæ ſpecies, quæ in maritimis magis locis reperitur. Quem ſequitur Edoardus Vutonius lib.6.c.115. Cùm tamen natura ſit diuerſa, ſpeciesque alia ſerpentium,ab aliis omnibus verè reptilibus forma, & effectibus, actionibuſque diſſentiens, vt patet forma & figura, cùm capitis lati & magni ſit, albi,maculis rubris, nigriſve inſperſi, & à capite ad caudam vſque in anguſtum deſinat,quaſi ex circunferentia in centrum veniens,quò & cencris eſt dicta hæc ſæua fera communiter, curtiſſimæ caudæ, latæ, ſine proportione iuſta in ſtrictum declinās,cuius ea eſt lædendi conſuetudo, vt euerſo capite mordeat; dixit Lucanus lib.9.his.*Torta caput retrò Dipſas calcata momordit*;funditque venenum ſiccum ſummè, & calidū natura,cauſticum,& exurens,inexplebilē ſitim, & rebellē inducēs,contumacē adeo,vt viſcera priùs per vmbilicum abruptum aquæ pondere proſiliant ruptis viſceribus,quàm ſitis ceſſet, imò quantò magis ebibunt, plus ſitiunt, quòd pondere potus,humor in ventrem decumbat illicò, vbi pendet magis, membris omnibus humiditate deſtitutis(pondere graui,)ventriculo & venis,viru tamen efferue- 83

ſcente

ſcente in eiſdẽ, quò æſtuat animans, exuriturq; ſiccũ, ſiti incõpeſcibili actũ, quod nulli ex aliis animãtibus veneno contigit, præterquã ad tempus, faciliorem multò inducere ſitim, quæ ad tẽpus leuatur, nõ inceſſanter excruciãs animans, & extorquẽs crudeliter, vt in Dipſade animãti cõtingit, atroci, & fero, præcipuè cũ vipera viuipara ſit animanſq; duplicis partus, vt docuit Ariſt. 6. de hiſtoria c. 34. & 2. de generatione animalium. c. 1. Iſidorus Etymologiarum 12. c. 4. Solinus loco adducto, Plinius, Ælianus, & reliqui, & experientia edoceat, intra ſe primò oua exponere, alio vteri loco quam quo concepit primo, poſteà verò intra ſe excubare oua, fœtuſq; vipereos efformatos viuos ad extra emittere, duplicis ortus, quò vipera eſt appellata, cùm quòd vis pariat eãdem ſobolẽ, tũ quòd viuos catulos eiiciat inter ſerpentes omnes, nulli alteri datũ, conceſſumve alicui. Quò quantũ diſtet ouipara Dipſas, à viuipara vipera facilè conſtat, quantumq; diſſideant natura, & moribus; cũ Diſpas ouipara ſit, omnes vt autores recenſent locis allatis, & experientia communis atteſtatur omnium. Non minùs ab Aſpide diſtat, cuius ſæuiorem ſpeciem, potentiorem, præcipuam, veneni energia, & actione, ſi cum hac conferamus, nec ſitim infert, aut æſtum calidis orta principiis, ſiccis, vrentibus, ſomnum imò veneno ortum frigido, & humido inducit *hypnalis*, teſtatur Cleopatræ euentus, ſomno interceptæ, & aliorum adhuc, quo hypnalis græcè quaſi ſomnifera appellatur Aſpis. ὕπνος hypnos enim eſt Græcis ſomnus; omneſque ſpecies huius tetri animãtis plus minuſve ſomnum conciliant, ſomnolentoſque inferunt effectus. Quò effectibus planè diſtare à peruigilio Dipſadis, quod ſimul inducit cum ſiti, & veneno ſicciſſimo, vt hi omnes autores

teſtantur

testantur, apertissimè edocet, dissidere naturâ hæc animantia, &, distare omninò, nec Galenus viperam esse voluit propria sentãtia, sed placitum Psillorum refert, & diuersam statuit ab omnibus aliis naturæ reptilibus, hoc animans ille, vt eo loci est videre. Sunt verò decepti Marsi & Psilli, quòd sitim inducant maiorem marinæ viperæ loci salsedine, cibi & potus salsuginosæ naturæ altæ, ad maris oras, quam quæ humidiores regiones inhabitãt, frigidioresque. Euariat enim multum alimentum & potus, opera, actusque animantium, plantarum, altilium, vt loci natura sicciora reddantur hæc, vdiora illã, vt videmus in rebus omnibus, facto periculo, & experientia facta. Hinc æquoreum solum sicciores viperas reddit, siticulosas magis sibi & aliis, natura ipsa alimenti, & potus, quam sitim inducentes natura æstu, veneni. Augetur effectus salsedine marini littoris, vt siti excrutient læsos, nec quæ conferri possit cũ Dipsadis siti: præcipuè cum spiritus Deus diuersa animantia hęc ipsa cõstituat diuersis nominibus hæc ipse pronuncians, & variis effectibus. Hanc dipsadem Deut. 8. viperam illam Iob. 20. 30. Isaiæ, Matt. 3. & 3. Lucæ, Actuum 28. locisque aliis, diuersa enim Adamus imposuit nomina rebus Hebræo idiomate, & quod vocauit, ipsum est nomen eius, quæ cùm Deus noscat, noueritque ipse nomina, illa rebus imponit diuersa diuersis, vt alio Dipsadem à vipera distinxit, locis allatis. Appellat enim dipsadem, *Zimaori*, quod nomen cùm locum siccum, & aridũ, tum capillosum serpentem Dipsadem solet adnotare Hebræis Sanctus Pagninus docet Deut. 8. viperã verò Ephch vocitat, vt his, & illis constet, quantùm dissideãt vipera & Dipsas. Ætius arcanorum naturæ acerrimus scrutator sic Dipsadẽ designat vbi suprà; Dipsas ergo ser-

Ff pens

pens est magnitudine cubitalis ex amplo, latóque corpore, & capite, in exile desinens, quasi ex circũferentia in centrum ducatur; sic minuitur & restringitur ille, quo centrine quod in centrum veniat, ex ambitu capitis, totiusque corporis mole, præterquàm proportio exigere videtur Centrine appellatur, Centralisy serpens. Auicenna fen. citata, & Paulus lib. 5. c. 16. cum Dioscoride cubitalem efficiunt Dipsadẽ, cùm Nicander vigilantissimus naturæ interpres sectione citata his verbis Dipsadis formam præfiguret. Porrò Dipsadis forma minori viperæ semper adsimilabitur; cæterùm deterioris morsus est, cuius modica cauda semper sub opaca parte, è summa regione nigricans apparet, quam colligit, dum icere tentat. Ælianus c. 50. libri sexti sic, Dipsas cuius vim & naturam eius nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine, quàm vipera, sed tamen in occidendo, quàm celerrimè superior. Sensit idem Galenus cum Solino & Plinio, vbi suprà. Cùm enim magnitudinem animantium, plantarum, altilium, mistorumque omnium euarient cœli climata, regiones, & vniuersi partes, cœlo, terraque diuersæ prout congruunt cum eiusdem naturis, aut dissentiunt illa, nil mirum, si rarum animans, Ætius cubitale viderit, reliqui verò minùs. Quò alij maioris mensuræ efficiunt, minoris reliqui. Tetrum hoc, & venenosum genus mortales effugiunt, quò minùs dignoscatur perniciosum animal, quod miserum senium hominibus intulisse referant, iuuentutem furatum à simplicissimo asino, vt anteà diximus, quòd illis quos apprehendit, indubitanter exitium inferat, & intempestiuam mortem;
84 cuius venenum dissidium magnum, & antipathiam cum corde humano obtinere norunt hi omnes autores. Dixit Nicander iis; humanum cor ex huius morsu pror

ſu prorſum accenditur, cùm corda aliorum animantium quæ Dipſas offendit, non eo æſtu, aut ſiti exerucientur, nec anhelent ore aperto, & hianti, vt anhelant homines, neque aquas quæritent incendio flagrantia. Deliteſcit hoc genus anguis, abditurque inter oua Struthionum, quorum eſt auidiſſima Dipſas naturæ conſenſu, quibus vtuntur Garamantes, non ſolùm ad cibum verum, vt ex eorum putaminibus, vaſcula adſtruant, cùm ſolum arenidum habeant, & exuſtum loci ſiccitate, & cineritiò, careãtque argilla, ex qua nos vaſa noſtra fictilia conformamus, maioribus ouis diſſectis per medium, ex quibus elegantiſſimos pilos ſibi conſtituũt, quibus capita obtegant vltrà, docuit Pierius lib. 16. capite de Dipſade, edocent alij. Antiquitus cernere erat in littore, quod ex maiori Syrti inter Lybiam & Ægyptum porrigitur, columna celebris, in qua celatus erat vir moribundus quaſi, cuius pedes ſerpens implicabat, ſtãtibus circũcirca quibuſdã mulieribus, quarum aliæ aſportabant aquas, aliæ moriturо eas propinabant, circa quem ſtruthionum oua, hinc inde ſtrata temerè proſpiciebantur. Quæ ſpecies & hieroglyphicon, hominem ſignificabat ardentiſſima ſiti cruciatum, vt interpretatur Lucianus, rerumque fugaciũ deſiderio detentum, cuius fœminei affectus, fœmineæ partis appetitus; calcaneos fouebant, ignem, & incendium, aqua ſuperiniecta modica, vaſis fragilibus ſtruthionum aduecta ſtricta menſura, qua magis exurebatur ille, magiſque ſitiebat, non ſecùs ac Dipſade læſus; quanto plus bibit, tanto maiori vrgetur ſiti, onere adaucto ventris, grauitateque vmbilici, cõcupiſcibiliſque partis, Dipſade qua implicabatur ſiti expreſſa, ingenſque deſiderium, inſufficientiaque rerum noſtrarum ſatisfaciendi appetitui. Mirabile eſt illud huius ani-

mantis, quòd cùm cor æstuet, flagrétque incendio, & interiora exuri videantur, externa omnia rigeant, frigida, præcipuè caput, manus, & pedes, ac si instar cucurbitulæ ad se alliciat venenum hoc, totius corporis rorem, alimentum, & sanguinem, vt macie tristissima, & tardo hydrope, qui mortem euaserunt potentissimis auxiliis, si qui sunt qui mortem effugiant semel læsi, laborent perpetuò, desperata salus, vbi sitim auget auctissimus potus. Est eius veneni malitia tanta, vt vtiles omnes impediat naturæ euacuationes, quibus virus simul cum excrementis eiici posset; iis verò detentis, infectis iam veneno teterrimo excrementis, sitim augent, causa simul excidij,
85 & mortis. Mirabile remedium est huic morbo theriaca magna viperina substantia confecta, vt docet Galenus libro illo de theriaca ad Pisonem, 2. c. Nicander in theriacis, Paulus, & Ætius locis adductis, quæ, & si calidum medicamentum sit, venenum calidum corrigit, & emendat, non calore, nam cùm minùs calida sit, nequit calefacere calidius venenű, cùm remissum potiùs remittat intẽsum, & temperet qualitate contraria, quã augeat simili remissiori, si enim adaugeret, increscceret calor, quo non corrigeret venenum natura igneum, intenderet potiùs, ipsumque
86 deterius, & effrænatius redderet; imò cùm substantiam venenatorum animantium theriaca obtineat, cuius est ea natura, vt animantis venenati succos ad se alliciat, & vocet: ob carnes medij corporis viperinæ naturæ, quas in se recipit antidotus, virtute trahendi ab extremis venenatis præditas, quòd motu continuo extremorum capitis & caudæ, eo priuentur succo, & veneno, in extrema tracto motu & calore, quo priuatę trahere conãtur illud sibi natura decens, & propriű; nõ secus ac viuẽs quodlibet, omnesque

que eius partes ad ſe trahunt naturali potentia ſuccos, viperina ſubſtantia ad ſe vocat venenum quoduis, ſubſtantiaſque veneno affectas, virtute ad hæc relicta cadaueri, vt ſuperſunt alia accidentia, & virtutes variæ emortuis viuentibus, & non ſecùs, ac magnes ferrum allicit, & Aſtrum Poli omnia ad ſe reuocat, quæ magnes contigit, qualitatis contactu, viperina caro in cōfecto theriacæ, trahit venenum, infectoſque ſuccos in ventrem vbi reſidet, deglutita ſemel, remouetque à vitæ principiis, præcipuiſque partibus animantis infecti & læſi veneno, capite, corde, & epate, quæ ſuperſunt ea libera, tractum verò venenum, & infectam ſubſtantiam, ſudore aut ventris ſeceſſu eiiciunt, aut vrinæ viis; quò manet liberum animal, ſanum, incolume: theriaca enim, celebriſque antidotus ille, tot tantiſque altiſſimarum rerum generibus conſtans, miris virtutibus pollet excelſis, & dotibus à cœlo acceptis, quod illis rebus illa menſura, & proportione conſtantibus, ſic diſponatur materia, ſubiectumque illud, vt poſſit cælum & aſtra poſſint formæque illius rerum ſuam egredientium miſcellam, ſic paſſo diſpoſito, altiſſimas impertire virtutes, qualitates, & vires per effectus notas, quibus tale pharmacum venena corrigat, alioſque effectus mirabiles edat, quos in tot tantiſque morborum generibus variis cognoſcimus, de quo latiùs infrà lib. 3. dicemus, Deo dante. Lauri folia cōtrita, & morſui applicita laudat Plinius lib. 32. c. 5. & lib. 23. c. 8. & muriam, ſalſuginoſamue aquā fotu adhibitam, & balnea, potiones vrinam cientes Ætius dictat, tum eluit aluum per infuſa, & cogit ad vomitum, loco citato, vt cogit Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 3. c. 39. ex oleo tepido, qui vlceri applicant ea quæ vim attrahendi poſſident, inter quæ laudant theriacam, &

extrà vt attrahat, apponunt, Paulus Ægineta libro 5.
87 cap. 16. Porrò si specialia aduersus Dipsadem remedia desideramus, cõmunia priùs tentare præsidia tenemur, scarificationem, vstionem, imò partis recisionem; deinde acria cataplasmata parti superimponere, vini lauacrum meraci, & potio, salsamentorum, & acrium rerum esus, ruta, vitica, hyssopus vlceri apposita, polenta aquæ & farinæ, & salis: antequã venenum serpat, & viscera adeat, nam si semel apprehenderit, frustra applicantur; acria enim vocant adextrà venenum, & attrahentia medicamenta foràs trahunt, ne interna viscera, & cor officiantur, adextrà mouent, alliciunt exteriùs applicita, & euocant ex corporis alto dolore, & irritatione partis dolentis excitato. Trahit enim ad se dolor, estque vna ex causis tractiuis, quod partem stimulet, & laceret, cui vt suppetias ferat natura, spiritus & sanguinem mittit, vt roboret & defendat partem, quo rubescit illicò dolens pars. Tum vt causam molestantẽ cognoscat, vt pellat, propulset; hæc immittit, quibus sensus aguntur spiritibus, & sanguine. Quò refertur humoribus, & dolor trahendi est occasio, vt refert Galenus 4. de compositione medicamentorum per genera latè, & 6. de morbis vulgaribus, commentario 2. 13. methodi capite 4. Intumescit, & liuet percussa pars tumore lato Dipsade læsis, pustulisque lepræ instar inspergitur læsus. Hæcque cũ siti, sunt signa morsus huius animantis.

Dẽ.

De Hæmorrhoo Serpente.

CAPVT XI.

SVmma ſapientia Patris, Verbumque per quod 88
omnia dicta ſunt, tam libro illo ſignato notitiæ ipſius, quàm naturæ libro, diſtinctione illa qua omnia adextra extitere, tum libro ſcripto Teſtamenti vtriuſque, cum ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, docet Paulus ad Romanos 15. his: *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* In natura eſt nihil admiſſum, vel omiſſum ab ſcriptis ſacris, quod myſteriis plenum, & ſacramentis non ſuſcipiatur, aut reiiciatur; nil naturæ tactum temerè, cuius terreſtrium reptilium ſpecies omnes Scriptura continet, generaque omnia, vt nullum omiſerit in tam varia & diuerſa eorumdem copia in ſe, vel in eo quo continetur genere reptilis, ſolo Amphiſbena ſerpête relicto, quod duorum capitum beſtia ſit, monſtroſæque naturæ, cum noſtræ Chriſtianæ reipublicæ ſolum caput ſit vnum Chriſtus, eiuſque miniſter ſubſtituens vicarius cum eo, ordine vnus, vt dixit Paulus 1. ad Corinthios c.11. *Hominis caput Chriſtus, caput Chriſti Deus.* Latiùs infrà, de quo animanti proprio capite ſermo veniet. De Hæmorrhoo verò modò, cùm vna ſit vtriſque communis natura Hæmorrhoo & Dipſadi, Hæmorrhous Hæmarrhoos, Hæmorrhois, Hæmorrhoave idem eſt Græcis, quod ſanguinis fluor, ab αἷμα qui ſanguis eſt, vnde & vitellum ouorum cùm facillimè in ſanguinem commutetur, ob nimis diſpoſitam eiuſdem naturam Hiſpanis, *Yema*, appellatur, & cùm ſit vita in ſanguine, vt Leuitici 11.c. iis dicitur: *Anima omnis*

carnis in sanguine est: vitellum appellatur, seu vitulus, aut alimentulum, quo & pullus ad modum menstrui sanguinis enutritur, dum in ouo est putamine contentus. Tum ῥόος fluxum notat, fluoremve ex quo Castellæ, *arroios*, vocant fluores liquorum, & loca adhuc, per quæ decurrunt. vnde Hęmarrhoos fluxus sanguinis est nobis, Hebræis verò, *Hapholin*, est dicta, hæc fera sæuissima. Hinc sanguinis fluxũ quauis parte corporis veniat, Hæmarrhagiam appellamus ab αἷμα & ῥαγόω seu scindo; quod vt in plurimum resecentur vasa, & aperiantur, vt sanguis effluat, & Hæmorrhoidas, quod sanguinem fundant vocitamus, docet Celsus lib. *6*. capite de Hæmorrhoidibus, Galenus de differentia symptomatum cap. 5. Hæmus dictus est rex Thraciæ; sanguisve, quòd adeo fuerit sanguinis nobilitate superbiens, vt filium Iouis sese prædicaret, qui conuersus in montem, altitudine elationem animi ostentabat. Ouidius *6*. metamorphoseon, & *rios* vocamus fluuios, prolabentiaque flumina, à ῥόος. Apud Nicandrum in theriacis, hoc animans, *trampis* vocatur, & *thonion*, quòd Ægyptus hos procreet serpentes, & à Rege Thonio dicta fuerit Thonios Ægyptus, hinc serpens eo nomine à Nicandro appellata; trampis vero à similitudine nauiculæ, sic dictæ, dum vno ex latere ventris contorquetur agitata ventis, quod Hæmorrhous distortus, in latus decumbat dextrum,
89 peragentem motum, noto verò nomine Hæmorrhous, & sanguinis fluor dictus, quòd morsu huius animantis atrocissimi, inter omnia serpentia & pestes vitæ mortalium, contingat, mirabile dictu, semel ac atrum effudit dirumque venenum, toto è corpore percussos, hoc animante sanguinem reiectare, & fundere per vniuersos totius corporis

meatus

meatus continuo, vſque dum tandem exhalent animam. Cuius eſt ea animantis malitia, vt cicatrices duriſſimæ, ſi quæ ſunt in corpore percuſſi viuentis, feruore & æſtu veneni rarefactæ & liquatæ non minùs ſanguinem effundant, quàm & reliqua alia mẽbra, & compagines reliquæ diruptæ & diſciſſæ. Mirabilis eſt huius animantis natura diſſueta & varia inter omnia animantium genera, cùm truculentiſſimum eius virus ſanguinem & alimentum quod tenaciſſimè natura retinet, & defendit, ſumma violentia diripiat, & fundat prodigus, vt veneni rigida natura infecta animantia deficiant, aut victu destituta: quibus ſat venenum non eſt, ſubitò deficere quod leuius eſſet, & benignius mori, abſumpta humiditate & rore totius corporis, fame, canina rabie, & ſiti percita, hydrophoba & effugientia aquas, cùm tamen ſiti inexplebili excrucientur inſtar eorũ, qui cane rabido cuſſi miſerè extorquentur. *Sic* Ætius lib. 4. ſermone 1. c. 23. Quem ibidem vocat Hæmorrhoum marem, fœminam verò Hæmorrhoidam, alij Hæmorrhoam, & marem Hæmorrhoum. Eadem retulit Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 4. c. 36. Quem vocat Afudium & Sabim, Sabrimque Nicander in Theriacis, Dioſcorides lib. 5. c. 4. 7. & 64. Paulus Ægineta lib. 5. c. 16. Eſt hoc animans, & exitium mortaliũ, arenoſi coloris, cuius oculi fulgore ſplendent igneo & flammeo in pupillis, irides verò oculorum nigricant, vt in iridis tenebris pupilla luceat, tres palmos magnitudine æquant communiter, etſi maiores, minoreſque inueniantur rariùs, vt eſt nulli animanti magnitudo eadem ſpeciei alicuius. Hunc Ælianus latibula ſaxorum petere tradit, eſſeque magnitudinis pedalis, ſaltem quem vidit, quem naturæ alimentum inficere, & demoliri docet, ſangui-

nem ſcilicet. Eadem Galenus de Theriaca ad Piſonem, c.4. Plinius lib.33. c.117. qui multùm aduerſari Salamanoræ, Hæmorrhoum refert, Rhodiginus lib.6.c.9. & reliqui omnes locis adductis, proportione imminuitur à capite ad caudam vſque magnitudine deſinens, caput verrucis duabus protuberat, corniculorum inſtar, vt viperæ vna, quo aliquibus cornutus appellatur, meliùs tamen verrucoſus, aut verrucis aſperum; Ceraſtem enim ſolùm verè cornutum eſſe monſtrauimus ſuprà. Pigrè & tardè proreptat, tortuoſus, diſtortus ac ſi fractus dorſo & ſpina eſſet, incedit vacillans quaſi, & titubans, poſteriorique parti corporis innitens cedit, caudæ ſcilicet, etſi fœmina ventri innitatur magis, quem ſic occul-
90 tant, vt ſine ventre videantur: iis deficiunt ſpondylia duo dorſi, quo fractos, confractoſve incedere creditur, contortos, non rectos; caput enim non ſequuntur motu, imò anfractum dorſum, qui etſi non recti, rectà tamen incedunt ſemper, erecti, & celſi ſupra caudam, & ventrem, adſtantes, rigidi, totum multis maculis euariant albis, & nigris, ſquammis duriſſimis obteguntur, quæ motu perſonare docent Ætius, & Nicander locis adductis. Mas dum mouetur caudæ innitens circa ventrem, collum extendit, & porrigit, colligit fœmina incumbens motu ventri, non caudæ firmans motum innixu, ſed circa caudam. Nicander in Theriacis ſic cecinit de hoc animanti: *Pumilus ac titubans greſſu velut ipſe Ceraſtes, Proſiliens Elena abrupit, conuulſaque ſpina eſt. Atque hinc Hæmorhoi titubantes, atque Ceraſtæ, Vacillant ſoli grauiter præ vulnere preſſi.* Ælianus imò tanti fecit huius animantis colli vertebras, libro 25. capite 13. vt propter eximias, raras & admirabiles earumdem dotes; narret, Deos ipſas furari non erubuiſſe,

indeque

indeque huic animanti deficere, distortumque gradiri, propter Deorum raptum: reliquas verò venenis obsistere vstas, & potui exhibitas, vtilioresque esse, quātò capiti venenoso viciniores adstant, cuius cerebellum nimis vtile, & concrematum caput redactum in pollinem animalis ictibus indicant. Nicander, Ælianus Rhodiginus, locis conscriptis. Lepidissima fabella, pulcherrimaq; disgressione audientium animos demulcent, ne tædium afferat, inter tot tantaque genera obscœnorum animantium 91
detineri, hæcque ipsa animantia fœmineis viribus Helenæ victa, cum cognouerint, metum excutiant viri, huius horrendæ, & diræ animātium cohortis. Inquiunt enim animosam Helenam è Troia reuersam cum viro suo patientissimo Menelao, iuxta Nilum, cùm sese recreare tentasset, & classem multis vndis, & naufragiis versatilem, eo loci sistere decreuisset, læuum Boreæ impulsum fugientes, iuxta Thoniam regionem stetisse, Thonide regnāte Rege, vt eo loci Ælianus narrat: Canobum verò gubernatorem nauis doctissimū nauclerum è naui egressum, vt somno amissam quietem resarciret, in Hæmorrhoum incidisse, quem cùm calcasset, veneno infectum indignati animantis decessisse miserè, indignatamque Helenam baculo dorsum infregisse animantis, quassasseq; vertebras, Hæmorrhois diræ, quò fugit spina animantis corpus, vitiosusque perstitit, & obliquus, cúmque intelligeret illa, mirabiles vertebrarum dotes, & virtutes raras, medullis earumdem contineri, philtra, æmuleta, veneficia parauit, & maleficia ex eisdem: Helena illa, quæ maior erat & potentior pulchritudine sola, omni arte venefico, & magico; non secùs ac illæ quæ cùm vera pulchritudine excellant, hac indignæ, ob corruptos mores, vitiosos,

&t etros,

& tetros, numquam ſat ſibi factum vera pulchritudine putantes, fucatam, & ſimulatam expetunt, menticuloſam, & fictam, fucis, pigmentis, figmentis imò, depictis faciebus, & effictis oſtentare. Monſtroſa nimis ſunt accidentia quæ ſequuntur: Hæmorrhoë cuſſos, varia & pugnantia nimis, vltra id quod ſanguinem toto è corpore fundunt, vt ſuprà mõſtrauimus, locus ictus cruẽtus fit, ex quo ſanguis,
92 & aqua emanant ſimul poſteà tamẽ; nam ictus principio fluit nihil, pòſt ſanguis, tandẽ ſanguis, & aqua, docẽt Ætius, Ælianus, & alij. Ventriculi adeſt dolor, ſpirandi difficultas, fœtet anima iis, dixit Paulus, ideſt, anhelitus nimis, excidunt dentes, putreſcunt gingiuæ, ex vnguium radicibus, oculorumque angulis, & dentium cruor exit, & ſanguis ex toto emanat, vertigine laborant, venter euaneſcit ſubitò; marcidi fiunt, ectici, melancholici, recrudeſcunt vulnera, & cicatrices, ſi quæ ſunt in corpore, manat ſanguis, vrina eſt iis cruor, ſputum, omnia naturam priuant alimento, ſanguine, & tandem vita; obeunt percuſſi, proprio ſanguine deſtituti. Vacillans capite mouetur celſus, & rectus ſupra pectus, vt diximus, diſtortus in latus dextrum; quam poſitionem, & motum imitantur, hoc animante afflicti, cum caput moueant continuò, & in latus dextrum decumbant, diſtorti & obliqui, quaſi cordis latus, corque ipſum deferant iam iam, miniméque tueantur. Prima nocte morſus horrificæ beſtiæ, ſanguis ex naribus ſalit, collo, & auribus recens, bilioſo veneno coinquinatus, poſteà ex toto; ſed admirabile dictu, ille eſt æſtus in internis, & conflagratio, vt cutis vniuerſa fuligine nigra, & horrida inſpergatur, non ſecus ac fornaces intus has ipſas pendentes obtinent, racemorum more, obſcurum, tenebroſumque ſpirant fumum.

fumum. Eſt illud incendium ad intus, & vſtio illa; horret æger, & exuritur; ſimul clamitat, vociferatur; mira & varia ſeſe videre prædicat vigilia & sõno, narrat horrifica plurima & metu plena, reuelat abdita quædam, ex effectibus abditas cauſas præſentiens, prædicit, præſagitque de rerum euentibus, quos in cauſis cognoſcit, corpore eo viru diſpoſito, intenſiſſimo affectu melancholiæ, qua & multa occurrunt ſpectra, varia; & tenaci imaginatione ex iis in illa decurrit, vt ex analogia præteritorũ, & futura prædicet, oculos emiſitios iactitat, iræ plenos, furibundos. Deterior eſt fœmina mare, viru & pernicie; vt in reptilium genere omni contingit, fœminas deteriores eſſe veneni, morſuſque earumdem maiori periculo plenos; eo poſitu continere dentes fœminas, ſcripſit Ælianus libro 15. capite 13. vt facto impulſu morſus indignati animantis, ex ſummis tunicis dentium dilaceratis priùs, dum alios veneno inficere tentat, venenum effluat, ſanguiſque copioſus ſimul gingiuis eliſis, & tanta rabie multoties fœminas percitas dentes incutere, vt vel elidãtur, quaſſenturque omnino, vel profundè adeo eos iniicere, vt poſteà extrahere impotentes, relinquãt in vulnere, non ſecus atque apes, ſtimulum & vires abiiciũt, vulnere facto. Inter atrociſſimos ſerpentes Lucanus lib. 9. folio 252. numerat Hæmorrhoum de quo ſic cecinit: *Squammiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes, Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Cherſydros, tractique via fumante Chelidri*: Caſumque lugubrem iuuenis illius heroici Romani Tullij refert non ſine lachrymis, quòd illum quem tela, & tormenta bellica, haſtæque, & gladij ingentes non euicere, minimus ſerpens Hæmorrhous vicerit, vitâque rigidiſſimè priuauerit: vbi hanc triſtem Elegiam

giam eodem libro folio 255. ſcripſit. *Sed maiora parant Lybicæ ſpectacula peſtes, Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo, Magnanimo iuueni, miratorique Catonis. Vtque ſolet pariter totis ſe offundere ſignis Corycij preſſura croci; ſic omnia membra Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus. Sanguis erant lacrymæ: quacumque foramina nouit Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant, Et patulæ nares: ſudor ruber: omnia plenis Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.* Eſt hoc animans natura ter-
93 ribile ſpeciei & naturæ Dipſadis. Cùm accidentibus ſubſtantia & eſſentia illam æmuletur, ex quibus naturam vnam, vel diuerſam colligere datur cùm quòd cordi officiat primo vitæ principio; vt Ætius docuit, & Ælianus ipſe, non aliter quàm Dipſas, tùm quòd ſitim inferat ardentiſſimam, quod proprium eſt Dipſadis, eo quod ventrem aqua repleat, & hydropem pariat, quod Nicander docuit iis loco citato. Poſt ictũ ſtatim decolor ſpecies accurrit, nigra nimirum, corque ipſum non bono dolore circumagitur. Venter aqua refertus ſiti effluit; Paulus idem libro 5. c. 16. qui vnum caput inſeruit Dipſadi & Hæmorrhoo, & remedia eadem veneni, quod ſint naturæ eiuſdem; contraria enim quæ habent, eadem ſimilia inter ſeſe eſſe eſt neceſſarium, cum ſint eadem vni tertio; & ſi ſpecie eadem; ſpecies eadem eſt illis communis. Non minus Dioſcorides eiſdem vtriuſque morſibus ſubuenit remediis. Vnumque caput vouet Hæmorrhoo, & Dipſadi libro ſexto cap. 64. qui Hæmorrhoë percuſſos docet, marceſcere ſubitò, langueſcere, abſumi, humidæ ſubſtantiæ excretione, omniſque aquoſæ humiditatis ſeceſſu: quo ſitis inexplebilis oritur, eadem remedia eidem veneno præparant, idemque venenum ſpecie eſt, quod eiſdem remediis ſpecie euincitur, & eiuſdem naturæ animantia,

que, ſpecie amiſſa, nitore, & colore priſtino, aqua & ſanguis effluunt, ſubitò, & ſimul emanant, defluũt; nulla eſt quæ non vexetur pars, torqueaturque miſerè. In hoc verò cõueniunt omnes, quotquot de natura horum animantium ſermonem iniere, nullum icere, aut lædere quempiam, niſi cauſa vindictæ, & noxa priùs accepta calcatu, aut alio quouis genere offenſæ, ſecùs verò nunquam officere alicui, aut rariſſimè; ea eſt innocentiæ potentia. Atrocius eſt multò venenum Hæmorrhois veneno Dipſadis, vt quod vltra id quod ſitim tardã inferat, & rebellem, vſque dum effluat venter aqua refertus, ſanguinem & alimentùm effundat diſſuetis naturę regionibus & viis. Tanta eſt veneni potẽtia vt diſſueſcat natura eo infecta à communi via, ſic agitata veneno, vt non ſpectet communes euacuandi meatus, ſed per inſueta loca eiicere tentet virus. Dioſcorides libro 9. c. 10. communia remedia, vt diximus, puncturis horũ animantium inſtituit; quorum ictus inquit, velut immedicabiles à pleriſque maiorũ deplorati relinque-
95 bãtur; quare ſi peculiaribus contra Dipſadem remediis egeamus, communia experiri operæpretiũ erit. Protinus autem ſcarificatione vti, vſtionem facere, & ſi locus patiatur, amputatione opus erit; conſequenter quàm acerrima cataplaſmata admouere, vſus alimentorum acrium, ſalitorum, vini potiones, vtiliſſima ſunt, & vulnera abluere vino calido, euocante ad extra ex breuibus interuallis admota, priùs quàm venenum ſeſe diffundat, & ſerpat; nam ſecus nulla actio medici iuuat. Peculiaria ſunt folia vitis cum melle trita, & vulneri applicita. Ætius loco adducto hæc omnia maximè commendat, & diuretica medicamenta, ſeu quæ vim habent commouendi vrinam, tum allium manſum, & appoſitum,

positum abluere oleo vulnera,& ictus, & vomitoria medicamina, vlceri verò dissectas gallinas calidas applicare iubet, & emplastrum ex calce viua cum oleo permista, & theriaca ad portiones æquales cõmendat simul,allias ingestas, simul vinum,& pisces, tum vulnera alliis tritis confricare,vuas passas,& reliqua ad extra euocantia. Eadem retulit Auicenna, & Paulus locis adductis, Galenus,Plinius, & alij. In summa omnis intentio est euocandi ad extrà, distrahendique venenum à corde, & visceribus, per medicamina Metasyncritica dicta Græcis, seu ad foras euocantia.Communiter hoc animans vnius pedis est longitudinis, & si maiora videantur quandoque, & minora adhuc, vt & de Dipsade diximus, certam magnitudinem non seruare; incertam imò & dubiã, ob cœli terræque varia climata,tum ob generantium diuersam dispositionem, interim dum munus generationis absoluunt: fortiores enim, robustioréśque parentes maiorem virtutem impertiunt, robúrque maius genitis, & his quæ ab illis procedunt, vt ad maiorem nascantur magnitudinem minorémve. Non secus ac cœlum,& astra, terræque dispositiones congeneres, aut oppositæ incrementum,& vires augent, aut impediunt. Est lati capitis, & ventris lati, humidissimi alui, & siccissimi dorsi, cuius squammæ exsiccantur adeò veneno torrido,& æstuanti,vt cum strepitu moueatur, estque illa veneni conflagratio, & incendium, vt cùm exuratur sæuum animans internè, extrà rigeat, more eorum qui internam inflammationem patiuntur,& interna quasi exuri videtur, quo in saxorum frigidorum cauernis domesticam sedem habent, vt temperentur frigore domicilij,æstus habitantis, ex Nicandro in Theriacis; docuit Ælianus libro 15. capite 13. Amat quam maxi-

mè silicis rimulas inter lapides omnes Hęmorrhous, cauernamque asperam, & supinum expetit lectulum, modicéque pendentem, inclinatum ad latera, non rectà descendentem, propter distortum eius dorsum, asperum verò, vt dixit Nicander, ne nimio oppressus somno, victus obliuiscatur, & laboris sui, & familiæ totius mas, quem trahit diu, reponítque, & obseruat in futurum, præsentiens temporis iniurias, vt deinde eodem vtatur, vt decet. Sunt enim prudentes serpentes, & in futurum plurima quasi consilio facto disponunt, vigilantiæ aptissimũ hieroglyphicon. Silex enim signum est diligentiæ, & sedulitatis; depingimus enim ipsam per fœminam manu habentem silicem, & excussorium, quasi nec noctu quiescere velit, quando omnia somno consopita requiem defessis membris concedunt, aspero le-
97 cto, vt quiescat minùs, somno vtens breui, & inquieto. Etiam vnius pedis longitudinis fuere Hæmorrhoes à Nicandro spectatæ in Theriacis, vbi hæc de natura huius animantis ad literam reddidit.

De causis mirabilium effectuum Dipsadis, & Hæmorrhois.

Capvt XII.

98 INter raros, & varios effectus, quos hæc duo animantia potentia veneni excitare consueuere, duo illi sunt omninò admirationis pleni. Vnus, quod Dipsadis virus, eius cõditionis & legis sit, vt inexplebilem, & omnino incompescibilem sitim inferat percussis, adeoque insatiabilem, vt semel ac veneno atrocissimi animantis fuere infecti, ineuitabiliter, vno ex

ex duob. generibus mori detur necessariò, vel æstuāti & sicca potētia cruoris, incēdio & conflagratione vsti, quasi vulnerati, vel tantū potū exhaurientes, corrigendi veneni causa, sitisque extinguendæ torridæ, vsq; dum grauitate potùs venter oppressus dissiliat medio fragmine, vmbilico & vtero diruptis, effusisque visceribus diffuso potu. Alter verò, quòd tātæ sit malitiæ, & truculentiæ Hæmorrhoica pestis, vt semel ac venenum effudit, coinquinet adeò, subuertatque naturā afflictam, vt placidissimū sibi, necessariúmq; alimentum sanguinem infectum eo viru, respuat, abhorreátque omninò, & reiiciat per vniuersum corpus, quà patet & quà non patet via, poris vniuersæ corporeæ molis, oculis lachrymarum loco, naribus, ore, venarū, oris, vt totum sit pro vulnere corpus, ex quo crudelissima suboritur fames, alimenti defectu, vt iis duobus animātibus fames & sitis subnascātur accerrimæ, vt ex historia prægressis duobus capitibus nota, ex tot tantisque grauissimis autoribus datur intelligi. Duo sunt passionū genera quæ nos maximè infestant, & vrgent, docet Plato 3. dialogo de republica, Aristoteles 3. Rhetoricorū ad Theodectē. c. 5. illa scilicèt quæ ex venere, & alimento excitantur, ingentissimæ, siquæ aliæ passiones, ex quibus duo illa capitalia vitia suboriuntur, luxuria & Gula: sic dictæ, quòd vna ex luxu & otio oriatur, quo dixit Ouidius : *Otia si tollas, periere cupidinis arcus.* Altera verò ex gula dicta, Oesophagique parte nostra, quam nucem colli vulgares appellant, & gulam; quæ maximè rationem subuertunt intensione appetitus excitati. His duobus cupediæ generibus, ex gustu & tactu, iudices alimenti, sensus quibus nostra resarcitur substantia, & seruatur species gustus, voluptatis ope eius causa operantis, organum,

cuius cùm simul tactum obtineat, delectatur tangibili, dum ad suauem naturæ modum, eodem afficitur, docuit Aristoteles, organo gustus tactum inesse, 2. de animo textu 101. Cùm tactus omni animanti necessariò insit, omnibusque eiusdem organicis partibus, vt sese muniat, & defendat à contrariis, corruptiuisque qualitatibus, quæ sub eius obiecto continentur, vt dixit eodem 2. textu 17. & 22. quo & tactum gustum vocauit, textu 28. eiusdem libri & 67. Nam ex obiecto tactus multoties oritur affectus in gustu, si tangibile delectet instrumentum gustus, & obiectum quod delectat tactu, gustus tangibilia instrumenta affectet, quæ & sunt gustabilia obiecti gustabilis; voluptas enim tangibilis in instrumento gustus, mouet gustum, vt voluptate suborta ex tangibili in gustum qui & tangit obiecta tangibilia, gustet, ex tangibili, de obiecto tactus, qui eo modo eleuatus in gustu, & depuratus sua eminentia, potest & gustũ affectare; non secùs ac si formaliter esset gustabile, eminentia, actu sensus producto, formali illo, factóque gustabili actu & opere, gustabilis, excitati in gustu; & delectabilis, cuius nomen non habemus proprium, sed gustabile ex tactu subortũ vocitamus cõmuniter; vt bibentes frigida, dum siti vrgẽtur, & gustũ affectant, nõ solũ tactum. Hæc enim eadem qualitas quæ tactum mouet, nil impedit alia ratione spectare ad gustum, ipsumque afficere alio modo peculiari, in gustu diuerso: quò est quidam tactus, cùm eiusdem obiectis aliquibus, & ex tactu delectetur, alio modo affectus tactu, quem vocamus gustum illis in partibus. Eo modo subordinantur eæ potentiæ, ob congenerem earundem naturam, quod aliis non datur, ex eo quòd in fines necessarios adeò non sint animantis. Quibus tactum quædam vocauit

uit Aristoteles, non simpliciter tactum, sed quendam; est & tactus in aliis omnibus organis aliorum sensuum, at dum immutantur, non simul tangibilia suscipiunt, vt accidit gustui. Ordinantur enim gustus, & tactus in nostram substantiam, vt reliqui sensus in accidentia solùm, vt anteà diximus. Cùm verò substantia pluris sit accidentibus omnibus, perfectione, cognitione, & tempore antiquior, illis sensibus conseruatur, quibus magis vrgemur, & quorum voluptates sunt intensiores, vt eisdem trahamur in substantiæ tutelam. Quò gustus potentissimæ actionis est; sed maioris tactus, est enim gustus quasi tactus lena, & minister; tactus verò calidum & humidum, siccum & frigidum cùm discernat, & iudicet, quæ temperiem nostram seruare queunt, & domicilium sustinere animæ sensibilium omnium, cùm dispositiones vltimæ eodem seruentur; temperamentum, proportio; hisque qualitatibus alteretur substantia alimenti, & vertatur in substantiam aliti per actiones alentis animæ, sensus substantiæ, alimentique vocatur ab Aristotele locis adductis 2. de animo, textu 17. Tum adhuc, quòd fames & sitis vocata animalis, quæ medio sensu excitantur, sentientibus omnibus, medio hoc sensu suboriatur & crescat, vt docuit Philosophus 2. de animo textu. 28. Vbi dixit; fames est cupiditas calidi & sicci, vt sitis frigidi & humidi, quæ qualitatibus tactus excitari, ad ipsumque pertinere constat. Vt his adhuc pateat, meritò sensum alimenti ipsum appellasse Aristotelem. Hinc hæ duæ passiones ingentissimæ sunt Gulæ & Luxuriæ, quòd ex stimulato appetitu oriantur ad voluptatem maiorem impertitam; propter substantiæ obseruationem, speciei, aut suppositi; quarũ hæc gula, illa luxu fit, quæ est no-

nobis ſeruanda ſpecies maiori conatu reliquis aliis,
quantum reliqua excedit: ideoque impertitus eſt &
99 guſtus tactui partibus illis paraſtatibus dictis, neruo-
ſis venulis, per quas ſemen decurrit, & è quibus eia-
culatur extra animal exercitio venereo, vt non ſe-
cus, ac vt naturam ſeruemus indiuidualem, & pro-
priam; tactus eſt nobis immiſtus guſtui; in Oeſo-
phago gulæ è palato ad pectus vſque deſcendens,
vt eſt videre in vulneratis pectore, qui dulcia degu-
ſtant per vulnus immiſſa ſiphone, ablutionis vulneris
cauſa: ſic, vt ſpeciem ſeruemus guſtus, immiſcetur
tactui venulis illis, vt qualitates eius obiecti guſtet,
quibus tactus afficitur, dum deſcendentis ſeminis
qualitates perſentit, titillans, & pruriens, caleſcēs
& vdus tactus, ſalſedine ſeminis inſtigatus molli-
ter, cupiens eiicere quod inſtigat, delectatur titil-
lans, & pellens titillatus cauſam; quò in naturā re-
dit, eſt voluptas in reditu ad naturā, Plato in Timęo.
Ariſtoteles 2. Ethicorum c. 7. alij & alij. Hinc locis
adductis, & tactum guſtum vocauit Ariſtoteles;
imò & videmus, animantia ea voluptate abſorpta eo
in actu venereo maſticare, & deglutire, actu ſenſus
decepta, cogitantia alimentum oblatum illud, guſtu
affectato, cùm ſit in aliis corporis partibus obiectum
tangibile, in viis generationis & inſtrumentis eius,
ac ſi eſſet in ore voluptas; aſinos enim, capras, cha-
melos, & præcipuè fœmellas hæc pati videmus, quòd
viciniores obtineant generationis partes, ad intra-
que retractas, inſtrumento guſtus, non vt mares
ad extrà, quo decipiuntur facilius. Inter has verò om-
nes paſſiones tactus & guſtus, maior eſt quæ ad ſer-
uandam ſpeciem inclinat, & mouet, Venus, in-
quam, tangibilis guſtabilis dicti, vt ſpecies eſt ma-
ior & indiuiduo pluris, quò naturaliſſimam actionem
viuen

viuentis 2.de animo.cap.4. vocauit Ariſtoteles, generare ſibi ſimile, quod naturam ſeruet ſola, & tendat in illam, minúſque arbitrij relinquat, & liberi actus, appetitu intenſiori: reliquæ verò quæ ad indiuiduum attinent, guſtus ſcilicèt, famis, & ſitis ſenſus, maior eſt illa quæ eſt ſitis, quàm quæ eſt famis, vt hæc illa, quæ eſt guſtus paſſione, & guſtandi actu: fames enim & ſitis ad tactum pertinent, quò moleſtia ſentitur qualitatum tangibilium, & appetitus contrariarum, guſtus oblectamentis expectatis in tranſitu, & ſuſceptione eorum, quæ has poſſunt frænare cupedias; excitatur enim ſitis potentioribus cauſis, quàm fames, & hæc maioribus quàm guſtus inſurgit, quod & ex habitibus contrariis quibus inſurgunt priuationes, ex quibus dimanant inclinationes, & appetitus ad oppoſitos habitus, patet. Eſt enim ſitis appetitus frigidi, & humidi, vt calor, incendiumque, & æſtus, tũ ſiccitas quæ ex calore prouenit, & ex cauſa excitante ſitim, temperentur, & corrigantur. Quò in æſtate ſitimus magis, excitatur 100
enim ſitis bilioſis humoribus principaliter cõfluentibus ad ventriculum per vias communes, quæ ſunt à veſica fellis in ventriculi os, & cùm humor calidus ſit, & ſiccus natura, æſtuat os ventriculi, & incendio flagrat ſenſu moleſto, quem vt vitet, & cauſam moleſtantem expellat, vel diluat potu, vt infixam detergat, aut amoueat, contrarium expetit priuatione ſuppoſita, & optat frigida, & humida ſimul, vt frænet cauſam. His duabus increſcit ſitis qualitatibus, hocque humore, vt docuit Galenus primo de cauſis ſymptomatum, capite ſeptimo, aut vna, alterave prout actiuior fuerit, dum ſola inuenitur. Cauſat enim & ſitim ſanguis, & ſi non tantam ac bilis, calore intenſo quo pollet, &

incendio,

incendio, vt patet. Tum salsa pituita sanguine magis, salsedine & pruritu molestiæ, quo & febrem ardentem salsuginosa substantia, pituitaque illa quæ salsa vocatur excitare solet, cuius febris sunt signa incompescibilis sitis, & calor perurens, nigra lingua, vt in biliosis contingit, bilis incendio & siccitate, docuit Galenus, & Hippocrates docuit 4. de morbis vulgaribus, latè. Post hæc melancholia siccitatis excessu sitim inducit. Cùm ergo calore nascatur sitis potentissima omnium qualitate, & siccitate, quæ lima caloris & acuties est, molestans & pruriens qualitas, vt docuit Auicenna capite de febre biliosa, ingentissima passio iudicatur. Et hinc est, quòd molestiam maiorem inferat, excrucietque, & angat impensissimè, quò vt molestiam abiiciat, & causam irritantem excutiat animans, principaliterque vt voluptate afficiatur, contraria expetit, frigida & humida, vt diluta causa minùs infestet. Fames verò calidi & sicci appetitus est, quæ melancholia pullulat, frigore & siccitate simul. Auget enim actiones harum duarum qualitatum siccitas; calori enim iuncta, intensiores producit effectus calor, & non secùs frigus, quòd irritet, & sensum excitet natura mordaci, & acri, vt expergefactus sensus copia spirituum allecta ad sensationem obiecti stimulantis, vt natura possit eum à se propellere maiori impetu, reliquas qualitates spirituum copia, caloris & frigoris sentiat commodiùs spiritibus perfecta natura, & corroborata, dispositaque meliùs. Quò Galenus loco adducto de symptomatum causis, melancholiam famem præcipuè generare dixit, frigido & sicco, os ventriculi occupantem, corrugatione facta, siccitate acerba, adstringentique, sicco & frigido stimulante, quæ ab humore melancholico prouenire docuit,

docuit, frigido & ſicco humore immiſſo ad ventriculi os, vt appetat calidum;ſiccũ verò vt alimẽtum hæreat,& affigatur;ſiccitas enim ſoliditatis alimenti cauſa expetitur, vt non fluitet, minuſque bene impinguatur partibus, nec appetit ſiccum moleſtans, ſed ſufficiens affixioni nutritionis. Poſt hanc verò famem pituita mouet frigoris actiuiori qualitate,& poſt illam ſanguis humiditate, qua ſiccum alimentum expetit,& ſolidum venter; vltimò tamen bilis eam mouet ſiccitate minimè actiua cauſa, vt acrem & mordacem diluat humorem, alimentum humori immiſtum cuiuis, quo minùs moleſtiam inferat ventri. Seruat enim, & excrementa in ſuos vſus natura, non ſecus atque alimentum ſeruat in ſubſtantiam aliti, bilem in veſica cuſtodit nuncupata fellis, vt portione emiſſa in ventriculum, per venam in ipſum inſertam ad ſupernam partem ad os ipſius, ſitim excitet vtiliſſimam animanti, quòd potu deferatur ad intima corporis alimentum, ad quæ peruenire non poſſet, niſi potu dilutum in quo effluit & venit, portione altera immiſſa in ventrem per venas è veſica venientes quibus illum aſpergefacit, vt feces eiiciat debito tempore, alia cum vrina portione permiſta, vt veſica ſtimulata hac eadem, mingat. Non minùs melancholiam cuſtodit lien,vt remittat quando opus eſt in ventriculum partem, qua excitetur appetentia alimenti & ſiccetur caput à ſuperflua humiditate illi continua, vt rectricum potentiarum actiones firmiter moliatur. Pituitam verò & ventriculus cuſtodit, vt in illius humiditate elixentur cibi, & coquantur more teſtæ aqua plenæ in qua elixa coquuntur, partemque ipſius remittat in artus, vt attritu continuo, cùm incaleſcunt, irrigentur, exſiccati motu, vt ludere poſſint & ſint faciles

ciles verſatu. Partem reliquam cum ſanguine miſtam relegat venis natura prouida, vt ſi deficiat ſanguis, ſemicocta pituita, ſemiſanguinis natura elaborata, magis ampliúſque recocta ſanguis fiat, ne alimentum deficiat, vitæ tutela; non ſolùm contenta ſanguine, ſed futuris præueniens. Hæ verò cauſæ ſitis & famis dum mediocritatem naturæ obſeruant, proportionemque eiuſdem, famem moderatam & ſitim efficiunt: quos vocamus naturales affectus. Secus verò, intenſione cauſarum hæ paſſiones creſcũt, præter modum naturæ, excedẽtes & auctæ, tumque præternaturales ſunt, ſymptomata dicta Græcis, vt canina fames, quam patiũtur ob melancholiæ abundantiam canes ſicciſſimi, factam vſtione bilis; melancholicique cinericio illius relicto exuſto, frigido & ſicco. Sunt enim bilioſi canes temperie, accidenti verò vſtione reſultant melancholici; quò ingentiſſima fame infeſtari ſolent, adeò vt ingurgitent tantam alimenti copiam, vt illam ventriculus ſuſtinere impotẽs euomat ſemicoctam ingluuiem. Vnde euomunt frequenter, fameque compulſi occultant vomitum, vt poſteà ad vomitum redeant, & ſemico-
101 ctam alimoniam (adagio dicitur) non ſecùs melancholici homines, reliquaque animantia inſito temperamento, aut euerſo, cauſis alterantibus præternaturalibus, fame excruciantur incredibili, quam vocamus caninam, plura multò ingerentes hianti ventriculo, ob melancholiæ abundantiam, aut fluxum illum ſtimulantis, quàm commutare poſſint: vt euomere cogãtur tandem; vt melancholicis accidit, docuitque Galenus 3. de locis, & libro de melancholia ex Rufo. Ariſtoteles verò prima ſectione problematum, problemate 30. Non ſecùs ſitis oritur incredibilis, bilis abundantia, renumque incendio in

paſſione

paſſione dicta διψακὸν Græcis, & διαβήτες, Latinis vrinæ profluuium, eo quòd quale ebibitur, tale emingatur, nulla quaſi mutatione facta, quæ cùm illico reiiciatur, animans ſiccum permanet, non vtens potu, ſitique torquetur intenſiſſima, docuit Galenus 6. de locis, & 1. de criſibus, & 1. de cauſis ſymptomatum, cap. 7. Semper ſitiens, remittens potum, illico ac bibit, & cùm ea quæ moleſtiam inferunt, ventriculus reiicere conetur, in fame, & ſiti moleſtatus, variis cauſarum generibus, variè contraria expetere ſolet appetitu vario & diſſueto, prout oppoſita diſpoſitio, oppoſita aufertur, corrigiturque contraria, vt ex appetitu & cupiditate hac, aut illa, cauſam cognoſcamus oppoſitam ventriculo affixam, ad curationem horum affectuum alioqui vtiliſſimum, vt in fame dicta Πίκα, id eſt, corruptio, & ſiti vitioſa.
Quod videre eſt in prægnantibus paſſim, quòd cùm 102
menſtrua illis ſtiterint, ſucciſque vitioſis abundent ex retentis menſibus, fluxione excitata in ventriculum, ſecundùm quod eſt humor ventriculum occupans, ſic appetunt oppoſita illi, vt corrigatur contrario quouis. Ex quo videmus, modò carbones expetere ſiccos, propter pituitæ abundantiam, & fictilia recocta, cruſtaſque aduſtas panis, cinerem, Gagatem lapidem, & è contra humida, ſi infeſtantur ſiccis, ſi corruptis corrupta oppoſita, ſi obſcœnis obſcœna, tam fame quàm potu appetere, & deperire; vt modò bibere ſanguinem, ſpurcas aquas, cœnoſas, turbidas, appetitu vario, & in dentibus modo prurigine excitata humore tetro, deſiderium oritur iniiciendi eoſdem, mordendique multoties; vt humor ille cõpreſſione expellatur; quò morſus quandoque propter humorem in dentes decumbentem pernicioſi fiunt, præcipuè in grauidis, propter varios

quibus

quibus abundant ſuccos.Et cùm in omni miſta ſubſtantia quatuor genera partium contineantur, elementis quatuor reſpõdentium,igneæ ſcilicet partes, aëreæ,aqueæ,& terreæ; quæ & ſi formas elementorum non retineant, virtutes tamen eorundem effectiuas,naturæ eiuſdem,accidentiáq; & diſpoſitiones materiales plurimas obſeruent elementorum, quæ iam abiere,ſpecie eaſdem ob prędominium,huic illive elemento adſcripta forma quæuis miſtæ ſubſtantiæ, ſic producit & implet has partes,actibus & accidentibus ab illa dimanantibus, poſtquàm materiam miſti occupauit, vt aptæ erant partes illæ efformari, ſecundùm diſpoſitiones ab elementis relictas, craſſas,terreſtréſque,ſiccitate & frigore affectat, fluxiles verò, craſſioríſque ſubſtantiæ, frigore & humore, quas aqueas vocamus. Aëreas humore, & calore, prout ſua fert diſpoſitio, ſubtiliſſimas calore & ſiccitate, quas igneas conſtituit. Eſt verò in omni miſto neceſſaria coctio quæ à calore fit, docente Ariſtotele Meteororum 4. capite 2. cùm coctio & miſtio conſiſtant perfectione caloris, humidíque,ad qualitates reliquas. Continet enim calor, dum potens eſt, elementa in miſtione, dum durat miſtum,vt ibidem docuit Philoſophus;quo naturalis calor miſti cuiuſuis, in humido oleoſo aëreo conſeruatur, & creſcit, vt flamma in oleo, & aqueo extinguitur copioſo,& ſi creſcat exiguo, vt in fornacibus eſt videre. His verò debilibus calore & humore langueſcit miſtum, ſenectute frigida,terreſtréque fit,& aqueum frigidum natura, ſiccum ſubſtantia, humiditatibus plenum excrementitiis, vt ſenectus docet.Sunt ſenes ſicci ſubſtantia, & frigidi;at humidi, cum calore debili cruda relinquente alimenta, tum aquea ſubſtantia deſerente miſtionem, fluore hu

re humidi in superficiem, in centro verò substantia sicci, vt ibidem Aristoteles docet; vt mista omnia labentia in interitum, frigida & sicca constituit naturá, resolutis tenuibus partibus temporis tractu, igneis & aëreis quibus mistio continebatur, alterantibus igneis aëreas, quas in se commutant, perdurante mistione, aëreæ aqueas, & aqueæ terrestres, vt igneas alant, & aëreas, in quibus misti duratio consistit vndique dispositionibus mediis terreæ in aqueas, eæ in aëreas, aëreæ in igneas tandem dispensentur, accedentibus ad vltimum, in quo vita seruatur, & residet: cùm hac agat mistum potentissima qualitate, actiuissimáque, calore, suásque moliatur actiones hoc magno instrumento naturæ, agentissimo, foto in humore aëreo. Esse verò, & duratio propter operari sit, vt 2. cœli, c.4. docuit Philosophus, quo dum hæ partes debitam seruant proportionem inalteratæ à corrumpentibus naturæ agentibus, moderatos affectus, passionésque habent: dum verò potentissimæ causæ has alterant, & inficiunt, disponúntque aliter quàm naturæ conuenit, rarefactione aut attenuatione nimia, incendio & æstu, sic illas exponunt, sic parant, vt forma ad dispositionum mensuram primarum qualitatum, primas easdem, calorem & frigus, humiditatem & siccitatem producat,
& causet. Quò multoties solem nimiũ perpessi plu- 103
rimi euasere ectici, docet Galenus 1. de differentia febrium, calore producto ab anima secũdùm dispositiones quas in partibus inuenit, alterata substantia secundis qualitatibus, rarefacta, attenuata aut aliis, & ideo calor ille independens est, habitualisque dictus, ecticíque dispositio naturalis hoc sensu, vt à natura procedat, & ab anima, violenter disposito subiecto, & à materia priùs. Et hinc est quod difficulter

culter ſeparari poſſit à ſubiecto , imò tertia ſpecies
ecticæ nunquam,adeò iam elanguit natura, & tanta
eſt violentæ diſpoſitionis intenſio , incrementúm-
104 que. Hinc canis inter omnia animẽtia in rabiem ef-
fertur,bile eius corrupta,& putrida,ad quam diſpo-
ſitionem forma illius humoris , venenoſam produ-
cit qualitatẽ,veneficámque, qua inficit animal poſt-
eà,ea conceſſa, illi formæ qualitate peculiari in illo
ſubiecto,ob eius peculiares diſpoſitiones,& non al-
teri , alteriuſve animantis felli. Sunt enim diuerſis
formis inſitæ qualitates diuerſę,ob diuerſa acciden-
tia, quibus ſubiecta euariant , quò inter omnia ani-
mantia canis, ex ſe rabie corripitur facilè nimis , ab
illo reliqua,aut à ſe rariſſimè, illóque veneni genere
ex humore ſuborto putreſcenti, & tetro,permutata
temperie, miſtione alterata ; reliqua verò infecta ab
ipſo morſu, & canino dente afficiuntur rabie , hoc
animante compreſſa ; docuit Galenus 6.de locis af-
fectis 2.capite de theriaca ad Piſonem cap.4. 11.ſim-
plicium 1. Prorhetico commentario. 1. Dioſcorides
lib.6.cap.1.Plinius, Ætius, Paulus, Ariſtoteles 6. de
hiſtoria.c.18.Venenúmque eiuſdem noſtram ſubuer-
tens & permutans miſcellam,& proportionem par-
tium noſtræ ſubſtantiæ , modò illicò illam inficit in
plurimis,ob naturæ apparatum,modò verò latitans,
abditur multo tempore , occultum ſpatio quatuor,
ſeptemve annorum , paulatim ſerpens ob reſiſten-
tiam naturæ,& fortiorem miſtionem,vſque dum ſu-
bitò emergit,& manifeſtatur malitia, accidentiáque
quæ contingere ſolent cane rabido morſis, obmute-
ſcentia ſubita,ſpuma circa os larga,& copioſa, triſtis
intuitus , toruè inſpicere , quorum multi latrant vt
canes,rauco & triſti ſono ſubmiſſo ſine voce, ſecre-
tò quaſi, inceſſentes omnes dentibus , canis effi-
giem

giem contracti oblongam, menti producti, oculo-
rum acutorum, aurium flaccidarum & prolaben-
tium, de quibus intelligi poteſt locus ille Iſaiæ 56.
vbi vocat famelicos canes, propriæ glorię & ambi-
tionis cupidos, rabie honorum & dignitatum æſtuã-
tes, canes mutos, & non valentes latrare, cùm nec
populum inſtruant exemplo, nec verba doctrinæ &
ſapientię proferant, ſed ambitionis plena & petulan-
tiæ, obliti ouilis eorum cuſtodiæ commiſſi; rapaces,
lupos latratu non fugantes. Omnibus verò cane ra- 105
bido læſis hydrophobia Graïa lingua dicta, id eſt,
aquæ horror & metus, ſemel ac venenum vires exe-
ruit, contingit, adeo vt ſemel atq; aquam viſere, me-
tu nimio vociferentur, & clamitent, quæ vna illis re-
medium ſupererat, frigida & humida, tenuíſq; ſub-
ſtantiæ, ſubire potens penitiſſimas corporis partes,
vbi infectio ſeruatur diutiùs, venenúmque ſiccum,
& calidum, quod illa frænari & corrigi præſentaneè
poſſet. Tanta verò eſt malitia veneni; ſic inficit teter-
rimum hoc virus, vt non ſolùm animam adimat,
grauiſſimóſque cruciatus inferat, & accidentia ſæua,
ſed quæ poſſunt eſſe tanto malo remedia exhorrere
faciat, & vndique haberi odio, metuere & expaue-
ſcere. Plurimis læſa imaginatione in tantum, vt ſeſe
canes putent; alij canem videre; fugiunt alij, coope-
riuntúrque intra lectulum; reliqui in aquis multoties
canem apparere prædicantes, aquas effugiunt; om-
nes verò nullo modo bibunt, neque admittunt po-
tum; reſpuunt imò remedium vnicum quod ſuper-
fuit illis, variè læſi, imaginãtes variè, ſiti tamẽ æſtuan-
tes, non ſecus ac Dipſade læſi, abiicientes po-
tum, non admittentes, præcipuè ſiccitate con-
tracta, & ſi metu non minùs, Dipſade icti à morſus
principio ſitiunt ſine intermiſſione; ij verò poſteà
me

metuunt, quòd canis venenum ſic naturam euertat, ſic mutet miſtionem partium, & ſubſtantiam alteret, vt habitualem inducat ſiccitatem, quaſi naturam alteram induceret, & ſubuerteret antiquam; quò non ſecus, atque ea proportione, ſicci natura & temperamento, non ſitirent adeò, vt in ea intenſione ex natura ſiti afficerentur tanta, quanta ex dipſadis morſu, & ſi plus aliis aliarum miſtionum & temperamenti alterius, ſiticuloſi eſſent; ſic rabido afflicti, quòd æqualiter ſit natura peruerſa, & permutata omnis in naturam aliam; non ſitiunt impensè, adeò vt Dipſade impetiti; quæ magis humores, ſanguinémque infectat, quàm euertat ſubſtantiam. Neque eſt enim venenis omnibus cõtrarietas eadem, moduſve agẽdi idem. Vidimus enim fulmina, poroſa quæuis non lædere; quòd ignis ſubtilis per vaginæ poros ſubire poſſit, permearéque facilè ſine eius vſtione; ferrum verò dum contingit denſum, ſtrictiſſimis poris fulcitum, cùm reſiſtat, & non pateat aditus igni exituro comburit illicò, liquefacit enſem detentus, oſſaque, ſeruata carne, & denſa alia quęuis, prout retineri poteſt agens ſubſtantia illa, aut egredi ſubiecti compaginem. Sunt venena liquidos humores alterantia, ſunt alia carnes, oſſa, & ſolida animantis oblędentia. Dipſadis ergo virus humores permutat, bilioſos, ſiccos, & aduſtos efficit, ſitim inexplebilem in ſolida noſtræ ſubſtantiæ infert, è ſuccis cauſatam, citra ſubſtantiæ noſtræ peruerſionem, & miſcellæ tantùm inquinamentum; quò & deterius venenum eſt ad vitam, Dipſadis; non ſecus ac febres bilioſæ & torridæ ex humoribus ſatæ, & ardentes, citiùs interimunt animal, quàm habituales ecticæ, quæ in ſolido noſtræ ſubſtantiæ reſident, impetu facto in alia, malitia humorum, in cor vitæ principium. Quod fieri nequit

nequit ex nostræ substantiæ portionibus, sed lentè solùm alteratione continui, illi tandem officere cordi. Canis autem venenum priùs hos eosdem ipsos, quos in alios molitur effectus, in se ipsum causat. Qui & aquas pertimescit, & fugit torridus, & exustus veneno, siti incredibili actus, & fame quandoque ingentissima excruciatus, exanimatus, rabidusque, qui interit vel his duabus passionibus extorsus simul, vnave, aut altera agitatus. Cùm ergo huiús veneni animantis calida & sicca nostra supersit natura, vt quasi sit substantia altera, & frigidas & humidas temperamento sibi contrarias, & oppositas fugit aquas, & expauescit vndique, tam canis affectus rabie, quàm animantia reliqua, secus in Dipsade, quòd humores, non substantiam euertit, vt substantia superans æstus, incendia humorum sentiat, & ideo sitim. Ibi verò contrà, omnia subuersa cum sint, vt nil quasi supersit quod infestet incendio alterum, vt conseruari cupiat potu, quod natura sit altera iam omnis euersa, vt in ecticis. Hinc locus ille psalmorum 58. emergit ad literam: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Nam, vt docet Dioscorides lib. 6. cap. 1. Increscente frigore, & calore, deteriores fiunt canes veneno meridie & vespere, meridie caloris incremeno vsti: Vespere noctis frigore condensata cute, detentis halitibus infectis, qui spirabant calore reserata cute, extenuatisque eodem æstu diei leuatis, tenuiori & actiuiori parte tenuata, quæ exhalabat, vt illa detenta frigore noctis & vesperæ quæ diu expirabat, iam quoad vesperam deterioris fiant conditionis, vt rabie perciti, faméque canina circumeant ciuitatem hæc animantia, omniaque percurrant emunctoria, & loca spurca, vbi

cadauera animantium adesse solent, vt ingenti fami possint satisfacere: quò dicitur, *& circuibunt ciuitatem*, extrà scilicèt, hæc loca percurrentes obscœna & immunda. Dipsas ergo cùm humores veneni potentia, & æstu exsiccet, & in bilem maiorem eorundem partem commutet, efferuescereque faciat æstuanti veneno, maxima copia fuliginum, excitata ex venatis humoribus, cor exurit, & ventriculus flagrat incendio, sitique incredibili, vnde Hæmorrhous cùm eiusdem naturæ cum illa sit, non minùs efferuescere facit sanguinem, vitæque alimentum. Ea est calidissimi veneni forma, vt semel ac succos animantis infecit, & contigit, efferuescant omnes, bulliant, spumentque, maxima flatuum halituumque eleuata copia, quibus distenduntur vasa, porique eorundem, ora & fines venarum & arteriarum, quibus distentis maiorem amplitudinem nacta, patent vndique; non secus, ac dum vtrē inflamus reserantur ora, iisque reseratis & apertis extenuatus sanguis calore veneni, æstu, liquefactus, subtilior redditus, quàm eius exposcit natura, per amplos factos meatus decurrit, & labascit. Eam nactus acrimoniam & malitiam, vt si quæ sint partes resistentes duritie, contumaces, erodat, liquefaciat ipsum; quò pateat aditus fluori & decursui, vt nulla sit in vniuerso corpore rebellis adeo pars, quæ nō fiat sanguinis ductus, eiusque patiatur fluorem, qui solus hoc viru reiicitur, cùm sit vita secunda retentis excrementis imperfectis impurísque, cùm quòd peruerso humore viru, alio & altero, illum respuat natura inquinatum, & tetrum, excrementaque infecta minus retineat in penuria tanta sanguis, quòd sit alteratu facilis, ob mitem eius naturam, suauemque omnino. Quò extra vasa diductus, concrescit facilè,

facilè, liuescit, corrumpitur, contrà ac reliqua excrementa & humores, quæ diutiùs seruantur; & si semel ac putrere incipiunt, deteriùs putrescant, in tetrioréſque formas degenerent, versùs extrema magis putredinis, & corruptioris naturæ cum sint, sanguis verò in medio constitutus, si quando putrescit, in formas naturales eorum abeat corruptus, in præternaturales verò illas, & extremas magis: qui adeo inficitur hoc diro veneno, vt cùm nulla sit virtus in natura, quæ sanguinem detrahere, aut allicere possit extra corpus, & si sit quæ illum disponat, vt fluat & percoletur, è vasisque decurrat; cùm sint tamen plurima medicamenta succos reliquos educentia, vt probant expurgantia Cathartica dicta Græcis medicamina, retentus maximè, ob vitæ custodiam: reiicitur tamen, naturaque illum abominatur, & fugit hoc viru inquinatum; tanta est infectio. Et non secus ac dolia musto plena, dum efferuescunt & ebulliunt, flatibus distenta, elatis ex vda materia dirumpi solent, vt hac & illac liquor effluat, & elabatur, è quibus dum sunt ex porosa, permeabilíque facilè materia efformati per poros contenta diffluit substantia, quæ dum bullit & efferuescit, resudant calore illam tenuiorem factam; non secùs attenuatis sanguis cruore serpentis huius dilabitur, & effluit è corpore, extenuatis omnibus & liquefactis infectione, & contagio, vt accidere solet pletoricis, & sanguine plenis, post magna exercitia & lassitudines, saltem per vias communes sede, vtero, ore, mictu, pectore, naribus, sanguinem reiectare; sic illis poris omnibus; vltrà auribus, oculis, quasi lachrymis sanguineis suam miseriam & statum deplorantes.

De dubiis quibusdam Mannæ naturæ ex sacris scriptis.

Capvt XIII.

107 PLurima ambagibus & difficultatibus plena, difficilia, & abstrusa plurima continet locus ille Deuteronomij 8. occasione Dipsadis serpentis adductus. Vltimũ verò quod in illo continetur inter difficilia; primum negotium facessit, retardatque, quale fuerit illud Manna Hebræis concessum, cibusque ille, de quo eo loci dicitur: *Et cibauit te Manna in solitudine, quod nescierunt Patres tui*. Cuius alimenti doniq; concessi mortalibus, varia extant Scripturæ loca, quibus modò hac, modò illa figura occurrit hæc vnica alimenti species. Exodi 16. c. sic extat de hoc victu scriptum: *Profectique sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai: quinto decimo die mensis secundi, postquàm egressi sunt de terra Ægypti, & murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron in solitudine, dixeruntque fiÿ Israël ad eos, vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis, nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentem eum, vtrùm ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent, quod inferant, & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses, & Aaron ad omnes filios Israël: Vespere scietis, quòd Dominus*

nus eduxerit vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël, respexerunt ad solitudinem. Et ecce gloria Domini apparuit in nube. Loquutus est autem Dominus ad Moysen, dicens; Audiui murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos: vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus, scietisque, quòd ego sum Dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cúmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt ad inuicem manhu (quod significat, Quid est hoc?) Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses. Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. Feceruntque ita filij Israël, & collegerunt alius plus, alius minus; & mensi sunt ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat, habuit ampliùs, nec qui minùs parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit, & iratus est contra eos Moyses. Colligebant autem manè singuli quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset Sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines. Venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi. Qui ait eis, hoc est quod loquutus est Dominus. Requies

 Sabbathi

Sabbathi sanctificata est Domino, cras quodcunque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane. Feceruntque ita, vt præceperat Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo, dixitque Moyses: Comedite illud hodie, quia Sabbathum est Domini: non inuenietur hodie in agro, sex diebus colligite, in die autem septimo Sabbathum est Domini, idcirco non inuenietur. Venitque septima dies: & egressi de populo, vt colligerent, non inuenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsque quò non vultis custodire mandata mea, & legem meam? videte, quòd Dominus dederit vobis Sabbathum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, & nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbathizauit populus die septimo, appellauitque domus Israël nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri album, gustúsque eius quasi similæ cum melle. Deuteronom. verò cap. 8. sic: *Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur: vtrùm custodires illius mandata, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & patres tui: vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini.* Iosuę 5. hæc: *Manseruntque filij Israël in Galgalis, & fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperum, in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ; die altero, & azymos panes, & polentam eiusdem anni. Defecitque Manna postquàm comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltrà cibo illo filij Israël, sed comederunt de frugibus præsentis terræ Chanaan.* Numerorũ 11. c. hæc: *Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis, flagrauit deside*

desiderio, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Erat autem Man quasi semen coriandri coloris Bdellij. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Cúmque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man. Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem; qui parum, decem coros: & siccauerunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus Sepulchra concupiscentiæ. ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat. Psalmo 77. *Et mandauit nubes desuper, & ianuas cœli aperuit. Et pluit illis Manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia. Transtulit Austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Africum, & pluit super eos, sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata; & ceciderunt in medio Castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues*

eorum, & electos Israël impediuit, Sapientiæ 16. *Pro quibus Angelorum esca nutristi populum tuum, & paratum panem de cœlo præstiti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem; substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Numer. 21. hæc: *Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam quæ ducit ad Mare rubrum, vt circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris: Locutusque contra Dominum, & Moysen ait: cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Quibus locis dubia plurima, ambigua multa contineri videntur, quæ non leuem afferunt difficultatem, intricata satis, & perplexa.

108 Exodi enim 16. capite, & Numerorum 11. Manna, aut Manhu cum semine coriandri confertur, illudque æmulari docet spiritus Deus, vt posteri tanti beneficij memores, quale fuerit Manhu illud absconditum cœlitus hominibus immissum percallerent, nullo alio deplicabile, præterquàm ipsa summa Dei sapientia, propter sacramenta & mysteria in eo figuratè contenta & abdita. Sed huius plantæ semen non imitabatur colore, cùm coriandri semen fuluum sit, flauique coloris, aurei; docet Dioscorides libro 3. cap. 69. Galenus, Xenocrates, & Aristophanes in equitibus, Nicander in alexipharmacis, Plinius lib. 20. c. 20. Theophrastus, & experientia docet, vsusque communis. Manna verò album illud fuisse dicitur 16. citato Exodi, simileque pruinæ, cùm pruina glacies sit, quæ squammarum more protensarum terram cooperit, non rotunda, orbiculari sve,

cularisve, vt coriandri semina adstant, non inferioris ad niuem albedinis; præcipuè cùm Numerorũ 11. Bdellij coloris fuisse Spiritus Dei asseueret manna, Bdellium verò coloris sit glutinis Tauri, flaui, & rufi coloris, docet Dioscorides libro 1. cap. 80 Galenus, & reliqui omnes Medici, & experientia docet quòd cùm sit lachryma gummi, modò ex arbore Bdellia resudans, apud Scythas & Arabes nigrum inuenitur quoddam, liuescens alterum, aureũ reliquum, quod gluten dictum, colore sequi monuimus omnes, trãslucidum, nullum verò album, imò fulua omnia, & flaua patet intuenti. Quibus non satis intelligitur similitudo inter manna, Coriandrium, Bdellium, pruinam, albedinéque dictam. Vltrà Exodi 16. Man saporis esse, & gustus, quasi similæ cum melle permistæ narratur; tritici enim purissimi quatuor sunt partes, pollen, simila, seu similago, secundaria, siue cibarium, & furfures. Docet Plinius libro 18. cap. 10. Africum triticum è modiis reddere semodios similæ, pollines sextarios quinque, cibarij sextarios quatuor, & furfurum totidem. Martialis libro 13 *Nec dotes poteris similæ numerare, nec vsus.* Est pollen quod primò excernitur de farina, simul cum eo quod peruolat, ursumque & ad latera spargitur, quod farina volatilis solet appellari; quod secernitur secundariò simila, tertiò verò cibarium, & furfures supersunt tertia cribratione, & si Amilus aqua extractus, ex macerato tritico pollen à plurimis vocitetur, simila verò farinæ nostræ flos depuratus, ex quo & aqua sale addito, pultes paramus, quas cum melle posteà addito, condimenti gratia edimus, & panes conficimus floridos depuratissimos. Erat ergo manna, saporis pulticulæ melle cõditæ nostræ, qua communiter vtimur ex purissima farina confecta, hoc

loco Exodi, at Numerorum 11. Man saporis esse panis oleati, placentæ, inquam, ex farina & oleo paratæ, extat scripto; quæ quantum inter se dissideant, satis liquidò cõstat; sapor, inquam, similæ cum melle ab oleato pane: præcipuè, cùm Sapientiæ 16. capite, non vnius, aut alterius saporis Man fuisse testetur Spiritus Deus, sed omnis saporis suauitatis, omneque delectamentum in se continere panem hũc paratum, Angelorũ escam, populo immissum sine labore, deseruientem vniuscuiusque voluntati, vt ad quod quisque vellet conuerteretur: vbi non peculiaris saporis constituitur, sed omnis, prout quisque
109 expetebat. Quò maius insurgit dubium, si ad quod quisque volebat conuertebatur Man, omneque delectamentum continebat, omnemque saporem, carnium desiderio cur affligebantur, pisciumque Ægypti, cucumerum, peponum, cæparum, alliorum (vt dicitur Numerorum 21.) porrorum, aliarumque carnium, cùm horum etiam gustus in Man contineretur, si ad quod quisque volebat, conuertebatur sapore & gustu, vt pro omnibus substitueret? Tum natura insipidum fuisse manna necessarium videtur, non gustus similæ cum melle, nec oleati panis, cùm facilior sit natura insipida, nulliusque saporis, quouis affectari, quàm sapore habito, & insito aliquo, contrario affici & opposito. Facilius enim est, res mutari ex priuatione in habitus, quàm ex habitu contrario in contrarium habitum, cùm minùs resistat priuatio habitui, & si maior sit oppositio, quàm habitus habitui positiuo contrario, vt patet ratione resistentiæ, & experientia patet. Calescit instanti, aut faciliùs, quod frigore caret, tempore verò, & difficiliùs frigidum subiectum. Tum nam superfluus esset sapor ille insitus & naturalis,

ralis, cùm non ſecus atque alij, pro arbitrio poſſet
ſuboriri. Tum vltrà fruſtrà, nam ſi oppoſitus ſapor
expeteretur, ille corrũpendus erat in ea oppoſitione,
quo nulla cum ratione ſubiecto fuiſſet adſcriptus,
cùm ad nutum voluntatis ſequeretur, & non minùs
in manna, quàm vt & reliqui emergere poſſet, ſo-
lúmque vt corrumperetur illi adſtipulatus, ſuperfluè
omnino. Nec nodum ſoluit, quòd cùm eſſet miſtæ
naturæ, miſtáque omnia temperie primarum quali-
tatum ſecundas ſint nacta, inter quas ſapor contine-
tur, ſaporis alicuius neceſſariò manna fuerit conſti-
tuendum, nam potuit ille qui poteſt omnia, aut ſim-
plici elemento hoc ipſum opus moliri, eóſque enu-
trire & alere, abſoluta potentia citra hoc inconue-
niens, aut impedire ſaporis illius ortum ex primis
qualitatibus in manna, ne ſolùm vt corrumperetur
in ipſo extitiſſet, tum & vt faciliùs poſſet quilibet
oppoſitum ſaporem, guſtui inſito & ſapori mannæ
perſentire dum vellet, ſine expulſione poſitiui con-
trarij. Plus enim erat, vt poſſet ſentire contrarium
hoc, alterum occultare, aut ſuſpendere ab opere, &
actione, expulſionémque contrarij poſitiui inſtanta-
neam, aliter ac eorum fert natura, cauſare, dum quis
ſaporem diſſidentem cum illo percipere actu ſubi-
to appetitus decreuiſſet, quàm hoc impedire ne ex
primis virtutibus exoriretur. Non minus dubij af- 110
fert, ſi ſole liqueſcebat, & ſummo manè, vt dicitur
Exodi 16. colligebatur ante ſolis æſtum, ne in halitus
euaneſceret, quo modo frangebatur, friabiléque eſſe
potuit, vt & in puluerem redigeretur, vt Nume-
rorum 11. cap. inuenitur. Quæ enim liqueſcunt ſole,
præcipuè agenti remiſſiori ſummo manè, nimis
ſunt humida, cùm calore debili ſoluantur; ni-
mis verò humida, cùm non exſiccentur, præcipuè
debili

debili agenti,in puluerem non abeunt.Neque enim cera,pinguiave omnia,mel,aut reliqua alia, quæ sole soluuntur in puluerem,posteà redigi queunt, imò inter illa,quæ igne liquent, plurima sunt, quæ atteri non possunt,aut in puluerem verti,vt videre est in metallis omnibus,rebúsque pinguibus, & oleosis;in gelu,& reliquis, vt & aliis quæ sole funduntur, numeratis,etiam si pix,resinæque omnes,& gummi genera, lachrymæ arborum & alia quæ igne fluunt, comminui,teríque possint, & emollescant aliquot soli exposita, vt saccharum, resinæ plurimæ, pix, gummi aliquot species, vt videre est in piceis lignis sole percussis,quæ guttulas effundunt solis æstu,quę posteà conteri optimè possunt, concreta noctis frigore,solis absentia, vel alio refrigerata;tamē aliquid liquescere ex quo postea puluis efformetur, quod totum in vapores exoluatur, & abeat. Id & si ignis actione contingat in aliquo, vt in saccharo liquefacto,quo totum exolui potest igne fortissimo, eóque liquescere, & antequàm absumatur totum congelatum semel,conteri,& in puluerem, minutissimásque partes trahi; solis verò ope nullum tale mistum, aut simplex corpus hęc perpetietur,vt in puluerem exoluatur.Nec in omni natura corpus est,quod totum in vapores eat solis potentia, & tamen illud puluerari valeat,aut frangi attritu; cùm hæc tantùm siccis concedatur passio corporibus, terrenæ substantiæ, siccæ & solidæ multum habentibus;ea verò quę solis liquescunt debili actu, cùm nimis sint humida, quò eo facili soluuntur actiuo, miniméque terrestria, in vapores digeruntur facilè, simul cum terræ exili substantia in totum simul volitante, terreno exili in vaporoso aquæ vectū,vt subsideat nihil.Quò frangi non datur his quæ sole liquescūt, si omnia in vapo

vapores ſoluantur, euaneſcántque tandem. Manna ergo cùm ſole incaleſcente, vt dicitur Exodi 16. euaneſceret totum, pulueri zari qualiter poſſet, difficile eſt dictu; noſtrum enim manna, quo vtimur modò, ſiue ex Lybano aduectum, ſiue ex Calabria, nulla ratione, & ſi cōteratur millies, puluerem reddit; tum ſi ſolis calore liqueſcebat loco adducto Exodi; quo igne indurabatur modo; recoquebatúrque vſque dum craſſeſceret, & tortulæ ex eodem pararentur conſiſtentiæ panis, vt Numerorũ loco narratur? cùm enim agentia vniuoca ſint calor ignis & ſolis in opere, & vt præcipua cauſa calefactionis eſt quilibet, vnde euenire potuit, vt calore quo indurabatur ab igne, nō liqueſceret, vt ſolueretur? & ſi durum adeò, ſiccúmque erat manna illud, vt mola frangeretur, ſiue tereretur in mortario, vt 11. loco Numerorum dicitur, ſiccum adeò cùm eſſet, vt ſole liqueſcebat? & in halitus ibat, dura ſubſtantia teri apta? pręcipuè quòd Exodo, tuſum manna quaſi pilo iam, & manubrio quaſi mortarij contritum veniſſe, antequàm ab aliquo contingeretur, referatur, quo non opus erat illud terere, aut minuere vltrà, cùm ideo ſimilæ farinæ ſcilicet minutiſſimo pollini, triticæ ſubſtantiæ aſſimiletur, ſine eo quòd attritione aliqua, contrituve humanæ artis pararetur. & ſi tuſum hîc appellatur, cur vt coriandri ſemen integrum alibi, ſi vt coriandri ſemen rotundum, qualiter vt pruina protenſa, expanſáque? ſi & durum erat, ſi non facilè frangebatur, ſi teri potuit mola more tritici, vt dicitur Num. 11. vt ex illo farina reſultaret, ex qua cocta in ollis poſteà panis, qui in ore conterebatur, maſticabatúrque, non minoris conſiſtentiæ, quàm panis quo vtimur, multóque maioris ſubſtantiæ, & tortulæ parabantur conſiſtentis, & ſolidæ ſubſtantiæ,

cur

cur Num. 21. cibus leuissimus appellatur, mouerēque nauseam in ventriculo asseritur? leuia enim & quæ in ventriculo sua leuitate fluctuant, fluida & inconstantia, os ipsius, supernámque eius partē molestantia, vomitum cient, nauseásque, & ventriculi fluctuationes inferunt, secùs solida, densa, & grauia, quæ illum firmant, & corroborant, hypostasimque suo pondere in fundo eius causant, docuit Galenus 3. de alimentorum facultatibus. c. 6. & 5. de locis, cap. 4. Et si nauseabat super cibo illo leuissimo, quomodo anima arida erat? Substantia scilicet illorum, & vita siccitate infestabatur; nam siccus ventriculus non nauseat, sed humidus, humiditatibúsque refertus, vt docuit Galenus 2. de alimentorum facultatibus, capite 3. & aphorismo 38. secundæ sectionis, & si nauseabat, humidúsque ventriculus erat, cùm appetitus semper sit priuationi coniunctus eius quod expetitur, cur humidorum recordabantur affligebantúrque optatu cucumerum, peponum, piscium, carniúmque elixatarum, vt dicitur Numerorum 11. cùm hæc humida cùm sint, inconstantem ventriculum, fluctuantem & humidum redderent? & si arida eorum anima, quomodo appetebant allia, & porros, sicca & calida natura, si appetitus priuationem supponit optati habitus, si farina resultabat ex attrito manna, & hæc in olla percoquebatur sola, sine liquore aliquo, cùm in Scriptura sacra nil superadditum mannæ, vt coqueretur, inueniatur, sed solùm indurabatur caloris actione; quomodo coalescebat? massáq; vna ex illa farina cōficiebatur, ex qua posteà tortulæ & panes efformarentur, cùm quanto plus aliquid exsiccatur, vniatur, hæreátque sibi minùs, aliísque sicca natura, glutino destituta humiditatis, quominùs cum aliis possit vniri & copulari, vt

3. metho

3.methodi, & 2.de temperamẽtis, docet Galenus latissimè in vulneribus, & experientia docet, sicciora minùs vniri. Si post rorem manna apparuisse dicitur, Exodi 16. cur Numerorum 11. pariter cum illo descendisse asseritur? & si Exodi 16. coturnices simul, ac manna decidere cœpit, venisse narratur, Numerorum 11. & Psalmo 77. cur posteà quàm manna cecidit, coturnicibus Hebræos fuisse altos asseueratur? in Numeris enim nauseasse priùs manna, quàm coturnix descenderet patet, at in Exodo vtrumque simul euenisse constat, imò priùs coturnix venit, quàm mannæ pluuia, cùm eadem die decima quinta secundi mensis, qua conquesti sunt de Domino, ad vesperã venerit coturnix, cooperueritque castra, decima verò sexta die mane descenderit manna per circuitum castrorum vindicta incredulitatis acta. Tum non minùs est difficile, an manna illud simile aliquid habuerit cum nostro, quo modò vtimur. Nec minùs difficultatis habet, cur manna illud Patribus incognitum, populi Hebræorum asseueretur, cùm in Lybano Syrię frequentissimum sit à mundi initio, anno quolibet in prouentu maximo, quo & modò vtimur communissimè omnes, ex quo nobis asportatur modo, & quotidie experimur, vt omnes norunt, refértque Plinius libro 11. Galenus 3. de alimentorum facultatibus, Auicenna 2. canone, Actuarius libro 5. methodi medendi, Lybanúsque parum distet à deserto Sin, vbi manna concessum est Hebræis primò, quòd vel in Ægypto cognouisse ipsos, aut in Lybano eorum Patres terram illam peragrantes, certissimum videtur, cùm notitiam habuerint rerum multarum ad humanos vsus pertinentium, præcipuè earum quę ad salutem mortalium spectabant, ex longioribus multò interuallis distan

distantiæ, nec manna illud Lybani, post pluuiam mannæ concessi Hebræis in deserto Sin, credendum est, solùm descēdisse, cùm natura semper eadem fuerit, causæque naturales eædem, dispositionésque, ex quibus semper eadem extitere, nec illud miraculo impeditū, causis imò naturalibus adscribitur, quod ex Lybano aduehitur modò, cùm eiusdem rationis manna, atque quod ex Lybano, ex Calabria, Brigantia, aliísque Prouinciis asportetur, natura solùm operante & agente, modóque apud nos sit manna iisce ex regionibus, & aliis.

De natura Mannæ.

Capvt XIV.

DIfficilia satis, abstrusa, & ambigua ex sacræ Scripturæ locis complicauimus, nodis adductis, adeò vt his satisfacere quæ adduximus, communem viam excedere in propatulo sit; facilius enim est, nodos plicare, quàm soluere, & ambigere, quàm decernere, vt est facilius fortissima quæque argumenta in medium adducere, quàm adductis eisdem satisfacere. Veritas enim sola nodos extricat, quę vna solummodo est; corrigit enim rectum obliqua, & fallacias verum; multoties verò ex fallacia ingentissima procedunt sophismata. Ad pensum ergo redeuntes, Māna, Hebræis Man, Græcis Μάννα, Hebraicum & Syriacum nomen est: quod etsi apud Latinos & Gręcos significet rorem melleum matutinum, vt docet Cælius libro 13. c. 56. dictus Syriacus ros à Celso (nam vt docet Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus, c. 39. copiosissimè colligitur in Lybano Syriæ monte) apud

apud Hebræos verò, apud quos ſuum ſignificatum retinet, Man dicitur, non manna. Man enim idem eſt quod donum immiſſum hoc gratioſè, ſine vinculo aliquo obligationis, quo teneatur ille, qui elargitur, ſed quaſi gratioſa & libera datio, datúſque gratuitus; quò interrogatiuè dixere Hebræi ſciſcitantes, Man-hu? Hu enim hoc ſignificat, Man donum, quaſi interrogantes à Moſe, Exodi 16. donum hoc à quo eſt, quidquid eſt hoc datum, immiſſumve gratioſum? breuitate Hebræa, geſticulationis manuum, totiuſque corporis motibus, ciliorum eleuatione, ore plicato, reliqua exprimentes, admirantes rei nouitatem, interrogantes verbis ſolùm duobus prolatis, donumque hoc inueſtigantes, notitiámque noui euentus. Eſt etiam idem quod, quid, Man Hebræis, quò dixere exquirentes: Quid hoc? vltrà, eſt Man illis idem quod cibus, vt de natura cibi diſquirentes Moſen conſulerent, cùm illud deguſtaſſent ex eis aliqui prius, vt illud examinarent guſtu quid eſſet, alimentúmque iam ex ſapore cognoſcerent, & ex modo illius eſſe ſimilæ ſeu pollini farinæ permiſtæ cũ melle nõ diſſimile, vt dicitur eo loci Exodi, ad Moſen venerunt ſapientiſſimum, & naturæ rebus optimè inſtructum, vt quid de hoc alimento ſentiret, illis exponeret; qui dixit, panem eſſe conceſſum ab ipſo Deo hominibus, diſquiſiere enim Hebræi de Man ignorantes, vt ibi dicitur, quid eſſet, nam etſi cibum illud iudicauerant, quod ens naturæ eſſet ignorabant, & qualis cibus, qualeque alimentum, nouiterne creatum inter rerum genera, aut ſolùm nouiter notum illis, cùm neque apud ipſos, neque apud eorum parentes, notitia aliqua huius tanti cibi extitiſſet. Quò Abulenſis minùs bene inuehitur in eos qui dixere Man cibum Hebræis

adnotare, ex eo quòd exquisiere Hebræi quid esset, & vltrà, quòd litera sacra habeatur; ignorabant enim quid esset, ignorabant enim cibi naturam & speciem; de cibi addubitantes nouitate & tempere, quî posset regionibus aliis vniuersi abditis, aut manifestis cecidisse, nouiterve creatum esse, salubrem esse cibum, aut noxium & insalubrem; cibum verò esse cognouere, & alimentum, inquisiere verò de aliis, dixeréque Manhu, id est, alimentum hoc quid est, & quale? Græci verò nomen hoc permutarunt aliter multò ac proprio idiomate Hebræo continebatur, & si rem eandem significare videatur, Man relinquentes ex eo nomine solùm, loco verò hu, quod in Manhu Hebræo nomine erat, na, apponentes, apud ipsos enim Μανακὶς, idem est, quod rarò, Ναέτωρ verò fluens, vnde manna, quasi rarò fluens, vt apud illos significatio sit eadem commutati nominis, à quibus posteà suscepere Latini, Græcizismata amplectentes, libentius multo, quàm Hebraismata. Populus ergo ille amantissimus Deo, Ecclesiaque fidelium, Hebraismus gentium, quem summo amore prosequebatur ipse hominum structor, & autor, quòd in eis imago, ipsiúsque similitudo, elucesceret aliis magis, suúque conditorem multò plus reliquis aliis omnibus nationibus veritate & iustitia manifestarent, postquàm dura seruitute, & captiuitate molesta apud Ægyptios, quadringentis triginta annis expletis fuere afflicti, ob delicta & flagitia commissa, ob peccata populi, liberati verò per Mosen & Aaron, iussu Domini, qui suorum non obliuiscitur, imò si quando suos affligere videtur, id est, vt in maius bonum eorum cedat, & multoties vt sit supplicium præmij & bonorum occasio, populus, inquam,

quam, ille gratiosus factus, coram Ægyptiis gratiam adeptus, Domino cooperante, vt dicitur Exodi 12. capite. *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis*: Ægyptios spoliauit farina, auro, & argento, vestéque plurima, ouibus, armentis, variisque animantium generibus, quæ petiere ab Ægyptiis virtute illius gratiæ acceptæ, quæ ipsos gratiosos reddidit coram eis, vt ipsis commodarent quidquid ab eis expeterent liberè & gratiosè, qui Ægyptiorum spoliis adhuc in seruitute dira victoriæ palmam reportarunt. Ea est fidelium, iustorúmque virtus, ea Dei conditio, vt mediis laboribus, & vltione media consoletur mortales, liberetque de manu inimicorum, & ditiores efficiat, si patienter ferant, vt plus multò ac anteà abundent omnibus, quæ videbantur amisisse. Profectus populus hic de Remese in Socoth, quæ est ciuitas in extremis finibus Ægypti ab Israëlitis condita, olim pagus Arsenoitis dicta, vt Hieronymus ait in Hebraicis quæstionibus, & videre est Genes. 47. & Numerorũ 33. Exitu concesso à contumaci & rigido Pharaone, qui tot portentorũ generibus adhuc pertinax erat, duræque ceruicis, vsque dum omnis primogenitus Ægypti occisus est ab Angelo Domini, nocte illa, qua liberauit populum, metu inuitus, qui continebat sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis, & mulieribus; & vulgus promiscuum innumerabile, oues, armenta, & animantia diuersi generis multa nimis, vt ibidem dicitur. Populus hic Dei grandis adeo, farina accepta ab Ægyptiis, animantibusque, spatio vnius mensis & dimidij fuit altus, vt colligitur Exodi 16. capite. Cùm verò esset populus iam 112
in deserto Sinai, tertia mansione alimentum defecit,

quò cœpit deſidere de prouidentia Dei, & Moſen & Aaron verbis laceſſere, & increpare, murmurantes in ſanctos Dei Prophetas, & dicentes, *cur adduxiſtis nos de terra Ægypti? vtinam mortui eſſemus per manum Domini ibidem, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate, cur adduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Fuere hæ querimoniæ & querelæ, die decima quinta ſecundi menſis ab exitu Ægypti, & in hac die coturnices obtulit illis ad veſperam Dominus intra caſtra altitudine peruolantes solùm duorum cubitorum iuxta terram. Sunt enim carnis paſſiones intra nos, coniunctiſſimæque nobis, inſurgunt illicò, oriuntur & veniunt ſubitò iuxta nos, iuxta terram. Terrena his concupiſcimus, quæ ſunt iuxta appetitum, inferiorémq; portionem,
11 iuxta calcaneum & pedes: calcaneo enim Dæmone impetimur, vt eſt dictum ſerpenti Geneſeos 3. Manna verò ſequenti die mane deſcendit, in circuitu caſtrorum, non in caſtris, quòd hominum & animantium excrementĩs obſcœna, & impura eſſent, ſpurca, & indecora loca; quò fame recrementa illa, quæ ex Ægypto aſportarunt Hebræi, eſu rerum excrementitiarum, peponum, alliorum, cæparum, priùs fame fuere abſumpta, quàm manna illis cæleſte conceſſum. Nam cùm figura eſſet, & ſimilitudo panis Euchariſtiæ cæleſtis, corporiſq; Chriſti, non in obſcœnis locis, aut impuris, non immundis hominibus conferebatur, ſed illis qui iam excrementa conſumpſere, liberiſque, & puris, ab infecta ſuccorum ſarcina fame, pœnitentiaque priùs maceratis, manè antequàm alimentis aliis conſpucarentur, vt mundo ore aſſumeretur. Neq; enim ex locis immũdis vapores limpidi, purique aſcendunt, vt materia mannæ generã-

do

do apta ſuppeditetur, vt ex deſerto puriſſimo in ſolitudine leuabantur, imò putridi, fœtidi, & corrupti, ſubſtantiæ illi depuratiſſimæ inepti, calore feruidi, quò abſumebatur pars vaporoſa, ſubtilis, aërea, & dulcis, ex qua manna veniebat Hebræis. Putredinales enim partes amaræ, & ſalſæ natura in vaporibus putridis elatæ, dulces abſumebant alias, vt mãnæ cõficiendo eſſent impedimento, & obſtaculo, quantũ in natura agitur, cuius ordo dum poteſt, in miraculis non reiicitur, in quæ illa poteſt venire, vt miraculo reliquũ expleatur, in quod illa nequit. Imò & vulgare noſtrum manna eandem legem ſubire videmus, cùm non in populis aut locis ab hominibus frequentatis concreſcat, ſed extra ciuitates, & oppida, locis incultis, hiſpidis, alienis à conſortio mortalium, limpidiſſima quæque expoſcens, vt coaguletur ros ille veniens, folia arborum, herbas, lapides; in terra verò aut locis immundis creſcens bene numquam, vt experiẽtia docet. Nã etſi ipſe conditor omniũ nulla expectata materia mãna ex nihilo efformare poſſit, ſeruat tamen naturæ modulos, quantum ipſa poteſt ferre natura, vt minus quantum fieri poſſit, præter inſitum illi ordinem rerum, ab ipſo opifice, operetur quidquam, ne ſuus ipſius ordo deficiat, dum fieri poteſt, & in quibus obſeruari poteſt in totum, aut parte. Hoc verò ſuauiſſimo, omniſque victus mortalium excedẽti naturam alimento altus eſt populus, & nutritus ſpatio quadraginta annorum, vt dicitur Deuteronomij 8. iis. *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrùm cuſtodires illius mandata, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui, vt oſtenderet tibi,*

quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. Deuteronomij 29. capite dicitur: *Adduxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. Panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis, vt sciretis, quia ipse est Dominus Deus vester.* Defecit verò quarta decima die mensis in Galgalis, quo quadraginta anni complebantur ab exitu, vt dicitur
114 Iosue capite 5. his: *Manseruntque filij Israël in Galgalis, & fecerunt Phase quarta decima die mensis ad vesperam, in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, & azymos panes, & polentam eiusdem anni. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ, nec vsi sunt vltra cibo illo filij Israël, sed comederunt de frugibus præsentis terræ Chanaan.* Chanaan enim terra promissionis est, Chananææ verò terræ sanctæ limites sunt, in qua ad Orientem est Iordanis fluuius, & magnus Euphrates, ad Occidentem est Ægyptus, & mare magnum, quod mediterraneum dicitur, ad Austrũ, hoc est meridiem, iacet desertum Arabiæ, ad Aquilonem, siue Septentrionem mons
115 Lybanus eminet. Mira & varia sunt illa, quæ virtute fælicissimi Astri, Solisque actione ex hoc globo inferioris partis vniuersi terræ & aquæ leuantur, exhalantque, & in regionem superiorem aspirant, quæ omnia redegit Aristoteles meteororum 1. c. 7. ad duo capita, exhalationis scilicèt & vaporis: hæc verò, modò ex visceribus terræ per illius poros, anfractus, & cauernas subeunt in superioremque euolant vniuersi partem, aërisque supremum, infimum, aut mediũ, modò ex aquis, ex vtriusque modo, plus minusve,

minuſve, huius, aut illius naturam referentia, prout plus acceſſit aquæ, & terræ, aëriſque commiſti, vt miſta illa imperfecta dicta generarétur, atque conſiſtererẽt, quæ ſi plus aquæ cõtineant, vapores ſunt, ſi terræ plus, exhalationes, vt ſint illi humidi & frigidi. Eſt enim vapor aqua rarefacta, vt ibidem Ariſtoteles retulit, hæ verò calidæ & ſiccæ, humiditate aquea immunes; aërea verò oleoſa & pingui, humidæ facilè inflammabiles, nõ ſecùs atque oleũ quod eſt humidũ. Hoc humiditatis genere flagrat facilè, & ſi vdũ natura, imò hæc humiditas eſt, in qua calor naturalis miſtorum omnium ſeruatur; non ſecus atque flãmula in oleo. Aqueo enim humido extinguitur natiua caliditas omnis miſcellę, vt ignis aqua extinguitur, fuliginibus detentis frigidis, aquæ iniectu, quibus & calor ſuffocatur & reſtinguitur frigore, ſubſtantiaque corporea, impeditur earũ aſcẽſus, & vẽtilatio illius perfuſione. Sunt denique humidæ exhalationes ob immiſtum oleoſum aërem, qui frigus terræ frænat, & corrigit, ſiccitatẽque humido, & ſi natura reſiſtiuam reliquis omnibus aliis qualitatibus magis, ſumma enim aëris qualitate humida, terræ ſicca, temperata, & oppreſſa. Hæ verò exhalationes, vaporeſque illi, cùm miſta ſint, vt & illa ex quibus fuere elemẽta ſuborta, qualitates miſtorum participant, ſapores, ſubſtantiæ modos, accidentia, & virtutes, vt modò vapores ſalſi cõſcendant, modò frigidi, humidi, tenues, acidi aliquantulùm, dulces, viſcidi, glutinoſi, aliis atque aliis ſaporibus & accidentibus varij. Exhalationes verò calidæ, oleoſæ, tenues, acres, dulces, ſiccæ, ob remiſſam ſalſedinem, oleoſo aëris temperatam, qua dulcedo exoritur, non ſecùs ac pinguia ſali permiſta hunc reddere ſaporem nouimus, ſi parum ſalis multo pingue-

dinis miſceatur. Talis ergo exhalatio, ex terra aſpirans, triplicis miſti materia eſt, & ſubiectum, ſi recoquatur ampliùs, perficiaturque locis à natura deſtinatis. Ex hac enim vna ſaccharum, mel, & manna, tanquam ex materia ſuppoſita generantur, & conſiſtunt. Arundines enim, calamive ſaccharij, dictæ, radicum potentia, quæ ex ſuæ naturæ diſpoſitione & proportione cum alimonia, hanc præcipuè exhalationem ſibi vendicant in alimentum, eam ſugunt, &
116 inſpirant, quaſi tractiua virtute infernarum partium, perpetuò è terra aſcendentem, plus minuſve, hoc aut illo modo variam, prout potentia Solis, & infernæ eſt materiæ proportio, hoc illo tēpore. Hanc commutant, alterant, perficiunt, & coquunt, in alimentum parant; ex qua diutiùs cocta ſimul cū aqua, quam alliciunt ſuctu, vt alimentum vehat per vniuerſas aliti partes, ſuccū dulcem efficiunt, quo ſemper ſunt refertæ & plenæ, vt arte ampliùs recocto humore contento, ſaccharum conſiſtat, & efformetur. Sunt enim certæ proportiones inter alimēta, & alita viuentia, quibus, non ſecùs ac magnes ferrum trahit, non paleas; ſuccinum verò è contrà paleas, & non ferrumina; Sic viuentia, eorumque partes, hũc ſibi ſuccum aduocant, illum reſpuũt, inſita proportione & virtute. Dum verò exhalatio hæc terram tranſcendit calida, & ſupernam petiit infimam, aut mediam aëris regionem, (nam ſi adeo ſit tenuis, vt ſupremam attingat, exuritur elemento ignis & incendio flagrat) frigore noctis, Solis abſentia, manè quòd plus frigoris pertranſierit, noctis decurſu, tempore æſtiuo, quò maior copia earundem exhalationum leuatur Solis potentia maiori, neceſſaria, vt ex terra tales halitus euolent, cocti Solis actione, & taliter miſti, vt exigit dulcis ille, melleuſque liquor,

liquor, ros fit melleus, in rorisque naturam conuertitur exhalatio genita, qui posteà decidit concretus, pondere grauis, ex directo, in eas ex quibus elatus est partes, aut in parum distantes saltem; nocte enim serena & quieta venit, ne ventorum attritu rarescat, misceaturque ventis, & abeat, peruolet, altereturque aliter, quàm hæc mista petunt generanda, exhalatio talis. Ros verò dum ex tenui exhalatione ducit ortum, melli generando est aptus: dum ex crassiori, densiórique exhalatione in ea proportione genitus, quam expetit natura Mannæ, Manna generatur, & exoritur. Neque enim continuò idem genus adhuc dulcis exhalationis ascendit, nec idem descendit mistum dulce ex aëre, sed diuersum, pro diuersa agentis & passi natura. Vere enim & autũno aptior est generando melli; tum ipsa, tum solis virtus & potentia; æstate verò generando mannæ, quod coctam magis & meliùs permistam, crassioremque hoc mistum eam expetat natura propria, à saccharo & melle, nõ arte paratis densatisque, sed in natura sua collatione facta; quò tempore verno, autumnalique mel generatur, æstiuo verò manna, vt hyemali pluuiæ, nix, glacies, mistaque frigida aqueis vaporibus genita. Sic enim orta attestãtur suis principiis, & genita referũt naturam eorũ ex quibus sunt sata, non vapor frigidus, aqueus, insipidus, vt sensere aliqui, materia erit, subiectumque mannæ generando; exhalatio imò crassiuscula terrea, aëreæ substantiæ non minimam portionem continens, temperata quasi, & parum calida, saporis pinguis, dulcis, & mellei, quem coctione resultare, horum miscella, docuit Aristoteles meteororum c.4. & de sensu, & sensili. c.3. Et Theophrastus docuit libro de saporibus. c.5. Talis enim exhalatio, dum substantia est

aërea, dulcem saporem reddit. Est illud indicium, quòd pinguia omnia remissam saltem dulcedinem referant, dulciáque leuia, & aërea esse sentiant Philosophi, & experientia doceat, flatulenta esse, & tumefactiua, docuit Galenus 2. simplicium, & Aristoteles de sensu, & sensili, ob leuitatem aëreæ substantiæ, quam participant, illa facilè à iecore trahi, & in magno prouentu, vt eisdem obstruatur, & repleatur vndique, & lædatur tandem. Præcipuè cùm manna calidum primo gradu; secũdo humidum constituãt Mesues 8. c. de simplicibus libro, Auerroës, Galenus, Auicenna & reliqui locis adductis, victa siccitate terræ, humido aëris. Decidit ergo ros hic ex alta vniuersi parte, ex media, inquam, aëris regione, vbi concreuit frigore adstanti partis illius, frigidis referta vaporibus, illam altitudinẽ, sursumque illud pro natura adeptæ leuitatis expetẽtibus, pars cuius quæ terram attingit in ipsa imbibitur, absumiturque quasi; quæ verò in floribus, foliisque recipitur, saxis, rebusque aliis densis & duris seruatur, & cõcrescit. Non secus ac ros quilibet alter communiter decidens, concrescit in rebus tersis, densis, & limpidis, vbi imbibi nequit; à porosis verò & siccis, pulуerulentisque ebibitur, vt nõ ampliùs appareat, manifesteturve. Huius verò dicti roris autumnalis & verni sunt auidissimæ apes, quem deglutiunt, & bibunt, linguntque, & ex floribus, cruribus inuersis flosculũ eorumdem abradentes, florumque mollem superficiem flosculosam cõplanantes, quo crura illis natura euersa phalangorũ more concessit, vt meliùs colligere id possent, radereque blandã substantiam duplicis vsus, generando melli, vt ros dulcis ibi adhuc si est quippiam contentus, exprimatur in alueis, vt mella adaugeantur & concrescant; nilque roris super-

persit

perſit imbibiti adhuc in floſculis florum, mollíque ſubſtantia eorum cõtentus,& vt ex reliquo quod in cruribus ferunt, cera conſiſtat,in qua mel recoquatur, conſeruetúrque natura ſimillima, in ventriculo aſportantes ſuccum linctum, rorémque dulcem, coquendum magis,vt mella efformẽtur,quem euomunt in aluearia altæ, & nutritæ illo priùs quantitate debita; reliquum verò abiicientes continuò, quòd ſit flatuoſum, leue, ſupernatánſque in ventre vt nauſeam moueat; non ſecus ac mel natura efficit perfectum adhuc flatuoſum natura; docuit Dioſcorides libro 2.c.de melle, Galenus, & reliqui,qui ſemel emiſſus è ventriculo apum in ceræ cauitates, quas præparant priùs,fauóſque cereos,in quibus intra aluearia, ſpatio viceſimi diei craſſeſcit, melque reſultat coctum & perfectũ omninò, vt docet Plinius l. 11.c.12. Galenus & Ariſtoteles loco adducto. Quo ſi anteà aluearia examinemus, aquea quædam dulcis ſubſtantia cruda inuenitur, non mel confectum,non ſecus, ac muſtum antequàm fiat vinum temporis tractu, poſteà coctum & perfectum calidis in eo exhalationibus, partibúſque adſtantibus igneis,tempore debito, potẽtibus reliquas coquere aqueas,& frigidas,perficeréque, vt coctũ mel reſultet & veniat.Sic mella parantur,cera,fauíq; in aluearíis, cruribus materia aſportata, ceræ confingendæ apta,oleoſa,& leuis,pinguis natura,glutinoſa, & viſcida;quæ cocta ampliùs,perfecta reſultat cera,eodẽ tempore mellis,ſpatio viginti dierum,vt mel ore,cera cruribus aſportetur. Fauos verò examina apum toto corpore efforment, celluláſque in eiſdem efformatas aſtruat gubernata reſpublica rege iuſtiſſimo, ſeruíſque crabonibus in idem opificium operantibus, quæ cùm piloſæ ſint natura, hiſpidæ,

& hir

& hirſutæ, ſi glutinoſum afferant rorem, aut viſcidam ceram, & florum floccilaginem, mortem ſibi afferunt multoties, dum maximo conatu, toto corpore foramina in fauis formare contẽdunt, vt rorem euomant in cauitates præparatas priùs, vt mel recoquatur, glutino detentæ, viſcido, & tenaci; & cera, dum eius eſt naturæ viſcidæ & tenacis, pro diuerſa florum ex quibus colligitur, ſubſtantia, peruolare illis, amplius vt non detur. Ipſæ verò inutiles ſeſe iudicãtes, otioſas, operique ineptas, inedia, & fame ſe macerãt, vt ſit cellula mellis plena, aridæ verò ipſæ, fameque abſumptæ, & triſtiſſima macie, vſque dum animam exhalent. Dum verò exhalatio eius ordinis ſubit cocta, & præparata, tempore æſtiuo, ob cauſas adductas, regionẽque ſuperiorem petít, medij aëris, aut infimi, cõcreſcente ibi denſa illa calida, & aërea ſubſtantia, frigore noctu, circa diluculum, maneque diei, deſcendit in rorem conuerſa, digeſta & parata, vt ſimul atque herbas contingit, arborum folia, lapides, terſaque quæuis, & polita corpora in guttulas abeat rotundas, & ſphæricæ formæ, vt eſt mos liquoribus in globos abire diſſectos ſemel, & in partes diſtractos, eo quòd vnionem appetãt naturali motu omnia in ſe ipſis, quò mollia, fluxibiliaque corpora, cùm fluant vndique, facilè cẽtrum efficiũt in ſe ipſis, orbemque ſphæricum; ſecùs ac dura, & ſicca. Eſt enim figura ſphærica, quæ omnes ſuas partes, omnes, inquã, viciniores habet cẽtro & vnitas magis; nam figuræ reliquæ, etſi quaſdam centro coniunctiores habeant, non tamen omnes, quò ros ille fluxilis veniens ſubſtantia, liquidus in ſphærulas abit, guttaſque rotundas, receptus ſemel in terſis denſiſque corporibus: qui & ſi minimè ſit aqueus, pinguis, & craſſæ, glutinoſæque ſubſtantiæ, frigore

terſorum

tersorum corporum, in eorum extimis partibus maiori, quòd lenia frigeant, & caleant, omníq; alio genere qualitatis plus multò aliis asperis & inæqualibus alterentur, alteréntque, ex eo quòd maior multitudo partium in æqualibus tersisque corporibus occurrat, multitudóque materiæ, maiórque alteratur simul, quàm in asperis, vbi partes extimæ consitæ sunt per interualla, quò inæqualitas, asperitásque suboritur, vt sit minor multitudo formæ. Frigore ergo illo tersæ partis intensiori propter multitudinem partium existentium simul, concrescit ros ille desuper veniens in lenibus, densisque substantiis, vbi nõ imbibitur, asseruatur imò ibidẽ, in guttulis discissus ros, separatus ad inuicem, vt locis omnibus, in quibus Manna decidit, concrescítque, est videre; & docuit 3. de alimentorum facultatibus Galenus c. 39. Plinius loco adducto, Auicenna, Serapio vbi suprà. Mesues verò libro de simplicibus medicamentis c. 8. ibidem Manardus, & Costeus, Cælius Rhodiginus libro 3. cap. 9. Paulus, Ætius & reliqui cum Dioscoride, etiam si plurimi ex his cum Aristotele, nomine roris mellei, de excelso hoc misto sermonem texerint, nominéque roris Syriaci, quod ex Lybano Syriæ asportetur; exhalatio verò illa dulcis & pinguis substantiæ, quæ in rorem melleum & dulcem abit,
varias habet & dissidentes partes natura, & substan- 117
tia; vt rores diuersi ex eadem generẽtur, decidántq; continuò, quæ pro diuersa agentis & passi dispositione, in varios rores melleos permutantur, & abeunt, quos omnes aut simul decidere contingit, aut eorum aliquos, cum congeneri sibi substantia, aut diuersa, vt multoties manna decidat cum rore aliquo aqueo ex vaporibus genito, etiam si pauxillò ascendentibus simul vaporibus aliquibus cum exhala

halationibus, multoties verò sine illo venit; at non vnius formæ, cùm varium forma cadere consueuerit de superis illud, docuit experientia ipsa scientiarum mater; vltrà Auerroës in collectaneis quæstionibus de Manna, Actuarius libro 5. super eodem argumento; Serapio libro simplicium c. 8. Auicenna 2. canone, Dioscorides libro 2. cap. 74. ibidem. Lacuna, Costeus super caput octauum Mesues. Liquidus modò dissectus in guttulas, modò concretus instar gummi, vt possit conteri, & in puluerem redigi, modò concretus instar pruinæ saporis, & coloris sacchari, figuræque, non minùs vt mel roscidum, & vt concretum mel inueniri solet, & saccharum adhuc cõcretum, & fluidum Solis ope, & exhalationis causa, natura agente, vt saccharum pruinæ instar, liquidum & concretum, non minùs certis in locis; neque enim hæc exhalatio mellea ex quauis terræ regione ascendit, sed pro varia dispositione, & contactu cœlesti, hac in parte, illa generantur secùs in alia, neque in quauis vniuersi parte lapides, metalla, mista eadẽ viuentia, animantia eueniunt, sed diuersa diuersis pro materiæ, & agentis contactu, virtute, & natura diuersa cœli, astrorum, climatum. Cùm ergo frequẽtissimus sit melleus hic ros, terræ Palestinæ, & Syriç, vt in Lybano est videre, terráque illa salutiferis abundet plantis, & herbarum generibus, quæ hac dulci exhalatione enutrita, suctu radicum allecta, facilè posteà mellea, dulciáque hæc alimenta, aut saltem dulci hac exhalatione alta, permutata iam, lactea efficiantur, cùm lac dulcibus increscat alimentis, húncque succum in animantibus adaugeant, vt lac vndique abundet, & crescat, terráque omnis Palestinæ iure dicitur lacte, & melle emanans, & abundans, Leuitici 20. c. dum commendatur Hebræorum

popu

populo legum custodia; melleo enim rore, & lactiferis herbis, plus aliis omnibus regionibus protuberat, dulcis verò dictæ, & melleæ exhalationis, & si pars maxima supera petat, & in altum euolet, leui natura, pars non exigua virtute aliquarum plantarum; (neque enim omnium, cùm non idem omnia expetant alimentum, vt diximus,) radicum tractu, dum vltimas terræ contingit oras, sugitur & trahitur in substantiam plantarum; vbi alteratur, commutatúrque, & coquitur ampliùs, vt coctione dulcior resultet, melleáque magis, cuius tantam quantitatem ad se vocăt illa, (sunt enim dulcia, eo quòd leuia facillimæ tractionis, vt obstruere facillimè iecur Aristoteles docuerit de sensu, & sensili, libro c.2. vt diximus) vt posteà resudet per poros, & naturæ meatus, mollis totius arboris liquor hic melleus, trunco, ramis, foliis, & surculis, dulcissimúmq; manna in prouentu maximo, formæ vtriusque, tam liquidum, non cõcrescens, ob oleosam, aëreámq; magis natură cõtentă, quàm qui solis actionẽ posteà perpessus liquor concretũ & durũ extat manna; semel ac resudauit, & ad extra venit, vt est videre in fraxinis arboribus, atque ornis, & quercub. annosis in Calabria præcipuè Italiæ, etsi in quercubus aliis, & ficubus oriatur non semel, aliísq; arboribus, vbi hæc arborũ genera illud resudant, neque in omnibus adhuc ornis & fraxinis, aliísq; arborum generibus, sed in ætate iuuenibus, & apud Brigantinos transalpinæ Galliæ, in pinis & Iuniperis vegetioribus, & non quibuscunq; adhuc sui generis, sed in fortibus arborib. bene satis, & fœliciter enutritis; tales enim hanc sugunt, & aduocăt, perficiunt, & cõcoquunt exhalationem. Quò si linteis ceratis vespere operiantur inclusæ arbores, vt ros nullus aliqua ex parte possit illas contingere occlu

occlusas vndique, manè hoc sudore melleo refertas inuenies; ipsúmque exudare eo rore madidas, manna plenas, vi radicum, exhalatione tracta, alteratáque omnino, non desuper illecta, infernè imò allecta suctu; & si in maiori prouentu, quando vtraque causa concurrit simul, abundet manna, dum cœlitùs, & infernè crescit. At extat multoties manna nostrũ, sine eo quòd de superis veniat, arborum, herbarúmque radicibus satum, genitúmque earundem virtute, ex materia disposita, mellei alimenti, ascendentis, exhalationis cõmutatæ in internis, ob copiam, portione non leui ad extra effusa, & abundantia substãtiæ mellifluæ, dum ascendere nititur. Inde maximam copiam mannæ his eisdem regionibus ex arboribus dictis colligitur, dissectis cultro truncis, & ramorum
119 corticibus, aliarum lachrymarum more distillãs, quæ *forzata* appellatur, quòd vi & sectione educatur, arboribus sectis; sine eo quòd in herbis, lapidibus, aut aliis, in quibus solet inueniri; dum cœlitùs venit, mannæ vestigium aliquod appareat. Quò tunc non è cœlo, sed radicum virtute arborúmque, manna illud constitisse non supernè euenisse est indicium; tantúmque ob radices tractum generari tunc; aliàs in lapidibus, & herbis concresceret: non secùs, atque in eo arborum genere inuenitur confectum, & tunc non in foliis, aut surculis, ramisve, in trunco imò arborum harum residet, & ex illo dissecto venit copiosè; & si insideat illi sine eo, quòd dissecetur, copia nõ leuis, & hæc instar gummi concrescat, induretúrque sole magis, & magis, quod mannæ genus meridie, & post meridiem maximo caloris æstu colligitur, concretum & coctum, perfectúmque, quod nec Sole euanescit, nec abit; consistit imò, & firmatur & si minus solutiuum aliis mannæ generibus, ob absumptam

ptam humiditatem, quæ vias lenit, laxat, & humectat, ſoluitque, vt faciliùs ea quæ continentur, decidant, & prolabantur, naturaque per paratiores vias faciliùs expellat, imo thuris mãna, quæ ex thuriferis arboribus reſudat, non ſecùs, ac maſtix ex maſtichinis, & myrrha ex myrrhatis, ob ſimilitudinem, ad hunc liquorem ſponte tranſmiſſi per poros arborum, à quibus progignitur, ſic appellatum eſſe reor. Neque enim omnibus viuentibus eadem ratio, & potentia eſt conficiendi ſuccos. In Lybano enim, in cedris præcipuè coaleſcere manna docuit Galenus loco adducto, cuius tres tantùm differentias omnes 120
connumerant, manna roridum, mel aëreum dictum, liquidũ, & fluxile, more mellis roris effigiem repræſentans, & quod æmulatur pruinam protenſam albam, facilè exolubilia, & vltra concretum, ſeminis inſtar coriandri, coloris & conſiſtentiæ gummi, vt Meſues libro de ſimplicibus, c. 8. edocuit, quod Auicenna gummatum appellat, quod inſtar gummi teri poſſit, & concreſcat. Ariſtoteles imo de roſcido hoc melle ſic ſcripſit 5. de hiſtoria animalium c. 22. Conſtruunt fauos è floribus apes, ceram ex lachryma arborum fingunt, id eſt, gluten illud, quo illiniunt aluearia, vt hæreant cera, conſtentque affixi faui, mella ex rore aëris Syderum ortu potiſſimùm, & arcus cæleſtis incubitu, contrahũt omninò. Ante Virgiliarum exortum mel non fit; fauos itaque, vt dictum eſt, floribus faciunt, mel autem ipſas non facere apes, ſed rorem venientem deferre, argumento eſt, quòd vno aut altero die, cellas melle repletas inueniunt apiarij apum ingluuie. Plinius libro 16. c. 8. Eadem retulit Theophraſtus cap. de melle; cecinit & Heſiodus rores melleos, Ambroſiamque, multoties cecidiſſe de cœlo, & l. 11. cap. 14. poſtquam

de melle cõmuni egerat Plinius, inquit: *Alterum genus est mellis æstiui, quod ideo vocatur horeum à tempestiuitate præcipua ipso Syrio explendescente Austro, quod à Syria nomenclaturã sumpsit, quod melliftuum sit, causaque mellis rorei.* docuit Columella lib. 9. c. 13. qui & has mannæ differentias enumerat, imò 4. Georgicorum Virgilius sic canit de manna: *Protinus aërei mellis cœlestiã dona Exequar,* & in Bucolicis ecloga 4. *& dura quercu sudabunt roscida mella.* Plato in Timæo, hoc esse Deorum alimentum vult, id est, iustorum hominum, & filiorum Dei, veritatem olfacientes mannæ concessæ Hebræis, populoque Dei dicto. Ouidius aureã ætatem describit mellis pluuiis, ex arboribus venientibus, & lactis abundantia. Plurimi enim ex his philosophis nomine mellis aërei, & manna comprehendebant, quod solùm differant liquido & concreto, fluxibilitate, & cõstantia, & vt mel concretum nomine mellis includitur, & eo ab omnibus amplexatur, & sacchari nomine, fluẽs, & durũ amplectũtur, non secus manna roscidũ, & concretũ, quod apprimè cognouerunt antiqui, nomine mellis roscidi, illud amplexantes, vt omnes qui de melle roscido sermonem instituere, illudque cognouerunt & de manna simul eo nomine dixisse constet, & manna cognouisse, indubitanter sit asserendum, quod & si in arbores decidat, herbas, & lapides, & præcipuè in frondes arborum earum quas diximus, ramosque, illud manna antecellere differentias reliquas communiter existimatur, quod ex fronde colligitur, quod manna de
121 fronde ideo appellant, in tantum vt edicto publico, legéque promulgata Neapoli, nullum aliud pharmacopolas continere sinant, nec medicos propinare ægrotis; melius tamen videtur, perfectius, & purius est illud quod in lapidibus firmatur, & concrescit,

ſcit, quòd alteretur virtute foliorũ, & herbarũ, adeò vt ſaporem aliquem referat eorumdem, vt alteratum iam permutatumque aliquãtulum ſit, non ſincerũ, purũve; non ſolùm vt in lapidibus, è quibus nil ſuſcipit manna, & quale decidit concreuit, non ſecus atque concreſcit in corporibus omnibus terſis, & lenibus, vt in metallis, aliiſque eiuſcemodi rebus, ſi exponantur rori, quò primum locum manna de lapidibus habet, 2. de foliis arborum, quod vt ſicciora minùs ſucci permiſceant cum ſuſcepto manna, vltimum verò quod in herbis concreſcit. Quod enim in truncis arborum coit, aut diſſectione extrahitur, mannæ virtutes nõ continet, vt nomẽ mannæ mereatur, effectibus & actione, niſi remiſsè admodum, nec plures differentias, quàm liquidi & cõcreti mannæ numerauit Auicenna etiã, qui 2. canone duobus illis capitibus, vbi alterũ de manna, alterũ verò de Tereniabin ſcripſit, vbi hæc numerauit manna, tereniabin Siracoſt, & mel de Cuſurã, nam Tereniabin, idẽ eſt Arabicè, quod ros melleus, mel verò de Cuſurã & Siracoſt, regiones ſunt, è quibus aſportãtur hæc duo mãnæ genera, vt ſolùm mãna liquidũ, & cõcretũ ſuperſint, nõ minùs quã de ſentẽtia aliorũ in opine Auicennæ, Sir enim idẽ eſt quod Sur Arabicè, Sur verò deſertum eſt Arabiæ, ex quo copiosè aduehitur ros is melleus, & concretum manna, coſt verò mare, vt Siracoſt idem ſit quod ex Sur trãs mare medicina aſportata. Cuſurã ex Curaſcite nomine Arabico mare Rubrũ notans, Cur mare eſt Arabicè, Surã rubrũ; quaſi ex regione illa aſportatũ. Manna hoc verò quod ex arboribus diſſectis, diſciſſiſq; diſtillat *forzata* appellatũ & violentũ, mirabilis eſt conditionis, & oppoſitũ quaſi communi mannæ quo vtimur; quòd cùm reliqua ſole euaneſcant, & in halitus ex-

oluantur, hoc verò concrescat, & perficiatur sole æstiuo, coquaturque ampliùs, & consistat; igne imò multoties extrahatur hæc mellea substantia interim dũ ligna harum arborum exuruntur igne, succusque ex trũcis earundẽ sudore exceptus amplius recoctus igne induratur, non secus ac vi solis concrescit, & coagulatur; secus atq; alia mannæ genera, quæ facilè exoluuntur calore quouis, ex quorum halitibus, vaporibusque elatis naturæ corruptæ & fœtidæ, interim dum sole putrescit, varia culicũ, muscarũ albarũ, insectiliúmque aliorum formulæ eueniunt, quæ & manna ipsum degluriunt, & ingerunt auidissimè, eo quo solent modo culices vinum, ex quo sunt sati, imbibere cupidi. Cuius medicaminis varij sunt vsus & virtutes raræ; emundat enim & purificat vniuersum corpus ab excrementis impuris, & obscœnis, præcipuè à bile quæ animi, mentisque motus obscurat magis, irascibili excitata, detergit, lenit, sine capitis offensa, coinquinatos succos expellit, firmat pectus, roborat ventriculum, extergit ventrem, mundidificat sanguinem, exhilarat cor, auget spiritus, caput mundificat, sitim sedat, iecur reficit, appetitum excitat, temperatæ naturæ in caloris oppositione, in alia primo gradu humida, vt dixere hi omnes autores locis allatis. Nulla est denique in corpore pars, quæ non suscipiat raris eius & excelsis dotibus leuamen maximum.

* * *

Ea

Ea quæ complicata fuere, ex variis Scripturæ locis de Manna deplicantur.

CAPVT XV.

EX iis quæ latè longéque diximus de manna, eiuſque viribus, accidentibuſque reliquis, ſubſtantia, & modo, via patet, qua poſſimus abſtruſa ſatis, & difficilia quæ adduximus ex variis Scripturæ locis extricare, & abſoluere, eadem ſerie qua illa in controuerſiam reuocauimus. Ad primum iam patet ſolutio, quòd variæ erant, & inter ſe diſſidentes mannæ partes; quædam albi coloris, quædam verò ſubpallidi, coloris bdellij, eæ ad formam Coriandri, illæ in ſimilitudinem pruinæ, cum qua quod craſſiuſculum erat, durum ad coriandri formam deſcendebat, aurei remiſſi coloris. Pruina verò velut pilo tuſa offerebatur, aliud verò quaſi in guttulas concretum, quod ex craſſioris exhalationis parte genitũ eſſet, nõ ſecus atque illud quod modo nobis ex arboribus reſudat, variũ natura, pro exhalationum inæquali ſubſtantia, & partium diuerſitate. Sic illud cælitus eueniens, citra id quod inferioris naturæ opere egeret, ad formam Coriandri repræſentabatur, præcipuè quod huius virentis ſemina principiò interim dum vireſcit, & germinat, albiſſima ſunt & candida, perfectiſſimæ figuræ ſphęricæ, terſa, & polita, quò potuit manna his aſſimilari, hæcque æmulari colore: non ſecus, ac bdellium inuenitur puriſſimum, albiſſimumque ſimul, lucidum, perſpicuum natura, diaphanum, ſaltem plurimis eius in partibus, vt ſubſtantia hæc mannæ, præparata ſuper naturæ modulos, etiamſi candidiſſima; merito cum hoc bituminis ge-

nere cõferri potuerit, varia in partibus, cõpartibus vario bdellio, docuit Galenus 6. simpliciũ, Plinius l. 12. c. 9. Dioscor. lib. 1. c. 69. & experimur omnes, quibus nil vetat, modò huius, modò alterius coloris effingere scripta sacra manna, figuræ & conditionis, secundum varias eius formas, pro materiæ ratione diuersas, quantum naturæ ordo potuit conseruari, & cum supernaturali ordine consentire. Diutiùs verò seruabatur, quod formam coriandri repræsentabat, adhuc constituto suo durationis termino, quàm illud quod instar pruinæ Hebræis impertiebatur, quod siccius, duriusculum esset, coctumque magis, & solidum, quibus diuersa Scripturæ loca cohærent. Alia verò quæ de sapore huius generosi alimenti, contractionem inuoluere videbantur, non minùs inter se constant, & non dissident; manna enim simul cum rore melleo descendens, vt venit illud semper, & cum illo immiscetur continuò, seminaque illa duriora formæ coriandri, simul cum rore sacchareo, & melleo venientia, saporis erant similæ cum melle: trita verò & contusa hæc, cocta, & igne parata, panis oleati gustũ reddebant, tenui, aëreo, & dulci, igne exoluto, crassiori relicta substantia cum oleoso, viscidaque & aërea, naturæ pinguis, & tenacis; hos enim sapores sic generari, hisque constare docuit Aristoteles de sensu, & sensili, c. 4. Theophrastus lib. de saporibus latè. Galenus 2. de simplicium, per plura capita. Hi verò manna insequebantur gustus, naturæ viribus, secundùm eius varias & diuersas partes, modósque diuersos, quibus parabatur, condebaturque illud natura & arte. Super naturam verò excessúque liminum, virium, & potentiæ huius misti, soluta illa ab omni naturæ lege causa superior, cum hoc vno huius cibi sapore & gustu, omnes gustus, delectamentum

mentumque omne, voluptatemque rerũ omnium, prout quisque expetebat, inferebat, hac ipsa vsus natura, quam constituebat principiũ operis, prout ipse rerum autor moderabatur, peculiares eius actiones excedens, actus, & opera, cohibésque illam proprios exercere gustus, quando opus erat miraculo, supra omnẽ naturam, vt & super ordinatã legem miraculo descẽdebat creata, ipsi ad nutũ obediens, prout par erat illi obedire, suóque creatori morem gerere, illique in totũ obtemperare. Nec minùs nodus ille soluitur de cupedia & desiderio rerũ Ægypti, illiusque ciborũ, etiam si in mãna voluptas omnis cibi cuiuslibet, salubris tamen, contineretur; neque illi salutares cibos expetiere, pepones imò, cucumeres, allia, & cæpas carniumque ollas his eisdem conditas, & paratas, aliisque noxiis, & insalubribus condimẽtis, alimẽtis vitiosis, obscœnis, & tetris, virẽtibus multis coinquinatas, facilè putrescẽtibus, vt mos Ægyptiis, ex quibus & effrænaretur appetitus gustu excitatus, passionibus insurgentibus, phantasia rerum salacium, & opere, irascibilisque cõcitatæ alimentis biliosis, igneis, & æstuantibus, vt excitatur phãtasia, & imaginatio commouetur sensatis externè, quibus conspurcabãtur in totũ, vsque dum corpus immundum aggrauaret animũ, quæ manna illud diuinũ & cœleste non offerebat, sed salubria, placida, & sana alimẽta, vtilia, suauia, voluptatis plena, vt corpus rationi subderetur; ideo illi recordabantur alimentorum Ægypti. Vt meritò increpentur ab omnibus, & malè audiant, quòd cum omnis cibi salutaris delicias experirentur, à quo salus, naturæque perfectio emanabat, ipsi inculti & rustici omninò, communes cibos, viles, abiectos, corpus effrænantes, & appetitui, sanguinique officientes, impurumque ali-

 mentum

mentum auidiſſimè expeterent. Nec debuit man-
na deſtitui accidentibus miſtis omnibus communi-
bus naturæ lege, ſaporeque inſito, & naturali ſimi-
læ cum melle, aut cõditi panis oleacei,arte parato,
cùm illud miſtũ eſſet etiãſi ſuper naturã cõſtitutum,
naturã propriamque obtineret, eſſentiã & formam,
qua in certa ſpecie entiũ naturalium poſſibiliũ con-
ſtituebatur, & ſi ſupra naturã cõditum ab ipſo ſum-
mo rerum opifice; Angelis præparantibus materiam
exhalationum, coadunãtibus, colligentibuſque eas
in vnum,vt ſufficiens adeſſet copia mannæ; quibus
corpora obediunt ad motum loci, vt & coaceruare
illas poſſent,& ſimul depurare eodem motu,iis ad-
ductis,& illis relictis,ob impuritatẽ, vt ſuper natu-
ram Deus ex ea rudi materia manna adſtrueret,mi-
niſterio Angelorũ , vt Angelorũ panis merito voci-
taretur ideò. Hæc verò quæ de ſumma voluptate
huius celebris alimẽti , & ſummo eius delectamẽto
diximus, iuſtis præcipuè impertiebãtur hominibus,
quibus incredibile oblectamentum rerum omnium
ſuauium, ſalubriumque inferebat,reliqui verò, & ſi
varios, delicioſoſque ſapores ſuſciperent, non adeò
voluptatis plenos,nec ſuaues adeò. Neque erat illi
impedimento naturalis ſapor , quominùs reliquos
cauſaret guſtus,ſoluta agendi cauſa ad nutum,ſupra
peculiarem naturã,reliqua ſuperaddens. Hinc igno-
tũ Patribus,ſæculoque omni manna fuit iſtud,etiãſi
in Lybano Syriæ, prouentus maximus communis
mannæ, roriſque mellei. & ſaccharei continuò pro-
ueniat,quod dotibus illis excellentiis ſupernè addi-
tis,manna illius conditionis, & legis, figuræ, & pro-
prietatum nũquam mortalibus acciderit,illudve ens
naturale ſuper naturã ordinatã vniuerſi adſtructum
124 miraculo,quod in natura eſſet ordinata iã, vnde ſic
non

non fieret illud, neque ens nouum constitueretur in vniuerso. Vnde & si condere vniuersum, miraculum non fuit, sed effectus miraculosus, quòd nulla erat lex ordinata dispositionis illius, ante eius esse, & si sine causis secũdis illud adstruxerit Deus, se solo, nec animæ rationis effectio, se solo acta, quia lex ea ordinata & stabilita est; sic tamen manna efficere ens, vniuerso constituto, legeque certa ordinato, legem hanc excedere, ens nouũ superaddere proclamante ordinata lege, id miraculum est fatendũ, vt quæ modò videt hominum conditor simplicis intelligentiæ sciẽtia, si ederet, semel hóc ordine, & rerum numero constituto, statera hac, & mẽsura hoc stante vniuerso, quod esse iam excederetur, promulgata lege naturæ, quo super naturã constitutã, & legẽ latam, miraculo esset ideo. Creatũ verò fuit manna, & si materia supposita, Angelorum diligentia, & ministerio; nam entitas superaddita materiæ, ex nihilo illius ordinato ad manna extitit; vt creatus est homo, & si ex limo terræ efformatus, cũ non concurrat illud, causando in opus aliquid. Et si cõmune manna notissimũ illis crediderim, ob Lybani viciniam, curiosamque indagatricẽ Hebræorũ, Ægyptiorumque conditionem. Fuere enim primi Ægyptij & Hebræi, qui postquàm sublunariũ rerum naturam calluere, astra, & orbium cœlestiũ motus, abditissimaque quæque supernæ naturæ diduxere ad vmbilicum, cõcepereque radicitus. Quod quartum verò inuestigat dubium, non minùs eluitur facilè ex dictis. Sunt enim in natura plurima, vt variis suprà confirmauimus exemplis, quæ moderato calore, tepido, & facili soluuntur, & liquescunt; forti verò & vrenti siccantur, induranturque, vt vsta ampliùs cõsistant, forti igne, humidis partibus exolutis, quæ in parua copia con-

tinebantur in tali genere mistorũ,quo solùm supersunt siccæ & consistẽtes portiones,induratæ,& arefactæ,vt in resina,& gummi omni genere est videre. Hinc potuit sole liquescere, & igne indurari. Sed illud mirabile est, propriã mannæ superãs naturam, quòd modo quouis, siue paratum arte, siue vt ceciderat, obseruatum plusquam die vno, aut duobus vespere & Sabbatho, subitò putresceret generosa illa,celebrisque substantia:sicca iam,& dura,vermibus scaturiebat:Nam etiamsi ex niue antiqua,vt docuit Aristoteles suprà,vermes generari cõtingat, adhuc frigore tanto oppugnãte,(& si non eis in partibus niuis;ex quibus animalcula illa generantur ; ibi enim cũ mistũ sit nix, calor prædominatur, interim dum exoluitur & putrescit, quo illa consistunt præsentia humiditatis, quæ est corruptionis radix ; est enim hæc via corruptionis, vt Philosophus dixit 4. meteorolog.2. c.) tamen sicca & indurata corpora subitò putrescere, & nõ putrescere quãdo opus erat destinatis diebus, id omnem excedit naturã, venitque miraculo. Quod quinta expetit addubitatio, non minùs redditur; variæ enim partes mannæ occurrebãt;quædam vt pilo tusæ instar pruinæ,quæ facilè exoluebantur,& in halitus ibãt,si summo mane non colligebãtur ante solis ortũ, aliæ verò Coriãdri formæ cõsistẽtes & duræ, quæ etiam si nõ legebantur ad aurorã,facilè euanescebãt,aliter atque eorum ferebat natura,miraculo, quæ posteà delectæ semel diligenter teri & frangi poterãt mola, & põdere, vt ex eorum polline igne emollito in vasis fictilibus, in massam redacto communem & vnam, panes efformarẽtur,vt illud impleretur quod eis pollicitum fuerat de panibus, pollicitatione illa, & carnibus, quas auidissimè petiere.Panes enim ex variis rebus,

semini

ſeminibus,& frugibus parari,radicibus, & aliis no-
uimus, vt panis nomine, & ex manna parati intelli-
gantur,nónque ſolùm triticei. Plinius libro 18. c.11.
latè,noſque experientia edocet communis, vt pani-
bus,& carnibus fuerint ſaturati, vt pollicitatio con-
tinebat , veræ reipublicæ aptiſſimum hieroglyphi-
con,quo diuiſa quæuis, & debilia in commune bo-
num,maſſamque vnam tenentur ire, ſic vt panis ef-
formetur , conſiſtatque, charitatis igne, menſa Dei
digno. Fluctuabat verò & nauſeam mouebat im-
probis,& ſceleſtis hominibus, oleoſa hæc ſubſtâtia,
oleati panis ſaporem inferẽs,quantũ propria ageba-
tur natura,quòd oleũ pinguiaque omnia,vt leuia,&
aërea ſupernam partem vẽtriculi obtinentia fluitẽt,
aëreæ & inconſtantis naturæ , ſenſumque moueant
plenum ſatietatis,repletioniſque, cum vſque ad ſu-
pernam ventriculi infeſtẽt partem, quò ventriculus
nauſeat, & cupit à ſe eiicere quæ illum moleſtè oc-
cupant,& ſenſu repletionis fatigant.Relinquebatur
enim ſuæ naturæ iniuſtis hominibus manna, queru-
lis & incredulis de ſumma Dei prouidentia, dum
opus erat,quò adhuc alimẽto ipſo puniebãtur.Non 125
ſic iuſtis,non ſic,omne verò delectamentum eo ali-
mento cõtinebatur,nulla accepta moleſtia ab illius
cibi naturali modulo , ſuper naturam noxa vitata.
Tum nauſeabant metaphoricè,& per allegoriam in-
iuſti, quòd eo ſolùm alimento cõtinuò veſcerentur,
quaſi tædium inferret , hãcque metaphoricam nau-
ſeam cauſabat alimẽti aſſiduitas. Quod de coturni-
cibus ad veſperam exhibitis in dubium vertitur,an-
te mannæ prouentũ, cùm tamen locis aliis Scriptu-
ræ ſacræ,eas poſtquàm mãna tædium attuliſſet He-
bræis , fuiſſe conceſſas referatur ; nullam inuoluit
contradictionem;quod non vna vice,pluribus imò,
illas

illæ fuerint cõceſſæ Hebræorum populo, ante manna,& poſtquàm eo fuere ſaturi illi. Prima enim vice fuere oblatæ ad veſperam præcedẽtis diei ante mannæ pluuiam, poſteà verò iam manna alti, & nutriti, veſpere & alio tempore ſpatio non breui. Iterũ queruli, diffidentes de pollicitatione ſummæ ſapientiæ, bonitatis,& veritatis ſummæ, eaſdẽ recepere, vt eiſdẽ locis conſtat. His alitibus potiùs, quã aliis enutri-
126 ti fuere Hebræi, propter earum facillimũ captũ, quòd prope terram peruolent continuò. Plin. lib.10.c.23. Coturnices anteà aduenĩũt, quàm grues, parua auis; & cùm ad nos venit, terreſtris magis quàm ſublimis, paulo pòſt auſtro non volant, aura tamen vehi volunt propter pondus corporis, Aquilone ergo maximè volant. Vt nulla violẽtiã ergo naturæ inferretur, quantum potuit ordinata lex ſeruari, iis fuere alti volatilibus illi, ea in regione excellentiſſimis herbis enutritis, rore melleo abundantibus lacteis,& ſucco altili terræ feracitate refertis, vt varia, & rara altilia, effectúſque excelſi,& clari virentium, arborum, rerúmque aliarum eius regionis, lacte & melle abundantis declarant, vt mors non earum vi & natura vitiata, quæ in multis prouinciis in coturnicibus inuenitur, miraculo imò & vltione fuerit cõſequuta, iuſto Dei ſupplicio illato vitioſis & diffidentibus hominibus, iuſtis, & probis altis & nutritis manna ſolùm, adhuc eis oblatis, & appoſitis, lib. 10.cap.23. Plinius ſic ex Ariſtotele & aliis: Coturnices ſemper antè veniunt, quàm grues: parua auis,& quum ad nos aduolat, terreſtris magis, quàm ſublimis. Aduolant non ſine periculo nauigantium; quippe velis ſæpè inſident,& hoc ſemper noctu, mergúntque nauigia. Iter eſt his per hoſpitia certa: Auſtro non volãt, humido ſcilicet, & grauiore vento: aura tamen vehi ſolent,

ſolent, propter pondus corporis, viréſque paruas, quibus vento africo & plena trãſuectare maria edocet, vt iuxta eorũ legem, & naturæ modulos fuerint aduectæ ex mari rubro in deſertum Sinai africo, qui ad Occidentem eſt Ægyptum verſus, aliàs ex mediterraneo non africo, ſolano imò aduectarẽtur. Cùm ergo detulerit illas Deus ex mari, ea ex parte tranſuectauit illas.

Quo Dipſadis & Hæmorrhois eliſi ſenſus myſtici continentur, & naturalia plurima.

CAPVT XVI.

NVllum eſſe deterius venenum in omni natura, nullum adeò affligere, certiuſve mortem inferre, Dipſadis & Hæmorrhois viru ſuperius diffusè ſatis monſtrauimus, tot tantiſq; autorum monimẽtis, exemplis, & placitis, vt quaſi omnino deſperatæ ſalutis habeantur percuſſi, nónque morbum, mortem imò, in horum animantium ferocia occurrere effigie ſolùm aliam diuerſam, formáque alteram multi crediderint. Vita enim cum potu, alimentóque ſeruetur, vt reſarciri poſſit ſubſtantia noſtra quæ perpetuò effluit, Dipſas potum abſumit, humidámq; hauſtam ſubſtantiam, ſitim inexplebilem, & moleſtam inducit, abſumpto potu, dira veneni potentia, Hęmorrhois verò fundit alimentum, ſanguinem perdit prodigè & profusè, vt his duobus deſtituto animanti, vitã triſtiſſima macie oppreſſum præfiniat. Antiqua eſt, & à principio vniuerſi conſita inimicitia, liuórq; ortus inter ſerpentem, & mortalium genus, Geneſ. 3. eſt videre. Nititur enim noſtra inficere, inquinare, & auferre,

auferre, instigatus inuidia serpens, superbia elatus, altus, incedens pectore, & corde, quæque cœlitùs veniunt retardare, omninóque impedire tentat, quò ille, tum aquæ gratiæ potum siccare, tum alimẽtum doctrinæ legis effundere studet, omníque impedire modo in nobis præsumit, vt nos debiles alimento, & potu destitutos, facilè superet, & euincat. Nec alius est serpens hic, quàm ille, cuius orbes, spiras, plicaturásque explicat, & deplicat Ioannis Apocal. 12. signis hisce ad literam dicens: *Et factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque inuentus est ampliùs locus eorum in cœlo, & proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiecti sunt in terram, & Angeli eius cum eo missi sunt, & audiui vocẽ magnã in cœlo dicẽtẽ: Nũc facta est salus,*
12 > *& virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius.* Hoc verò superbum animans, cùm tantùm calcaneum nostrum icere posse terra reptans, humíque repens, Geneseos 3. intelligeret, naturæ potentia, celsum & superbia tumidum, permissu & concessu conditoris nostri, caput aggreditur, illíque officere parauit, Christum ipsum, hominum & Angelorum caput verum hominem, verúmque Deum. Paulus; *hominis caput Christus, Christi caput Deus.* 1. ad Corinthios cap. 11. vbi absque iniuria ambiget quispiam, & sine offensa dubitabit, qua forma occurrerit serpens hic, qua cusserit Christum, sauciaueritque, Dipsadis an Hæmorrhois. Nec sine ratione dubium emergit, cùm impudicum animans Christum ipsum vulnerauerit, & suum venenum nostrum in ipsum reiecerit, & effuderit, dixit Isaias cap. 53. *Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit,*

& po

& posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Permisit Deus, Christum percuti, quo Zachariæ 13. cap. sic, *Percute pastorem, & dispergentur oues*, quod refertur Matth. 26. & Marci 14. hoc enim tetro animantis morsu, vna ex parte sanguis toto è corpore effluxit, vniuersè emanauit, vt nulla esset in ipso pars non effundens sanguinem; quò videtur Hæmorrhois esse morsus & ictus, in ipsúmque incussisse dentes sæuos, & tetros, in ipsum Deum, & hominem, supposito vnum. Sic enim dicitur Luc 23. *Et factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis cadentis in terram.* Summa veneni potentia, anxietas, angórque dissuetus: tum flagellis cæsum, vt dicitur Marci 15. quinque millibus qui Christum viderent, omníque è corpore sanguinem effundentem, veneno serpentis tumidum, inflatum viru, dente lethifero & atroci laceratum, qui spectarent ipsum Hæmorrhagiam, incompescibilémque sanguinis tantum fluorem patientem, Hęmorrhoâ percussum, facilè sibi suaderent; sunt enim tales Hæmorrhois ictus, vt iam meritò serpentem illum Hæmorrhoam crediderint, qui virus suum in Christũ eiaculauit, vulnerauítq; propter iniquitates nostras, vt illo loco Isaiæ dicitur: *Attritus est propter scelera nostra*, & infrà. *Liuore eius sanati sumus.* Tum cruci affixum, sanguinem pedibus effundentem, manibus, capite, spinis sacrũ cerebrũ perforantibus, imò cùm ea sit Hæmorrhois potentia, illáque licentia veneni, vt adhuc emortuo animanti sanguis diffluat & labascat; hoc tãtùm huic vni animãti cõcessum inter omnia quę natura sustinet cruenta, & venenata, meritò Hęmorrhoëm odores teterrimos in Christũ iniecisse suspi

suspicabimur, cùm postquàm animum illustrem patri relegauit, ex latere sacro purissimus simul cum aqua sanguis effluxerit, Ioan. 19. Sanguinis imò effusione res hæc omnis vniuersúmque nostræ redemptionis pondus agitur; Vix nato sanguis emanat, Ecclesiæ signo legis veteris circumcisionis octo diebus à fœlicissimo ortu sanguis eius pretium redemptionis nostræ effluxit, prima Petri. c. 1. Sanguine abluimur sanguine empti eius, sanguine alti eius, enutriti. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus in hodiernũ imò vsque diem, in sacramento Eucharistiæ sanguis eius emanat, decurrítque totus sanguis alimentum, totus, vita, victus, & anima nostra, anima enim omnis carnis in sanguine eius est. Videtur ergo, serpentem illum antiquum, qui Christum crudeliter dente tabifico sauciauit, Hæmorrhoam fuisse: alia ex parte ictus hic teterrimus, ferúsque morsus Dipsadis esse cõuincitur, cùm siti inexplebili, incompescibilíque, cui nunquam satis fieri potuit, fuerit adeò infestatus, vt quandiu vixit; hac vrgeretur intentissimè, & modo non minus sitiat; nullius enim alterius in cruce pendens tormentorum conqueritur, tot tantísque doloribus, anxietatibúsque extorsus, præterquàm sitis, dixit Ioannis 13. *sitio*. Multi habuit sitim extinguere crudelissimum affectum, ingentemque passionem, vt habetur Matthæi 25. *Sitiui & non dedistis mihi bibere.* Conqueritur maximè impiorum hominum eo loci, qui potum interdixere, & negarunt, dicens, *sitiui & non dedistis mihi potum.* Ioannis 4. aquam promittit sitim extincturam vna vice exhaustam, pro præmio obseruationis legis: his præmia vitæ æternæ configurans. Paulus ad Romanos 12. de hac ingentissima meminit passione, consulens potum exhibere sitientibus. Isaias 50. cap. morte sitis minatur

im

improbos, sitíque affligendos. conqueritur de siti auarus Lazaro. Denuntiat sitim Dauid ingentissimam, passionem figurat psalmo 62. Nil Christus aliud à Samaritana exposcit, quàm bibere; ea erat sitis accretio. Hac siti actus tantùm ebibit, vt vel passionis potentia, non secùs ac Dipsade læsi, omni humore absumpto, succis omnibus profusis, interierit, resiccante veneno, vel potu nimio aquarum afflictionis exhausto, è vita discesserit, tum aquis riuulorũ amoris, fontiumque ingenti potu exhausto vitã præfinierit. Cum ergo serpens venenum effuderit in ipsum verum Deum, & hominem, huius potentissimi effectus causam, non abs re in Dipsadis suspicione sumus. Quibusdam accidisse sanguinis sudorẽ, eius- 128
que per poros vniuersæ cutis fluorem, dixere non pauci; præcipuè Aristoteles 3. de partibus animalium c. 5. 3. de historia. c. 19. sic scripsit: Iam nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum sudarent propter vitiatum corporis habitum, eò scilicèt cum cotpus laxum, fluxumque esset, sanguísque præ cruditate humesceret, imbecillitate caloris; qui exiguus venulis inclusus coquere non posset. 3. de partibus sic: Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat; sic enim in speciem saniei diluitur, & adeò serescit, vt iam nonnulli sudore cruento exudauerint. Idem etiam interdum causæ est, vt qui effluxerit, aut omninò cõcrescere nequeat. Hunc exudasse sanguinem, Alcmeonem Plutarchus firmauit, aliíque non pauci dixere de aliis; sed hæc anxietate, angustia, & mœrore contigisse nulli alij præterquàm Christo, euidenter conuincitur, qui in mortis agone cõstitutus, cùm eius horrorem, toruũque aspectum, abominabilem effigiem apprimè calleret, & ipse cùm vita esset, vt dicitur Ioannis 11.

Ego ſum reſurrectio, & vita; & 14. *Sum via, veritas, & vita.* ſummè ſibi contrarium exhorruit, vt pote cui per infinitam oppoſitionem aduerſabatur; non ſecùs, atque eſſe & nõ eſſe, ſeſe excludũt & abigunt, cùm quòd oporteret Deũ mori, vt illa euinceretur quod ſuprà hominis captum eſt, tum quòd anima deſereret illuſtre adeò, omníque modo abſolutum corpus, omni natura perfectius & pulchrius. Cùm enim plus omnibus aliis hominibus relinqueret, plus illis omnibus angebatur morte; tum vt pro hominibus ſatisfaceret, intenſiſſimo actu doloris, de delicto mortalium. His ergo cùm impẽſiſſimè extorqueretur verus homo Chriſtus, vt & verus Deus, ſanguinem, & ſpiritus allexit mœrore ad cor, quæ mouen-
129 tur imperio imaginationis, & appetitus ſimul cum ingenti paſſione, & confluunt, vt ſuppetias ferant oppreſſo viſceri afflicto, quibus (natura calidiſſimis) æſtuat, & flagrat incendio, aëre calefacto reſpirationis, iis eiſdem, quæ ad ſe vocauit, qui remitteret calorem cordis, in quem venit non impeditus reſpiratu frigido; illum verò aërem ſuccendit poſteà ingẽti iam ſuo adaucto calore, & intenſo igne, adue&tâſque ſubſtantias cum illo, vt cor flagret incendio, & æſtu; quòd cùm exureretur in Chriſto agone, & mœrore intenſo ſupra omnes mortales, remiſit à ſe calefactum ſanguinem, extenuatumque expulit, vt per poros vniuerſi corporis facilè efflueret nolens eo actu interire, crucis imò morte & tormentis, purus ſanguis, natura perfectus, non ſecùs atque alter qui in alto corporis continebatur, ſolùm calore & attenuatione diuerſus fluxit è Chriſto, extenuatus intenſiſſimo dolore, ſecùs in reliquis, impurus, non integer, corruptus imò, ſanguis decurrit, ſeroſus, infectus, qui nõ cõcreſcebat ſemel, ac deſederat, quòd aquo-

ſæ

ſæ eſſet ſubſtantiæ,ſeroſæ , & vdæ nimis,non conſi-
ſtentis coactione caloris,ſubſtantiæ mediocrem mo-
dum illi impertiẽtis,vt puro ſanguini digeſto,& co-
cto accidere videmus;morboſis imò non coaleſcẽs,
nõ mœroris agone rarefactus,purus alioqui, morbo
imò,& ęgritudine aquoſus,& vitiatus.Quò dixit Ari-
ſtoteles, non concreſcebat ſemel ac ſudore externa
petiit;in Chriſto verò perfectiſſimum corpus obti-
nente,in ſaluberrimo illo omnium corpore,hæc ac-
cidiſſe,puriſſimũ,perfectumque ſanguinem exudaſ-
ſe,omnem excedit angorem,& conatum ; quo no-
tanter eo loci Marci dicitur:*Et factus eſt ſudor eius ſi-
cut guttæ ſanguinis cadentis in terrã.* Roris modo diſtil-
labat , ſeruabat guttularum formam , dum terram
contingebat , dixit *cadentis in terram* , quòd in gut-
tas abiret , & ad guttæ formas decideret , terram-
que in guttulas diſtractus cõtingeret,perfectam ob-
tinẽs formam,coctione caloris nactam, quæ propriã
figuram ſeruabat integram, cõſiſtentem,nõ fluidus,
iecoroſus,verus imò ſanguis,integer,purus. Cõcre-
ſcebat enim , & in guttulas diſſecabatur , in eo qui
ſpecioſus erat forma præ filiis hominũ, Pſ.44.quod
futurũ erat corpus animæ excellentioris organũ,per-
fectioríſque,in quo altiores,excellentioréſque actio-
nes Chriſtus erat exerturus ; corpori verò illuſtriori,
ſi ſimilia ſimilibus enutriũtur, generoſum magis de-
cet alimentum,purius & excellentius;cũ quod illud
generet natura tale , tum quòd aliàs eo non alere-
tur , vt diſſimili. Puriſſimum ergo obtinebat ſan-
guinem , vt nulli alteri ſudor talis contingere po-
tuerit , quod nullus in tanto angore & anxieta-
te fuerit conſtitutus.Si ergo Hæmorrhois verum co-
git ſanguinem reiicere; verumque naturæ alimen-
tum ; meritò illius ſerpentis,qui Chriſtum percuſſit

130 morſum, huius fuiſſe animantis ſuſpicamur. Neque inficias ibit hæc noſtra dicendi ratio, ex eo quod ſcriptum eſt Ioannis 19. c. *Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua*, quibus non purum ſanguinem emanaſſe, aquoſum imò datur intelligi; id enim extra communem modum contigit, cùm vitalis cauitas quæ regio pectoris eſt, aquam in ſaluberrimo præcipuè corpore non poſſit in ea copia continere, nam & ſi Pericardiõ, cordíſve tegumentum aquam complectatur, quæ cordis ſubſtantiam perpetuò inundat, humectátque, ne viſcus incendio flagret, & exſiccetur, tum vi moueri poſſit continuò, humore facilè laxum, & emollitum; tamē in pectoris cauo viuo animanti præcipuè in ſubiecto ſalubri, id impoſſibile eſt in natura; cùm quòd, ſi aqua ibidem obtineretur, pulmones diſtenti motu pectoris ea replerentur, & compreſſione poſteà pectore compreſſo per os reiicerent, non ſecùs atque aërem, & ſuccos reliquos, dum cauum pectoris occupant, abigunt tuſſi & execreatu. Tum morbum ſupponeret iam, vitioſamque naturam præternaturalis illa aquæ generatio, liberamque reſpirationē impediret; & etiam quòd cùm paulatim ne in pectus decumberet, ingentiſſimo illius partis calore abſumeretur, cùm ſubitò euenire non potuerit, quin copia moleſtata natura reiiceretur anteà, pectúſque grauaretur debile & languidum; quæ ſi forent morboſa in Chriſto, non emitteret iamiam præcipuè emoriens vocem illam pectore horriſoná & fortem, *Eli Eli*, qua aures patris, cæloſque penetrauit. Potus enim, vt cibus, ventris naturalem cauitatem replent, non vitalem pectoris, & cordis. In Chriſto ergo (ob ſummam anxietatem, & dolorem ſummum, mortis tormentis, diríſque cruciatibus, ob

ob excellentiorem, acriorémque ſenſum abſolutiſſimi corporis) afflicto, incendium increuit adeò, cùm is actus, tum amore flagrans, & exardeſcens, vt ſubſtantias omnes vniuerſóſque humores, qui in regione cordis continebantur, efflagrantes iam & ſuccenſos igne & æſtu, in halitus digeſtos, extenuatos, tanto æſtu, poſteà morte extincto vitali ſpiritu, animalíque, frigore ipſius Solis iuſtitiæ emortui & languidi; interpoſitione noſtrorum criminum eclipſim paſſi; halitibus, qui ex attenuata humorum ſubſtantia mœrore tanto & incẽdio rarefacti volitabãt; denſatis, concreſcentibuſque mortis gelu, in aquam commutati abierint, ea in parte cordis; illæ miſtorum aquæ elemento ſubſtantiæ proportione reſpondentes partes, quæ in miſto conſiſtunt aquæ congeneres, vbi tantùm extitit incendium, vt aqua generaretur, extenuata ſubſtantia in tantum concreſcente frigore in poſtremum: ſoli Chriſto poſſibile, propter intenſiſſimas paſſiones, quibus vrgebatur; quod nulli alteri contigit mortalium, nec contingere potuit. Aqua ergo hæc vera erat, limpida, & pura, nõ ſecùs atque ex vaporibus elatis ex hac inferna mundi parte in alto concreſcit, quæ ſimul cum ſanguine puriſſimo effluxit, non vitioſo, aut ſeroſo; loco enim adducto dicitur. *Exiuit ſanguis & aqua*, non aquoſus ſanguis, aut aqua ſanguinea, ſed vnum & alterũ perfectum, diſtinctúmque contra alterum, ſanguis, inquam, & aqua, quodlibet ab altero ſeiunctum, & vnũ. Eſt enim illud mirabile in his liquoribus, quòd ea quæ puriora, candidioráque reddere volumus, his ad inuicem paratis albidiora multò conſtituamus, ſi priùs ipſa ſanguine inundemus, poſteà abluamus aqua, vt docet ipſa experientia, & Galenus dixit 131
de opinione multorum, decimo ſimplici. capite de

ſanguine. Vbi enim ſanguis cecidit, ſiue in linteum, ſiue in aliud quoduis, poſteà aqua deterſum, ſplendet magis,& candicat; & ſi linteum albicet impenſè nimis, & cum nimio exceſſu, ad alias partes quas ille non contigit, hæret enim ſanguis & impingitur ſubiecto maculato,& fædo; non ſecus atque ſapo hæret, poſteà verò ſecum affert impacta quæuis; quæ inſidebant inquinato corpori, vt aqua diluto exortis exhalationibus,ex eiuſdem calidis,igneiſque partibus aqua diuiſis, quod ſicca ligamenta earundem humor laxauerit, vt in calce viua eſt videre palàm,erumpentibuſque vi & impetu per ſpatia rerum contextarum,lintei aut aliorum,reiiciat ea,& extergat,ſubleuet quæ in eorum cauitatibus continebantur,ſibique impacta,reliqua viſcidus natura ferat,& trahat ſecum;vt tandem aqua eluto effluat cum ſordibus,quas ſecum cōpoſuit, vt purius ſuperſit aliud, illud quod eo erat illi nitum priùs, non ſecùs atque hoc eodem detergendi modo, quæ ſapone inquinantur, poſteà aqua lota, clariora, purioraque euadunt. Hinc ſapo ex rebus conficitur fumidis, & facilè expirantibus,præcipuè in aquam iniectis, quòd in eadem diuidantur, & concluſæ exhalationes, contentique ſpirent fumi, calce viua, ſordibuſque olei igneis natura, facilè inflammabilibus & fumidis,liquoreque ſaponariæ herbæ,vſtione extracto vulgari *ſoſa*. Hinc ſpumat aqua ſapone diluto, non ſecus atque ſpumat immiſto ſanguine, vi exhalationum multarum, earumque potentia, iniectis calidæ ſubſtantiæ: hinc faciei maculas,& pannum dictum,detergimus vaccino ſanguine,facie inuncta, aqua poſteà elota, quod impingatur ſanguis ſordibus, ipſaſque extrahat ſecum, vt cum ipſo ſimul effluant ablutione. Vaccino verò quòd bos minùs natura

calidus

calidus cùm ſit, & temperamento nos temperet, & remittat, facieique calorem frigore, & adſtrictione qua pollet, repellat, & vitet, fluxum ſordium, & humorum in faciem decumbentium: non ſecus agni ſanguis, cruorq; natura frigidus, ſummè detergit, & emendat: idem firmant autores; quòd temperie frigidior ſit ſanguine reliquorum animantium, viſciduſque magis, glutinoſus, hæreſcens, vt mater omnis notitiæ mortalium experientia edocet. Apocalyp.
22.c. *Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni*; abſtergit enim ſanguis ille præſentes & antiquas maculas, 132
& ſtolam accipiens quilibet ſuam, manibus operum ſcilicèt, animam ſeparabilem quaſi veſtem è corpore emundabit in ſanguine agni, qui potentiùs reliquo omni alio ſanguine maculas extergit, vt de agno diximus. Hinc aqua, & ſanguis exiuit de latere Chriſti, vt puritas ſumma, integritas, & perfectio notaretur noſtræ regenerationis in ſacramentis Eccleſiæ, ſanguine, & aqua eloti, ex latere Chriſti efformati, non ſecus atque Eua debilis natura, & mollis de viri latere forti & oſſeo ſtructa eſt. Sanguine ergo venenum omne noſtrum ad ſe traxit Chriſtus, vt extergeret infectam noſtram, & inquinatam naturam; quò dixit Ioannis 12. *Cùm leuatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*: ſanguine, inquam, qui virtute abradendi impacta, & hærentia corpora pollet.

De ſubſtantia ſanguinis Hæmorrhois ictu labeſcentis.

Capvt XVII.

LAceſſiuit Hæmorrhois dira & atrox, rabie & inſania tanta percita Chriſtum, quòd vita noſtra eſſet, & alimentum, ſanguiſque noſter, cum

quo summum dissidium fera hæc, immanis, & crudelis habere monstrauimus, vt cum potu Dipsas antipathiam & dissensum. Omnem Christi sanguinem crudeliter effudit sæua hæc bestia; oblatus morti, quia ipse voluit, sese exponens crucis tormentis, Isaiæ 53. dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit*; sanguinem immensi valoris, infinitæ æstimationis, pretium nostræ redemptionis constituit ipse, Dei sanguinem, valoris interminabilis ideo quòd Dei esset & pars Christi, substantiæ, personæ, & suppositi integralis, complens suppositum, & naturam, quòd natura nostra cùm absoluta & perfecta, talisque qualis à principio nostri ortus efformata est, seruari non possit, vitæ decursu in posterum suis relicta viribus, & ordini vniuersi, cùm perpetuò alteremur, immutemurque internè & externè; internè ab excrementis ex alimento relictis. Mista enim diuersas dispositiones in partibus suæ substantiæ diuersis, prærequirunt, quòd proportione diuersis elementis respondeant, è quibus efformata sunt, quolibet modum suum relinquente in misto proprium, quo alitum similes solùm permutat in alimentum alimoniæ partes; dissimilibus relictis in excrementa, necessaria ad reliquos vsus naturæ, & substantiæ nostræ; melancholia enim excitat appetentiam cibi, quòd frigore suo os ventriculi infestet, corruget, & stimulet, vt pituita effluat è toto, quæ cruda vice alimenti, in sanguinem permutatur, vt occurrat indigentiæ, & fami, qua inundatur ventriculus humescẽs eo affluxu, desideratque sicca & calida, vt inundatio hæc, humiditasque, & frigus ventriculo noxia corrigantur eisdem; est enim fames appetitus calidi & sicci; suprà monstrauimus; pituita verò cum quòd artus humectet, & neruos, facilè, vt in motu vertantur ea ipsa lubrica, versatiliaque

liaque ſint, tùm quòd in ſanguinem permutetur
nullo negotio ſemicocta ſubſtantia dicta à Galeno,
ſemicoctus ſanguis. 2. de alimentis, prouida natura
illam obſeruante, vt ſi opus fuerit in ſanguinem mu-
tet, deglutiẽdi operi omnino proficua, eiiciendique
non minùs, lubrica reddens omnia quæuis, eluens
alia, facilia reliqua reddens, vt cum ipſa vias arctas,
ſtrictoſque canales decurrere poſſint, ſeruans totius
humiditatem, ne exſuccum corpus marceſcat, exte-
nueturque ſicco: bilis quòd ſua acrimonia excretio-
nes exerceat, caloremque adaugeat, ſitim excitet. fri-
gidi & humidi appetitum, ipſa calida & ſicca, ſudo-
res moueat, detergat impactos ſuccos, incidat, ex-
tenuet, mictum iuuet, eiectionem adiuuet, calefaciat
frigida, exſiccet humida: tùm quòd reſarciri non poſ-
ſit humidum tale quale amiſſum eſt, accidentibus
omnibus ob repaſſionem, mutationemque contra-
riam; intèrim dum alteratur, vt noſtrã reſtituat ſub-
ſtantiam immutamur, & in deterius labaſcimus cõ-
tinuò, exteriùs verò ab alterantibus omnibus cauſis
vniuerſæ naturæ, calore, & frigore, humore, & ſicci-
tate illam inficientibus, ab aſtriſque, & configuratio-
nibus cæleſtibus nõ minùs immutata, & alia. Vt ergo 133
natura noſtra perfecta, & abſoluta ſit, vt ſit ſibi ſuffi-
ciens internis, vt externo nõ egeat, vt intra ſe neceſ-
ſaria ad ſui conſeruationem obtineat, ſanguine eget,
& alimento, quem nullo gradu aliquo animæ, qua
anima eſt, informat, vt ille viuat, ſed ipſum quatenus
formas naturæ continet, format, & perficit anima
quæuis, vt forma, formæque rationẽ ſubit ſanguiniſ-
que formã, non ſecus atque corporeæ ſubſtantiæ ele-
mentorũ, aliorumque effectus formales dictos ſub-
ſtituit ipſa, ſine gradu viuendi, non qua anima, ſed vt
forma & natura, & quà reliquas tenet in ſe ſubſtan-

tias, formas, & gradus; sic format sanguinem sine vitæ principio, quæ reliquas partes animantis sanguinei vitaliter format, vnitque in esse substantiæ personæ, & suppositi anima: estque pars constituta integralis illius, & quale est suppositum infiniti valoris, tantique ac Deus, Dei sanguis in Christo, & talis quale est suppositum & persona cuius est ille, vt pretium æquale offensæ substitueretur, pretioque infinito redimeremur soluto, offensæ infinito illatæ, rigore iustitiæ in sanguine Christi supposito vnitus, & Verbi subsistentiæ personalitati, vt partes illius personæ reliquæ, subsistensque & personæ Christi pars, non secùs ac prouidit subsistentiam præuenitque realitatum omnium, effectuumque formalium naturæ, Verbi existentia, & antecelluit; præuenit vt omnia eadem essent diuini suppositi subsistentia, personalitate, & actu. Substituit & cadaueris formæ in triduo subsistentiam, præoccupauitque quæ ex forma flueret, suppositum diuinum, non minùs eo tempore emortuo adhuc, sanguinisque & esse, quo dimanaret à propria forma, animaque vt formæ rationē continet, induxit, vt eadem anima informaretur vná sanguis, qua formæ vires retinet illa, eodemque diuini suppositi esse diuino, & vno informatus. In omnibus enim anima vt forma vnitus, & vnus cum supposito quouis, pars naturæ integrātis, & esse, in Christo verò infiniti valoris Deitatis, propter esse diuinū Verbi, charitate, & obedientia morti oblatus, sanguinē effundens, vitam abigens, & exhalans animam, in Patris honorem; quibus meruit nobis redemptionem, quòd hunc effudit, vt vitam, animam, & esse pro nobis offerret, eodem fuso, inæstimabilis pretij. quòd
134 in ipso vita præcipuè consistat, viuere, & esse. Si enim sanguis vita fungeretur, gradumque aliquem viuēdi ab

ab anima susciperet, & vltra quàm formale esse sanguinis sine vitali ratione aliqua, tum ipse nutriretur sanguis, cùm pars sit viuentis quà est viuens; tum cibus animantis aleretur, & cùm nostrũ naturæ alimẽtum sanguis sit, processio necessariò infinita subsequeretur, sanguisque nutriretur sanguine, & ille non minùs altero, si viuit, nostraque est substantiæ pars constituta, & naturæ. Potentia enim nostra quæ alimento vtitur, vt est vna specie, sic vnam habet potentiæ rationẽ specie, susceptiuã actuũ eiusdẽ rationis. Hinc partes aëreæ mistorum in sanguinem versę nos alunt, non aliæ, nutriuntq; dulcia omnia magis quàm reliqua, aërea substantia. Aristoteles docuit de sensu, & sensili, c. 4. Galenus, vt suprà. Sanguis ergo nutriretur sanguine, pars nostræ substãtiæ, partesq; absumerent partes, similiaque substantia similia alterarent, & eadem, quod implicat; cùm corruptio in eisdem introductione dispositionis vltimæ agentis exerceri debeat: sanguisque sanguinem corrumperet, dispositione illa formæ sanguinis introducta, cùm tamen hac ipsa seruetur, & consistat ille, & alter genitus adhuc. Quò minimè desinet à sanguine sanguis, cùm potiùs accidente seruetur; quò abigenda erat forma. Si verò nutriri nequit, nec viuere potest. Est enim vita prima alimenti vsus, quo si non viuit hoc vitæ genere, nec modis aliis viuẽdi corporea substãtia viuere poterit, nec idem sequitur inconueniens, vna forma efformatus, vt rationẽ naturæ sanguinisque & aliarũ formarũ non viuentiũ obtinet rationem; nã non secus ac cor, calidæq; partes substãtiæ nostræ vdas absumũt, igneęque aëreas, & aqueas euolare faciunt, alterantque illas, corrumpunt, & è corpore abiiciunt, etiam si sub vna forma contineantur, accidentibus contrariis pugnantibus;

tibus; sic viuentes partes, sanguinem eadem forma contentum, naturæ gradu, effectu formali cruoris alio, aliisque dispositionibus indigente, poterũt corrumpere, vt nutriantur, quòd diuersas dispositiones exquirant natura, & anima. Quò potest sanguis alterari, & in substantiam aliti conuerti. Cùm verò anima opponatur naturæ, quòd ea sit ad plura, vt natura est ad vnum, docuit Philosophus 2. de animo c. 4. per excessum naturæ constituimus animam in rationis specie, ad naturæ excessum. Hinc vnam dispositionem specie qua corpus informat, obtinet illa, sui perfectione & substantia, secùs ac natura quæ plures continet; colliguntur enim in supernis, quæ habent inferiora seiuncta & diuisa. Omnis enim anima, tam rationalis, quam sensitiua vegetatiuę ratione corpus inundat, illudque informat, ratione vltimæ dispositionis, ab anima vegetatiua inductæ, speciei vegetabilis, à qua venit illa, cuius est cũ transmutatione naturæ reali, operari vtique alimento, & generare sibi simile, trãseunti actione & passi corruptiua. Aliarum enim actiones immanentes sunt, aut solũ perfectiuę, quò tam rationalis, quàm sensitiua, vi trãsmutationis alimenti & materię, animæ specie variæ altilis, media generatione, & nutritione media corpus affectant. Neque enim sensitiua, aut rationalis illi insiderent, nisi hæc vltimò materiã affectaret, vt corpori iniungerentur. Neq; ideo separabilis erit sensitiua anima, cùm nõ possit extra corpus operari, neque esse, & si vi propria illud non actuet, quòd organis sensuum egeat, materiaque visibili, & corporea singularis naturæ, vt propria opera possit exercere, actusque sentiẽdi singulariũ, quib. ab intellectiua parte, quæ vniuersaliũ est susceptiua separatur. Anima ergo omnis sub vna ratione dispositionis cõmunis, specie vna in quauis

quauis ſpecie animæ vna, quoties in eadẽ anima vna & altera ratio cõtinetur, graduſq; diuerſos cõplectitur, ſiue formaliter ſiue eminenter corpori iungitur; & vegetatiuæ ratione reliqui gradus viuendi corpori inſunt, diuerſi pro diuerſo vegetabili gradu inducto diſpoſitionum vi diuerſa, etiam ſi in partibus diuerſis diuerſa alia obtineant accidentia; tamen vt corpori aſſideant, vnam rationem animæ obtinent, & propter diſpoſitionem vnam ſpecie illi colligantur, quod opus vegetatiuæ eſt, naturaliſſimũque, quòd cum tranſmutatione materiæ naturali & corruptiua fiat, vt docuit Ariſtoteles 2. de animo, c. 4. naturaliſſimas eſſe alentis animæ actiones, præcipuè generandi ſimile. Tũ quòd minus arbitrij & libertatis relinquat potentiſſima hæc paſſio in ſenſitiuis. Gradus ergo ſuperni in quauis anima cõtenti, vegetatiuæ ratione corpus affectant, eiuſque vnius diſpoſitionis vltimæ, quà anima eſt, cum illo colligantur. Ratione enim aliorum accidentiũ hæc, illave operatur anima, aut gradus, effectuſve formalis eius, diuerſis in corporis partibus, vt hic vegetatiua, ſenſitiua ibi conſiſtat. At corpori ex vno accidenti ſpecie ineſt, illudque format, illique obligatur, vt actus materiæ, quo ſolo ei iungeretur, & ſi ab alio cõſiſteret quouis ſuperno producta, produceretur que in eſſe diuerſo & ſubiecto, vniri ex hoc eſſet accidenti ſolùm ſpecie vno. Animata ergo pars nequit corrũpere partem animatam; nã vltima diſpoſitione agentis introducta, eadem ſeruabitur, qua erat corrumpenda, cùm omnes partes animatæ vnam diſpoſitionem animæ vltimam obtineant, qua ligantur corpori in quauis ſpecie. Non ergo corrumpetur diſpoſitione, qua conſeruatur: ſanguine verò inanimato ſecus; diuerſis enim diſpoſitionibus naturæ

gradus

gradus consistunt, & producuntur, dispersa enim sunt in inferioribus hæc, quò possunt ali viuentis partes sanguine, & si informato anima, qua natura est, formamque sanguinis in se continet. Neque ideo quòd spiritus & sanguis moueantur in passionibus animi, vt in verecundia, timore, & aliis, conuincimur dicere, animata esse: dum imperio imaginationis, & appetitus, cum creditu, & opinione passionis obiecti hæc mouētur; nam corde compresso, aut dilatato virtute tractiua, aut expulsiua, mutantur ista, non secùs atque excrementa trahimus, & abiicimus naturali partium virtute, sine eo quòd talia animata sint, vt in iis omnibus est videre, & magnes ferrumina, succinū paleas, ossa crurū accipitris auri scobes, & pellimus impulsu, & tractione allicimus multa. Cùm ergo supremū illud Trinitatis consiliū decreuisset, Verbum, ad imaginē cuius homo structus erat, instaurare hominem, eumque iterum prototypo, & exemplari cōformare, cùm in Verbo sint omnia rerum exemplaria, & ideæ per quæ omnia consistunt, & è quibus transferuntur, diducunturque, in quo videt omne ens, Sapientia summa diuini intellectus sanxit, vt homines natura liberi, suique consilij & arbitrij, summo vinculo obligationis tenerētur, Christum emori, Deumque ipsum, & Verbum, ne Pater mortuos homines peccati labe despiceret, & dissimiles nesciret, & ignoraret, exēplari & prototypo, dum examinaret, & cū illo conferret, regularetque, vt quales immisit, videret, an redderēt, & experiretur, qui eos immortales constituerat, mortis effigie fœdatos, & alios ab originali, & principio dū inueniret. Hinc emoritur exēplar, vt cū inuenerit Christum mortuum, propriumque filium, cùm hæc in illo inspexerit, mortuos homines non despiciat, ob

mortis

mortis fœditatem, & horrorem: cùm hæc in ipso exemplari inspectet non minus iam. Ne ergo cum illo dessentire viderentur, mortuus est Christus, eiusq; imago vmbra mortis obscurata, obumbrataq;, Solque ipse iustitiæ deformatus, amisit decorem, & pulchritudinē summam, vt Isaias dixit 53. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideranimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus; vnde nec reputauimus eum.* ne dum hominem ad imaginem, & similitudinem ipsius factum, per exemplar noscere voluisset, dissimilem inueniret & cum illo dissidentem. Paulus ad Philippenses 2. *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Vt verò placaretur Deus, crucis tormentum subire voluit, & vt moueretur, omnem sanguinem effundere, cuius absentia exhalatur anima, vitaque deficit, vt pretio sanguinis simus redempti; quòd Christus dederit suppositi diuini substantiam, qua illud integrabatur, vt posset quauis alia parte amissa, actuve quouis iustitiæ nos emere, redimereque. At voluit sanguine, quòd mori decreuit, & eo genere mortis; Est enim *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, sic enim oportuit Christum pati,* Lucæ cap. vlt. vt nil pro hominibus pati, ferreque recusaret, summumque vt manifestaret amorem, contumeliam passus, & ignominiā tantā. Dira ergo hæmorrhoe cussus, hoc lacessitus atroci serpente, sanguinē effudit in cruce, morte obscura, & ignobili, vt in sāguine agni, loti & cādidi essemus. Est enim Agnus

qui tollit peccata mundi; sanguinem enim, vitam, alimentum, animam tradidit amore hominum illectus; homo factus, qui in eorum bonum omnia opera exercuit, hominum redemptor, fideiussorque, ex aliorum debito debitum proprium effecit. Fideiussor debita nostra persoluens, Ecclesiastici 29. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.* Prouerbiorum 20. *Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo*, repromissorque vocatur in Scriptura sacra, vt eodem capite Ecclesiastici est videre; pignus enim sanguinem, animam, & vitam pro extraneis aliis factis morte & peccato, interposuit. Significatur enim sanguinis effusione mors, summusque
135 amor, & dilectio. Est sanguis secunda quasi anima, vita, alimentum, substantiáque viuentis. Antiquorum plurimi sanguinem animam iudicarunt, decepti vtilitate eius, necessitateque, miris effectibus, dotibusque cruoris. Hesychius huius fuit sententiæ, & de multis refert Aristoteles 1. de animo c. 4. Túc illud poëticum, *Purpuream vomit ille animam, & vitam cum sanguine fudit.* Ouidius, ne anima voraretur, sanguinis esum interdicebat Pythagorico præ-
136 cepto instructus, quo dicebatur: *Sanguinem ne edas.* Leuitic. 17. sic dicitur: *Anima omnis carnis in sanguine est.* Deuteronomij 12. sic extat scripto. *Hoc solùm caue, ne sanguinem comedas, sanguis enim animantium pro anima est.* Obseruant id modò Mahumetani aliquot, Indi, & plurimi alij superstitione, quidamque reliqui, legis præcepto, non pauci salutis causa, quòd illicò corrumpatur ac effluxit è venis, concrescat, computrescatque, & in malignas abeat qualitates semel atque extra vasa est constitutus, inflat ventriculum difficillimæ co-

ctionis natura, eiectionis difficilis, & quod putridum alimentum, crassum, & viscidum, melancholicos, biliosósque ob ignitionem putredinis generet succos, symptomatáque excitet sæuissima; non secùs ae putridum semen ex sanguine satum continentibus hominibus, animi deliquia, vertigines, comitiales morbos, diuinationes imò, & futurorum prænotiones præsentes in causis concitat sanguis, & excitat, docuit Galenus 3. de alimentorum facultatibus. 3. de temperamentis. 9. simplicium, capite de sanguine; Quò necromantici, qui responsa accipiunt à mortuis, νεκρὸς, enim mortuus est, Μαντέας diuinatio, sanguine vtuntur, & in corpora infundunt mortuorũ, vt ipse postea propter raras eius dotes, & excellẽtias præparet corpora, cadaueráque suis vsibus, habiliáque reddat, vt Dæmon in ipsa exercere possit multa quæ aliter non exercuisset mira natura sanguinis parata, vt reddere possit per hæc corpora responsa magiæ, non secus atque Pythonissa illa precibus Saulis acquiescens Samuelẽ excitauit, à quo plurima accepit ventura in causis præscita. Est maximum amoris signum, obsequiíque sanguis. Antiquitùs in coniurationibus ex vno extrahebatur, vt omnes biberent, quasi vna anima, vnúsque consensus omnium esset, secretúmque commendaretur, vt anima in secreto corporis habitat, & in corde præcipuè latet sanguis. Catilina fecit in seditionibus Romanæ reipublicæ. Est sanguis spiritibus omnis refertus, de quorum præstantia iam suprà diximus, qui sanguine immisti euanescunt venæ ore adaperto, vt præstantissimum instrumentum operum toti deficiat, hísque deficientibus, instrumenta virtutum cordis, mediaue quibus has impertiit, cùm abierint, vt

altissimas eius dotes & agendi principia communicare non possit vniuersæ fabricæ suppositi; horum defectu ab opere cesset motus & sensus. Ad defectum enim vitalium spirituũ deficiunt animales, tãdémque naturalia opera, temperie frigoris inducta, calidæ substantiæ recessu, quo anima exhalat. Hinc sanguinem animá vocarunt, quòd sensibili hac substantia effusa, insensiles deficiant spiritus, imperceptibilisque anima. Hinc sanguinem animam appellarunt, esséque in eo vitam, & animam tanquam in requisito quodã ad vitę tutelam sunt rati. Quò Deuteronomij allato loco non animam, sed vice animæ animantibus inesse nunciatur. Locis ergo his Scripturę sacrę fuit sanguis interdictus, tũ vt noxę illius vitarentur ab amantissimo populo Hebræorum, quẽ summo amore Deus prosequebatur; tum figurato sensu, vt notaretur sanguinem omnem animantium, omnémque oblationem sanguinis, vsque ad Christi sanguinem inefficacem esse. Neque enim dicitur eis in locis, ne bibas sanguinem, sed ne edas; bibimus enim & modò sanguinem Christi, potúmque ipsum appellat Ecclesia, & sub potus speciebus vini, sanguinis potus exhibetur, qui cùm sanguis sit alimẽtum est, simúlque & potus. Ebibitur enim vt integritas notaretur, plenitudóque gratiæ, nulliusque defectus cibi & potus vno in sanguine; & si alimentũ sit potus ab Ecclesia proclamatus est solum; sub panis verò accidentibus, vt Christum ipsum reciperemus alimentum, & facietatem; nomine alimenti, & panis compellati; qualis est ad dexteram Patris. Plurima enim alimenta liquida & fluxibilia, cibum simul & potum esse nouimus, experimúrque passim, vt sunt lac, vinum, potiones compositæ, iura, succi; imò ipsa aqua simul potus & alimentũ extat. Probat mani

manifestissima experiẽtia Ocymi, quod sola aqua intra vas vitreum germinat, & virescit quotidie ablutũ die qualibet illa denuò iniecta sine terra, aut alio. Nõ secùs sanguis & potus alimentum existit; ebibitur enim. Quò inimici sanguinem bibere cupere, non edere inimicorum asserunt. Dicimus haurire & potare sanguinem multò propriùs, quàm gliscere, aut edere. Sperabatur enim Christi sanguis, alimentum & potus simul. In lege veteri vitabatur alter, qui solum alimentum exhibebat obscænum & impurum; sanguísque & vetitus erat Hebræis, vt pretium sanguinis aufugerent, alimentúmque & vitam ne sugerent pauperum & aliorum; hic enim in circuitu altaris inspergebatur extrà ad crepidinem altaris. Genus, nobilitas, sanguis, ortus, nil attinent ad sacrificia, insufficiens, defectuosus; modò verò in ipsa ara altaris offertur valoris immẽsi. Sauguine iniustitia notatur, rapina, & dolus, viræque fraudatio, mors, rapináque eorum quæ sunt necessaria ad vitã, facultatis, honoris. Conqueritur Deus Isai. 2. *manus vestræ plenæ sunt sanguine*, & alibi pluries.

Inducta controuersia Dipsadis & Hæmorrhois dirimitur.

CAPVT XVIII.

TAbifico Hæmorrhois dente lethali & sæuo partes ictas mortificari, & liuescere vulnere illato, omnéque corpus maculis inspergi fædis diximus, eius naturam afferentes suprà; plagísque tumentibus infici, vlceribus tetris, cacoëthia, & fæditate plenis, ictúsque tantæ esse malitiæ, & horroris, vt nulla ligatura deuinciantur, ne vulnera 138

fascia deuincta, compressaque, virus ad interna viscera remittant, vitæque principiis aduersentur, hiãti ore; reseruantur vulnera inflicta morsu huius terribilis animantis, vt liuidę partes & infectę veneno putrescãt, in pusque vertantur & saniem: quibus vlcus increscat, vt vlcere maiori facto alioqui, ab animanti minimo incusso priùs, via vt pateat, qua possit venenum expurgari, infectíque humores decurrere malitia inquinati, & vitiosi. Atroci ergo ictui animãtis hoc vnum extat tantæ miseriæ remediũ, quòd liuescant partes, & in pus vertantur, vt extrà decurrat humor in cruorem versus, ab internísque discedat versus extimas & externas partes. Docuit Hippocrates libro de vulneribus capitis, Galenus 5. aphori. 23. aphoris. in ictibus venenosis partes *liuescere* putridi veneni natura ex edenti & *pestifera* extinctione spirituum lucidorum, infectorum viru, quorum splendescentia flauescebant, eorumque viuidus color commendabatur. His verò resolutis, & extinctis sæuitia veneni, emori sanguinem, concrescere, liuescere, nigricaréque eorundem absentia. Non secus ac mortui horum extinctione nigrant, quo dicũtur Græcis νεκροὶ. Liuore imò & liuescẽtia partiũ in pus versatum, cùm contusæ omnes, & liuescẽtes partes in id sint vertendæ, vt exoluatur postea, vel effluat pus è vulnere illo, locis allatis Galenus dixit, totúmque expiari solere, mũdaríque à plurimis aliis, quibus anteà infestabatur morbis, eo humorũ affluxu in partem ictã defluentium, in id versis succis vulnere expurgatis, & vocatis ad extrà. In contusis enim partibus cùm comprimantur ictu earundem, pori, & cauitates concluduntur; tum sanguis inculcatur ictus pressione in penitissima quæ- tis, qui non ventilatus, putrescens, easdem inficit,

vt cum illo ſuppurentur, tum ipſæ putreſcunt priua-
tæ perſpiratione debita, pulſúſque continua actio-
ne, aëreque frigido ob preſſuram viarum; quibus ille
ingredi tenebatur calore alteratis. Liuore ergo liueſ-
centibúſque partibus totum expurgari ſolet à ſuccis
& recremẽtis vitioſis, quibus inficiebatur priùs, à ma-
litiáque vindicari veneni & cruoris, ictibúſque ve-
nenatorum animantium & eorũ morſibus, Hæmor-
rhois præcipuè, cuius morſui remedium hoc vnum
maximè extat, illíque adſcribitur, quòd ſanguinem
inficiat maximè, ex quo liuor & pus. Corpus hoc
myſticum Eccleſiæ fideliũ, cuius caput eſt Chriſtus,
hoc vno liuore ipſius, ictu Hæmorrhois vulnere illa-
to conualuit, virus & veneni effluxu, quæ interna
Chriſti non contigere, expurgato toto viru noſtro
Hęmorrhois ſuſcepto ictu, liuore eius. Petrus 1. capi-
te 2. *Cuius liuore ſanati eſtis.* Iſaiæ 53. *Liuore eius ſana-
ti ſumus.* Prouer. 20. *Liuor vulneris absterget mala, &
plagæ in ſecretioribus ventris.* Mala inquam noſtræ
naturæ morſu Hæmorrhois corruptæ & infectæ, &
plagæ in ſecretioribus ventris, id eſt, humanitatis
vulnera Chriſti. Viget enim in ventre humanitas,
eiúſque opera in ventre exercentur principaliter,
id eſt, in cauitate, & internis noſtræ ſtructuræ, venter
enim cauitates notat, & ampla quæuis, vt & pectus, 139
& capitis ventriculi ventres dicantur communiter,
non minùs atque interiora alia. Iſaiæ 1. cùm populum
ingratitudinis arguat Deus, minetúrque, quòd
Chriſtum ſuum cum hominibus immiſerit, tradi-
derítque crucifigendum, ipſi verò ingrati & rebelles
huius tanti beneficij immemores, idololatriam &
apoſtaſiam proſequerentur, eos increpat, & Chri-
ſtum depingit viuis coloribus emortuum Hæmor-
rhois morſu his: *A planta pedis vſque ad verticem*

non est in eo sanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine, nec fota oleo. Totum enim pustulis referri, vlceribúsque liuescentibus, & tumentibus plagis percussis Hæmorrhois morsu latissimè suprà diximus, vulneráque & ictus huius animantis hiantia, apertóque ore reseruari deligata & patentia, ne ligatura compressis, venenum petat interiora, à planta pedis vsque ad verticem capitis sanguinem effundere vniuersis corporis meatibus, quà patet, & quà non patet via, vt non sit eis sanitas aliqua totius corporis, nec partis, vulneráque & vlcera tantæ esse malitiæ, vt nullo medicamine digna iudicemus, tantíque æstus & ardoris, vt oleo nullo illiniri possint; quo cruciatus viru excitati sedentur; ignescit enim illicò oleum omne, quorum varia genera erant apud Hebræos; ex resina tractum purissimúmque, & ex oliuis diductum tẽperatissimæ naturæ, ex terebintho cuius erat maxima copia apud illos, ex baccis lauri, cedri, lentisci & aliorum anodina, seu sedatiua doloris, vulgò dicta, vt propriis locis Galenus de iis in simplicibus edocuit. Dicitur Ieremiæ 51. Babylonicis. *Subitò cecidit Babylon, & contrita est; vlulate super eam. tollite resinam ad dolorem eius, si fortè sanetur; curauimus Babylonẽ, & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam.* Oleosa enim resinæ substãtia, pinguíque supernatanti, dum illa recoquitur parte, inungebant cruciatos; vt dolores sedarentur, siccaretúrque vlcus, cùm inunctum oleo, quòd affluentes humores per illinitam partem illo lubricam dilaberentur, & resilirent, eíque non affiigerentur, vt humidam redderent, quò sicca reddebatur eorundem absentia, tùm quòd hæc olea siccis naturæ partibus vulnera corrigerent, reliquis verò suppurarent inflãmata

mata quæuis, temperatiſque partibus ſenſum demulcerent, quò doloris ſedatiua meruere dici, quòd molli & blanda ſubſtãtia, linitu inundato membro, laxo & facili molle iam, non dirumperetur vi ſuccorum affluẽtium, nec doleret. Sunt enim modò apud nos olea plurima huius conditionis, quibus vulnera, vlceraque linita priſtinæ ſanitati reuocamus his actibus & effectibus, oleum apparitij dictum, & oleũ *olmedo*, aliique & alij, non ſecus ac Samaritanus ille vino exſiccanti, oleoque lenienti blandiſſimo illius regionis, vulnera illius, qui in latrones inciderat perfudit, & priſtinæ valetudini reſtituit. Lucæ 10. Oleum enim per accidens exſiccat vulnera, dum reſilire facit humentes ſuccos, ſua lubricitate, omnia imò quæ vda corpora, ſubſtantiaſque humidas à vulnere diſtrahunt, illud exſuccum reddunt. Hinc Virgilius: *ſiccabat vulnera limphis*, id eſt, aquis ſordes humidamque fluxionem eluentibus, ſic oleum. Quò apprimè dicitur, *nec fota oleo*, ob deſperatam huius affectus ſanitatem. Doloris ſedatiua iis affectibus venenatis non aptamus, ſed cruciatus excitamus, vt ad extrà venenum euocetur, ne interna petat, & inficiat viſcera; Ieremiæ 8. *Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* id eſt, perſanatum vulnus, vt natura poſteà cicatricem obduceret? reſina enim ipſa in puluerem redacta, ſemel vlcere carne pleno, ſic exſiccat in puluerem humore imbibito, etiam ſi illa humida natura ſit, vt cicatricem inducere valeat eius puluis; pice enim multoties in puluerem redacta cicatricem obduximus, & ſi ipſa ſit vda natura liquata, aut cum aliis applicita. Quod mirabilius eſt, cùm medicamina cicatricem adducẽtia adſtringẽtis, ſicciſſimæq; naturæ eſſe debeant; docuit Galenus 3.

metho. latiſſimè. Reſina enim Paleſtinæ pretioſa erat, vt videre eſt Geneſis 43. Vbi Iacob iubet inter pretioſiſſima quæuis filios reſinā afferre ad Ioſeph, vt illis ſuccurreret fame ingentiſſima oppreſſis. Idem
140 Ieremię 46. & 27. Ezechielis, pollet enim hoc medicamentum virtute emolliendi, abſtergendi, non minùs reſolutiua, ſuppurandique potentia exiccatiua, & adſtringenti, anodina & ſedatiua doloris, fouet temperatum calorem partis; temperat nō minùs inflammatas, calore æſtuantes, varia partium miſcella, & temperatura. Eſt enim heterogeneum ſubſtantia, & virtutibus medicamen, & ſi ſimplex, vniuſque rationis ad ſenſum occurrat; docuit Dioſcorid. libro 1. c. 72. à quo Galenus & reliqui recepere. Concidere caput, inclinari ſupra modum, & non conſtare veneno huius feri animantis ſuprà conſcripſimus, quibus ampliùs Chriſtum fuiſſe cuſſum illo confirmatur, diraque hæmorrhoe laceſſitum. Ioannis enim 19. ſic dicitur; *& inclinato capite tradidit ſpiritum.* quod imò non ſubiuit tormentum? quemve recuſauit laborem? quos non tulit cruciatus? factus obediens vſque ad mortem, & nō quamlibet, ſed crucis; ignominioſam, terribilem, vt non vno, non altero affligeretur veneno & morſu; imò impeteretur omnibus, affligeretur vndique oppreſſus, non ſolùm dira hæmorrhoa, ſed vltrà adhuc tabifica dipſade, ſanguinea
141 hæmorrhoe, morte hianti; mortalium ſanguinem à culpæ & labis reatu, die qua omnes impetimur, nulli parcens rabie effrænata, effuſiua ſanguinis, quæ vitam & ſanguinem effudit tetra hæmorrhois, ſanguinis mortalium auidiſſima, cupida, tùm & dipſade terribili, & fera inferni, veneno tumida, & æſtuanti ſiti ingentiſſima hiulca anhelanti ebibere genus hominum, vt vtriſque vulneratus vnius & alterius venenum

nenum in se receperit.Iniquitates enim nostras ipse tulit, nostraque scelera, quibus è vita crudelissimè discessit, hominum amore illectus;neque aperuit os suum,qui vno verbo omnia subuerteret, non secus atque vno verbo omnia efformauit,quo Psalm.104. in hæc verba prorupit: *Circumdederunt me dolores mortis,& pericula inferni inuenerunt me.* vt illa subigerem, & euincerem, quasi hæmorrhois mortis, & dipsadis inferni conquereretur, sanguificæque mortis, & sitientis inferni de vita mortalium. Vtrisque ergo percussus fuit Christus, hæmorrhoa, & dipsade, vt eius sitis incompescibilis, fluorque sanguinis perpetuus in bonum hominum iugiter excurrens euidentissimè comprobant, & suprà dum quæstionem constituebamus, litemque contestabamur, commõstrauimus. Vltrà:summus amor,dilectio summa,pietas immensa,omnes modos naturæ excedens, omnemque hominis captum superans, Deum mori,vitamque ipsam sese exinanire,vt Paulus dixit ad Philippenses 2.vt morti daretur locus,possetque in vitæ spatium succedere mors,formáque priuationẽ sui in se recipere; hinc victa est illa, deuictus infernus,extinctum peccatum,subactus dæmon. Si enim in viuens solùm incidisset mors, abiiceret vitam sibi oppositam natura,& esse ipsum abigeret. Cùm verò nõ solùm in viuentem Christũ mors ierit,vt vitam reiiceret,sed in vitam ipsam.Ioannis 14.*Ego sum via,veritas,& vita,*& 11.c.*Ego sum resurrectio,& vita*; viuens est facta mors,vitaque affectio mortis, & mors vita, morsque vitalis extitit, Christi potentia, diuinitatis robore. Non secus ac dum calor substantiam affectat, frigus abiicit, & subiectum denominat calidũ, ex eo quòd ipsum tale constituit,si verò in formam contrariam, frigusque in calorem ipsum incideret,

frigus afficeret, vt frigus calidum forma, & nomine existeret, iusta contrarij habitus appellatione; ab eo enim quod prædominaretur, intensiusve esset, alterum sortiretur nomen; nactum iam esse. Si ergo vita prædominatur, vt pote infinita, & sine termino, æternitatis circulo eadem, ad mortem solùm spatio tridui potentem in Christo, meritò ipsa mortem compellat, ob perfectam eiusdem naturam, excessumque ad illam. Forma enim quæ alteram excedit, etiamsi ad modum subiecti aliam suscipiat, ei nomen subscribit, & constituit eam in esse, quòd cùm formæ rationē subeat, perfectior, intensiorque sit altera opposita suscepta, & si aliam in se amplectatur nominationē, quam dicunt formalem, relegat illam, ex formæ ratione perfectiori; quò mors vitalis, non vita mortalis extitit non infecta peccati labe, aut reatu, Christi morte; mors, quòd incidit in vitam, in qua, vita formata constitit, mors vitalisque, perfectione vitæ in qua erat, Paulus ad Corinthios 15. *Absorpta est mors in victoria.* In Christo, in vita, vitalis iam vita non mors. Ioannis 1. *Quod factum est in ipso vita erat*; Psalmo enim 105. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, vitalisque mors ideo pretio digna, pretiosaque, ob vitam inclusam; mors enim nullius pretij, aut valoris est, esse nullius, esse imò entitatem, & perfectionem è rebus pretio & æstimatione dignis amouet. De hac verò sic affectata morte Pau-
142 lus ad Philippenses 1. *Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.* Fuit ille amor hominum, in tantumque eorundem amore flagrauit phœnix hic, hoc igne exustus, suisque è cineribus propria virtute exurgens Christus, vt non solùm eos dilexerit qui erant in mundo, sed in finem dilexit eos, qui erant in mūdo periculis rerum variis obsessi, sui redemptionis iure,

iure, bellique dominio iusto, & regio in finem dilexit, in mortem, in fructus, & præmia laborum suorum, vt subueniret mundi periculis, & discriminibus. Sic disposuit omnia, vt in finem dilexerit eos, consequique possint finem, & præmium, etsi essent in mundo, iis disponi in finem dixit; qui erant in mundo, cõmiseratione, & consolatione, periculorũque animaduersione, amorisque intensione notatis. Ioannis enim 13.c. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, non in mundo solùm hoc vitæ spatio, dum hanc colimus visibilem machinam, sed vltrà post mortem dilexit in finem, in se, in Deum finem vltimum, passione & morte, quibus dilexit in finem sui vsque, ex hoc mundo discedere decreuit in finem; est Christus finis legis, ad Romanos 10. Amauit, adeò dilexit, deperiitque homines, vt cum amore colluctante victus euaserit eius artibus, amoque cum ipso. Eluctante potentia, & viribus tanti numinis in terram venerit Deus totus amor, Græcè πάμφιλος, est πᾶν, totum, & φίλος amor; Deus hic pan, panisve Eucharistiæ sacræ; Pan Deus pastorum, & rusticorum hominum; Deifera Virgo Ecclesiastici 24. sese matrem amoris hominibus enuncians in hæc verba prorupit: *Ego sum mater pulchræ dilectionis*, nõ mater cupidinis ficti, menticulosive amoris Dei, quem excoluit cæca gentilitas, quem in Deum recepere idololatria & apostasia, propriasve cupidines, communesque appetitus, passiones excolentes. Dictus amor, quòd hunc inferret hominibus affectum, suisque eosdem affectibus affligeret & cruciaret, nil ille effectus præsentiens, immunis, & liber; Lachesis solius meretricis amator, fallacis & impudicæ, suique solius, hoc Lachesis notat, sed dilectionis mater, ipsiusq; actus amoris, non solùm amor est Christus,
sed

ſed ipſa dilectio, actuſque amoris. Nullis imò inſignitus erat Deus ille notis, monimentiſve ſuam potentiam, & robur manifeſtantibus: nullum geſtabat apparatum, quibus verus Deus noſter non deſignetur, & quem ſecum non vehat hic autor hominum Chriſtus, quaſi olfacientibus gentibus veritatem inſigniretur ille. Cœli antiquitas cupidinẽ effecit filiũ, Deæque pulchritudinis natum, puerum, nudum, alatum, velatum oculis, flammis vrentẽ, falceque ignea, arcu, & pharetra notũ, ſagittis vtentẽ aureis, & plũbeis, amicitiæ, & odij; paucis cõtentũ, ſic Sophocles depinxit lib. 1. c. 7. & tenet Sapho lib. 3. c. 12. cecinit Heſiod. hæcque vexilla amoris eſſe omnes dixere. Primò Chriſtus eſt Deus ipſe, Dei filius naturalis, ex eadem ſubſtantia natus, cũ illo æqualis, Verbum æternũ, cœleſte, Matth. 16. Petrus: *Tu es Chriſtus Dei viui*: idẽ Ioan. 11. c. Nos enim filij Dei mortui ſumus, quem neceſſariũ fuit mori, vt filij eſſemus eius adoptiui, paternitatis officio redẽptionis, at Chriſtus filius Dei viui, viuentis actione ſatus, naturalis. Cælũ eſt pater eius; deſcendit enim de cœlo, & de cœli origine venit, *deſcendit de cœlis, & homo factus eſt.* Ioan. 3. c. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cœlo.* eſt cœleſtis origine, venitque de grandi origine cœli, ſolus enim Chriſtus in cælum aſcendit, vt caput huius corporis myſtici; nos membra in virtute capitis aſcendimus, & deſcendimus de origine cœleſti, ex capite aſcendere in cælũ datur, at caput virtute propria; quòd ſi corpus factũ ex Chriſto & nobis, Chriſtus eſt, ſolus Chriſtus aſcendit in cælum, Chriſtus caput cum membris, quo corpus hoc Chriſtus eſt totum virtute capitis, & influxu, renatique in ipſo, membraque renata aſcendimus, & venimus de cœlo: ſumuſque genus cæleſte. Sentit

totum,

totum, mouetúrque capitis virtute, vnum cum illo. Pater æternus Christi Verbi, cælum vocatur. Matthæi 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, id est, in Patre.* Vbi cœlum vocat Patrem cœlestem Verbi æterni, neque enim in corpore cœlesti thesaurizare iubet, sed in Patre. Est ergo cœlum Pater eius, Matthæi 14. *Aspiciens in cœlum benedixit*; in Patrem, ille benedixit in Verbo. Mater eius Dea est pulchritudinis, Deipara Virgo, omni ex parte integra, perfecta, nobilis, quæ enixa est pulchritudinem ipsam, integra adhuc, dũ filium peperit antè, & post, quod rerum omnium complementum, ipsamque integritatem eniteretur, matris quã plus aliis omnibus diligebat, innocẽtia seruata, & illæsione; *Maria* enim Hebræis est *exaltata*, aut mare amaritudinis: canit Ecclesia, *super choros Angelorum exaltata.* Deam pulchritudinis, ex mari salso & amaro ortam dixere antiqui, filiamque vasti, & immensi gurgitis, appellarunt amoris matrem. Deifera Virgo, Dei amoris mater, nomine parentis, mare amarum vocitatur; ex mari enim Luciferum illum qui pręcedit solẽ emergere videmus, canit Ecclesia. *Aue maris stella,* maris Lucifer, & splendens astrum, venustatis, pulchritudinisque regina, Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Eccles. 24. *Ego sum mater pulchræ dilectionis*, id est, pulchritudinis amoris, & charitatis. Est Christus pulchritudo ipsa, & ipsa est pulchritudinis Dea, est amoris Deus. Paulus 2. ad Corinth. c. 13. *Fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* Vbi Christus dilectionis Deus vocatur, & amoris; imò Deipara Virgo, Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei.* In tantũ imò est amoris Deus, vt non contentus amore amicorum, inimi-

cos

cos adhuc diligere iubeat, dilexeritque & diligat ipse, Matthæi 44. *Dilige inimicum tuum.* Est puer, Isaias 9. cap. *Puer datus est nobis, puer natus est nobis, paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Ieremias 20. *Natus est tibi puer masculus.* & c. 11. *Puer paruulus minabit eos,* Patris scilicèt hostes. Nudus in cruce extitit, Ioann. 19. *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius & sortierunt de illis;* & vsque ad diem vltimum nudum se esse prædicat. Matth. 25. *Nudus fui, & cooperuistis me, quod enim fit his minimis, mihi fit.* Dum ergo est puer, & nudus, concipiturque nobis mente, & oritur in nobis Christus, est blandus, facilis, paucis contentus, vt puer; & vt nudus egens omnibus omnia suscipit, quibusuis contentus; acceptat quæuis. At iuuenis & iudex factus, rigidus posteà rigidè examinat, & probat nostra iustitiæ lance & trutina: velatis oculis incedit, facieque velata, Isaias c. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum, Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Velat ergo faciem. Psal. 104. *Quærite Dominum & confortamini, quærite faciẽ eius.* 79. *Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.* quasi velet, celetque faciem, petit diuinus vates ostendat. Marci 14. *Et cœpere quidam conspuere eũ, & velare faciem eius. Cæperunt,* inquam, ex humanitate. velari enim nequit diuinitas, Christusve velamine comprehendi, ex ea parte infinitus. est Deus alatus, Psal. 16. *Sub vmbra alarum tuarũ protege me à facie impiorum qui me afflixerũt.* 38. *filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Deut. 32. *Sicut Aquila prouocans pullos suos ad volandum, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.*

suis. Arcitenens Deus, pharetra insignitus, Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum*. 57. Minans peccatores. *ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens, intendit arcum suum, donec infirmentur*. Aqua enim decurrens minuitur semper toto quo effluit tempore, & tandem in visceribus terræ imbibitur, vt non constet ampliùs. Toto vitæ curriculo peccatores deficiunt, tandem in visceribus terræ sepulti; more aquæ imbibuntur, sine odore bonorũ operũ; sine vestigio aliquo disparent; Ieremias 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ*. Persecutionibus, miseriis, calamitatibus, pœnalitatibus examinauit me. Geneseos 27. Isaac Esau sic alloquitur: *Sume arma tua, pharetrã & arcum, & egredere foras*. Pater Christo; sume pharetram humanitatis, qua it diuinitas, & arcũ diuinitatis, potentiam; & egredere foras: sis homo; esto homo. Iob. 39. de Christo. *Super ipsum sonabit pharetra, vibrauit hasta, & clypeus*. Eccles. 26. *contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat*. Contra mortis sagittã, inferni, dæmonis, vsque ad mortem crucis. Sagittis diuinitatis pugnauit plumbeis, & aureis amicitiæ, & odij, iustitiæ & misericordiæ. Sagittis vtitur hic Deus, hic amor, vt potentiam plumbeis ostendat in inimicos, & amorem amicorum concilier aureis. Psal. 37. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*. in odium peccati sagittas suæ pharetræ depromit. 44. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum* Patris æterni, quibus cadent populi inimici. 17. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos*, Isaiæ cap. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum, in vmbra manus suæ protexit*

me,

me,& posuit me sicut sagittam electam; in pharetra sua abscondit me. Est sagitta electa amoris, sagitta electionis, & prædestinationis, qua cor pungitur, & amore flagrat; sagitta vocationis, vt reliquos corrigat; Abacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt.* Amoris scilicèt & charitatis. Potens igne & falce Deus. Psal. 25. *Proba me Domine,& tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Dan. c.7. *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus; fluuius ignis, rapidusque egrediebatur à facie eius.* Isaias. 30. *Ecce nomen Domini veniens de longinquo, ardens furor eius,& grauis ad portandum,& lingua eius sicut ignis deuorãs.* Nomẽ Domini Verbũ est, fatur enim Deus Verbo, & Verbo manifestatur solummodo; Paterque vocatur illo,& non alio; quis nouit Patrem, nisi filius? quis compellauit? quo alio nomine, quã hoc dixit Verbo, nõ alio. Veniens de longinquo; de cœlis de infinitate Patris, quid lõgius infinito? Psal. 49. *Ignis in conspectu eius exardescet.* 96. *Ignis ante ipsum præcedet.* Est ergo Christus amor, & Deus amoris; est ipsa dilectio, Virgo mater dilectionis parens. Est Deus arcitenens, puer nudus, velatus puer, paucis contentus; nudus, vt omnibus possit obligari, tenens arcum vtriusq; cornu diuinitatis & humanitatis tensum, diuinitatis neruo, & chorda vinculoq; vnionis, quo ligantur extrema, vibrato vtroq; cornu sagittas modò potentiæ, & iustitiæ, misericordiæ modò immittens, flammis vrens, alis protectionis volitans, velatus facie,& sacramento Eucharistiæ velatus, quasi nõ videat defectus mortalium; cum non rigore & rigida sententia examinet; blandè imò, quasi velatus non videat, misericors, pius. Vitis folia cum pane azymo, & sine fermẽto mista, fructusque, imposita morsibus huius animantis, virus extrahere, ipsumque euincere, ex tot tantisque autoribus suprà retulimus.

retulimus. Christus vitis est, vt de se dixit Ioannis 15. *Ego sum vitis, vos palmites*, fructus passionis eius, foliáque consiliorum, & præceptorum doctrina, labores, omnem nostram abstergunt maculam, euincúntque, & venenũ hæmorrhois, pœnitentiæ tabula post naufragium, fructu & foliis cum pane azymo Eucharistiæ paratis, contritione, aut attritu coniuncta.

Ex Dipsade excußi sensus allegorici, & tropologici continentur, & naturalia plurima.

CAPVT XIX.

TAbificus ille serpens, atrox, & dirus, qui hominem lethali vulnere infecit, vniuersi initio astutus & vafer, præmium ex eo homini impendere suasit, quòd iustam Dei legem abrumperet, & violaret, eísque nõ minùs promisit frangẽtibus præcepta, quã sicut Deos esse, scientes bonum & malũ, quibus blasphemauit ille, veneno plenus, & cruore, cùm Deos plures his verbis esse asseueraret, Deorũ imitationẽ, non Dei vnius pollicitans. Tum maiora multò cum polliceretur, quàm fert naturæ omnis conditio, vniuersæque creatæ substãtiæ atio & potentia; solũ Dei placito & gratia accessibilia, hominẽ sicut Deum esse. Deos enim fieri posse nullius capere potuit intellectus. Est dipsas eius naturæ & structuræ illius, vt iam latè suprà, vt non solum caput maius cauda & vltimo sui obtineat, quòd serpentibus reliquis, cunctísque animantibus accidit (præter indiorum arietum quoddam genus, ex America regione aduectorum, quos caudam maiorẽ capite habere cõspeximus (verum ampliùs multò reliquo corpore possideat illud, crassiúsque sustineat, in minutissimam,

amaram, exſuccam & nullius vſus, vt deſinat, caudam. Maiora multo in peccato ipſo, & malitia peccatum. Eſt caput ſerpentis, quo noſtram infecit naturã, priùs pollicitatur, promittit ille, quàm impleat & reddat, cũ hæc vltimò ſui fine, & morte, dolo & fallacia ex capite ipſius, peccato, veniẽtibus deficiant & diſpareãt, vltimo ſui. Eſt mors vltimum ſui, vltimum ſui ratione, & cauſa illatũ mortalibus. Paul. ad Rom. 5. *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors, ſic in omnes mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Fugacia & vana, tandem nihil, interimque ac perdurant, non conſiſtunt, veneno immiſta, afflictionibus, miſeriis, doloribus, voluptate conſopita. Vix emergenti lubrica, & inconſtanti, non ſecùs ac ſerpens, quem ſi ex capite capere velimus, veneno enecat, dentéque atroci; ſi verò ex corpore, impetũ versùs caput aſſumit; ſtrictiórque pars, cũ in locum amplioris ſuccedat arreptæ, facilè excurrit, euaneſcit ſpiris, & orbibus actus, dilabitúrque lubricus cauda tenui, reſidenti caput verſus: Hinc iuſſit Deus Moſi Exodi 4. ſerpentem ex virga natum, cauda apprehendere; cùm vt onus officij & virgæ, pondere capitis, eiuſque appenſu intelligeret, tum vt periculum ſimul officij, & dignitatis capite libero calleret, ne ſuperbiret, eius vltimo & fine, lubricitate, & morte penſatis; & ne in facili & leui cauda, minùs quàm mortem atrocem oculi reeretur. Quibus & lex legi contradicere ſatis conſtat, legiſlator legiſlatori, princépſque lucis principi tenebrarum, cùm ipſe rerum naturæ conditor ſtrictiora priùs vltima, triſtia, arida, amara, ſicciora offerat, pœnitentiam, lachrymas, abſtinentiam, dolorem, mortem, caudamque priùs exſuccam, marcidam, ſtrictam obiiciat, vt ſui populi duci obtulit, poſteà magnalia immenſa, &

tan

tandem se ipsum releget, tradátque hominibus, miniméque fidendum rebus infidelibus, inconstantibus, fugacibus veritas ipsa edoceat. Non secus ac mendacium, his fidendum proponat, & instet, secura & constantia illa suadeat, de propriis viribus diffidendum ille contrà, Amos 5. *Quomodò si vir innitatur manu sua super parietem suum, mordebit eum coluber:* de his qui potentiæ suæ facultatibus, viribus, opulentiæ confidunt, manibus & operibus propriis, & parietibus suis, tegumentisque vitiorũ, & iis parietibus terrenis nostris, vitæ, saluti, quæ facilè decidũt, maximè intra hæc ipsa sua coluber abditur, illéque intra proprios parietes occultus latet, inquilinus sodalis, suis rebus, domesticísque rebus immistus, *inimici eius domestici eius*; domos enim habitare, & colere nouimus locis plurimis, Toleti Hispaniæ est videre opulentissimæ ciuitatis, vbi intra proprios lares, nigerrimi colunt, securi & liberi, quos fugare recusant vulgò, aut lædere, communes vbique; dixit Propheta, ex propriis posse serpentem icere, illísque occuli magis, ex quibus plus multò periculi impendet, vt quæ minùs pertimescantur, ignauiùs tractentur. Dorso dipsadis fortissimum Ypsilon Græci alphabeti inest, cuius est Christus alpha
& Omega. Est Ypsilon ænigmatica effigies, hierogly- 145
phicũque viæ nostræ, & peregrinationis. Hac Pythagoras summus ille philosophiæ morũ magister, virtutum, & vitiorũ semitã depingebat. Est enim litera hęc in parte dextra, ex acuto incipiẽs, & in amplũ desinens, & spatiosam periferiã; contrà verò in sinistra, ex amplo & protenso it in acutum, summéque strictum, ex vno communi initio, & principio vno; cùm enim malũ ex defectu quouis oriatur, cõstétq; ampla

est vitiorum via & protensum initium, vltimum verò & finis, pœna & supplicium. Extorquent, arctant cruciatibus improbos & vitiosos homines, eósque tormentis strictissimè alligant, & vinciunt. Bonum verò cùm ex integro oriatur, viam præfinit, à qua facile est labascere, defectu quouis. Præmium verò æternum est amplum & infinitum, Deus ipse, non enim solũ assertor noster hæc patefecit cruci appensus, Ypsilon figura efformata expãsis brachiis dextra iustorũ, sinistraque impiorum manu, amoris vinculo illectus. Imò hæc ipsa pandunt hominibus, illósque edocent serpens, infernus, peccatum, & mors, non secus ac venenosa dipsas manifestat, horrore, & metu incusso. Est initium sapientiæ timor Domini, his enim compensatis, animaduersisque, viam virtutum sectamur, & à vitiorum tramite abstinemus, vt sint hæc ipsa à nobis pensata, antidotum, & auxilium efficacissimum salutis nostræ, mortis memoria, metus inferni, serpentis fuga, peccati horror commissi adhuc, vt in posterũ expergefacti à somno rerũ fugacium cautè, soliciteque viuamus, Matthæi 7. *Hæc est enim lex, & prophetæ: intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionẽ, & multi sunt qui intrãt per eã; quã angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitã, & pauci sunt qui intrãt per eã.* Nõ secus enim ac venenata animãlia, & virulenta parata artis remediis & expurgata, vt docet, suismet morsibus opitulãtur, & infecto cruori, in saluberrimã theriacã cõuersa, simul cũ aliis naturę auxiliis, generosisque medicaminibus castigata & depurata: sic hęc ipsa veneno plena, & malitiæ, si dispensentur, imò si pensentur, vt licet, suismet vulneribus sunt remedio, & saluti. Quid ergo mirum, si venenata dipsas, quæ

sæuo

ſæuo veneno viam vitiorum oſtendit, ſimul & ſalutis protendat tramitem, vt ex peccato damnato dãnaret peccatũ? (dixit Paulus) amiciſſimum eſſe ſerpentem hunc ouorum ſtruthionis, illáque abſorbere, & elingere perſtruimus, non minùs ſuprà, in eiſdemq; occuli & abdi, albugine & vitello abſumptis, alimentóque elincto, relictis ſolùm putaminibus vanis & vacuis; ex hiſque ouis vaſa elegantiſſima fieri per medium diſciſſis, quibus Ægyptij & Garamanthe vtuntur in ſuis ſolemnitatibus, & lautis conuiuiis ad potandum paratis, tum thiaras, mitras, coronas, capellos, galeros, capitis tegumenta varia ex eiſdẽ formare, pulcherrima ſatis & perpulchro ornamento diſtincta, & ſplendida; quis artubus nõ contremiſcit omnibus? quis non pertimeſcit bibere mundi poculis, ouiſque huius ſtruthionis paratis, vbi Dipſas latitat, voraciſſimi inter omnia ſtruthij, qui ferramenta quæuis ingerat ignita adhuc, & candentia, tantæ ambitionis, & ingluuiei tantæ, vt indiſtinctè omnia gliſcat & deglutiat? Neque his vaſculis ſitis reſtingui poterit, excreſcet imò ſitibũdæ Dipſadis veneno infectis, cuius eſt ſitim inextinguibilem inferre ore, & inexplebilem bibendi cupiditatem. Quis thiaram, mitras, capellos, non fugit ex ouis ſtruthionum paratos, quibus multoties Dipſas ſiti hiulca, & lenta immiſcetur? quis iis ſitim prolixam reſtringuere parat? creſcit imò his poculis ſitis; denuò augetur ambitio vſque dum impotentibus tantùm hauſtum ſuſtinere deficiunt, onere potus ebibiti, oppreſſi, ruptis viſceribus, vitiatis internis, paſſione ſitis ingentiſſima afflicti, ampliùs & ampliùs increſcentis iis ipſis quibus extinguere parabant; non ſecùs, ac periit ille Aulus Lucani Dipſade offenſus. Gliſcunt enim tales, imò ebibunt quaſi, honores, officia,

magiſtratus, Doctoratus inſignia, & magiſtrorum ornamenta, ſiti inexplebili acti, ſeſe poſſe calicem ebibere rati, non ſecùs ac filij Zebedæi, qui calicem quē ipſe ſolus Deus bibere poterat, aut non ſine illo, facilè ſeſe bibituros prædicabant, nil de potu diſquirentes, ſed qualis eſſet, talem accepturos; quem ſi ſummis labiis deguſtaſſent, multò aliter decreuiſſent, ac decernebant, & ſuſpicabantur, periculo facto eorum quæ ſola eos ſic affectatos experientia laborum ſuſcepti arreptive oneris edoceret. Alios verò docet Deus, quòd humiles hæc abiiciant & reſpuāt, vritur cor læſis veneno huius animantis, reliqua omnia membra rigent frigore intenſiſſimo, euacuationes omnes excrementorū infectorū veneno expellēdo alioqui vtiliſſimæ compeſcuntur, detēto infectis excrementis, ſiti torrida anxio animanti, ſiti illa miſerrimam incidit hydropem, & triſtiſſimam maciem: hydrope denuò ſiti exuritur mediis vndis Tantalus alter, ſiti excruciatur, & cui ex nimia aquæ abundantia morbus oritur, hic ſolius aquæ defectu deficit ſiti; continuò enim motu cor diſtentum ad ſe vocat venenum, tenue, calidiſſimum, fumidumque natura. Eſt talis huius veneni conditio, fuliginibus ad ſe euocatis alioqui calidiſſimis, igneíſque partibus miſti, æſtuat, & incendio flagrat, quò ſanguinē & ſpiritus ad ſe vocat, vt ſuppetias illi ferant, exuſto & torrido. Eſt in aliis animi paſſionibus videre, vt omnes alij corporis artus frigeant. Imago expreſſa auaritiæ & parſimoniæ iconiſmus, ſiti cruciatus hydropicus Dipſade læſus, ingentiſſimam inferens paſſionem veneno exuſto, ſiti inexplebili extorquetur. Eſt hydropicus aquis ſubmerſus, humidiſſimis refertus ſuccis ipſe ecticus natura, & marcidus, ſiccus ſubſtantia, & torridus, ob defe-

ctum

ctum puri ſanguinis, quo reſarciri poſſit humidum noſtrum quod perpetuò euolat, ſiti inexplebili cruciatus & afflictus media opulentia, & affluentia rerum auaritia triſtiſſima exſucca, ſiti inexplebili extorſus. Hinc Chriſtus inſolubili argumento Phariſæos conuicit, ſe poſſe die Sabbathi hydropicum illum priſtinæ ſanitati reuocare, Lucæ 14. his: *Si aſinus, aut bos in puteum caderet, quis veſtrum non continuò extraheret illum adhuc die Sabbathi, ne aquis obrueretur?* cur ergo hydropicus hic die Sabbathi de mediis aquis hydropis non ſaluabitur, mediiſque vndis quibus obruitur? Pluris eſt homo animantibus reliquis: Dictum eſt enim, *omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas.* Calcaneum noſtrum & appetitum hac intenſiſſima paſſione infeſtat & ſubuertit ſerpens, Geneſeos 3. lenta & auara ſiti. Eſt enim à minori ad maius argumenti illatio. Mediis enim aquis affluentiæ, auaritiæ ſiti extorquentur inexplebili auari hydropici; corde vruntur ſiti, & incendio; membra rigent, manus, pedes torpent obſtupent, quò nil remittant, elargianturve aliquid egenis, & indigentibus. retinentur omnia Dipſadis auaritiæ, nil effluit hac, aut illac, nulla ex parte fluit vitioſus humor, aut humiditas ſuperflua aliis vtilis, quò tandem dirumpuntur illi grauitate oneris. Sacculum rumpit auaritia nimia, medio corpore obcrepuit Iudas auarus, tantam impotens auaritiam capere. Dipſade ergo læſi nil euacuant, nil reddunt, omnia retinent, remittunt nil, excrementis abundant, ſuccis vitioſis, venenatis, quos remittere vtiliſſimum foret; quibus calor obruitur charitatis, & ſuffocatur ſuauis ille halituoſus cordis tepor, accenditur vrens calor febris ecticæ, defectu roris, humidique gratiæ, rigent membra, tabe confectus perit, & marcore

conſumptus æger dipſade infectus. Nullum maius extat remedium veneno huic diro, & tartareo, tenuiſſima aqua, & facili, quæ intima quæque corporis ſubeat, & incendium ſedet, æſtum reſtinguat vi-
146 rus infeſti. Fontes ex abrupta petra fluentes vtiliſſimos, vt ſuprà eluceſcit, quærunt læſi, ſolido enim petræ aqua depuratior, & ſubtilior fit ab omni excremento immunis, & libera denſiori ſubiecto excolata, ex petra qui bibêre, noxas huius atrociſſimi veneni vitarunt. *Petra autem erat Chriſtus*, Paulus 1. ad Corinth. 10. Petra Moſis figura cōtéta percuſſa virga iuſtitiæ, vt ea rigido Patris rigori ſatisfaceret, hominū debita ſolueret, duriſſima & inſuparabilis diuinitatis robore petra, aqua viua de ſolido diuinitatis ſcaturiente, copioſiſſimos riuulos viuæ aquę mortalibus relegante; mortuis enim hominibús, vel potus nullus, nullumque alimentum erant exhibenda, vel viua ſi aliqua, illos vt alerent, viuificarent, impotentibus iam peccati labè, vt illis, vitaleſve exercere actiones, alio quàm aqua viua, & pane viuo ipſo Deo cōpellatis. Hinc aqua viua, & panis viuus exigebantur, vt eos vita defunctos viuificarent. Promiſit aquā viuam mulieri Samariæ in puteo Iacob, cui erat hæc repromiſſio facta Chriſti: Geneſeos 26. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* in Chriſto ſcilicèt, eſt ipſe Chriſtus aqua viua. Ioannis 4. c. Eſt fons aquæ liberè effluentis, non pondere, non vaſis, quò exhauritur, grauitate tractui renitens, iuuans imò hauſtum; ſalit enim in vitam æternam, ſurſum verſus tendit, impellit ſurſum, eo impetu ob ſpiritū incluſum, vaſa ſubleuat illa, & iuuat tractioni, vt cum labore nullò, cum leuamine imò hauriamus aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris, Pſalm. 123. Non labore, ob reſiſtentiam eorum quibus elicitur, &

difficul

difficultates, vt Samaritana in labore, non in gaudio detrahebat, renixu aquæ, lebetis, cordæ. Aqua imò hæc, viua, subleuat omnia, sustinet, & impellit. Fontē bibit, non solùm aquā, qui hanc ipsam exhaurit, quò non sitiet iterum, cùm fontem intra se habeat; salit imò in vitam æternam aqua hæc, inebrians, vini more: Eo loci dicitur, tantùm enim ascendit aqua, quātum descendit. Venit de æterno, redit in æternam vitam. Est vita Christus, in quo viuimus, mouemur & sumus. Est aqua viua liberaliter hominibus concessa; est aqua, est principium, est finis, Apocalyp. 21. *Ego sum α & ω. principium & finis. Egò sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*, Ioannis 4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Qui ex cisternis abruptis sitim extinguere conantur, non bibunt, se ebibere putantes. Isaias 29. *Et sicut somniat esuriens, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somnians sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Qui enim dimicauerunt contra mōtem Sion, Hebræis munus doloris & pœnitentiæ; siti inextinguibili rerum temporalium hiantes, somniāt se comedere, & bibere; cùm verò fuerint expergefacti post mortem, somnum vitæ iudicabunt decursum omnem, solumque laborem & defatigationem sustinebunt, perpetuam famem & sitim non periturā perpetientes. Diues ille auarus Lucæ 16. siti extorsus, & auri sacra fame, qui adhuc mediis flammis auarè solum petiit guttæ aquam Lazarum inferre digiti summitate; auarus adhuc in petitione in pœnam delicti, vt acriùs puniretur, huius vires cognouit: posséque vnam guttulam inferno satisfacere. Patientia antiquis notabatur homine depicto cratere

ebibenti, quod facillima sit actio hæc, vt & patientia facilis est, & mitis, suauis vt haustus ipse; quiescentibus enim musculis, neruisque minimè operantibus exerceri potest, tantùm ligula laryngis adacta orificio respirationis, œsophago adstanti vicina, suo pondere aqua labascenti lubricitate, motuque facili, Iob. 34. capite. *Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam?* Fert enim derisiones & opprobria, facili negotio, quasi potaret aquam, sitim ingentissimã, passionem ac si sedaret, quò non minùs in sacris literis aquæ potus faciles actiones nullo renixu emolitæ significantur. Hinc assertor noster de siti conqueritur, cruci appensus, tot tantisque tormentorum generibus afflictus, vt eo conatu, eo affectu quò solet illa restingui, facilè æquè ac potus exhauriri solet, cruciatus ferre & sæuissimos dolores hominum amore illectus denotaret.

Secunda pars mystica eorum quæ ad auxilia spectant morsus huius animantis.

CAPVT XX.

147 DOlor, naturæ passio infestissima, cuius causas natura horret, & diligentissimè fugit, quòd hac potentissima passione substantiæ partes ipsæ abigantur, diuisa natura solutione continui, quæ illum præcedit, hac, illave causa suborta, vt reliquis passionibus molestantibus accidentia solùm dispereunt, naturæ necessaria minùs. Dolor, inquam, animanti aduersissimus, quòd magis reliquis omnibus aliis distrahatur illo, cognitione vitiata, & rerum iudicio euerso,

euerso,& impedito, hic alioqui offensissimus, vitæ actionibus repugnãs,multoties vtilissimus extat,remediumq; est præsentaneũ morbis plurimis, & auxilium efficacissimum, præcipuè venenosis animantibus læsis,quòd hîc fluxiones excitet,motusq; versùs afflictam partem dolentem venenatæ substantiæ concitet,è visceribus amouẽs virus sæuum, vbi vitæ principia resident,& continentur, illudque euocet versùs externam superficiem,vbi nulla vitæ officina adest,mẽbrumve princeps. Dolore enim natura afflicta in laceratam partem, sanguinem, & spiritus mittit, vt illam roboret, & tueatur,si potest,eidemque suppetias ferat, humoresque sanguini immistos simul cum illo versùs eandem abigat,& releget,quibus interna supersint secura,& libera. Est hoc remedium vnicum tartareo veneno, fatalique cruori, Dipsade afflictis, acerrimum excitare dolorem cussis in partibus;quò acria cõsulunt omnes autores artis, stimulantia, sensum doloris acuentia, irritatu partis & molestia excitata. Serpẽtis venenũ dolore abiicimus,expurgamusque infectam substantiã à vitiis recrementorũ illo illatis ad extra,hæc ipsa dolore trahimus,vindicamus interna viscera à labe,& infectione virulaginis terræ, dolentes in Christo cuius dicitur Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, quem ideò vocat virum dolorum, & scientem infirmitatem. Si ergo dolores nostri veneno Dipsadis suborti sunt in Christo, ipse venenũ nostrum extrahet, & nos eius doloribus condolentes, saluti reuocabimur, trahetque ad se venenum nostrum pars hæc nostra, caput nostrum Christus, cussus veneno, vt corporis reliquum huius mystici, vniuersalis Ecclesiæ liberũ veneno, & superstes supersit eius partis cruciatibus,& diris doloribus vindicatum

dicatum infestissimo viru. Quò dicitur Ioan. 6. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; venenum mortalium cruciatibus ad me alliciam, vt eos vindicem cruore infectos. Habacuc 1. *traxit illud in sagenam suam*. impertiit enim robur & vim superandi venena, sæuasque calcandi impunè bestias, caput Christus huius Ecclesiæ corporis mystici, omnibus illius membris & partibus dispositis, & vt decet paratis. Marci 16. *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, psalmo verò 90. *super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & draconem*, virtute capitis Christi membris refectis. Lachrymas summè laudant veneno excussas, quòd è corde extergant infectionis labē, de quibus suprà. Hyssopum summis laudibus extollunt in hoc affectu omnes naturæ interpretes, in tenuissimum polinem redactam inspersam vlceri, balneo applicitam, ad formamvè cataplasmatis actam, mundaque omnia collaudant maximè: præcipuè lichinia sicca, pura filamenta, quòd talia humoris replentis defectu, poris imbibant succos humentes, venenumque effusum: quibus extrahunt infectam substantiā, virulentamque omninò imbibitam secum. Virescēs nullum inter omnia quæ natura germināt, est hyssopo mole humilius, quæ & si molem superet ramorū & virgultorum copia, altiliaque plurima, tamen omni loco citra delectum communis sponte enascitur indiscriminatim, vbique germinat, contenta quauis sorte, sibi satisfactum esse rata humilissimo exortu, ignotis parentibus, orta ex terræ communi musco, parietumque inter altilia inferioris sortis; muscus enim pro diuersa cœli, aërisque constitutione, & temperie, modò in hanc plantam degenerat, succrescitque ipse, modò in aliā ex virentibus formam,

in vulgarem illam ſemper viuæ dictæ cornucopiam ſpeciem, tectorum racemulum vocitatam, communiſſimam tectis, ſeptique parietum frequentem, venit altilis, in herbam communi nomine compellatam vulgò modò ſuſcreſcit, videre eſt in tectis. hinc Regum 3. capite quarto Spiritus Deus ſummam Salomonis ſapientiam exaltans, inquit: *& diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad Hyſſopum quæ egreditur de pariete.* Vbi inter ligna hyſſopum connumerat minutiſſimam alioqui plantam, quòd virgulis lignoſis conſtet, minutiſſimis foliis referta, perquàm ſimilibus his quas reddit Origanus. Lignoſam vocauit hyſſopum Dioſcorides libro 3. capite 28. A quo ſuſcepere Galenus, Plinius, Paulus, Ætius, & alij. Sed etiam ſi natu humillima ex terræ recrementis, quaſi ſit hæc planta communiſſimi exortus, dotes poſſidet, & illuſtres virtutes aduersùs ſuperba elataque naturæ animantia, venenum corrigit ore aſſumpta, applicitaque venenoſis ictibus, expurgat pulmones, cor mũdum creat, quod à ſarcina vindicat excrementorũ, detergit viſcida, inſcindit craſſa, extenuat viſcoſa, coctionem iuuat, roborat ventriculum, reſpirationis inſtrumenta emundat, ſpiritus vias patefacit, purificat caput, vt decet applicita, animi deliquio affectis potentiſſimè ſubuenit, vitia motus, & ſenſus caſtigat, motui reddit neruos habiles, viſum acuit, ſenſuſque omnes viuificat, excitatque conſopitos iam. Eſt videre apud Galenum 1. de arte curatiua ad Glauconem. c. 3. & 5. dixit Plinius libro 26. c. 6. 7. c. 8. 1. cap. 7. Dioſcorides 3. c. 28. Galenus 4. de ſanitate tuenda. cap. 4. 6. ſimpli. & alibi pluries, ex manipulis huius vireſcentis ſimul colligatis, refert Plinius (adductis locis) antiquitùs ſcopulæ parabantur,
instru

instrumentaque versoria quibus expurgabãtur ædes sacræ, templaque ab excrementitiis sordibus, quibus imputabantur, vt simul & odorem commendarent, conciliarentq; & detergerent immunditiem, cùm ad scopulæ formam hyssopo redacta, tum ad modum fricatorij parata; hac enim, non secus ac modò plurimis in partibus aulæ, lateribus pauimẽto structo, aut lapidũ laminibus, cõfrictorio ex odorifero thimo structo abluuntur, sic eædem ex hyssopo composito emundabantur, eluebanturque, præcipuè in regione Palestinæ, & Ægypti, vbi hæc planta copiosissimè inuenitur, verissima æmulatrix forma foliorum origani, vt Dioscorides locis adductis retulit. Hinc apud nos vsus inualuit vocare Hyssopum lignum illud capillatum, quo aquam salutis benedictam communiter inspergimus, & similiter verrines alios, quibus puluerem ex parietibus, aliisque locis excutimus. Eius flores summo pretio fuere habitæ antiquis, quòd essent purpurei simul, cœlestisque coloris, iis lanæ tingebantur, & sericæ, plurimaque alia coloris rubri splendescentis, ex occulto quantisper vt modo, & colore, nostrum nuper inuẽtum rosæ siccæ æmularetur: his enim huius altilis floribus cum grano gnidio, quo grannæ apud nos dictæ, pulueris detinguntur, ruber colore, maceratis, sãguineus fulgor perfectissimè emergit, simul cœlesti rubro illo, & gnidij & hyssopi simul inuolutis permisto. Mũdabãtur omnia in lege veteri hyssopo, eiusque infusu & maceratione, quòd sanguinem colore referet cælestem violaceo, quo omnes ablui tenebamur, Christi lauacro, non secùs atque hyssopus humiles, limpidi, & puri, Paulus ad Hebræos 9. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo; accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum

cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, vt in rubro, & sanguine mundarentur, in Christi sanguine. Rubris his expurgantibus vsus Moses hyssopo proficua, & vtilissima alioqui, vt humilitatem commendaret, viá spiritus reseraret, vt Dei impulsus præsentirent corde expurgato, sensumque legis & intelligentiam susciperent, vitiosos succos & recreméta, quæ viam spiritus intercludũt, amoueret. psalmographus sacer psalmo 50. *Asperges me Domine, hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Sanguine Christi emundari cupit, mundarique hyssopo, sãguine enim intincta, posteà aqua abluta candidiora magis superesse suprà ediximus. Super niuem enim dealbabitur, hoc sanguine lotus, cùm nix ad præsentiam solis liquefacta candorem amittat. Iustus verò ad præsentiá solis iustitiæ albicet ampliùs, candicetque, quò super niuem dealbantur sancti. Numerorum 19. omnia hyssopo emundari constat, lege veteri. *Tollentque de cineribus combustiuis, atque peccati, & mittent aquas viuas super eos* in vas, in quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem. Cùm enim rubrum cœlestemque colorem obtineat, cœlum merito in rubro contineri Christi sanguine portendit, vt cœlestis color purpureo in eo, ex virgulis huius ramosæ plantæ hyssopus adstruebatur, non minùs; quò sacrificia modo vno, modo altero liquore perfundebantur, fasciculo composito ex eadem plãta. Confrictoria etiam non minùs ex Vrticis contusis prisci struxere, & modò adhuc eisdem argentum confricatum nitidissimum reddimus, quæ si vt

decet

149 decet tractentur,labem & infectionem abſtergunt, ſecus verò nos inficiunt, & corrumpunt citiùs, potentiſſima enim radice tractiua humoris, & ſucci terreſtris,quò virentia aluntur tantùm,ad ſe vocant vrticæ humorem, vt ſubtùs ipſas inhumata corpora vitient,& corrumpant citiſſimè. Vrticę enim & ſpinæ in ſacris literis diuitias, rerumque affluentiam hieroglyphico enotant Marci cap.4. ſic alij in ſpinis ſeminantur:hi qui verbum audiunt, & ærumnæ ſeculi & deceptio diuitiarum,& alibi pluries, quibus ſi vt decet,vtamur,non auaritia compreſſis, ſed liberalitate diſpenſatis,nos abſtergunt, & emundant ab humiditate ſuperflua vitiorum. Neque enim pungit initio vrtica, ſpinoſumve aliud quodlibet vireſcens, vſque dum dureſcit temporis tractu auaritia detentum, ſpinæque indurantur, quæ poſteà ſi manibus contrectentur comprimanturque auarè,eaſdẽ transfigunt, ipſe aſſertor noſter Chriſtus, hoc vſus hieroglyphico, ſpinarum nomine diuitias intellexiſſe aſſeuerat Matth.13.c.Marci 4.& Lucæ 8. Extra ciuitates ſepeliebantur antiquitùs mortales, vt non ſolũ Hebræis,verùm plurimis aliis nationibus hic fuerit mors ſepeliendi corpora integra ſcilicèt, non in cinerem redacta, Ægyptus verò ob teporem,Nilique inundationes continuas,ob ſoliſque præſentiam minimè nubilis diſturbatam, vrticis maximè abundat, plurimiſque aliis herbarum generibus ſponte naſcẽtibus, ſine ſemine, cœli influentia, & terræ vda diſpoſitione,non ſecùs atque animãtia plurima, plantis perfectiora,ex terra exoriri videmus,ſata ſole,eoque parente; altilia verò hæc Memphis regione luxurioſa naſci docet Plinius libro 21. 25. c. Imò vbique vrticæ facili negotio, copioſiſſimè enaſcuntur, coaceruatæ & coniunctæ, æſtui & frigori communes,

munes, omnibúſque anni temporibus plus minúſ-
ve erumpentibus, inter quas occultabant antiqui
theſauros, ſi quos occulebant, quòd his terra abde-
retur magis, multitudine & copia, vt minùs com-
miſſum illi munus detegerent. Inter has ſepulchra
effodiebantur, vt ſecretiora eſſent, inter ipſas condi-
ta, tum inhumata corpora, tum ſupellex quæ cum
illis ſimul reponebatur, vt ſecuriora minúſque per-
uia, eo modo repoſita continerẽtur. Eſſe abundãtiſſi-
mas vrticas dicitur Prouerbior. 24. iis: *per agrum ho-
minis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum
repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, &
maceria lapidum deſtructa erat.* Cùm ergo inter vrti-
cas corpora ſepelirentur, abundantiſſimas Ægyptiis
& Hebræis, meritò minatur Deus legis tranſgreſ-
ſores, tum Ægyptiorum ſeruitute terribili & di-
ra, tum vltrà morte, & ſepultura inter Ægyptios
conſtituta, obſcura, & infami, cuius nulla ſupereſ-
ſet memoria, inter vrticas recondita & abdita, lo-
co illo Oſeæ cap. 9. vbi dicitur: *Deſirabile argentum
eorum vrtica hæreditabit, Memphis ſepeliet eos.* In- 150
ter vrticas ſcilicèt hæredes ſuorum bonorum tan-
dem, vel profugi, dum inter ipſas ea abſconderint,
non recepturi fuga, aut captiuitate oppreſſi, am-
pliùs, vel inter has ipſas ſepulti. Vrticæ ergo, & ea
quibus emundari poſſumus, non ſecus atque hyſſo-
po, non auarè retinenda, nec comprimenda ma-
nu, ne ſpinis transfigatur illa. Abſtruſa ſatis, difficilíſ-
que omninò intellectu eſt mundiciei eſſentia, & for-
ma, ſucciditatíſque non minùs, tum quæ vocemus
ſuccida; quæ verò limpida, ſub qua forma nobis oc-
currant, dum ſui horrorem incutiunt illa, hæc verò
ſub qua ſui concilient gratiam. Cùm verò contraria
ex notitia contrariorum eluceant, natura immundi-

ciei perſpecta, facilè mundiciei rationē attingemus. Succiditas ergo vitiū eſt naturæ corporeę mali & defectus rationē obtinens, aut in ſe, aut aliorū reſpectu. Sunt enim in ſe ſpurca multa, & quæ alia adhuc inquinare valent. Naturæ enim intelligibilis vitiū impuritas dicitur, defectuſve, non ſucciditas, aut conſpurcatio; vt eius perfectio, integritas, & puritas, non ſecùs vocitatur; aut ſolum metaphora ad corporeā molē, ſi immūdities depellatur. Naturæ ergo corporeæ ſucciditas, aut limpiditas eſt; cum verò omnis viſibilis natura ex prototypo & exemplari puriſſimi actus, ipſoque venerit Deo, per ipſius puriſſima exēplaria ſtructa, tātū quia voluit, omni natura ſubdita, & obtēperanti eius imperio, iuſſúique, cùm ipſe illā condiderit, vt voluit, eiúſque autor & cōditor extiterit, omnis in ſe pura eſt, & limpida, omnis munda, & integra conſiſtit; aliàs illi non alij imputarētur defectus, & cōſpurcatio; in quæ cū nulla alia cauſa venerit, nulla egēte à ſe alia; aut malitia defectuoſa eſſet, quod ſummè bono repugnat, aut ignorantia, quod ſummè ſapienti opponitur; aut impotentia, quod omnipotenti aduerſatur omnino. Vt ſolùm immūditia & rerum conſpurcatio oriatur ex eo quòd quædam corpora in ſe alterata, ex cauſarum violentia impurata, & corrupta ſint, ipſa ſuccida, & inquinamēti aliorum cauſa, aut quibuſdā complicentur, immiſceantúrq; nō ſecùs atque impuras domos vocamus puluere cōſperſas; limpidas verò dū vliginē excuſſimus, nitorēq; primū adduximus & conciliauimus. Tū veſtes hoc ſenſu rebus plurimis dicimus conſpurcari, & impuras reddi; hæc verò quæ modò qualitas eſt inducta in rem ſuccidam, illi inhærens, ab alio ſuſcepta, modò reſpectus, vicinitáſque horrendi corporis coniuncti, aut propinqui, vt horreſcimus plurima, quòd iuxta ſpurca extent, extite-

rintve, modò quantitas, vt si pediculum vnum conspiciamus, aut vermem non tædium afferre videmus, plures verò ebullire simul, remque eisdem scatere, reddit rem succidam nimis, abominabilem, & horridam. Hæc, inquam, succiditas corporeæ molis solùm in sensu visus reperiri propriè patet, & si multa per metaphoram succida vocentur, in aliis, & spurca non minùs; nam dum reliqui sensus talia exhorrēt, id ex visu contingere, non ex ipsis, manifestissimè patet; cœci enim à natiuitate plurima ingerunt, quæ alij respuerent visu exhorrentes. Vocamus enim odores suaues, aut molestos, sapores delectabiles, aut iniocundos, blandos tactus, placidos sonos, succida verò, ea solùm allegoria & metaphora ad visum: hic enim constitutus est iudex gratię, & venustatis, alimenti & potus, altioris naturæ, sensibus reliquis; quò pulchri insensatæ species ex illius celebri actu elicit interna potētia, altiùs multò, gratiæque notitiam & venustatis. Propriè enim his succiditas, aut limpiditas inest, quæ videntur. Dum alia enim succida iudicamus, eo quòd illa intra nos posse suscipi concipimus sub forma alimēti, pensata exhorremus, dum ea alimentū fingimus, oris sumptione, ingestioneve, imaginatione facta alimenti: tum præterita ex hoc sensu odio habemus; immunda enim nauseam inferunt subuertúntque ventriculum officinam alimenti. Visu enim de venustate ipsius sententiam ferimus, de accidentibúsque ad gratiam & nitorem pertinentibus, si cogi nos illa sumere opinemur, aut quouis modo gliscere talia gustu de sapore, & voluptate, vt olfactu de odore, tactu de blanda illius & suaui natura. Demulcetur auditus etiam inter epulas musica. Vt in his omnibus voluptas, aut molestia insit, in suscipiendo alimento,

ſed per ſe eius gratiam viſus examinat, quo inſipida & inſulſi ſaporis plurima ex gratioſo aſpectu deglutire cupimus, horrida verò viſui, & ſi perfectiſſimi ſaporis, cum tædio ingerimus, horret viſus plurima ſpectabilia, ob defectum gratiæ & venuſtatis; odit ſuccida non ſecus, ob peculiarem formam & rationem dedecoris, & ſuccoſa; vt hinc ſicca minùs ſint aliis ſpurca. Succida enim à ſucco dicuntur, quòd ſuccoſa ſint, ſuccus verò à liquore differt, quòd hic facilè labaſcat & fluat, ille verò impingatur & hæreat, viſcida & glutinoſa natura, qua pollet ſemel impactus ſuccus, ab ipſo nos abſoluere impotentibus facilè; quò perturbatur imaginatione horrida animans, ac ſi iudicaret, vnionem ſimul cum noſtra ſubſtantia effectam. Hinc ſuccida multa exſiccata, & in puluerem redacta, aut non ſuccida, aut minùs exhorreſcimus, quòd impingantur minùs & hæreant, faciléque amoueantur; quò partes excutimus violento & concitato motu, vt à ſe abigát viſcidam illam ſubſtantiam ſuccoſam, qua fædantur coinquinatæ illo, liquoribus, aqua, vino & reliquis, craſſiora ſunt ſuccida, quantiſper ad minùs glutinoſa. Sunt verò plurima glutinoſa, quæ non ſunt ſuccida, vt cera, terebinthina, & alia nō pauca. Succiditas ergo ineſt his propriè, quæ ore ſunt aſſumenda, aut talia imaginantur priùs, iudicata viſu dedecora; nam & ſi plurima os ſumere reſpuat, non ſolùm vt ſuccida, ſed ob alias cauſas, quòd amara, ingratiue ſaporis, aut alio, ſuccida propriè ex eo habet odio, quòd excrementitia aliqua ſubſtantia inquinentur, vel eiuſmet, qui ſuſcipit alimentum, vel alterius qui eandem ſpurcauit recremento glutinoſo, & tenaci facilè putreſcentis naturæ; horret enim natura in alimentum ſuſpicere, excrementa alimenti ſepara-

ra

rata, adeò vt nullum animans suum proprium excrementum voret, aut ingerat, illi inutile in alimentum relictum iam semel à natura secretum coctione alimenti; imò si quod est in natura animans, quod ea quæ reiecit sede inferna, iterum reassumat ore, vt de Draconibus dixere aliqui, & de aliquibus aliis animãtibus, capite de Dracone videbimus, id est, ob ingluuiem summam & voracitatẽ. Ingerunt enim tãtam alimenti copiam, vt onere grauata natura, crudam reiiciat sarcinam sede inferna, vt reassumat iterum, non excrementa alimenta, imò semicruda, & semiconfecta. Succiditas ergo ex recrementis simul cum ore assumptibilibus coniunctis, fictis quibusuis, aut veris existentibus enascitur, ob vitiosum & superfluum actum receptionis impure substãtiæ, quod nostram vitiosam reponeret, & summè excrementitiam molem inquinato alimento, in se vel ex adiunctis, vitioso horrido venustatis defectu excremẽtitio superfluo viscido succo, obscæno, cibo imaginato. Hinc expuimus eo viso, & saliuam ea imaginatione præsente deglutire vitamus, nolumus, reiicimus; imò nec deglutire eam phantasia horridam audemus. His ergo munditiæ ratio, puritatisque constabit per oppositionem contrariam ad succiditatis, impuritatisque rationem. Sunt enim plurima nec munda, nec succida, vt sunt multa, neque alba, nec nigra, imò nullius coloris, vt cœlum & elementa. Non secùs hæc affectio, non in omnibus inuenitur corporibus corruptibilibus, aut mistis adhuc, nec semper opponuntur contrariè, sine eo quòd ex necessitate aliquod eorum insit, non secus ac dulce, & amarũ non necessariò hærent omnibus corporibus, etiamsi opponantur contrariè, dum subiectum affectant. Similiter sentiendum de his.

De siti Christi in patibulo crucis.

CAPVT XXI.

SIti excruciatus inexplebili languet exolutus ferè fons ipse vitæ, & aquæ viuæ salientis in vitam æternam Christus, lenta siti, extorsus veneno tardo, & tenaci Dipsadis diræ afflictus: est videre Ioannis 19. capite, his: *Sitio*, dum dixit: reiecit Dipsas venenum atrum, torridum in ipsum vitæ autorem, in vitam ipsam; vita verò cùm emori nesciat, nec morte infici, hæc enim excusat mors adhuc, vt ipsa consistat cum vitæ defectu, & deficiat ipsa. Est enim necesse, vt mors adsit, vitam adesse, cum qua illa dissideat, illaque sublata mortem deficere, est priuatio positiui, & habitus causa, morsque vitæ defectus. Vita superauit mortem, & lethale venenum tartareæ Dipsadis virus, deitatis robore; Venenum enim siticulosum, sitimque hiulcam nostræ ambitionis recepit, qua trahimus ventos hianti ore, incompescibilemque auaritiæ & ambitionis cupidinem, vt nullum non susceperit, superaueritque cruorem, quantumuis tetrum & lethiferum. Isaias 53. cap. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, oblatus, quia ipse voluit.* de Christo: *liuore eius sanati sumus, verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Vera siti, ingenti, & allegorica, hac molesta passione vrgebatur Christus cruci appensus, vt fictum nostrum fugacium rerum desiderium
152 nunquam satisfactum sedaretur. Sitiuit ille, vt nos possemus puras aquas salutis ebibere claras, & limpi

limpidas; neque enim se bibere dixit velle, sed sitire, contentus ferre vrgentem passionem, potentissimámque sitis, vt impensos cruciatus manifestaret, eiúsque querimoniis; hominúmque conciliaret amorem. Vera siti afflictus conqueritur, non petiit potum, exposuit imò summam sitis molestiam; hoc enim potentissimo affectu ex causis ortus efficacissimis acerrima significatur, reliquis magis molesta, dira, & terribilis toleratu, vt suprà latè huius affectus naturam exponentes. Cicero ad Quintum fratrem libro 3. *Nec sitio honores, nec desidero gloriam.* Sitis nomine impensum affectum, & cupiditatem nimiam exponens. idem 5. Philipp. *Etenim aderat Lucius frater gladiator Asiaticus, qui Murmillo Mylasis depugnauerat, sanguinem nostrum sitiebat:* Iustinus: *Satia te sanguine quem semper sitiisti.* Tusculanarum 4. Cicero: *Nec sitienter quid appetens.* Imò Horatius 1. Epistolarum 18. *Quem tenet argenti sitis importuna, famésque.* Priori loco renunciante sitim. Cicero in Parad. *Neque enim vnquam expletur, nec satiatur cupiditatis sitis.* Significatur enim siti vehemens rerum & insatiabilis auiditas, grande desiderium, intensius multò. Quid opus est gentibus? spiritus Dei in psalmographo & vate diuino, vt desiderium significaret intensissimum inquit psalmo 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus; Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Vbi, siti affectum intensissimum notauit, expressitque potiùs siti, quàm aliquo alio: Iob. 5. *Et bibent sitientes diuitias eius, quasi argenti sitis importuna.* Ingens ergo rerum auiditas siti exprimitur, quò dixit Christus, cùm animarum salutis desiderio æstuaret, non fame crucior, imò *sitio.* Est summa voluptas in potu, cùm quòd 153

maiorem vitet molestiam actiuissimi caloris iniuncti sicco stimulanti; tùm quòd præsentanea sit, subitóque delectabilis potus affectio. docet Galenus 1. de sympto. causis. c. 2. & 3. Aristoteles 2. de anima, textu 28. Plato in Philæbo, & in Timæo, voluptaté in reditu ad naturam subitò & affatim facto consistere, distemperamur siti, fame, & aliis quæ molestãt nos cupiditatibus. Dum ergo molestiam hanc vitamus, & in dispositionem naturæ pristinæ reddimus, amissam vel debitam illi, obiecto amato succedenti, molestum vitantes, delectamur; si subitò fiat, tamen non paulatim, & insensibiliter, aut magis si subitò, & affatim fiat, quod sentiatur meliùs ex præsentia maiori sensilis. Dolor enim & voluptas cum sensu sunt, & sine illo non consistunt in appetitu sensibili, quibus voluptas suboritur, & amor obiecti conuenientis, quo in congruam dispositionem naturæ it animans, quo delectatur, dolet contrà, & odit. Sétitur reditus magis actione vehementiori, intra naturæ terminos seruato modo, & sensibile percipitur meliùs, quòd immutet intensiùs, hincque voluptaté afferat maiorem sensatione obiecti sensibilioris, iis famelici & ingluuiosi ingerunt citra masticationem ore pleno, vt gustent subitò, & sitibundi bibunt magnis haustibus, non paulatim. Subitò expetimus fieri quæ nimis optamus. Dum ergo quis redit in naturæ actus debitos, delectatur, vt dum distrahitur vel à temperie debita, vel vnione, partium sectione dolet. Voluptas ergo in reditu ad naturæ actus habitos vel debitos est, habitos priùs amissos; tamen cùm priuatio supponatur ad appetitum, & hic ad voluptatem. Sitiuit ergo Christus in cruce, potum verò non expetiuit, tantùm sitim enuntians, secus atque cum muliere Samariæ contigit, Ioannis 4. à qua potum

aquæ

aquæ expetiuit, *mulier da mihi bibere.* Solet enim sollicitus auceps, diligens aucupij, & ſedulus quæſtus, liberas aues gregales & mites venari, paratis artibus ad potatorium, locumve illum in quem confluere ſolent potus cauſa ad *bebrarium*, agreſtes verò & diſiunctas, nullo conſortio communis boni colligatas remittere, & ab earundem venatu deſiſtere, propter earundem proteruiam, & contumaciam, ob paruos minimoſque quæſtus, tenuem mercedem ex earum aucupio venientia. Iuxta aquas Samaritanam minimè rebellem aucupatur, in ipſo potatorio, in potu ipſo, quam illicò captauit diuinitatis laqueo, à qua bibere expetiuit, quæſtum illico poſcens, ſenſit enim lucrum illicò, & petit, ex qua reditum ſperabat, & facile aucupium; rebelles verò & pertinaces Deicidas, hic propter eorũdem contumaciam expectare nolens, ſolùm ſitim ingentiſſimam faſſus eorundem, ex ipſis quod non ſperabat, quæſtum, nec potum daturos, vt omne genus cruciatuũ in ipſum confluxiſſe intelligeremus. Cùm verò ſitim manifeſtaret, non expetens potum; illi diuerſos varioſque potus obtulerunt, cùm conquereretur, Matthæi 17. capite: *Continuò currens vnus ex eis acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Marci 15. *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum, & non accepit.* Tum eodem capite: *Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto circumponenſque calamo potum dabat ei.* Lucæ 23. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes.* Ioannis 19. *Vt conſummaretur ſcriptura, dixit, ſitio: vas ergo erat poſitum aceto plenum, illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius; cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit; conſummatum eſt.* Matthæi vero 27. citato. *Et venerunt in locum, qui*

154

dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus, & dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cùm gustasset noluit bibere. Cùm ergo sitiret potauerunt ipsum aceto, vt conqueritur Psal. 68.115. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*; Gustauit, & noluit bibere. Quæ loca, & si dissidere inter se videantur, rem vnam omninóque eandem omnia præfigurant, & continent, cùm nullo ex his locis Christum ebibisse constet oblatos potus, solúmq; illos degustasse referant chronici sacri. Matthæi enim 17. militem vnum acetum spongia obtulisse enartat, his: *Dabat ei bibere*; vbi non dicitur, *dedit*, ac si Christus exuxisset, sed *dabat*, quasi solùm illi offerebat. Marci 15. clarissimè dicitur, *& dabant ei bibere vinum myrrhatum, & non accepit*, tum eodem capite solùm continetur, *potum dabat ei*. Lucæ 23. hæc tantùm habentur, *illudebant ei, acetum offerentes.* Ioannis 19. accepisse acetum refertur, non secus ac Matthæi 17. illud gustasse, at noluisse bibere, Psalmo 68. illum aceto epotatum scripto habetur, at non verò suscepisse Christum. Idem enim est loci Ioannis *accepisse*, quod Matthæi *gustasse.* Est non leuis differentia inter gustandi actus, bibendique, & edendi opera. Hæ enim diuersis musculorum partibus, instrumentisque diuersis exercentur actiones, summè compressis, vltimisque eorundem partibus applicitis deglutimus tam cibum, quàm potum; parum pressis, minùs constrictis prioribus degustamus. Id satis est, vt degustemus, & si non vt deglutiamus. In hoc enim maior compressio exigitur, leuiter compresso & detento alimento, aut potu; gustamus, vt succus cui sapor inest, interna subire valeat, gustusque cauitates paulatim, quibus sapor percipiatur gustandi instrumento detento, non deglutito, gustabili omnino,
aut

aut ſubito nimis. Guſtauit ergo Chriſtus, retinuitque potum ore, non detulit, vt in bonum hominum diſtorqueretur magis; noluit bibere, cùm ne ſitim reſtingueret, vitaretque importunam, tùm ne excuſaret moleſtiam ingeſtione deglutituque cauſæ inferentis, ſi enim biberet ſuſceptum potum, trans guſtus inſtrumentum deferret, horribilemque cauſam tetri ſaporis deponeret, & transferret aliò. Guſtauit, inquam, amara noſtra, fel noſtrum, miſeriam, & corruptionem hominum, iniquitates noſtras tulit, in ſe recepit, at non bibit, non intrò, ſed extrà ſolùm ſcelera tulit, vino corrupto ex integro priùs, in acetum permutato, at non bibit ipſe. *Verè enim languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos putauimus eum quaſi humiliatum à Deo, & percuſſum, ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra*, poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum, non vt biberet, ſed vt deguſtaret, non vt interna peterent, ſed vt ſummis labiis dignoſceret miſeriam noſtram, vt tanto occurreret lapſui, & ærumnæ. Noſtra enim deguſtaſſe, carnemque noſtram cognouiſſe decuit, at non ebibiſſe, cùm vi diuinitatis repugnaret, quid aliud mortales corrupti iam, & abominabiles offerre poterant propriis viribus Deo offenſo, & implacato, quàm acetum, corruptumque vinum, aut cum felle miſtum, bile noſtrarum paſſionum inquinatum, vinum myrrhatum, aliud iam guſtu & ſapore, omnino noxium, tetrique guſtus? Ex puriſſima vini ſubſtantia vitali & integra, corruptione & impuritate diſturbata, violentia caloris externi, in humidum vini inſitum, naturæ actione & putredine acetum venit, oriturque ſubſtantia diuerſum, forma alterum, non ſecùs ac cadauera oriuntur ex viuenti

genere,

genere, dum ſenio intereunt alterantibus cauſis putrefactione ſuppoſita; quò Galenus ſimp.1. cap.17. mortuum vinum, vocat acetum, vinumque putre. Ariſtotel.4.meteo.cap.3.proble.ſectio.26.35.33.ſententia 17. Columella libro de arboribus, c.4. Plinius, Dioſcorides. Diſſidebat enim cum integritate ipſa; corrupta natura aceti, à ſua integritate altera, quam poſtquàm guſtauit, in ſeque corruptionem noſtram ſuſcepit, illicò dixit, *conſummatum eſt*, ſolutor noſtrorum criminum conſtitutus, nos redemit de aſpero ſeruitutis iugo, fideiuſſor factus debiti mortalium. In hoc enim ordinabantur paſſionis actus, vitaque & mors; ideo dixit eo accepto, aceto corrupto, *conſummatum eſt*, ac ſi iam corruptio mortalium ibi præfiniretur, ceſſaretque infectio ſerpentis diræ, & inferni, eſſetque illa vltima corruptio & corruptela lapſus; non ſecus ac quibus armis nobiles equites exornamus, colaphum infligimus, interim dum arma induunt, armaturamque illuſtrem, quòd ſit illis illud vltimum dedecus quod ferre tenentur, nullum in poſterum laturos ampliùs; ſic, *conſummatum eſt*, vltimaque corruptio aceti. Hinc Leuitici 2. capite corrupta alimenta abiiciebantur à ſacrificiorum lege, non ſecus atque in lege gratiæ corruptos potus reſpuit Chriſtus, quorum vice purum alimentum ſui corporis obtulit, puriſſimique ſui ſanguinis potum offert. Sic enim eo loci ſcripto conſtat: *Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quicquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio.* Eſt fermentum maſſa corrupta iam acida, mel verò ſuperfluum illud, quod in ventriculo apum ſupernatans, nauſeam mouens regurgitatur ab ipſis, è floribus linctum in ceræ cauitates, flatulentum natura, & leue; pura enim expetit ſacrificia, non
tumi

tumida, flatulenta, & vana. Diuersis partibus constat acetum natura dissidentibus & oppositis, non simplex aut vnum substantia, compositum imò, & varium; nam, & si prædominio sit frigidum totum, calidisque succurrat affectibus; sensit Galenus locis aduectis, & primo de simplicium latè, medicique omnes sensere; tamen cùm non vinum vniuersum æqualiter putreat, partes plurimæ supersunt calidæ vinosi generis, refertæ fumidis exhalationibus, interim dum exhalant igneæ partes, putredine disiunctæ à frigidis, defectu frigidarum quibus temperabantur, in suum colorem venientibus redactis in naturam pristinam coloris intensi, igneæ substantiæ semotæ à frigidis motu separatis, quibus frænebantur in misto debita naturæ lege, quibus fermentat acetum, vinumue corruptum, efferuescereque facit terram ipsam, & spumā leuat: in illam effusum portione calida, quam possidet illud, vsque dum tandem senio putridum, totum frigidum, substantia superest, vniuersaque mole alget. Hinc consulimus passionibus calidis antiquius propinare acetū temporis tractu frigidius recentiori & nouo. Reiecit Christus duplicatum cor, versutum, variumque omnino, variis artibus callidum, mentem simplicem, spiritumque dilexit, sanctamque simplicitatem. Paralipomenon 1. cap. 19. Dauid sic orauit ad Dominum pro se, filioque Salomone, & populo, semel oblatis sacrificiis: *Scio Deus meus, quòd probes cor meum & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.* Prouerbiorum 10. *Fortitudo simplicis via Domini, & pauor iis qui operantur malum.* Via Domini Christus est. *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioannis quartodecimo capite. Christus ego fortitudo simplicitatis, odit acetum

duplicis

duplicis naturæ, contrariæ, pugnantis; & capite 20. *Iustus qui ambulat in simplicitate sua beatos post se filios relinquet.* imò dum magis illudebant Christo, deridebantque, in illusione ipsa, & derisu hismet ipsis quibus cultum & obseruationem Dei summi videbantur abnegare, ipsum verum Deum fatebantur inuiti, si non mente, operibus, actibusque ipsis, fel & acetum offerentes; fel enim summo Deorum sacrificio offerebatur antiquitùs, ab orbe condito ipsi tantùm offerri solitum, suffitu id gentes obtulere plurimæ. Abiit adagio; *fel Diis sacrum*, docet Rhodiginus libro 28. capite 27. Diodorus, Xenophon græcarum rerum libro 5. Inuenitur etiam apud Orpheum, Saturnum insidiis, venenisque melle abditis impetiisse Iouem; apud Platonem Porus ille dictus nectare venenato obiit. Lucretius imò lib. 2. de natura rerum, in melle mortem occultari, at in felle vitam cõtineri asseuerabat. Idem Ammianus Marcellinus, omnesque enarrant, mel antiquitùs à sacrificiis Deorum reiici in eos pro reptante veri Dei cultus præcepto, fortassis natura insalubre, flatulentum, obstructiuum, roboris solutiuum, molliciæ, suprà constat, & allegoria, cùm quod illud (olfacientibus veritatem) voluptatum illecebris, dulcia omnia, & vitæ nostræ voluptuosa viuere intercipiant, omniq; modo breuient nimietate: tum vitam rationis hominis propriam, sensuum oblectamentis rationem distrahentibus impediant, & adhuc ipsimet deliciarum generibus naturã corrumpant, distrahãtque oblectamento illecta, vsu rerum nimio; cùm omne nimium sit naturæ inimicum, vt Hipocrates ille mirus dixit de natura humana, versus extrema enim labascit substantia nostra iis quæ est in proportione quadam, moderationeque constituta, quasi Diapason,

paſon, mediúmque elementorum, extrema eorumdem effugiens, in quæ dilabitur nimietate quauis. Hinc Lacedæmones vitiis corruptiſſimum Regem Ageſilopem emortuum, melle circumlitum ſepeliere, vt ſummam eius mollitiem, luxuriamque & viuendi rationem denotarent. Diodorus refert, Gemeſthius, Plető Ageſilao idem contigiſſe ſcribit, lib. 2. In voluptatibus & deliciis abduntur noſtræ mortalitatis venena; ſeminaque cõtragij, in felle verò mortis memoria amara, rerumque fugaciũ amaritudo, vt appetitus ſectas deteſtemur, rationiſque viam exequamur, his relegatis quæ vitam noſtram præfiniunt, mellis genimina, felle vita continetur, & rerum amaror, Diiſque ſacrificio offerebatur, quòd hoc ſymbolum ſit mortis, laborumque quibus vita extuberat noſtra, quaſi labores noſtros, & amaritudines afferamus Deo, vt miſeris opem ferat, egentibuſque mortalibus requiem, felle obumbrat iis. Diis ideo ſuffumigio exhibitum. Mors enim, & Deorum oblatio eſt, hinc Tobias 6. fel piſcis reſeruauit, vt viſum recuperaret amiſſum, medio tenebrarũ tumultu. Opere ergo & oblatione ipſa Chriſto fel offerentes, Deum ipſum ſunt faſſi inuiti, & ignorantes; acetum etiam mortis hieroglyphcum extitit, antiquis dicatum Diis, vinum emortuum appellatũ (ſuprà retulimus) quaſi mortem ipſam, finemque offerrent, commendarentque Deo. Guſtauit verò & non bibit. Poſſumus enim exercere guſtus opera, ore retento guſtabili, ſine eo quòd deglutiamus, ingeramuſve, cum ante deglutionis inſtrumenta, guſtus ſedes contineatur, vbi hic actus exercetur. Eſt fel bilis ipſa amara noſtra, ex igneis partibus alimenti genita, ſecreta in naturæ vſus, vt proprium locum veſicæ bilis, annexæ iecoris cauo, aqueæ enim alimenti partes per

per renes è iecore protruduntur, eminguntur que è
veſica, ſimul cum potu ebibito, quarum portio ali-
qua in venis ſupereſt, vt cocta ampliùs in ſangui-
nem ſuccedat, laxumque & molle corpus reddat, ar-
tuſque verſionis facilis humiditate inſita conſtituat;
terreſtres partes in lienem procumbunt, melancho-
lici ſucci materia, vt aëreæ ſuperſint, quibus ſanguis
tepidi caloris, quo alimur conſiſtat; nutrimur enim
ſanguine, humore, illi verò bilem obtulere enutriē-
tem minime; ac ſi impuro excremento abſolutiſſi-
ma Chriſti natura, puriſſima, temperatiſſimaque ali
potuiſſet; negantes alimentum verum; amara ſolùm,
amaritudineſque illi afferentes, cùm tantū quoduis
alimenti contineat, quantum amari minùs poſſidet.
De ſenſu, & ſenſili Ariſtoteles c. 4. 1. de alimentis,
Galenus lib. 1. c. 2. Acetumque non aqua dilutum,
purum imò cum felle, quo æſtuāt viſcera, & flagrant
incendio, ſpumant, & excandeſcunt præcipuè, cali-
diſſimæ bili permiſtū obtulerunt, quo iuſtè conque-
ritur, loco allato, *dederūt in eſcā meā fel* minimè enu-
triens, & in ſiti mea potauerunt me aceto minimè
175 poto. Parabantur antiquitùs crucis patibulo mori-
turis potiones variæ, potus diuerſi, quæ in varios
vſus relegabantur, cùm vt vigorem & robur con-
ciliarent morituris, tormentaque conſtanti animo
ferrent, ne animus deficeret, tum vt ſtuporem in-
ducerent pocula illa, quibus ſenſum hebetabant,
quo minùs cruciatuum tormenta extorſi præſenti-
rent, vt diſcederent abſque dolore, conſopito ſenſu
ferè, aut cum minori ſaltem, ne mens diſturbaretur
vt minùs agone præuideret de ſalute animi. Hinc
Græci cicutam damnatis capitis ſupplicio obtulere,
imò ebibere compellebāt mortis reos, quòd illa ſen-
ſus deobſcuraret, ſuccuſque ipſius ſenſitiuæ animæ
actus

actus interciperet, vt consopito sensu, dolor qui in sensu est, minùs perciperetur, aut nullus, quietoque mortis genere obirent, minúsque dolore distraherētur, rationis opera, cognitionísque, dolórq; de sceleribus commissis ne minueretur, Diique ne placarentur minùs pœnitētiæ defectu. Constant hæc apud Platonem, de contemnenda morte, dialogo; Rhodiginus docet libro 13. c. 6. Plinius, & reliqui, caput diuinissimū mēbrum, rationis sedes, quòd illi internę potentiæ rectrices insideant, obiectis cuius mēs eget, vt è corpore intelligat, modo sibi intelligendi innato animæ, mediæ naturæ inter corporalia, & spiritus, spiritalis substātia, & esse intelligibilis, influit caput, excelsum natura, & illustre, animæ domicilium in reliqua membra vniuersæ corporis molis, quæ exercere possunt actiones, sensus, & motus, in omnes quæ musculis agitātur, aut intertextas neruis; hi enim cùm è substantia cerebri oriantur nerui omnes, suscipiunt ab illo perfectiuam quandam qualitatem influxus, dum naturā propriam inalteratam obseruāt, 158
instantanea motione, vt partes illustria munera possint obire sensitiuę portionis, dum verò alterantur, vt eorum substantia inarescat, humescatve præter modum, comprimatur, laceretur, caleat, algeat, leuore eorundem amisso hanc nequeunt suscipere virtutem; non secùs atque crystallum, corporáque leuigata, & omnia leuia exasperata, lumen discissis illis in partibus non recipiunt, quibus reliquæ enitent. Patet in crystalli scissuris, serramentis, & aliis. Aspera enim materiæ plus obtinent lenibus, leuigatísque corporibus, si sunt cætera æqualia in mensura eadem, quòd supereemineant partes partibus, sintque obliquæ quasi, irregularísque substantiæ & molis. Recta enim linea inter duo puncta illa est, quæ

est minor & breuior, æqualísque magis superficies, minor inter duas lineas, vt corpus directius quod breuius inter duas superficies colligitur. Cùm ergo superficies æqualis minoris materiæ sit, minórque aliis, meritò in hac perfectiuæ virtutes recipiuntur, quòd sit minus materiale subiectum cæteris eisdem, secùs inæqualibus & asperis. Splendent lenia corpora, enitent læuigata, frigēt, calentque faciliùs adhuc, forma, æqualitate, obseruantia, obscurantur exasperata, minúsque elucent, vsque dum contrectata lenia splendent. Narcotica ergo Græcis dicta, stupefacientiave Latinis, aut replent cerebrum, canalesque intercludūt, quominùs via spiritibus animalibus pateat, aut exasperant neruos, vt influxus capitis non valeant suscipere, luminísque instar, qualitates perfectiuas modo luminis producibiles, eosve inhabiles reddunt, vt ex eorum subiecto educi possit qualitas illa celebris communis influxus. Efficiunt id fumida non minùs reliquis, quæ obstupore & frigore torpidas efficiunt partes. De myrrha docuit Dioscorides lib. 1. c. 63. de antidotis Galenus, Plinius lib. 12. c. 15. & 16. quā soporiferam constituunt, & narcoticam, non frigoris obstupore, sed fumidæ substātiæ expletione, non secùs ac vinum calidum natura, æstuantia & vaporibus plena, caput replent, sensúmque impediunt ebrietate, & motus, frigidáque comprimentia neruos, & siccantia nimis non minùs calidáque cum resolutione spirituum media, & asperitate, exolutione inducta, partibus substantiæ inæqualiter euanescentibus ex inæquali misto, & vda repletione substantiæ inæqualiter subeunte cauitates neruorum, comprimentiáque itidem, quod neruos inæquales reddant. Docet hæc ipsa experientia notitiæ mater, quæstionem enim passuros præparamus his ipsis,
quo

quominùs doleant, vino myrrhato, & maiori thure confecto felle aceto immisto, philonio, opio, frigidísque aliis & calidis poculis, vt diuersæ adsint potiones, quæ his ipsis possint esse auxilio. Vt hinc con- 159
stet veritas Euangelij sacri, dum de diuersis potionibus Christo exhibitis sermo instituitur, & vbi contrarietas aliqua videbatur inuolui, & dissidium, summa veritas & concordia eluceat, cùm non vnũ, sed varia pocula quæ antiquitùs parabantur morituris, Christo fuerint oblata, quæ respuit ipse, quòd sensũ doloris impedirent, coërceréntque; *oblatus quia ipse voluit, virque dolorum factus*, Isai. 53. pro hominibus satisfaciens, vt illos maiori obligationis vinculo teneret, cõuincerérque, summos cruciatus & dolores sufferens, recusans nullos, respuẽs illa quæ hos ipsos vitare possent, aut ex parte imminuere. Non secùs acetum, fumidis exhalationibus plenum, interim dum putrescit, caloris externi violẽtia, caput replet, vt vinacea omnia, quo minùs facultas animalis dicta, neruis obstructis, & plenis copia fuliginum distentis, & inæqualibus descendere valeat è capite, impertirique membris per illos. Numerorum 6. capite: *Vir, siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest abstinebunt; acetum ex vino, & ex alia qualibet potione, & quidquid ex vua exprimitur, non bibent.* vt ebrietatem, mentis distractionem, rationísque impedimenta, & inde voluntatis obstacula coërcerentur in illustri actu voti, & consecrationis Deo factæ. Acetum vitat, prohibétque poculum omne quod paratur ex vua. Est tanta aceti vis, & potentia illa. Sensere omnes qui de auxiliis ictus venenatorum scripsere; videre est locis adductis, vt solùm applicitum fotu, adhibitum

offenſæ parti aut poculo ebibitum, omnia venena re-
tũdat, ictibúſque virulentorum omnium ſuccurrat,
Scorpionum, Dipſadum, & Aſpidum, irritos faciat,
eorundem venena inualidet, in tantum, vt hi qui ſu-
ctu more cucurbitulæ venenum ad externa vocant,
ſugendo partem diſſectam, & læſam, vt iubent me-
dici ſugi, os colluant aceto priùs, vt ſecuri & immu-
nes à cruoris noxa impunè virus euocẽt, extractũq;
expuant ſaliuæ immiſtum, infectóſve alliciant hali-
tus ex parte venenata ſecurè diſſucta. Ignorauit om-
nis antiquitas tantam huius aceti virtutem, vſque
dum experientia caſu periculo facto eius mirabiles
enarrauit dotes. Refert Plinius libro 23. c. 1. Rhodi-
ginus, Xenophõ, plurimíque alij, qui de eius illuſtri
natura ſcripſere, baiulum quendam vtrem aceti effe-
rentem humeris, ab Aſpide calcata percuſſum, quo-
ties vtrem deponebat, longo itineris ſpatio defeſſus,
vt animam, viréſque crearet, grauiſſimis cruciati-
bus vexari, & angi, intumeſceréque vltra modum,
vtre verò ſuſcepto aceti, priſtinæ ſaluti reſtitui,
& de ſe ſentire, non ſecus atque ante aſpidis mor-
ſum. Serpens dictus Apocalyſ. 12. Chriſtum læſit,
in ipſumque venenum effudit; ipſe verò acetum re-
cuſauit, diros quod leuaret cruciatus, ingentiſſi-
159 mamque doloris paſſionem compeſceret. Vir dolo-
rum qui erat, & infirmitatum; imò cùm in ſe rece-
piſſet iniquitates noſtras, defectus, ſcelera, recre-
mẽta vitiorum, impura, & obſcæna, vt ab his nos ex-
piaret, expurgaremurque ab excrementorum ſarcina
in ipſo qua premebamur, neceſſarium fuit, vſque ad
ſitim expurgaret corruptam noſtram illuuiẽ; quò di-
xit, *ſitio*, redemptione facta. Laudat enim maximè hoc
genus expurgationis Hippocrates 3. aphoriſmorum
aphoriſmo 19. cũ non anteà expurgatio abſoluta ſit,
quàm

quàm sitiat æger, dixit Christus, renuntiata siti, *Consummatum est.* Paulus 1.ad Corinthios c. 5. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Expurgati ergo sumus in illo, & non secus enim ac dum infantulos ab infectis humoribus depurgamus, nutricibus cathartica & fortia medicamenta exhibemus, vt ferant illæ, quæ pueruli ferre non possent medicamina fortia, vt ipsa in lac conuersa relegent pueris blanda, & suauia iam; expurgãsque lac eisdem conferant, docet Galenus 1. de sanitate tuenda, c. 4. 3. de alimentis c. 7. 6. de compo. locali, & 7. c. 5. Hippocrates 6. de morbis comm. 5. sectione 35. iis, mulier, capra, elaterium, aut cucumerem syluaticum edentes; pueris purgatio; Idem Galenus in commentario, à quo medici omnes suscepere, sic Christus nutrix nostra. Baruc. 4. cap. *Obliti estis eius, qui nutriuit vos, & contristastis nutricem vestram.* Labores sustulit, afflictiones, durissimósque cruciatus, quos ille solus sustinere posset, vt eisdem expurgaremur, in lac versis, misericordiam, & pietatem. Vltrà cùm maximum sit dissidium serpentis cum discisso, fissóque calamo, & repugnantia in tantum, vt cussus ille, quassata arundine, adhuc ferus, & effrænatus concitatissimo motu, torpescat illicò, & à motu desistat, obstupescensque contrahatur, vano sono effissæ arundinis illectus, superbia altus, & elatus. Refert Ælianus libro 1. c. 38. Cælius libro 15. c. 25. Plutarchus in symposiacis, Plinius 28. c. 9. Aristoteles 8. de histo. cap. 14. Iob imò inani strepitu arundinum delectari dixit de Behemoth serpente. c. 40. his: *sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus:* Illectus sono, & vanitate torpescens, & consopitus somno, ne à motu deficeret, & torperet

serpens, quo minùs dentes tetros in ipsum eiiceret Christum, acetum reiecit calamo oblatum fixo, spōgiáque, sitis hieroglyphicum, cupediæ, auiditatísque nostræ, & ambitionis, vditatem affluentiamque omnem imbibens, imbiberéque præsumens, quasi & cupiens rorem, affluentémque sub stantiam exugens, quo noluit bibere iis.

De mannæ mysticis naturalia plurima complectēs.

Capvt XXII.

Etiamsi variis, diuersísque figuris & signis, obstupendum illud Sacrosanctæ Eucharistiæ mirabile sacramentum in lege veteri obumbraretur, nullum tamen eorum, quæ ad ritus, & cæremonias, sacramentáque illius spectabant, lege scripta quantum ad effectus eius attinet, (omitto alia, quæ in hoc sacramento continentur) ineffabile istud mysterium præfigurabat æquè ac manna, omnem saporem suauitatis in se continens, nitorem omnem, & venustatem, vt latè suprà, omnia reficiens & ad summam perfectionē diducens naturæ omnia opera; non secùs ac gratia omnia perficit, roborat ex alimento Eucharistiæ, reficítque, cùm mentem, tùm vltrà & naturam; sacramentum enim hoc panem vinúmque oblationis, res huius excelsi tantíque operis præfinxit Rex ille Salem, simul Rex & sacerdos Domini Melchisedech nomine, Geneseos 14. c. offerens Abrahamo post victoriam Sodomorum adeptam, panem & vinum; hæc ipsa priùs benedicens; retulit Psalmographus sacer psalmo 109. de Christo vero sacerdote, his: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Id est, in pane & vino, in carne

&

&sanguine, in alimento Angelorum, & hominum, oblato, post mundi, Dæmonis, & carnis partam victoriam. Tum agnus ille Paschalis sacrificij, expiationis, in lege scripta, solemnissima & illustris immolatio, cùm sacramentum ipsum, tum rem ipsam sacramento contentam, viuis coloribus expressit: Christum ipsum, carnemque & sanguinem ipsius, panem & vinum, cibum & potum, carne, sanguine, & agno, hac figura comprehensa. At manna effectus ipsos fructusque, & quæstus huius magni facinoris, propriùs multò his omnibus perscripsit, & manifestauit, vt Eucharistiæ symbolum, expressáque icon extiterit, cùm gratiam, tum mirabiles eius effectus omnibus modis præfiguraret, ideo enim Ευχαρίστια Græcis dicitur, obstupendum hoc facinus, id est, gratiarum actio, gratiave acta ab Ευχαριστεῖν verbo, id est, gratias ago, pro tot tantisque beneficiis susceptis; non secùs ac gratias agimus in vltimis mensis de victu corporali accepto, spiritalis victus exemplo ducti, Deo quasi tanti beneficij autori memores referre velimus nostra, habereque gratias, & non secùs ac manna, iuxta cuiusuis sufficientiam impertiebatur, panisque ille cœlitus immissus, omnesque illo satiabãtur, tam qui plus illius legerãt, quàm qui minùs collegerant, vt etsi diuersa vasa, variaque illo replerent, mensuræ inæqualis, non vnius, refecti tamẽ omnes, saturíque superno alimento alti, discederent, sic mãna hoc abscondito, quod vocauit Ioannes Apocalyp. 2. c. refecti omnes, & si mensuræ inæqualis, iuxta cuiusuis dispositionem satiati, & nutriti à conuiuio sacro recedimus, nec qui minus mannæ congregarũt, minus inueniunt, quàm Christum ipsum hoc sacramento contentum finis legis, sacramentorumque omniũ, in quo viuimus, mouemur, & sumus Christi

participes, cui vnimur in ſanguine, & carne partes eius, ſuæque ſubſtantiæ ſacramentali vinculo vincti, hoc maiori ſacramentorum omnium myſterio, ſummo manè, gratiæ ortu, ſoliſque iuſtitiæ ſuſcipiẽdum, ante illius receſſum, & occaſum, poſt denſas & opacas tenebras noctis culpæ, vt decet, non longo interuallo tranſacto, non ſecùs ac legebatur manna, vt ferunt maiorum præcepta, lecto. Obtemperabant enim Moſi iuxta edicta ſuperna antiqui in legendo manna, poſteà verò eo delecto veſpere Sabbathi, pro ea die & Sabbatho, vna vice, fructus eius, mirabileſque effectus ſequenti feſto ſuſcipiebant, tantum myſterium admirantes in raptu & extaſi vitæ contemplatiuæ. Ideò enim ibidem dicitur, in mannæ electione, die Sabbathi maneat vnuſquiſque apud ſe. iis diem tranſigebant feſtum, vſque dum poſteà ad conſueta munia redibant, ſeſe abſtinentes ea die in tanti ſacramenti cultum, & venerationem ab omnibus illis, quæ placidã hanc quietam & tranquillam poſſent diſturbare vitã. Ea fuit mannæ, huiuſq; tanti alimẽti ſubſtãtia Hebræis cõceſſa huius myſterij figura, & ſymbolõ, illa perfectio, vt omnes victus poſt excelſos fructus, & mirabiles ligni vitæ (effigies & ſimulacrum Chriſti è ligno crucis pendentis vita no-
160 ſtra, & alimentum) longè antecelleret. Imò ſi nõ eſſet debilis iam, & eneruis natura, ex reatu offenſæ commiſſæ, omninóque ſubuerſa ex lapſu, hoc vno alimento alta, poſſet in æternũ protendi, quantum viribus naturæ ſuſtinetur, innocentiæ ſtatu ſuppoſito per vices ſumpto, id eſt, in longiſſimum tempus, vt potuit fulciri menſura longæuæ, mortalitatemque omnino vitare vitæ ligno, ſi peccati labe non inficeretur, & ſi illo meliùs explicito modo anteà. Alimento ergo & cibo hoc obumbratus eſt victus, cibus,

Chri

Christus ipse, qui & vita est, & vitalis cibus noster. Quantum enim eo agebatur alimento manna, perpetuam vitam pollicebatur, & si defectu vitæ, collapsæque naturæ, calorisque natiui extinctione, quibus vsus huius alimenti committebatur, tantæ alioqui virtutis & potentię, abusi mortales, pane cœlesti ordine præpostero suscepto, simul cũ coturnicibus, & carnibus affectibusque nostris disturbatus, aliter ac mirabile fert nutrimentum istud, si non turbaretur culpa subiecti infecti iam culpæ reatu, cùm naturæ collapsæ, tum vltrà malitia actuali eorum quibus erat oneri & noxæ; lædebat enim impuros homines, nauseamque mouebat, oneri erat naturæ, cor grauabat, viscera premebat copia suscepta præter modum, neruos, motus, & sensus torpere faciebat, vitæ impulsibus erat impedimento & sarcinæ, vt denique grauata natura, vno & altero manna spiritali, vt corporeo, deficiat & labascat in acerrimos & graues morbos, quibus plurimi vita defuncti miserrimè discessere, mediis angustiis, medio laborum, & anxietatum tumultu, copia alimenti grauati, obruto debili calore, & suffocato, tum Charitatis igne restincto, spirituque vitali deficienti, impedimento interposito, subiecti vitio, & apparatu inconcinno. Hippocrates apho 10. 1. sectionis sic: impura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes. quod quale est subiectum, tale subcrescat alimentum, & humor, quæ cùm sint morbi causa, ex qua ille pendet iis auctis augetur. Quò dictum est loco adducto, *Patres vestri in deserto manducauerunt manna, & mortui sunt*, Paulus 1. ad Corinthios 11. de pane hoc, Christique corpore. *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini; probet autem se ipsum homo,*

& sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. reus erit, inquam, corporis & sanguinis Domini, id est, onerabitur hoc ipso alimẽto, imputabiturque illi scelus tantum, & tanquam onus imponetur ei culpa, quòd tanto abusus fuerit sacramento, ipsum grauante & opprimente suscipientis defectu, reus Christicidio mortéque crucis Christi, iis abusus, morte & passione, ac si nullius hęc fructus essent, non diiudicans corpus Domini; probet seipsum, id est, an ipse sit qui formatus est Christo, & reformatus, an cum exemplari ipse & idem, an dicat cum prototypo probet se, an ipsum inueniat cum Christo. Emortuos enim homines gratiæ vitæ defunctos, lapsu & peccati ruina, emortuũ dedecebat alimentum; cùm quòd alimenti vsus altilis animæ, vitaleque opus sit, quod exerceri nequit, vbi deficit illa, tum quòd omnis corporea substãtia, qua in alimentum vtimur, cùm vel sit ex viuentium iam emortuis partibus, cadaueribusque suscepta, vel ex
161 rebus inanimis simplicibus aut mistis admissa; hæcq; inanimis vitã elargiri præcipuè mortuis non possit, aut vita defunctos suscitare, emortua illa, animæque expers cùm sit, viuum alimentum mortales decebat, taleque impertitum est; imò vita ipsa Christus, viuensque substantia, vt in ipsa viueremus, moueremur, & essemus simul. Paulus dixit Actuum 17.1. ad Thessalonicenses, c. 5. *Est ipsa resurrectio, & vita*; de Christo Ioannis 11. vbi de se inquit Christus: *Ego sum panis viuus*: Angelorum panis, satietasque, cui si iniungamur per charitatem fide supposita, gratiæ fructus suscipiemus, spei præmia, & gloriæ. Qui ergo manna hoc abscõditum de cœlis aduectum, viuumque alimentum, vitamque ipsam emortuum quasi iudica-

iudicauerit, & eo vt emortuo vſus fuerit cibo, impedieritque vitales eius actus, vitæque opera & alimẽti quod vita eſt, & anima vitæ gratiæ in charitate, ipſumque ac ſi eſſet vita defunctum, ſuſceperit, & non ſecus ac ſi victum communem, inanimemque, fructus & effectus ex illo ſperauerit, mortuum alimentum diiudicans, vitæ nulla actione functũ, mortificaueritque viuum alimentum hoc, vt vitio & culpa ſuſcipientis, non vitæ actus exerceat, mortis imò, alimentumque vitale viuum extinxerit, reus erit mortis Domini, carniſque & ſanguinis huius obſtupendi myſterij, cùm vitam & honorem detrahat ab ipſo Chriſto, non minùs atque illi qui facti rei corporis, & ſanguinis eius, ipſum cruci affixerunt teſtimonio mendaci. Quòd ſi reus eſt corporis & ſanguinis, quòd abutatur excelſo illo & ſacro alimento, ipſum reddere tenetur, cùm ſuperfluè illud receperit, & indignè, non diiudicans corpus Domini. Reddet ergo reus vitã ipſam, vitalemque alimoniã, mortemque ſibi aſciſcet vitæ vice, alimẽto deſtitutus, & vita, animaque vitæ ſpiritalis: cæleſte illud, de ſuperiſque immiſſum hominibus alimentũ incognitũ & occultũ iudicio mortaliũ, diſſuetũ nunquã ab oculo corporalis naturæ perſpectũ arte parabatur ad formam panis redactum manna, illius accidẽtia ſolùm obſeruans, ſubſtantiam verò diuerſam multò, aliamque à pane retinens, in ſe complectens omnem ſaporis ſuauitatem, adeo vt voluntati cuiuſlibet ad placitum inſeruiret, valetudinemque inculpatam, integramque ſanitatem, nitoremque primum ſuſcipientibus conciliaret, venuſtatẽ, & naturã in ſummè perfectũ ſtatũ reſtitueret, nauſeã emouẽs corruptis, debilibuſq; hominibus; neq; enim iuſti de eo cõquerebantur; vitioſi imò, corruptiq; homines. Eis enim

culpa imponitur,quòd tędio habuerint tale,tãtumq; alimentum comprobantibus iuſtis,& ſanctis quibus ſuaue nimis,ſalutareq; erat,nullius noxæ aut nõcumenti,quòd eo vterentur,vt decebat,ſobrij & mũdi; ſecus alij,vt hinc robuſtis & integris ſatietatẽ, integramque indigentiæ ſatisfactionem adduceret.Sunt in ſacramento Euchariſtiæ accidentia panis , forma verò & ſubſtantia deeſt, in corpus Chriſti tranſſubſtantiato eodem, abiit panis ſubſtãtia, adeſt Chriſti, panis Angelorũ & hominũ,eorumque alimentũ,panis rationem victuſque obtinens, mentem reficiens, animumque oblectans , non aliter ac manna figura, coctum iam,ad placentarumque formam actum panem referebat ; forma verò non panis,imò naturam omnem ſubſtantiam antecellebat , victuſque & alimenti rationem omnem exuperabat,vniuerſum ſaporem ſuauitatis comprehenſum , panis accidentia retinebat,vbi non erat panis , ſupernè veniens ſupra ſatum cœlitùs effuſum , quò de hoc mirabili ſacramento dicitur Ioannis 3. *Nemo aſcendit in cœlum , niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo.* Chriſtus manna abſconditum de cœlis veniens , quem petit Iſaias,pluant nubes, & rorent iuſtum & ſaluatorem. Apprimè ergo manna obumbratum eſt myſterium tantũ,Chriſtuſque in illo cõtentus, cùm ipſe ſolus è cœlo venerit, ſupra captum hominum,quod neſcierunt patres veſtri,dictum eo loci, deſcenderitque de cœlo , de cœleſti ſcilicèt origine , mortalibus ignotus , eorum omnium ſuperans potentiam , & vires, robur , Matth.11.*Et nemo nouit filium niſi Pater , neque*
162 *Patrẽ quis nouit,niſi filius,& cui voluerit filius reuelare.* Ioã. 17.idem & 19.*Generatione occultus , & abditus:*materia Angelorum opere præparabatur, ipſo Deo efformãte ſubſtantiã mannæ,vltra modũ naturæ & artis, ho-

minibus

minibus ignotū ab vniuerso cōdito. dixit de Christo Isai. 53. *Generationē eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium*, id est, eius qui à Patre exiuit, exinaniuitque se ipsū. Terræ mortalitatis incolà, non vt nos indigena mortis, de terra viuentium, abscissus extra mortis imperiū, vbi non dicit ius mors nec leges cōdit, de Patre scilicèt æterno abscissus, quasi de vita, vt frænaret mortem ipsam, & deuinceret. Mirabiles sunt, & obstuporis plenæ huius noui alimēti cibique conditiones, omnis nutrimenti excedētes naturam, leges, & ritus. Mutamus enim cibum omnem, cōmutamusque, & ad nostram formam reducimus, quò resarcimus effluentem perpetuò substantiam, èam reponimus fluxā semel, & vanidā, substituto alimēto; hoc viuēs cōmutat, omneque altile, in viuentem substantiā succedens, mutatione facta emortuo, corruptoque alimento priùs, vt post emortuum reuiuiscat illud inanime, substantiæ viuentis particeps animatū & viuens. Panis verò hic cœlestis nutrimentū excelsum, viuens cū sit, vitaque ipsa, nos verò mortui, criminis lapsu, substantiam nostram viuificat, nutrit, & alit semel susceptum, vitæ effectus vitales edit, noua quasi anima nos format, illustrat, vita commutat nos ipsos in se suscepta, vitæ participes, sibi vnit emortuam substantiam nostram, vt in eo viuat, reuiuiscere facit, vt mens reficiatur, resarciaturque, increscat totum, vires augeantur, roboretur natura. Colligebatur enim manna illud non in Castris tentoriisve, non in commercio hominum, aut animantium congressu veniebat; extrà imò, in deserto, locis hirsutis, hispidis, desertis, hic cōcrescebat in lapidibus, herbis, arboribus, terraq; ipsa, cōtrà ac vulgatum manna cōmune quo vtimur, cuius pars quæ defluit in terram ibidem imbibitur, vt nō vltrà

conster,

constet, concrescatve illa, euanescat imò. Enotabat enim absconditũ manna Christum inuitantem omnes, qui se denegat nullis decenter paratis, non solùm excelsis arboribus perfectionis, & fructus, non herbis tantùm humilibus ortu, & satione, sed petris etiam durissimis, & rigidis, cum terræ humilis hominibus omnibus, abiecto pulueri, non solùm Angelis; verum & hominibus illis, gloriæ fruitione. His sacramento concessus modo. Est homo puluis, terra, & cinis, Geneseos 3. *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* iusti verò vocantur arbores boni fructus. Matth. 7. Affluentes manna, & rore melleo, vocat humiles Isaias herbas 15. c. *Aruit herba, defecit germen.* nobilium scilicèt progenies defecit, & exaruit plebs. Petras vocat obstinatos, & duros. Ezechielis 11. vbi minatur Deus obstinatos his: *Auferam cor lapideum de carne vestra*: Matt. 27. *Petræ scissæ*, id est, corde obdurati, tot tantisque portentis, vt contigere Christi passione. Vt possit ergo Christus manna absconditum haberi, & recipi, extra propria debet quilibet venire, extra se denique, vt tantũ possit capere alimentũ: neque enim aliter mãna colligetur hoc tãtũ, extra proprias carnis passiones, mundi figmenta, dæmonis technas, extra animalẽ vitã, extra hominũ cõmunẽ viuendi modum, & carnis leges. Est in hoc manna cibus omnis contentus, omnis potus, quibus animæ famelicæ, sitientique fieri possit satis, plenitudo, satietas spiritus, & mentis; est alimentum hoc modò caro. Ioannis 6. *Caro mea verè est cibus.* modò panis, c. 5. *Ego sum panis vitæ, panisque Angelorum, panem Angelorum manducauit homo*, passimque in Scriptura sacra, & cùm omnem saporem suauitatis obtineat. Sapientiæ 16. non solùm cibus, verum & potus est. Ioannis sexto allato: *sanguis meus verè est potus,*

est potus; in maximo prouentu cōcessus hominibus, liberalissima conditoris manu. Minimum erat antiquum manna mole, colore album, aureumque, ignei coloris, excādescentis incensi bdellij ex parte, & circularis formæ, vt & nouum manna absconditū sacræ Eucharistiæ, est album, candidum, vt non secus atque in albo prætoris antiquitùs reorum crimina inscribebantur, petitionesque, vt ab his expurgarentur, obiicerenturque in ipsos, si quæ erant quæ eorundem delicta possent grauare, comprobareve, vt expiati ab his, lata sententia, iudicio facto, liberi discederent, extersi in prętoris albo, docuit Cicero in epistola ad Quintum fratrem, retulitque Manutius in commentariis, sic in albo prætoris, nostrique iudicis Christi labem abluamus peccati, vt pristino albo candorique restituamur candore eius qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: Paulus ad Philipp. 2. *Enel blanco de aquel Segñor que fue tanto lo que dio a los hombres, tanto, que se quedo en blanco por ellos enel sacramento y mysterio del altar y mesa de la Eucharistia, que como era gentil hombre quedose en cuerpo por ellos*: Speciosus forma præ filiis hominum, sic homines Christus dilexit, vt cum amore flagraret mortalium, simulque & Patris æstuaret charitate, cum redire teneretur ad Patrem, amore flagrans, hominesque relinquere summè excusaret eorum amore illectus, deliciæ ipsius quæ erant esse cum filiis hominum, summa sapientia inter hæc duo extrema stabiliuit medium, vt simul & ad Patrem rediret, & maneret apud nos in Sacrosancto Eucharistiæ mysterio, suum corpus hominibus relegans in alimoniam *quedose en cuerpo* speciosus forma præ filiis hominum. Psal. 44. Formæ proceræ, & venustissimæ. Corporis enim ratione nos cōtingens vnitur nobis, vt simus ei 163
partes,

264 partes, quæ cùm ex corporea ratione proueniant, cùm alicubi esse Sacramenti modo, tum nos ipsos attingere, & si omnia quæ in Christo sunt diuina & humana nobis offerat, tamen corpus suum, sanguinéque nobis sacramentali substantiæ vinculo edenda tradidisse dicimus, quod & sacramentalis vnio & partes corporis eius, vinculo illo alligari nos corporeos corporea illa ratione enotentur, exprimanturq; apprimè, manna circularis formæ, circulum æternitatis æternæque substantiæ complectens, intra arcam fœderis contentum, nostrę pacis & redemptionis inito pacto cum Patre æterno, debita nostra persoluẽs: aurei coloris diuinitatis, suppositi illius sub speciebus panis & vini, quo cibo vitali alti mortales deificantur, viuuntque tantum suscipientes alimentum, mannaque hoc cæleste & absconditũ. Rusticitas verò, politiæque defectus, deprauatus gustus huius suauissimi nutrimẽti, sacræque alimoniæ delicias, oblectamentaque minùs percipiens ad carnis passiones redit & cortunices submissas nostrorum affectuum, æstuat carnis desiderio, concupiscentiæ fomite, Ægypti cæpas & allia concupiscit, coturnicesque infimi volatus, terrestres, & salaces nimis auidissimè recipit, coctionis difficilis, noxiique alimenti, & cùm vita spiritalis proportionem aliquam obtineat cum animali corporea, hæc verò duplici cõstet perfectionẽ naturæ, respectu cuiusuis, viuẽtis vna illaque propria indiuiduæ rationis, alia ad speciem formæ communis, quarum illa seruatur suppositi ratio, hac verò naturæ; perfectioque cuilibet insita constet duobus, cum his quæ ex propria ratione vitæ proueniunt, tum eorum prohibitione mendáque quæ illã disturbare possunt & alterare. Quæ ex vitæ verò eueniũt ordine, cùm sint omnia triplicia, primũ esse

per

per generationem nactum, tum molis augmentum increſcentis virtutis, & auctiuæ; vltra nutritionis opus ex vitali principio, non minùs emanans noſtræ ſubſtantiæ reſarctiuo, vt ſit in ſumma vitæ neceſſariũ oriri, augeri, & ali; non ſecus in vita incorporea orimur baptiſmate, eſſéque nanciſcimur ipſo, ad Titum 3. *Lauacrum regenerationis*. Confirmatione augmẽtum nacti. Lucę vltimo. *Sedete in ciuitate quoad vſque induamini virtute ex alto*. Euchariſtia ſubſtantiam reſarcit. Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Chriſtum ipſum ſuſcipientes; panemque vitæ, & mãna, hócque alimentum; ſufficeréntque hæc vitæ rationi ſi ex lapſu nõ deformaretur illa, tum corporis vitiis, tũ animæ morbis, vita vna & altera, infeſtaretúrque quælibet, & nõ ſecus atque in vita corporea, cùm morbos profligamus curationis ope, tum cõualeſcẽtes tuemur, & in priſtinam valetudinem reuocamus artis auxiliis, curatiua ratione ſubueniendo ægrotis, valetudinariis verò cõgrua victus inſtitutione, vt morbi reliquiæ euaneſcant. Sic & in vita ſpiritus pœnitentiæ opere medetur, ménſque ægrotantis perſanatur, & anima vitiis infecta à ſarcina vindicatur. Quò dicitur Pſalmo 40. *Sana animã meã, quia peccaui tibi*, quæ priſtinã valetudinem reſtituit, & Vnctio extrema reliquias peccati amouet, vt conualeſcant, Iacob. 5. *Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei peccati ſpolia*. Hoc mirabili ſacramento olei extremi, quibus inſtitutis iã omnibus tanta arte & prouidẽtia, ſoluta edẽdi licentia omnium, ſanis relegatur hominibus, iis iã priſtinę valetudini reſtitutis auxiliis ſacris, in ſignum ſalutis perfectæ, lege gratiæ adeptæ, medico Chriſto, & medicamine, vitaque mortalibus, mortuis imò ob ingluuiem acerbi pomi, eo hac buccella cõceſſa ſa-

cra refectio & antidotus, simul alimētū & esca, ideo vt eos fuisse iam perfectè liberos à sarcina excremētorum qua ægrotabant, & grauabātur, vt intelligeremus integrè, nil mali viriíve superesse morbi, nec reliquiæ illius, vnctionis extremæ sacramento extirpatis, omnibus præuisū, medico sapientia ipsa Christo. ampla edendi licentia funguntur omnium, vt sanis iā elargitur hominibus conualidísque mirabili illo loco Lucę 10. c. iis: *& in quācumque ciuitatē intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponūtur vobis. & curate infirmos qui in illa sunt:* ea ampla iā soluta edēdi licentia, quæ sanis solū conceditur, comedite quæque illa fuerint; cessant enim figurati esus præsente Christo vero alimento. Ad speciē verò ordinatur quilibet actibus vitæ corporeæ animantis, vel propagatione naturæ qua nacta sunt esse speciei genita, vel moderatione & regimine aliorum socialitatis & gregis, vt plurima animantia ab vno ordinantur, cui obtēperant omnia, & ad nutum obediunt, vt apes reginæ fauum structura, & grues vigilanti duci, & pleraque alia: suis locis dicemus, numine eodē; Sic mentis vita perficitur propagatione matrimonio actio cōmunis & naturæ opificium: tum regimine, ordinéque sacro. Paulus ad Hebræos 7. *Sacerdotes non solùm pro se hostias offerunt, sed & pro populo,* quē regunt, gubernātque ipsi superno consilio, placato, & inuocato Deo, vt iusta præcipiant. Est ergo manna hoc Eucharistiæ sacræ, cibus continuus nostrúmque alimentum, in quo viuimus, mouemur, & sumus. Quò nostra in Christo resarcitur substantia inter omnia sacrementa excellentius & altius.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IOAN

mantia, quorum venenum idem accidentibus & curatione contrariorum peculiari. Difficultatem spirandi vterque infert serpens, ventriculum infestat quilibet, infert vertiginem, anxietates easdem, figura eadem, longitudo, conditio. Tum vi parit, quòd copiosam ouorum multitudinem simul exponat, vt Dipsas. Quò, & viperæ ab Æliano dicũtur Hæmorrhoës, vt & Dipsas vipera ab aliis nuncupatur, quòd vi pariat, & si vipera, quòd viuum sola animal pariat, inter veros serpentes appelletur, viuiperaque, vt proprio capite patebit posteà, non tamen quòd Dipsas, aut Hæmorrhous vipereæ naturæ sint, sed quòd vi erumpat fœtus, cùm viperæ nomen dupliciter imponatur his animantibus, aut quòd vi pariant, aut quòd viuos fœtus in lucem edant. Hæmorrhoo & Dipsadi hoc nomem imponitur quandoque, quòd ob multitudinem ouorum quæ excubant, vi pariant, non tamen verè viperæ dicuntur, cùm viuos fœtus vt illa non edant. In quo sensu intelligitur Ælianus, dum Hemorrhoëm & Dipsadem vocauit viperas, quibus constat, Hæmorrhoum genere Dipsadis contineri, & si malitia excedat communem Dipsadam, intensione veneni, quò morsus horum duorum animantium, Dioscorides, Paulus, Ætius, incurabiles proclamant & desperatæ salutis, vt suis locis videre est. Cor abrumpitur Hæmorrhois morsu, æstuant viscera, liuescit totum, tumor, ictus cruentus, plaga tumens, liuor liuescentesque pustulæ fœdant totum, sitit, vritur, fundit sanguinem, toto corpore, capite, corde, pedibus, manibus, pectore toto; recrudescunt vulnera, anxietates, dolores, tristitia opprimuntur, sanguis vbique, dolor, cruciatus, tormentum, caput non constat, languescunt, marcescunt, ore aperto hiant, inuoluti sanguine, liuescit totũ, nigricat vndique,

IOANNIS BVSTAMANTINI

Camærensis apud Complutenses Philosophiæ & Medicinæ primariæ moderatoris publici.

DE ANIMANTIBVS Scripturæ sacræ reptilibus verè dictis,

LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO.

Exhausto iam vitali ſpiritu, illóque exoluto vndiquaque, fatali Hæmorrhois veneno, ſanguine, alimentóque deſtitutus, tetro Dipſadis cruore potu vacuus, viribus iamiam labaſcentibus longo temporis tractu, inter hæc ſæua & atrocia animantia detentus: non fuit anteà viperam aggredi inſidioſam, & feram, vſque dum antidoto ſacro, ſummóque refectus alimento, & potu prægreſſi capitis, impunè ſæuum hunc, & dirum ſerpentem proſequi poſſem, manna altus, & nutritus cæleſti; ſalubrique potu ſciſſæ petræ Chriſti, qui aquam copioſiſſimè ſitis noſtræ extinctiuam liberaliſſimè offert, ſanguine ſimul, potu, & alimento hominibus relegato. Præcedentibus vt fuit videre.

De

De vipera Serpente.

Capvt I.

IOb. 20. capite, *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Caput Aspidum suget, & occidet eum lingua Viperæ:* exponens quæ sit apud Deum portio impij Isaias 30. *Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem, & in opprobrium, onus iumentorum Austri in terra tribulationis, & angustiæ, leæna, & leo ex eis, vipera, & regulus volans, portantes super humeros iumentorum diuitias suas ad populum, qui eis prodesse non poterit;* vbi Hebræos criminatur Deus, quòd ipso inconsulto, confugerint ad Ægyptios, prementibus populum Assyriis, 28. Actuum Apostolorum sunt hæc scripta. *Cùm congregasset enim Paulus sarmentorum aliquam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, inuasit manum eius. Vt verò viderunt Barbari de manu eius pendentem bestiam, ad inuicem dicebant; vtique homicida est homo hic, qui cùm exierit de mari, vltio non sinit eum viuere, & ille quidem excutiens bestiam in ignem, nil mali passus est.* Vipera Hebræis אפעה *Ephheh*, Græcis ἔχις dicta, cuius mas ἔχιος, fœmina verò Ἔχιδνα, vocitatur, Latinis vipera nomine venit, cùm quòd vi pariat, & conatu nimio, Aristoteles retulit 5. de historia animalium c. 34. iis: Plures catulos membranis obuolutos eniti, nimiamque sobolem excubare, intra vteri secundum conceptaculum aliud ab eo quo primo semina concepit congressu maris, hosque tertio die diruptis inuolucris quibus obuoluti ve-

 niunt,

niunt, & iis qui denuò illis superadduntur secundo vtero, diebus triginta, tertia die à conuolutione secunda absoluta & peracta, lucem experiri, singulis diebus singulos, plures quàm viginti & quatuor, multoties tantæ multitudini sobolis vix illa suffectura, violentia nimia summoque discrimine parere copiosam progeniem extra vterum loci angustia: Tum quòd vi pariat eandem fœturam, sitque duplicis partus, priùs oua exponens ex interno vteri receptaculo in externam cauitatem, summamque ipsius vteri secundam, posteà fœtus in lucem edat, fotis intra se ouis & calore alteratis, ideoque vi pariens, vnde & vipera dicitur, vi eadem enixa illa. Videre est 2. de ortu animalium capite 1. à quo Isidorus 12. Etymologiarum capite 4. Ælianus, Plinius, & alij posteà. Vltimò tandem, quòd viuipara sit inter serpentes omnes vipera solùm, fœtumque viuentem procubet, reliqui oua serpentes vnita simul monilis instar, nec inuoluta membranis, nec catulos viuos vt viperea progenies, Aristoteles sensit 2. de generatione animalium, capite 1. Vbi, primo anno serpentes oua parere, sequenti excludere, & excipere terram obuolutos anno integro, viperam verò eodem anno, & oua excubare & fœtus in lucem mittere edocuit, quò vipera, id est, viuipara dicitur hic serpens ferus. Vipera communiter quasi tres palmos æquat magnitudine corporis, norunt vulgares, & Dioscorides sensit libro 6. capite 44. Galenus de theriaca ad Pisonem 2. & 3. Nicander in Theriacis, Ælianus libro 16. capite 3. Nimphes libro 9. de Ptolomeis regibus Ægypti, referūt in Troglodytyde esse viperas decem & septem cubitorum proceræ magnitudinis & grandis, vbi & tegumenta testudinum, sex capere Atticos modios aeruisse ipsi.
Est

Est viperis duplicata vulua secus ac omni animanti inest, intra se enim parit primò oua, quæ impertit secundæ vuluæ, & suscipit posteà secundus vterus, ouisque ibidem elisis posteà diebus triginta fœtum quem fouet & alit, nouis membranis inuoluit, circumligat, & tenet, vltra eas quas ducit primò ouis iam diruptis, viis naturæ & ductibus, susceptus secundò vtero fœtus antiquas excludit ante fœturam diebus viginti septem, hæc verò circa æquinoctium vernale à conceptu sex mensibus, structura monstrosa, & mirabili, vteri duplicati, viis naturæ vuluæ reiectis, detento fœtu, vt & menstrua prægnantibus fluere videmus non rarò seruata fœtura vteri canalibus variis, dixit Philosophus locis adductis: Plinius libro 11. capite 37. Ætius, & Paulus. Nulli animanti nectitur vulua septo transuerso, & cordis inuolucris pectori gutturi œsophago faucibus, viis, ductibusque conspicuis, & patentibus, ac illi inseritur, Aristoteles 3. de historia c. 2. Plinius & reliqui, cum omnibus aliis serpentibus infra septum locetur. Imò 3. de historia, capite 1. fœminam obtinere vterum distantem plus multò à corde animantibus cæteris, in specie humana, viperam verò viciniorem omnibus naturæ aliis, vterus enim fœminis, Galenus retulit libro de dissectione vuluæ cap. 4. è plurimis pendet partibus; aliquibus nectitur, aliis texitur, nutritur illis, consortium, communionemque habet cum iis, annexus ossi sacro, intestino recto, vesicæ, pendet è medulla spinali lumbis, distans nimis à septo transuerso fœminis, repetiit 14. de vsu partium, à quo posteà omnes suscipiunt medici; viperæ contrà longè dissitus, cordi hæret. De hac sic Aristoteles de historia 8. c. 15. Quatuor frigidissimis mensibus latet, nec per id tépus

quicquam comedit, cæteri quidem ſerpentes cauernas ſubeunt terræ, ſed vipera ſub ſaxis conditur. Nec obſtat Plinius libro 8.cap.39. vbi extat ſcripto: Serpentium vipera ſola terra dicitur condi, cæteræ arborum aut ſaxorum cauis; de fuga enim loquitur, qua vitam ſaluare ab hoſte ſollicitè & anxiè tentant, & noxam vitare imminentis periculi; quæ capitis robore, & potentia qua pollet, terram ſubit, & in cauernas fugit, vſque dum euaneſcat tota ſubtus illam abdita, ſi opus eſt; dum verò latitat, & fœtat ſaxis frigidis, & duris excubat, ſaxaque inhabitat adhuc hyeme, non ſolùm vere, æſtuanti & calenti, imò & frigido hyemali latet ſaxis, occulta, placidéque viuit. Multoties dum terram ſubit, ſolùm occulit caput, quo abdito, putat ſatisfactum fuiſſe toti, ſecurè viuere iis rata, hinc venatores aduncis cornibus, tum aliis cauis rebus admotis, illas venantur, ſubeuntibus illa in fuga, caua quæuis, dum fugiunt metu percitæ, quibus in altum elatis, aſportantur abditæ concauo oblato, ſemel admiſſæ intra inſtrumenta venatus. Quibus nec Ariſtoteles, nec Plinius diſſentiunt, cùm quietem agere, & ſaxis recondi, lapidibuſq; viuere, vterque affirmet. Natura denique, non fuga, frigidos amant lapides & algida ſaxa, dum fugiunt quæuis, ſollicitant terram findentes capitis robore, perforanteſque omnino, quod nulli alteri ſerpentium cõtigit, minoris roboris capitis cùm ſint
5 omnes reliqui. Nullum eſt inter animantia ſalacius animal vipera, in veneremve procliuius nullum, adulter magis, familiæ, & ſobolis incertius nullum, refert Plinius ex Ariſt. libro 9.c.23. Ariſtoteles 5. de hiſtoria c.4. & cap.10. Nicander in theriacis, Plutarchus, Apuleius in magia, Ælianus libro 1. Galenus de theriaca c.4. Ætius, Paulus, Dioſcorides locis dictis,

Horus

Horus libro 2. Diuus Ambrosius in Hexameron, Diuus Basilius, alij & alij. Hi omnes enarrant infames viperas, & adulteras sollicitare murænas ad littora gurgitis sibilo, & gannitu, quasi allicere, trahereque amantes complices & infames pellices, signo dato, tentent, quas aduocant, veneno priùs deposito infami, & oris spuma, aquis priùs eluto ore, à sua quasi degenerantes natura, venefica & horrida, ne veneno amantes inficiant, illisque amplexibus mutuis copulari, murænas explere, implereq; viperino semine, murænasque, non viperas eo concubitu generari omnes, degenerareque à viperis illas, naturæq; ferocis, nam (Macer Licinius sensit, & Plinius lib. 32. c. 2.) cùm sint omnes fæmellæ murænæ, solùm mares habēt viperas. Sunt omnes fæmellæ murenæ officio, marésque adhuc fœminæ fungūtur opificio, & munere viperarum succubi, è quibus concipiunt. Sūt in natura aliquot huius conditionis animantia obscura, & infamia, aliorum mares, at quorundam fœminæ, vt lepores omnes, qui cum virili & testibus ad extrà protuberent, gerere vtero simul cum mentula, & testibus passim videmus, & frequenter prægnātes, imò Ichneumon Musaranei species, ad ora Nili, dum pugnam cum Aspide aggreditur, si superatur, & vincitur, fæmellæ opere fungitur, aliisque inseruit suæ speciei animantibus. Fæmina & mas gerit vtero; de quo Ælianus libro 10. c. 48. sic inquit: Ichneumoni vtriusque sexus participi à natura tributum est, vt & suo semine grauiditatem, & partum afferat, & ipse quoque ventrem ferat, & ex se pariat, qui si in pugnam quam cum aspide pugnant, victi fuerint, reliquorum semine implentur, vt partus dolores ferant, & in viliorem sexum permutentur, vt qui priùs erant patres, in matris infamia discedant munia. Sic murænæ 4

adstant viperis fœminæ, & succubæ earundem, imò cũ vipera caput nimis tueatur, & capitis potentia polleat, insuperabili ferè veneno, & impulsus robore, hócque defendere, & abscondere omnibus tẽtet modis, quod primò occulit & occultat, miscetur murenis quibus nulla est capitis cura, debilissimi capitis, & facilis, caudę imò, qua animã continere omnes credidere, dixit Plinius, & libro adducto, & 9. capite 32. quas interficies si leuissimo adhuc calamo caudam percutias: dixere Ælianus, & alij vbi suprà omnes, quam abdere tentant capite oblato periculis & discriminibus, consciæ quòd noxa non capiti inferatur, si percutiatur illis, caudæ imò si infligatur ictus. Cauda enim infami excretionis loco; organa sensuum, motúsque interna principia, caput quasi obtinere patet, deorsum loco (mirabile dictu.) Docet Seneca libro de Ira, esse carnis humanæ auidissimas murænas, hominumque inimicissimas, dixit Plinius libro 9. capite 23. homines excarnes breui tempore reddere; intra viuaria immissos earundem morsibus. Vedius Pollio eques Romanus, seruos viuariis Romæ committebat, quibus alebantur & impinguabantur illæ, dilaceratis miserè, pœnásque luentibus iis commissi delicti, irritatis priùs murænis aceto iniecto. Sancitum erat, prætextatos Romanorum corio earundem verberari, dum non mulctabantur pecunia, ob delictum patratum. Seneca refert eo loci. Adulteræ ergo viperæ has explẽt, sollicitant, & amant, oblitæ naturæ, & speciei propriæ, tum sobolis, legitimæque familiæ infames cõcubitu & adulteræ. Plinius libro 11. c.53. Scythas sagittas suas intingere viperina sanie, & humano sanguine dictitat, (irremediabile id scelus) mortemque illicò afferre leui tactu. Idem Rhodiginus libro

libro 10. cap. 23. Horatius in Epod. *Quid hoc veneni ſæuit in præcordiis? Num viperinus hic cruor incoctus, herbis me feſellit?* Imò ſi murænæ ſanguini miſceatur, deterrimum iudicant earundem venenum. Nullum aliud majus æqualeve cognouere antiqui remediũ, vipera læſis, muſica: docet Aulus Gellius lib. 4. c. 13. Tum Theophraſtus antiquiſſimus ille libro 2. cap. 8. Plutarchus libro 2. cap. 8. Marſilius cognomento Ficinus libro de ſenum regimine. Galenus 1. de ſanitate tuenda, c. 11. & 5. de placitis Hippocratis, & Platonis c. 10. vbi, & plurimis morbis, & viperarũ morſibus muſicam ſubuenire ſuſtinent. Eſt mirabile ſatis illud, in vipera, viperarumque progenie, illico ac icit & læſit quempiam, ſitim inextinguibilẽ inferre illi; & vltrà, vrgeri inexplebili ſiti animans, minori tamen, quàm è Dipſade, ſemel verò ac icit tam vipera, quàm illa, percuſſi aquas queritant, vndis ſeſe ingurgitant, aquæ auidiſſimi, ad quas confugiunt tanquam ad ſacram anchoram, & tutiſſimum remedij aſylum, quo & leuantur, & multoties priſtinæ reuocantur ſaluti, ſi vt decet, vtantur lauacro, & aquis limpidis ebibitis, illo calido, his frigidis vſi, ſic Galenus 11. Simpliciũ 2. c. & 1. de ſymptomatũ cauſis c. 2. Abulenſis ſuper Matthæum tomo 6. c. citato, Edoardus, Vuttonius lib. 6. c. 115. Paulus Ægineta c. cit. Ætius, Ælianus, & alij locis adductis, vt ſemel læſos aquis loto veneno inter alia medicamina, auxiliaque medica medeantur, balnei tepentis vſu, ſaluti priſtinæ vt reuocentur, calore euocato veneno ad extra, frigidis intrò frænato aquis extinctoq; cruore biliosæ, igneæque naturæ, feruidæ, & æſtuãtis, externis laxatis ad exitum, viis internis conſtrictis quò minùs pateat in viſcera aditus, & conſtrictione expellant externa verſus cruorem, quibus noxam vitent,
&

& venenum. Securus posteà euadit,& superstes semel vipera offensus minùs vt lædi possit in posterum, nec vltrà vipereo viru, virulentove alio animanti, solum posteà siticulosus, agitato bilioso veneno in vipera,& suscepto,quò & sitit læsus, & vipera sitit, aquasq; quærunt auidissimè ambo. Nil est in omni natura, inter venenata communia animãtia quæ mortalibus excidio esse possunt, vipera noxius, atrocius nihil,perniciosiusve.Horatius lib. 1. Oda 8. summam malitiã veneni huius animantis admirans, inquit de Sibari iuuene illo illustri Romano segni iam & ignauo,Lydiæ philtris inuoluto & otioso,honesta exercitia omittente, luctam vitante,& oleum, (quo inungebantur athletæ & luctatores, vt lubrici resilirent, & fugerẽt manus riualium competitorũ) *Cur oliuum sanguine viperino cautius vitat?* nomine huius,summũ venenum prænotans, & malitiã summã. Basiliscus enim,& alia sunt rara,& paucissimis accidunt,vt inter cõmunia hæc deterior aliis cunctis naturæ reptilibus, venenatisque sæuior sit. Cicero de Arusp.resp.47. Etiãne in sinu atque in deliciis,quidã optimi viri viperã illã venenatã, ac pestiferã habere potuerunt? hoc viru malitiã viua icone redarguens, Ouidius 2.de remedio amoris,maximam rabiem describens,non alio quàm vipera expressit. *Parua necat morsu spatiosum vipera Taurum*, & 2. de arte amandi. *Læsa vipera ignaro pede.* 1. de Ponto. *Cruore vipereo madent tela*, & alibi pluries. Cicero 2. de finibus. Cui viperino morsu venæ viscerum veneno imbutæ tetros cruciatus cient. Hoc animal extremis sui maximum obtinet venenum, dirum, fatale,horrendum nimis, capite & cauda, quæ in remediis arte paratis abiguntur ideo, solumque corporis medium inter vitiosa extrema recipitur, in aleximoris pharmacis

macis ſalubribus, extremis reiectis. Illud eſt inſigne & rarum in hoc genere animantium, quòd arteria dicta aſpera, pulmonum via qua reſpirāt cuncta, ſit his diſſecta & abrupta ex natura, contra atque omnia retinent quæ reſpirant viuentia, œſophago circumligata ex abſciſſionis parte, vt qua illa deficit ſuccedat œſophagus gulæve iter, vt viam ſpiritus reſarciat gula, alimentique & potus canalis, & non ſecus atque in reliquis ſerpentibus primo condiximus libro, ligula caret, & cooperculo laringis, ex parte ſuperna defectuoſæ, quæ intercludit in aliis cunctis reſpirationis aditum interim dum deglutimus, ligula dicto, ſerpentibus ſolùm inter omnia animantia deficienti tātùm, laringis preſſura & motu ſibilantes & ganniētes, ſic & in vipereo genere deficit illa; & pars quædam laringis ſupernè, meatus verò hic, laringiſque orificium, ortum præſtat linguæ fatali, quæ vndique circūligata membranis ambientibus, os tetrum mouere nequit liberè, ſed ſolùm in tantum quantum fert muſculorum diſtenſio, os non excedens illa, adhuc porrecta quantum poteſt illa protendi; ex cuius pallida ſummitate cuſpideque lethali, capillamenta ſuboriuntur quædam, atri coloris, extra linguæ ſedem cuſpidem verſus, & in cuſpide ipſa, ad externa potentia peruenire, quibus gliſcit, & lingit ſuccoſas ſubſtantias, etiam ſi ore maxillis compreſſis comminuat & quaſſet conſiſtentia alimenta, adeò vt in eorum viſceribus paſſerculos integros, & mures multoties duro carcere detentos, comminutos, & ſi oſſibus contritis, nō exeſos & diſciſſos inuenerimus, Complutique viderimus dum paſtilli viperini parabantur Theriacæ Antidoti celebres partes. Varia eſt nimis temperie vipera, non vnius qualitatis temperamentive, diuerſi imò & varij.

varij. Tota eſt frigida temperie. docuit Ariſtote-
les 1.de generatione animalium capite 10. iis: Vipera
extra ſe non parit oua, vt nec cartilaginea, non ideo
quòd eſt calida, vt quibuſdam viſum fuit, imò quia
natura eſt frigida: quò retinet ſobolē internè nimis,
acetabula continens, Galenus de locis effectis 2.lib.
c.5. idem propria & aliorū ſententia ſuſtinet Ætius,
Paulus, Dioſcorides locis adductis. at Galenus 11.
ſimplicium ſic contrà quaſi, viperarum carnes, (pa-
lam videre eſt) calfacientes & exiccantes eſſe natura
edocet, morbiſque plurimis frigidis ſubuenire longè
narrat eo loci, quæ explicuit, vt hæreant, ipſe. Vi-
5 pera enim tota non expurgata mucore illo quo re-
ferta eſt natura, frigida eſt quarto, deuorata aut appli-
cita; & venenum frigidum mucor eſt. at virus quod
ore euomit, bilis eſt calida, & ſicca, vt & vino mace-
rata, & punctura eius, calorē & ſiccitatem inferant
intenſam adeò, vt peruri videantur, & ſuccendi læſi,
æſtuare, & flagrare incendio, vt omnes ij autores lo-
cis dictis ſenſere, qui inter ſigna puncturæ huius
animantis retulere vſtionem, qua peruri videntur
læſi: tum puſtulas veneno excitatas, ampullaſque
ignis modo & cruſtas ſquallentes vſtione partium.
Carnes verò præparatas & deterſas modo dicto,
anetho, aqua, oleo & ſale elixatæ, oſſibus, ſpinis reie-
ctis, & viſceribus immundis, calidas & ſiccas conſti-
tuunt vt non diſſentiant iis, hoc ordine, vt tota ſit
frigida. 4. gradu, & necet frigore deleteria, & morti-
fera, humida 3. Venenum calidum. 4. & toto genere
lethale & deleterium. 3. ſiccum. Carnes calidæ præ-
paratæ in 3. ad finem. 3. gradus, & ſiccæ ad princi-
pium. 3. quibus hæc omnia cohærēt inter ſeſe quàm
maximè, vt variis temperiebus conſtet ipſa natura.
Cuius tanta eſt reuerentia marito viſo, vt illicò ve-
nenum

nenum deponat, inferiorem se iudicet, fateaturque; & si in hoc genere viuentium, vt in reptilibus plurimis, volatilibusque, & terrestribus, & aquatilibus adhuc, fœminæ sint potentiores maribus, ferociores, fortiores. Viperæ nunquam mitescunt vsque ad mariti præsentiam, omnibus aliis adstantibus insuperabiles, & intractabiles, quæ nunquam ad consortium hominum reducuntur: docet Ambrosius in hexameron. Latè Aristoteles sect. 10. problemate 44. Galenus libro illo de cognoscendis, curandisque animi morbis, capite 3. Vbi ij autores referunt, aspides plurimas mansueuisse, & sodales fuisse hominibus, vt capite de aspide infrà dicetur, at numquam viperam. Imò semper ferociorem beneficiis innumerabilibus cumulatam, fœminam magis mare; fœminarum conditio. docet Galenus libro illo de theriaca ad Pisonem capite 12. Viperas prægnantes reiici debere à theriaca, quòd excrementis abundent frigidis, & reliquas non detinendas diu, nec irritandas, nam dum sæpius momorderint, venenum deponunt, & vires corporis totius, vt imbecilliores fiant. Aptissima fæminarum definitio, qua earundem conditiones viuis coloribus depinguntur, & proprietates, quibus tenentur obedire maritis: tũ leges, & obligationes quibus iure arcentur illæ, quæ & iurgia mouent, si irritentur, & venenũ eiaculantur ore effræni. Laxa nimis, spongiosaq; est substãtia viperei oris, quæ facillimè porrigitur & dilatatur viuo animanti, spiritibus & calore sanguineq; vda, secus verò his absentibus, animantis morte frigefacta, & algida frigore condensante substantiam mollem, continenteque, ne facilè protendantur. Os verò cùm nimis strictum sit, tam viuenti animanti, quàm eo emortuo, & si vitali spiritu extincto non dilatetur,

mini

minimumque ſeſe præbeat, & eo vita conſtanti minimè hians minimumque occurrat; facillimè tamen in amplitudinem venire poteſt, ſpongioſa oris natura adeo, vt integros paſſeres, & ſi quaſſatos deglutiat, & mures integros capere poſſit, maioraque adhuc, ſi quantum poteſt remiſſa illa compago membrorum oris extendatur, porrigaturque. Eſt oris potentia, robur capitis, & rictus, vt quæ nequit capere, & ingurgitare integra ſtricto, comminuat & ingerat integra, vt cùm appareant, nil integrum & ſanũ contineant, nil mali aut noxæ quaſi perpeſſa cum videãtur, nil non ſint ſuſcepta mali, dolo & fallacia tãtùm linguæ lineamenta ore depromens, vt ſecura reddat incauta animãtia de hiatu laxæ ſtructuræ, quod ſpõgiæ more venenum imbibit è viſceribus tractũ, iiſq; cõpreſſis exprimit & eiaculatur. Cuius ſupernæ parti in roſtro animantis verruca protuberat tanti roboris, vt ea terram findat, & aperiat, more capreoli, ligoniſve quo ſubit tota ſi opus eſt; oculi ignei, & prominentes ad latera, veneti quaſi caloris, corpus totũ nigricaãtis, obſcuri fulgoris, depictũ & variũ, è nigro capite ad caudã vſque, lineis nigris ſibi occurſãtibus per vices, in quarũ ſpatiis nigra puncticula eminent: ventre albo anguillarum more, expirat cõtinuo toto tetros halitus, ore præcipuè, ipſiſque filamentis cauis, & perforatis, quibus ſi vitrum contingat, aut ſpeculum ore concluſo reliquo (illis ſolum exertis) ea nebuloſo vapore inquinat, & conſpurcat. Communes duorum palmorum apud nos ſunt viperæ, corpore exiles, ad magni digiti menſuram craſſæ duræque ſubſtantiæ, pinguedinis plenæ & refertæ vt in plurimum. Sunt ſigna morſus viperini, primò, è vulnere reiicere ſanguinem, ſaniem, deinde ſanguinolenta, & oleoſa quædam tãdem, vt poſtquàm venenũ interna

inqui

inquinauit, è vulnere diffluat æruginei coloris, virescentis, substãtia, victoriæ quasi palmam reportet, superata iam, & victa natura, discedens prophanum illud venenũ, cùm nullus sit iam cum quo bellum inire possit hostis, quò defluit & discedit ab arce. Circa morsum adest pallidus tumor, æstuat ampullis refertur ille qui rubescit, posteà & tandem liuet & denigratur. Exsiccatur os percussis, exoluuntur animo, algẽt, inhorrescunt, biliosa euomũt, tormina intestinorũ patiũtur, capitis grauitates, vertigines, pallores, singultus, febres, anhelationes, exudãt frigida, quos mors in summũ vsque ad diẽ tertium expectat, conuelluntur intensissima tristitia affecti; quæ omnia viperarum morsibus eueniunt, venenatorumque omnium virulentorum cõmuniter nobis occurrentiũ, & ictibus plus minusve pro malitia veneni. Sũt veneni disparis regione cœli, climate vario, alimẽto, potu, temporis cõstitutione, ætate, opere, exercitióque, illæ, & reptilia omnia, venenatáque animantia, vt omnia iis euariant viuentia, inanimataque adhuc, docet Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. cap. 21. Paulus libro 5. c. 13. Galenus de Theriaca ad Pisonem cap. 3. Nicander in Theriacis sectione de vipera, Andromachus de theriacæ inscriptione, Nicomus, Asclepiades, & reliqui antiquissimi, neotericíque autores, vbi de hoc animanti sermonem instituere.

De partu & modo concipiendi Viperarum.

CAPVT II.

GRandis est & non leuis controuersia inter antiquissimos, grauissimósque autores probatissimos de modo concipiendi Viperarum. Dissident 6

enim inter se maximè, & non constant; Plinius enim lib. 10. c. 62. sic inquit: Viperæ mas, caput inserit in os fæminæ, quod illa abrodit, voluptatis dulcedine. Terrestrium eadem sola intra se parit oua, vniúsque coloris, & mollia vt pisces, tertia die intra vterũ catulos excludit, deinde singulos singulis parit diebus, viginti fere numero, itaque cęteri tarditatis impatiẽtes prærumpunt latera, occisa parente. Cæteræ serpentes contecta oua in terra incubant, & fœtum sequẽti anno excludunt, hæc verò intra se inuoluit, editque fœtum iam viuum posteà. Quam sententiam tenet de theriaca ad Pisonem Galenus capite 4. Nicander in theriacis, sectione de vipera. Diuus Hieronymus ad Præsidium, vbi eadem quasi, ac Plinius iis retulit: Viperę per os coïtum faciũt, masculi mortem contemnunt, sed fœmina in ipso coïtu siue magna dulcedine exagitata, siue futuri præsciens periculi, dum absorbet semen, caput masculi excidit, & eum occidit, sed cum conceperit, viscera illius ab ipsis quos con cepit exeduntur, genitoris mortẽ vindicantes. Basilius magnus cognomento, huic fauet sententiæ, tùm Ælianus, aliíque plurimi autores non minorris notæ. Quibus opponitur Aristoteles naturæ scrutator acerrimus, vt suprà dictum, qui cùm abditissima quæque huius animantis, imò naturæ totius palàm fecerit, nunquam talia fassus est ille, qui minutiora multò eiusdem retulit locis adductis, Imò Apollonius apud Philostratum hæc negat vera. Rhodiginus libro 6. c. 11. & libro 11. c. 44. Brodeus lib. 2. idem c. 9. Diuus Ambrosius in hexameron, à quibus reliqui accipiunt posteà. Cùm verò per me, & per alios hæc ipsa disquisiissem, enodaréque tentassem, seruata viperina progenie, vtero gerente vipera intra amphoram vitri, alta furfuribus,

ribus, & caſeo, vſque in partus diem intra vas, ibidemque enutrita, eo quo aſportantur tempore æquinoctij ad paſtillos echidnos theriaces antidoti; indubitanter inueni viperam, non ruptis lateribus, viſceribuſve eliſis parere, ingrata ſobole parentis ſollicitæ diruptis, vt quotidie obſeruant, qui eaſdem captant, & venantur negotiis medicis, experiunturque parere: illam vtero inueni & conſpexi 7
eniti catulos, & in lucem edere, vuluæ hiatu, qui ad orificium ſeceſſus eſt, vt eſt & auibus ano, circa illũ verò piſcibus, ſerpẽtibúſque reliquis, vt fert natura: neque enim deſtituit animãs quod cõdidit illa, præcipuè inter animantia perfecta, inſtrumentis cõmodis partus, partibúſque vteri neceſſariis requiſitis enixui, aut vtero apto geſtandæ proli, ſpeciei ſollicita, cui eſt impenſa adeo cura ſpeciei, & formæ, præcipuè cùm adſit vterus, & vulua viperis, quod negat nullus, cùm conſpicua hæc ſint, & in propatulo omnibus vipera diſſecta eſt videre, quæ ſuperflua non conderet illa inutilia, & ſine vſu. Contingit tamen huic animanti frequentiſſiméque accidit, præcipuè climate calido, æſtuãti regione, vt refert Theophraſt. latè capite de vipera; tanta ſobole impleri, ſemine tanto ob ſummam huius animalis laſciuiam, luxum, & ſalacitatem, vt latè ſuprà condiximus, vt lateribus dirumpatur, crepétque viſceribus, incredibili multitudine ſobolis partui non ſuffectura, enixuive tanto, non ſecùs ac piſcis Acus dictus, de quo idem Theophraſtus exemplum eo loci attulit in gratiam viperæ, cuius non partus, ſed naturæ exceſſus vitia & deformitates cenſet, ſecùs dum pariunt naturæ ritu, ordine, & modo, vt diſpoſuit natura communiter, temperato climate. Contingunt enim aborſus grauidis, & partus prohibentia, difficultates impotẽtiæ,

quibus intereunt plurimæ multotiens fœmellæ, sobolis multiplicitates, hac & aliorum animantium ſpecie enixu ipſo & pariendi opere, vitio aliorum,& ſi partus ſit naturalis viis naturæ deſtinato, vtero cõcinno & cõmodo. Tũ hæc animans cùm tarda adeo ſit partu, iuxta Ariſtotelem,& Pliniũ locis aduectis, vt viginti dierum ſpatio ad minus pariat, vſque dum pariendi opus integrè abſoluit, ab eo quo primo cœpit conniti die, diebus ſingulis catulum vnum enixa, cruciatibus diris, & partu difficillimo, dum extorſa parit ſuo ordine,& naturæ ritu adhuc, ob varios cõcubitus,& ad marẽ acceſſus ſalaciſſimæ viperæ, qũæ incontinẽtia ſumma concipit, vitioſo & præpoſtero ordine ſuperfœtandi. Viuaces verò catuli qui ſpatio octo dierum malitia, & veneno patres æquant, magnitudine verò, moléque corporis quadraginta ab enixu, vt eiſdem locis patet, cùm, inquam, citiſſimè increſcant,& debitam comparent corporis, viriúmque magnitudinem, potentiſſimi capite,& roſtro robuſtiſſimi, membranis obuoluti,& ligati, conſiſtẽtibus detenti, & tenacibus; primi & quibus iure antiquitatis exitus debetur interiùs retenti, vltimò conceptis externè magis impedito exitu, conceptis poſteà, quod ori vuluæ exteriores facti, vltimíque concubitus cauſa ſint viciniores orificio vuluæ, lõga vulua,& vtero dilatato exiſtentibus, impediẽdo ortũ reliquis interioribus, remotioribus conceptis priùs, viginti & ampliùs dierũ ſpatio; quo toto tẽpore coit, impedito exitu ſibi ex lege debito, priùs primitate conceptus & tempore, abrumpunt aliquando latera matris, impatientes moræ,& dilationis, iniuſtitiam temporis conceptionis & ortus minimè ferentes, iã grandes & robuſti, ſobole alia impediti, quò diruptis membranis, matris latera confodiunt & rumpũt,

pro

prodeuntque matricidæ in lucem multoties , patricidæque filij parẽtis occisores iniqui, caustico veneno, dentibus, & rostro perfossis lateribus miserrimæ matris. Inficit enim viperam venenum viperæ, & filiorum venenum adultorum iam, parentem occidit, non secùs ac alia naturæ animantia inquinat. Imò ipsius viperæ venenum, est sibi virus deleterium, & noxium, si extra locum à natura destinatum incidat, aut labascat. Nõ secùs ac bilis, si diffundatur per vniuersum corpus, è vesica vbi natura continetur, & circumscribitur, inficit totum, conspurcat, inquinat , & mortem affert, si excedat nimis cistum & receptaculum vbi continetur, & frænatur illa, félque ipsum, vt illo effuso, dirupto vase, animal veneno quasi occidat infectum. Non secùs vipera dum venenum proprium gliscit, aut ingerit, aut veneno catulorum tẽpus partus excedentium debitum , interit læsa , cor subeunte infectáve parte alia , & veneno affectata priùs, extrà ingrata vt proiiciat genituram, quò cauta vipera os abluit, despumat, detergit , anteà quàm bibat, vt & nos multoties ante haustum colluimus os, dũ bilescit præcipuè & amarescit bile diffusa , quod & consulo, ne bilis dentibus, & ore alterata, infectaque halitibus tetris spirantibus, impuri corporis, infecti bile cacochimia, & dispositione obscæna , siue in morbis , siue extra morbos cum potu permistis, officiat toti, visceribus , cordi , & vitæ principiis , vt hinc viperas venenũ deponere Hieronymus ad Pręsidium dixerit, dum bibere veniunt, lingeréque posteà virus, dulcéque venenum sapore, vt Dioscorides retulit capite de vipera. Vires ac potarunt semel, armaque assumere , vtilia sibi & aliis noxia , linctu & reassumere iterum, quo illo cruore proprio caput roborant, perficiunt, illudque retinent, & sustinẽt; (ve-

neni ſedes,& naturalis locus)in ore retentũ,ne quod capiti prodeſt aliis obſit partibus, & illas priuatione ſui depoſito in hauſtu, aut reliquas eglutito, & ne potus frigore cõcreſcens,caput & viſcera lædat,craſſius & tenacius factum,illud remittunt bibentes. Tũ maximum negotium faceſſit,noſque ſedulos de natura viperæ pertractantes, nimis retardat ſuſceptum hoc theorema; non ſolùm partus viperæ,tot tantorumque grauiſſimorum autorum ſententia ſtabilitum,ſed & de modo concipiendi viperarum, earundemque concubitu, ore ſemine ſuſcepto fæmineo, capite maris reſciſſo in coitu, roſtro fæmellæ dulcedine illectæ, quod patrocinetur huic ſententiæ inter dictos tot tantoſque grauiſſimos autores, Hieronymus locis adductis in enarranda huius animantis hiſtoria,Baſiliuſque itidem,ſuſtinẽtes,viperinos mares coëuntes, ori fæmellarum caput committere, & cõcredere,ipſumque intra os fæminæ immittere luxuriantes, eas verò ſuauitatis dulcedine illectas, occupataſque,placido,ſuauique linctu,ſuctuque ſeminis abſorptas,titillatu excitato in viis ſeminalibus ab ore ductis in paraſtatibus & teſtibus hiantis vuluæ, vt ſemen ore ſuſceptum excipiant,hæ auidæ ſeminis, vt eo pruriant,& titillent ampliùs,prurigineque demulceantur, iniectu cauſæ, & reiectione prurientis naturæ, ductibus ad id paratis & in hæc ipſa ex ore manifeſtè inſertis, trucidare, & reſcindere tenaci morſu venenoſi oris compreſſi, & præſcindentis, dentibus plurimis referto, capita marium, ipſaque reſcindere maxillarum preſſura violenter acta, vt preſſu ſemen meliùs,magiſque decidat, & labaſcat, vias omnes quæ ex ore in vterum protenduntur, dulcedine pruriginoſi pruritus ſemen affectans,quibus eſt vterus ſupernus nimis, & iuxta cordis regionem,

nem, non longè ab ore dissitus, vt suprà censuimus. Neque id mirum in varia naturæ structura animantium, vbi non vnum situm, formamve vnam patres obseruant, præcipuè in deformi serpentium genere. Neque hæc reiici debet Sanctorum Patrum, grauissimorumque autorum sententia hoc sensu nobis explicita; ex eo quòd maris caput sit maius multò fæmellæ ore quauis parte sumatur, vt capere nullo possit modo id caput fæmina, osq; fæmineæ viperæ circa rostrum sit nimis acutũ, strictumque nimis, adeò vt implicet satis, marem caput indere in os fæmellæ strictum satis, & tenue, vt non solùm caput imponere, rostrum imò committere, implicare videatur. Sed cùm tanta sit Hieronymi autoritas simul, & Basilij, hoc quo modo veniat intelligendum, difficile est dictu, quóque à calumnia hos tantos possimus vindicare patres, patronosque scientiarum. Vbi sit nimis certum, posse immittere marem vipereum caput intra os fæmellæ, vt docet experientia ipsa, qua integros passeres, & mures deglutisse inuenimus, intra viscera pressos, detentosque passim. Cum quo consentit oris amplitudo capacissima, laxa, & mollis, viuo animanti præcipuè, vditate, & madore, fotuque caloris sanguinis, & spirituum, veneni igneique & exurẽtis. Est maius fæmellis os, caputque amplioris, maiorisque molis, caninis quatuor armatum dentibus dictis, maribus debilius, tenuius, exsucũ magis, duobus solùm dẽtibus iis munitum, strictius, leuius, quò potest fæmineum os capere caput mariti, masculinum vipereum. Et si vt dicta consisterent, sufficeret rostrum posse immittere, & si nõ caput totum in fæmellam, vt cuiuis, si experiri velit, cõstabit, rostrum verò est viperæ potẽtior pars capitis, in quo verruca illa continetur, seu tuberculũ illud potẽtissi-

 mum;

mum; rostrum enim nares amplectitur, & gustus sensum acutissimum, vt rostro omnia odoretur priùs quàm vescatur illa, hoc lingit, capillamentis adnatis sugit; suctu enim alitur vipera praecipuè, hoc subit, absconditur, totaque euanescit, locis mollibus, vt anteà diximus; hoc tuetur, absconditur, seruatur, satis sibi factum putanti, si reseruet rostrum, & caput; hoc tegitur, reliqua omnia periculo exponit, vt rostrum seruet, sustineatque illa, hoc indit in os faeminae salacissimum animal, vt osculetur viperam, & linguas communes faciat, mutatis linguis, permutatisque ad inuicem, vt rostrum committit faeminae, dũ non caput totum, vt misceatur magis, animamque & spiritum alliciat sibi, seseque immisceant adinuicem, ore madido permiscendo humores. Id efficiunt animalia plurima, rostra immittentia mares praecipuè in femellas, & contrà, dum coëunt, & aliàs saepe. Regurgitat columba salacissima, dicata ideo Veneri, in pullos, rostrumque in os faemellae immittit, & indit, & adinuicem exugentes, se lambunt, & lingunt, felis felem & canis canem, Taurus vaccã, homo faemellam: saliuam sugit, & committit linguam; hinc vt Ludouicus Ariosto de Zerbino dixerit, duplici lingua loqui posse, cum suam ore contineret, & amantissimae vxoris Isabellae linguam. Non secus vipera rostrum committit faemellae ori, osculis dulcissimis, vt via spiritus, & respirationis, ore scilicèt animam amantis hauriat, alliciatque omnino, vt quoquo modo potest trahat, osculorum suctu animam, spiritus vitae scilicèt, è corde & pectore, ore. Quae debacchãtur naturae pondere, sine delectu, quasi eo actu absorpta, furiosave & amentia animantia, vt iungatur amanti, misceatur, vniatur, quà potest meliùs: cùm nullum animans sic plicetur alteri in concubitu, vt

vipera viperæ, docuit Aristoteles locis adductis. Vipera verò fæmina libidine bacchans, venereis agitata furiis, dulcedine ebria, sic premit, comprimitque rostrum commissum, sic dentibus & maxillarum pressione tenet, exprimat vt succum dentibus, eliceréque tentet, & compressione humorē, quo sitim & incendium placet, quibus vritur illa, squalletque, vt vda fiat, quasset ideo vt caput commissum eidem, detrūcetque rostro, rescindat inditum, quo destituto mare, deficiente alimenti sensu, olfactu amisso, quo discernit alimoniam, miserè perit, vagatur vndique, vt patet, si hanc partem viperę rescindas, aut quasses, interituram breuiter, alimenti defectu. adest enim dētibus quasi rabies quædam animātium, & compressio, dum odimus, aut cupimus, excandescimusve, quà obtinere obiectum tentamus, & dentibus firmare, mordereque enitimur quasi, ac si in nos conuertere parassemus, ipsūmque disponere, vt ea quæ commutare in nos cupimus, apparemus vt nos tandem fiāt, & subdita nobis, nosque ipsi omnino, aut in partes diuidere, & demoliri, vt non vltrà consistant. Quò mittit natura humorē illico, osque madescit cupidine intensa, quasi mittat natura masticationi requisitum humorē iam tritioni, & attritui, idque quod conuersioni alimenti in sustantiam aliti seruitium præstat, vt ad nostrū modum reducat, & disponat illud. Ideo vipera dentibus perstringit maris commissum rostrū, furore libidinis. Deglutimus enim multoties, osque madescit, exhorrescimusque, imaginatione vehementi rerum acrium, acidorumque phantasia, dentes iniicere cupimus, mordere, illosque firmare, æquare pressura, expurgare ab humore, spiritu, & sanguine quæ inæqualiter confluxere, motu inæquali facto, vt dum papyrū calamo abradimus, & in

aliis acuto sono inæquali, os, dentes, molestantur eo inæquali stridore. Caput ergo maris in coitu quassat, trucidatque vipera, ex rostro caput cõquassante, quo interit mas posteà, qui & totum caput inserere potest in os fæmellæ, & cõmittit rostrum, quo perit caput: hæcque voluisse Plinium & Hieronymum ibi: quod Plinius sic fassus est lib. 10. c. 62. *Vipera mas caput inserit in os fœminæ, quod illa abrodit, voluptatis dulcedine*; abrodere enim dixit, & quassare ex parte scilicèt, & ex rostro, solùm multoties, eóque quassato caput demolitur ossium structura communi, non amputare semper. Hieronymus verò qui ex Plinio hæc decerpsit, sic inquit eo loci; *dum absorbet semen fœmina, masculi caput excidit*, id est, destruit, non enim ibi excidere, rescindere, amputareve notat semper, sed destruere, quod inter alia, *excido*, notat. Cicero 2. officiorum in Catone quomodo Carthagini, malè iam diu cogitanti bellum inferatur, *multo tempore antè denuntio: de qua vereri non antè desinam, quàm illam excisam cognouero*. Id est, destructam. Imo suspicor, nil aliud ac Plinius dixit, iis contineri, destruere scilicèt, & structum caput euertere, quassareque, non rescindere solùm, aut præscindere in coitu, hæcque multoties contingere; neque enim perpetuò sic coire hæc animantia, sed tunc, cùm furiis venereis aguntur & vrgentur nimis, stimulanturque acriter, & si ora complicẽt semper, linguas & rostra capitaque multoties, non semper quassantur, nec abscinduntur, quassantque solum fæmellæ marem lasciuiores, ferociores, nunquam mas fæminam mitior, suauior. Quod verò ij ipsi autores sustinent de oris conceptu, oreque concipere fæminas, & mares ore semen eiicere, non minùs explicandum venit, cùm viperæ, tam mares, quàm fæminæ, vtero polleant iuxta suum sexum

quæ

quælibet,genitalibuſque integrentur, non ſecus ac ſerpentes alij deſtinata parte, & generationis obtineant inſtrumenta,cõcinna & cõmoda formata integra in ventris limitibus,iiſque cõcipiant,coëant,concubẽt mutuis amplexibus,vt Ariſt.dixerit hæc coëũtia videri vnũ corpus biceps;amplexãtur,vinciuntur adeo,tum non ore,vtero imò deponunt, & excubãt fœtus, retinẽt,ſeruãt,& ordine quo ſuſcepere excubant, qua cõcepere parte,ea exonerãt vterũ, enituntur que & pariunt ſalaciſſimæ viperæ,aliàs fruſtrà natura cõdidiſſet vteros maris,& fœminæ,& ſuperfluè ſatis;quorum nullũ erat futurũ ſeruitiũ,aut vſus,quę cũ concipiãt vtero,& genitalibus coëant,vt iis monſtrauimus,ore ſolum ſemẽ adaugent,& veneno affe- 10
ctant, ſimul cum oris ſucco in vterũ emittunt, non purum,ne lædat animans, quam amat perditiſſimè vxorem,aut marem illa, ſi ipſum eiaculẽtur purum, & ſincerum, vt ſeſe perdunt,ſi ſe iciant aut veneno extra vias natura paratas ſeſe contingant,cruoris inſania,rabie percita.Cõſtricta imò in coitu,in ſe ipſis, vt è felle in os veniat illud viis cõmunibus in dẽtes diductis,de quo latiùs infrà,laxa, & diſtẽta coëunt, porrecta,plicata,adſtricta;hoc verò deſcẽdẽte ſucco prurigo excitatur,ſenſuſq; titillationis & dulcedinis, in viis quas percurrit ad vuluã vſque ex ore animantis, eo ſenſu præditis, quo & ſeminaria vaſa exinde protenſa cum ore continua, (videre eſt diſſectione facta,anatomia internorum) viuificant iis vipereum, venenoſumque ſemen efficiunt, iuxta naturam animantis reddunt,cùm virus & cruor capite contineatur, vbi reſidet malitia, & virus in iis, ſuctu & tractu venenũ attrahit, viruſque vterus vicinus pectori, plus multò quàm in aliis naturæ viuentibus;patet ſuprà ex Ariſtotele & aliis; viiſque communibus in guttur,

guttur,& fauces distentis,& extensis, in ipsum, sugit illud vulua, quò inficiat, & perficiat semen ritu animantis, & si semen commune vtero condat, suscipiat, retineat, venenũ ore, spiritibus, halituque, exuctũ attrahit, quò foueat semen, viuificet, perficiat, reficiat, vt sit viperæ tandem, fortissimaque coitus tẽpore imaginatione, ore, & capite, motis humoribus, & spiritibus, illoque humore commoto veneni, alterant semen in vterum iis missis, ideoque ore concipere semen dicuntur, id est, virtutem prolificam, fæcunditatem, venenosumque succum viuificantem semen iuxta animantis ritus. Et hæc sensere autores: est sine iis infæcundum semen, inutile, vanum in viperis; quò struxit natura vias ex ore in vterum, vt seminali eo humore venenato, semen vteri fæcundaretur, viis in coitu illis reseratis tracto, quo non oblæditur, & si sugat eo tempore, quòd non in cor, in vterum imò eueniat, excitato titillatu, & blando sensu pruriginis, communibus viis seminariis ex ore ductis in vterum ipsum; aliàs læderet virus, si alia contingeret; succi enim destinatas sedes præuisas natura, & præparatas, & venena, non nocent, secùs alia imparata, & communia officiunt, offendunt. Bilis enim & alia in propriis receptaculis, sine noxa esse constat. Hinc dixit Aristoteles suprà, nulli animanti vterum cordi viciniorem adesse, altiorem magis, & sursum spectantem nulli, ori propinquiorem, leuatiorem. Hocque fit vt semen vtero conceptum, vt & suscipiunt alia, viuificent, & prolificent, semenque verum prolificum, & fæcundum ore constituant. Nã semen vsque dum fæcundum est, & prolificum, non semen, sed æquiuocè dicitur tale cum vero semine; semen verum ore efficiunt, suscipiuntque ideo ore & concipiunt viperæ viperinã sobolem; semen enim

quod

quod prolificum non est, æquiuocè semen esse docet Aristoteles 3. de historia cap. 5. Afficitur verò incredibili voluptate salacissimum animal, seminis excretione, mordacis, & acris, flatuosi, & tumidi, veneni acrimonia, & stimulatione infecti; quibus parastates, & vasa seminaria percurrendo prurire facit, sensum quòd titillationis intentisissimum inferat, acrimonia veneni alterati priùs, immissis ore spiritibus venenosis, & humoribus acribus, quibus fit acre, & mordax, irritans, stimulans; semen verò acrius & mordacius maiorem inferre voluptatem & titillationem maiorem in tactum, constat, vt cùm vitet animal maiorem molestiam, dum excernit illud, maiori voluptate afficiatur eiaculatu: hinc vti præcipimus frigidis, & impotentibus, acribus, salsis, pruriginosis, flatulentis, irritantibusque rebus, vt irruant in venerem dum licet, & quando licet, nuptis, docet Galenus 6. de locis affectis cap. vltimo, à quo reliqui placitum arripuere omnes. Neruos ergo, & vias quæ in vterum inplãtantur, percurrẽs, pruriginosus humor ex ore in vterum titillare facit, & mira voluptate afficit pruritu illo percurrente ipsa, vt & seminis eiaculatione ebriæ & bacchantes prurigine & voluptate, illæ illarum partium, alienatæ quasi raptu & extasi comparis oblitæ, maris immemores, rostrum quassent multoties viri, & caput, raptu comprimentes, sugentes succos titillantes & pruriginosos, quos è mare sugunt, & alliciunt fœmellæ, quibus à mare deglutitis, suctisque, semen fœcundum & prolificum efficiunt, verumque semen, rabie rostrum maris quassantes, & caput. Non minùs si committat ori fœmellæ ille, conterentes furiis. Hinc Horatius lib. primo Oda 13. *Vror, seu tibi candidos Turparunt humeros immodicæ mero Rixæ, siue puer furens impressit memorem*

rem dente labris notam, torquebatur enim & odio & amore pueri riualis Lydiæ pellicis; ſcimus enim quantus ſit furor,& ebrietas quanta, huius affectus.

De dubiis quibuſdam Scripturæ ſacræ in natura viperea.

CAPVT III.

DIfficilem nimis, ſatiſque abſtruſum locum ad-
11 duximus ex Iob.20.cap.de viperino morſu, vbi ſic inquit Spiritus Deus, Iob nomine: *Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, caput Aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ*: exponens quæ ſit apud ipſum portio impij. Vbi minatur ſceleſtos homines, & obſtinatos, viperina lingua, venenoque atro & diro huius animantis, metum incutit lingua ſæua, & crudeli, cùm 28. Actuum Apoſtolorum ſint hæc ſcripto. *Cùm congregaſſet enim Paulus ſarmentorum aliquam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet, inuaſit manum eius; vt verò viderunt Barbari de manu eius pendentem beſtiam, ad inuicem dicebant, vtique homicida eſt homo hic, qui cùm exierit de mari, vltio non ſinit eum viuere, & ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nil mali paſſus eſt.* Quibus, non lingua, dentibus imò, & maxillis cruentibus, & veneficis inuaſiſſe Paulum, manumque apprehendiſſe videtur edoceri: cùm quòd illa ſemel, atque illum apprehendit, ſi id ſola lingua efficeret, ea contracta, vt per naturam contrahit vulnere illato ſi lingua icit, aut aggreditur, vt loci Iob colligitur, decideret illicò & non penderet, vt pependit librata aëre,

aëre, vt esset opus illam excutere, in ignemque proiicere, vt à pendenti bestia absolueretur; Tum noscunt omnes facillimè id qui linguam viperæ paulò attentiùs considerauerint, quæ nec extra os venire potest, dẽtesve excedere, aut ad extrà porrigi mẽbranis detenta, vndiquaque illis deuincta, (attulimus suprà) nec & si posset externa petere, icere, aut vulnus inferre valeret, cùm lateribus vndique cõpressa sit, & cuspis eius capillamentis plurimis mollissimis inuoluatur, non secus atque lanæ flocculis cõuoluta, vt impossibile iudicetur, posse quempiam petere vlcere inflicto, blandissimis capillamentis circumcepta, quibus si aliqua posset semel subire, carnẽve intrare, aut quoduis alterum, illicò pondere totius corporis rueret, vt non esset opus excussione, concitatoque motu ictæ substantiæ, vt excussit Paulus: præsertim cùm maxillis & dentibus pressura dentium obsignata, constet, quæuis rabie affectatas tenere illas, nõ lingua percutere, vt periculo facto multoties intra vasa vitrea detentis viperis, irritantes vidimus, & conspeximus, quod norunt venatores, captoresque earundem, qui lingua extracta, detractaque radicitùs, forcipibus vipera apprehensa, ex capillamentis exertis ad externa per vices, dentibus relictis solùm venenum effundentibus obsignatis caninis, in arrepta rerum apprehensarum substãtia sine lingua pendere, dentibus & maxillis, morsu experiũtur passim. Aristot. 9. de historia cap. 29. viperam deuorare scorpionem refert in pugna, & duello, nõnque lingua icere, dentibus imò aliàs voraret, ingereretque, non deuoraret. Plinius lib. 11. c. 37. sic: *Dentes viperæ gingiuis cõduntur, hæc eadẽ prægnãs veneno impresso dentium repulsu, illud diffundit*: idque clarius docet res ipsa, cũ in morsu dẽtiũ pressuræ & vestigia appareãt,

super

ſuperſintque manifeſta, ſemel ac dentes immiſit & eiecit. Paulus Ægineta verò loco citato, Ætius, & reliqui, dum ſigna morſus fœminæ, & maris, in hoc genere diſtinguunt, fœmellis morſibus dentium puncturas quatuor adeſſe enuntiant, maris verò binas, quod dentes quatuor fœminæ inſint canini dicti; maribus duo, vt fœmellam in hoc genere deteriorem, & vulnerum numero, & veneni potentia diiudicent: docet Ariſtoteles locis adductis, & 4. de partibus cap. 5. viperas, vt & ſerpentes reliquas, & piſcium plurimos, non dentire ſibi conficiendi, præparandive cauſa, imò cauſa tutelæ & defenſæ vitæ animantium, armorumque loco eiſdem impertiri; ſerpentibus verò poroſos nimis adeſſe, molles, & faciles, cauos, vt quàm citiſſimè putreſcant emortua vipera, qua viuaciſſimo conſeruantur veneno, ſecùs deciderent. Viperis iecur, vbi bilis, venenumque recoquitur, circa guttur eſt, vt & viſcera reliqua (late ſuprà diximus anteà) cui nectitur veſica bilis, & veneni ſedes, igneuſque humor cauſticus
12 exurens, & ſepticus. Iecur ad finem cãnæ pulmonum inſeritur, & aſperę dictæ arteriæ. Hæc illis omnis diuiſa & diſſecta ad finem vſque eſt, per quam è iecore aſcendunt de Cyſtofellis venulæ duæ, quæ per arteriam repũt, quarum rami & ſoboles, poſteà ſuborta, circa fauces diſſeminatur in ramos diuerſos, quorum pars in linguam terminatur, diſſeminata ibidem, pars reliqua in dentium radices tendit in fauces, vt tandem in veſiculis quibuſdam contentis in gingiuis euaneſcant, & terminentur quæ dilatantur & comprimũtur, vt petit occaſio, burſarum more; dum vrgentur rabie, compreſſis interim & recluſis furore, vindictæ cupedia, tamen deglutientibus, compreſſis & in ſe conſtrictis, ne venenum deglutiant,

& ſug

& ſugant; ſuctu enim aluntur ſerpentes omnes pręcipuè, conteruntque; non mandunt, ſed ingerunt, comminutioneque vorant,non maſticatu, cùm dentibus molaribus priuentur, vt quaſi integra videātur ingeſta, cõminuta,& exeſa cũ ſint. Hinc rabie percitæ viperæ,dũ coguntur mordere,& iniicere dentes, comprimuntur,& contrahuntur in ſeſe,poſtquàm vt hoſtem pertingerent, ſe dilatarunt priùs,primóque occurſu contrahuntur,vt mordeant,bilemque exprimant in os fœdum, caninos incutiunt dentes, & iis ſolùm mordent quos præſignant, reliquis coadiuuantibus, poſtquàm hos infixerunt primò,eminentiores ſimul & prominentiores, quibus eſt prius ire in obiecta quæuis,contractæ & retractæ in ſe, dũ incutiunt morſum, bilem & recoctum venenum regurgitant,ore,lingua,capillamentis, veſiculis gingiuarum apertis preſſura & patentibus dentiumque poris,& cauitatibus, ſemel ac retinet dentibus priùs iniectis euomit virus.preſſura,& compreſſione facta, rabie percitā,compreſſis dentibus, maxillis & gingiuis,ore toto compreſſo,venulis conſtrictis, retractu radicem verſus,vt oſcula pateant, & reſerentur, bilem vt exprimant,imò tanta rabie premuntur multoties;vt in diſtans eiaculentur virus,linguáque, & expuant expreſſum ſemel, & compreſſione effuſum in os, quo venenoſa dicuntur eiaculantiā virus. Iis omnibus autoribus eſt videre,præcipuè Dioſcoride, vbi ſuprà, & Galeno libro ad Piſonem, Paulo & Ætio, iis virus rẹfundunt, hoc ritu & ordine, ore, dentibus,lingua,faucibus, rabie agitatæ, non ſecùs ac nos dum rabie afficimur, vrgemurque omninò, dentes acuimus,qui rabie incaleſcunt,hinc abiit in adagium, in dicaces & detractores, *dente viperino deterior*, non lingua, quòd venenum dentibus effundant, vnde

Ouidius 3. metamorphoseon, vt potentiam, ferocitatémque summam illius formidabilis serpentis Cadmici præfingeret, horrendúmque venenum vipereis dentibus munitum, hyperbole facta canit his: *Pallas adest motaque iuuat supponere terra Vipereos dentes populi incrementa futuri*: & 10. eiusdem operis, dum se excusaret à crimine descensus in inferos Orpheus sic: *Causa viæ est coniux in quam calcata venenum Vipera diffudit*; vt subita morte interiisse potentissimo veneno enunciaret Euridicem amantissimam, quibus nescio an à longinquo veritatem olfaceret, cum viæ inferorum causa extiterit, serpente læsa fœmina Eua, & vtinam præterita renunciemus solùm. Est videre in apris, elephantibus, taurorum cornibus, rostris auium, & animantium vnguibus, & dentibus agitatis, sæuientibus, excandescentibusque ira, hæc omnia incalescere, nos constringimur præcordiis excandescentes, quibus contractis, vapores & humores in caput ascendunt, & remittimur, quibus replemur, offuscamurque, qui caput & rationem perturbant, inficiunt sensus, inquinant, & affectant, obscurant ira; hinc os ira commotis amarescit, & bile perfunditur, præcipuè bile abundantioribus biliosis natura, cùm constrictione præcordiorum, & epatis, bilis regurgitet, & in os resudet per poros corporis, & communes vias, bilescit in ira, amarusque sentitur sapor, & bilis regurgitat, dentiumque pressio est noxia, venenosa, & mortifera, in cane & homine cachocimo, passim est videre, & multoties visitur. Sic viperis commotis rabie contingit infectio, inficere, & officere, animantibus rabie sæuientibus, tenuioribus effusis succis, actiuioribus, igneis, compressioné emissis, bile, sanie, & spiritu tetro effuso per poros, venenosior magis, virulentior, lethalior, vt tenuior,

nuior,actiuiorque natura,vt naturæ ignis, ſubtilior,
agilior, potentior, vt ignis natura eſt efficacior aliis
actione,& opere. Non denique mordet lingua vipe-
ra,ſed caninis dentibus plagam infert,& infligit vul-
nus,dēte petit,& ſi diffundat venenū lingua,& aliis,
veſiculiſque dictis,plenis cruore ad radices dentium,
quæ aperiuntur & recluduntur ad tempus,compreſ-
ſione, tenſione, fibrarumque in hæc ipſa concur-
rētium inſertarum ope, quibus reſeratis virus effluit
pallidum colore ſubuiride, dulciſſimi, mellei ſapo-
ris (mirabile dictu) naturæ fallaciſſimæ & verſutæ,
quaſi guſtus ſuauitate inuitet illud cui malitia & do-
lo excidium,& mortē triſtiſſimā parat:muſcis ſolùm
(& id ſcitu dignū) innoxiū,& impotens, diſcrimine
facto,multoties eiaculato veneno,vipera irritata, la-
ceſſitaq; omnino, illoque exucto impunè ab hoc ſo-
lū genere animantiū pluries periculo facto me præ- 15
ſente, muſcis congregatis, dulcedinéque illectis il-
lius,quarū nulla periit,attētè cōſiderātibus, obſeruā-
tibúſq; corā plurimis,grauiſſimis viris,qui teſtes hu-
ius euentus adfuere.Nec Iob dixit, mordebit iniquū
viperæ lingua,ſed occidet,dixit,veneno effuſo,quod
lingua eiicitur deteriùs aliis animantis partibus,
quòd plus ſuſcipiat, vt natura laxa,mollis, ſpongio-
ſa,maiorémque communionem cum Cyſto fellis, &
bilis obtineat, commercium maius cum viſceribus
& veneni ſede, arripit maxillis, & dentibus,venenū
reiectat lingua, & virus fatale;ex hac enim in dentes,
& alia, cruor repit, & venit, meatibus ex lingua
in alia regurgitat virus, quibus *occidet lingua* appri-
mè dicitur, veneno horrido, & ſi premat dentibus,
viam ſternat, aperiat, vt venenum ſubeat, intret
interna, vt ſuccos infectet, ſanguinem, & alios,
vt in cor ſubeat, ſuccis immiſtum, viis humorum,&

vasis, in vitæ arcem; corque ipsum inuadat, motu enim venenum caler, inflammatur, ignescit, & semper in deterius abit. Mouent enim serpentes linguas perpetuò, & magis vipera, vt capite de angue monstrabimus, satis partibus reliquis. Quò lingua occidit magis aliis tenuato veneno, veneniq; effusione, & si morsus dentibus exerceatur. Vnde cùm vestigia & pressuræ dentiũ supersint, vulnusque post veneni iacturã, malum in illos reiicitur, in vlcera, & vulnera, cùm hæc solum sint perniciosa, quòd viam sternant licentioso veneno. lingua verò longo tẽporis tractu, leuiter tamen pungit, & icere potest quandoque, & laxè nimis, capillamentis ætate præduris, aculeo indurato, vt anguis, ac dentibus infligit vulnus, & si lingua magis officiat viru, quò dentes viam parant, venenúmque diffundunt. At ex lingua illis venenum suppeditatur, eiicit lingua copiosè satis, eiaculaturque, & in distans multoties mittit cruorem, vt è longinquo noceat, distantiora adhuc, quod vt notaret Dei spiritus, impiisq; periculum renunciaret, vt cõuerterentur, dixit: *occidet eos lingua viperæ à longinquo*
14 *adhuc*, peribunt, vt minùs præcauere possint noxam, vitaréque illi. Non minùs dubij illud affert quod Isaiæ c. 30. adducto continetur, esse scilicèt regulos & viperas volantes, plenum imò difficultatibus est, quæ sint viperæ eæ alatæ, regulique volantes, de quibus init sermonem Spiritus Deus eo loci. Quæ & si perplexa videãtur, abstrusaque nimis. Vt tamẽ possimus intricatam hanc, & difficilẽ controuersiã enodare, notandũ venit, viperã continere sub se, & vulgares nostras notissimas, & vltrà, speciem quandam, dictam *iaculus*, quam vocat Ætius *cenchritem & acontiam*, quòd veniat è capite, quasi in centrum imminuta, & in acutum desinat; aut quòd venter eius sit coloris,

loris, milij dicti, græcis Cenchros κέγχρος. Acontia verò à verbo græco ἀκοντίζω, hoc est, iaculor. Dicũtur enim Acontiæ & cometæ ocyssimi volatus, quòd more iaculorum vibrentur rapidissimi; vt docet Plinius lib.2.c.25. & Acontion dictus est filius Lycaonis, quòd iaculis fuerit potẽtissimus, refert Stephanus. Et aconitum venenũ, quòd iacula eo tingerẽtur mortiferã. De hoc verò serpẽte, & vipera, sic Ætius scriptũ reliquit Tetrabilio 4.serm.1.c.27. Cẽchrites serpẽs est magnitudine duorũ cubitorũ, figura autẽ crassa in tenuẽ abeunte, colore viridi, maximè iuxta aluum, vt miliũ colore referat, vnde Cenchrias, hoc est, miliaris appellatur. Aiũt etiã (subdit Ætius) hũc se ipso fortiorem fieri, dum miliũ floret, huius virescẽtis floribus mansis in terrã decisis tẽpore venientibus. Cæterùm vbi se ad lædendũ parat, extendit se ipsum, ac veluti iaculum vibratũ, corporibus inuolat, hocque modo verberat; à cuius morsu omnia quæ de vipera dicta sunt, sequũtur; & si grauiora, remediaque eadẽ, quæ ad viperæ morsum constituit, parat Iaculo morsis, quibus constat, cùm Iaculi veneni accidentia, & effectus sint eadẽ, & eisdẽ remedijs cùm cedãt, esse eiusdem rationis, & formæ, cum effectibus & accidẽtibus viperæ. Viperãque & Iaculũ nõ differre natura, cõsentire imò, Iaculũque Cẽchritẽ, acõtiam serpẽtem, vnũ esse, & viperã, & specie viperæ contineri, Iaculosque esse viperas veneno potẽtiores solũ, reliquis idem, vt hisce patet, docet idẽ Auicẽna eisdem quasi verbis lib.4.fen.6.tract.3. c.40.& 44. Paulus lib.5.c.18.iis. Si Cẽchrius nocuit, morsus eius viperæ similis est. Ælianus lib.9. c.49. idem Plinius lib.8.c.23. Denique est Iaculus vipera, eiusque natura continetur, illa deterior veneno, & noxior, Iaculus verò, viperaque hæc, volat aëre, &



volans dicitur ab omnibus autoribus; hinc est vipera volans, & locus Isaiæ c.30. intelligitur de hac vipera vbi dicitur: *In terra tribulationis, & angustiæ ex eis regulus, & vipera volans.* De regulo capite de Basilico dicetur; quod verò iaculus vipera volet, patet primò verbis adductis Ætij, velut iaculum vibratũ corporibus inuolat Iaculus, Lucanus lib. 9. sic dũ miserias, mortesque, quas passus est exercitus Catonis in Africa enarrat, venenatorúmque illius climatis morsus, quibus plurimi interiere tristissima & infœlici morte venenata dinumerans, inquit: *Et natrix violator aquæ, iaculique volucres*, quid clarius? Plinius libro 8. c. 23. sic, Iaculus ex arborum ramis vibratur, arboresque ascendit. Nec pedibus tantùm cauendas serpentes, sed & missili volare tormento, more pilarũ excussarum è bombardis, & archibucibus, idem Auicẽna, Ælianus, Galenus de Theriaca ad Pisonem, capite 5. Tum vltrà est hoc valdè notatu dignum, animantia aliquot præcipuè infecta, & præcordiis præcincta, comprehensaque locis calidis, regione æstuãti, constitutioneque humida, pluuiis, & imbrium tẽpore, flante austro, & zephyro spirante, præcincta hæc, humiditate retenta, circa exortum alarũ in præcordiorum pressura, & parte succincta, calore ibidẽ vegetiori, vnione & cumulatu, detentaque vditate, loci angustia, & constrictione præcordiorum, multoties alis pennatis, cutaneisve aliculis insigniri, aut membranosis. Formicis contingit passim, calida, & humida temporis statione, circa præcordia, quibus erumpunt alæ, piscibúsque loci humiditate, & perfectioribus plures, salubrioribus, agilioribúsque, tũ auibus quæ in aëre humido, & calido elemento degunt, increscunt alæ plus multò, pressis & detentis apud nos, terræ siccitate alteratis, & aquæ vaporibus frigi

frigidis impedito exortu caueis,& locis imis,vt 1. c. huius operis latiùs diximus. Quò Megaſtenes lib.1. c.6.refert, in India ſerpentium plurima genera alata oriri,loci humida cōſtitutione,& calida.Idem refert Ælianus lib.9.c.42. Policletus eadem lib.3.c.5.ſcorpiones alatos, angues, viperas, iaculos, aſpidas narrat. Pammenes idē opere de venenatis animātibus, refert,ſerpentes Indis oriri bicipites,alatos,& pedeſtres,ad caudæ regionem. Sic nititur æmulari ſerpēs perfectas,liberas,cœleſteſque aues,vt iā ſuprà ſenſu tropologico diximus.Cicero 2.de natura Deorū ſic: *Ibes aues maximam vim ſerpentium conficiunt, auertunt peſtem ab Ægypto,cùm volucres angues ex vaſtitate Lybiæ,vento Africo inuectas interficiunt.* Vocauit angues volucres,pennataſque.Dicit pſ.148. Dauid inuitans omnia, laudes vt debitas Deo reddāt;cū de aliis dixerat,ſubdit.Beſtiæ,& vniuerſa pecora,ſerpentes,& volucres pēnatæ. vbi epitheton illud ad aues nō refertur ſolū,cùm nulla ſit auis nō pennata,alata,ſcilicèt,ibi enim pēnata hoc notat,pēna enim alā ſignificat omnē; quò neſcio cur imponeretur auibus, vt aues inuitaret ſolū pēnatas, cū omnes tales ſint;ſufficeret dixiſſe, aues, aut volucres, imò ponitur ſerpentibus;ſerpētiſque filios vocat in laudes,qui cùm ſerpētes anteà eſſent,& reptaſſent, reperentque ſerperēt ſine pedibus, modò alis ſubortis baptiſmatis, vditate, & gratiæ rore, charitatis tepore, & æſtu, Chriſti aduentu alis ſubortis, qui reptiles erant,ſerpēteſque,laudent Chriſtum,quos pennatos iā,aueſque liberi volatus,& ſerpentes pennatos vocat,non omnes ſerpentes,nec reptiles eo pſalmo, non terreſtres,ſed pēnatos,in gratiarū actionem.Vidit & Plinius ſerpentes varios alatos,& alij vidêre,& ſi vltra naturam, vt ſupra naturam, filij ſerpentis alati, &

pennati fuere,gratiæ rore, legiſque Euangelicæ ſucco & vditate. Imò contingit hoc multis rerum generibus,quis neſcit ex bombacium cadauere,ſericiſque vermibus , renaſci alata quædam , humida putreſcenti ſubſtantia , tum fumo ſpirante, effumante lichinio , papilionem alatum , Hepiolumque oriri paſſim ? ſerpentes, dracones alatos vidit Lucanus libro 9. Volare piſces aliculis ſcimus , & ſaltu , non ſpatij minimum percurrere. Hinc ergo Iſaias eo loci cùm Hebræi confugerent ad Ægyptios , Deo vero inconſulto,vt mentitos Deos cōſultarent,quaſi non eſſet Deus in Iſraël; propheta graues enunciat afflictiones,ignoranteſque & inſipiētes eos vocat,quòd ad vana & fallacia confugiſſent numina,terramque inuiam, venenoſis refertam animantibus, diſcurriſſent , & peragraſſent , ſupellectilemque pretioſam, lautam & copioſam ad Ægyptios deuexiſſent , qui vt eorum væcordiam , & prodigalitatem notaret, vocauit eos eo loci,*Onus iumētorum Auſtri*, ſubſtantiam enim Ægyptiis infidelibus commiſere, confugere ad Ægyptios, onuſti omni ſpecioſa ſupellectili, ſarcinis copioſiſſimis onuſtiſſimi , vt deferre ſolent
16 iumenta Auſtri.Iumentum enim,vt docet Ariſtoteles 1.de hiſtoria c.6.de omni animāti dicitur, communi ſignificatu,quod ſufficit,& iuuat oneri geſtando,vt equum,mulam,aſinum,Dromedarium,Bufanum, Chamelum, & reliqua eiuſmodi comprehendat,quæ iumento, adiumentove oneri eſſe queunt, & ſi de aſino principaliter intelligatur , qui triuialior,communior,ſimplicior,& facilior eſt, qui cùm pandus ſit natura,& væcors,rudis,& tardus, capiteque maximo polleat inter omnia animantia , capite minùs vtitur reliquis aliis , eſtque illi minoris vſus,formicę minimo,eſtque peruerſi adeò auditus,
vt

vt cùm omnes molestet,& obtundat rudiens, adeo est musicæ & concentus ignarus, vt rudire non desinat,si incepit semel, etiamsi lacessitus virgis, aut stimulo percussus;sic demulcetur suaui illo sibi cantu,& rudimento illo,dum orcat, vt vi maxima desistat rudire:quò dicitur per hironiam,*tanquam asinus ad lyram.* Ideo retulit hos Isaias asinis austri, quòd peruersi essent auditus sermonum Dei, & quòd capite, & iudicio impotentes essent, ac si non esset Deus in Israël,cùm ad fraudulentos Ægyptios confugissent, vt iumenta austri, pretiosa omni supellectili onusti. Austri verò iumenta vocat,quòd auster Palæstinis calidissima pars sit, quæ spectat ad Africam & Nubiam è Palæstina. Calidissimis verò regionibus fortissimos generari asinos, docet Aristoteles 3. de partibus c.4. vbi Ponticam regionem,& Scythicam asinis carere,ob frigoris inclemētiam,& rigorem refert, frigidumque esse animal, & metu potiùs quàm potentia onera gestare; cor enim maximum obtinet,amplissimorum vētriculorum, quò exhalant spiritus calidi. Sunt corde frigido frigidi, & melācholici, defectu spirituum, quibus adest lætitia,agilitas, & hilaritas, facili eorum motu: in Achaia verò, Archadia & aliis calidis cœli regionibus,docet ipse,tùm Plinius libro 8.cap.43.robustissimos fieri, & fortes. Vocauit ergo iumenta Austri Hebræos,quòd onusti diuitiis,substantiam omnem humeris gestauerint Ægyptiis, & regionem percurrerint plenam regulis, leonibus, & viperis volantibus,stultè & ineptè.

De literali sensu & mystico, in locis Scripturæ sacræ, quibus Viperam compellat.

Capvt IV.

17 PLurima Scripturæ loca varia,& diuersa,intricata & perplexa satis, dictis, adductisque sententiis, de natura viperea, genimine eius, & sobole, illustrari queunt,& ex tenebris in lucem reuocari.Inter quæ elucescit primò locus ille Lucæ 3. Vbi Ioannes, turbis quæ conuenerant, vt baptizarentur sic fatus est; *Genimina viperarũ,quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere; Patrem habemus Abraham; dico enim vobis,quia potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Vbi cùm de baptismate sacro exhortatio esset, qui est secundus ortus, secundaque natiuitas, quo ibidem dicitur: *Nisi quis renatus fuerit denuò,non potest videre regnum Dei.* Et cùm dubitasset Nicodemus, quo modo potest homo nasci cùm sit senex solùm rei modum addubitans, & inquisiisset, num quid potest in ventrem matris suæ iterum introire, & nasci? Respondit Christus. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Meritò vocauit eos genimina viperarum: quòd aquas sectarẽtur, serpentis filij,& viperæ venenatæ, iræ & ferocitatis progenies, (ira & inuidia serpẽtes gliscũt cõtinuò,& icũt) ad baptismũque cõfugerẽt, iã veneno deposito (quò se,aliosq; inquinarũt legis peruersione, reproboque præceptorũ sensu priùs,) vt eorũ æstus,squalloresq; peccati reatus,sedarẽtur, renati in spiritu, non secus ac viperina progenies,

viperea

vipereáque natura,dum venenum diffudit, aliósque infecit,& se illo;in aquis submergitur,proiicitúrque, vt temperetur,humescat, squallens,exuccúsq; natura,sic illi, vt arefacta iam veneno peccati substantia, gratiæ rore, aquis sacri fontis vderet, & consisteret, ne in puluere euanesceret illa,(est se homo puluis solùm, & natura omnis non irrorata desuper) aquas quęritabant;quò sciscitatur Ioannes,quis docuit vos fugere lauacro hoc, à ventura ira? vt fugiunt ignes, & æstus morsu facto viperæ,earúmque fœturæ aquis immersæ(diximus suprà,) tum quòd secũdo ortu essent nascituri,essẽtque illis opus renatu alio, non secus ac genimina viperarum exortu duplici in lucem veniunt;iterúmq; nasci oporteret eos;sic compellat, quòd prius serpentis & Dæmonis vtero continerentur,peccatíq; quo fouebantur,gerebantúrq; infecti, intra serpentis viscera venenosa,& deformia,iã posteà iterum erat opus ortu alio, vt in lucem prodirent viui, cùm priùs solùm serpentis ouis peccato,eiúsq; fomitibus,seminibúsq; conclusi tenerẽtur viuipari, vt in lucem Christum prodirent,prorumperéq; possent,secundo ortu viui,vitales,& renati, fugiẽtes venenum, virúsque corruptæ, & infectæ naturæ, matrísque inquinatæ,posteritatis Adami. Potest enim Deus,dicitur eo loci ad literam,de lapidibus istis,vbi viperas excubare diximus,suscitare filios Abrahę.Cũ enim viperæ saxis lapidibúsque excubent, & habitent,dixit,postquàm genimina viperarum compellauerat illos, posse Deum suscitare de saxis & lapidibus, de viperina natura, & sede viperea, in filios Abrahæ amantissimos Deo, secundo ortu & renatu illo;de saxis & lapidibus;de duritie & obstinatione, quibus cõdebantur, reprobo Scripturæ & legis sensu,vitiorũ malitia,obstinati,rebelles, & duri,quibus

vterus

vterus tam fœmineus, quàm virilis, lasciuia & concupiscentia affectatus, cor erat. Est cordi annexa viperis vulua, illíque hæret, contrà ac omni animanti, carnales, lasciui, sectantes viperinum appetitum, & venenum, quibus erat cor, vterus affectus, & passio. Est affectatissimum inter omnia animal vipera, irascibili, & cupedia summa acta: quò Psalm. 57. *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniustitias manus vestræ concinnant. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Si ergo vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.* Cùm sit illis vterus, & concupiscentia cor, in corde iniquitates operabantur, & iniustitias; alienati ab vtero, & errãtes vterum quo cõtinebantur Ecclesiæ, & iustitiæ originalis, rationis, & legis; est vterus rationalis, ratio, lex, iustitia, quo vterum errauerunt ingressi serpẽtis vterũ, viperinúmque, qui inficit cor, situ & vicinia, cùm tamen nullum animans vterum distãtiorem à corde obtineat, atq; homo, natura & situ, vt monstrauimus, illéque cùm esset continendus remotiori omnium vtero, tamẽ cordi viciniorem subiit viperinum inter omnia animantia, vt deformis, monstrosus oriretur; vitio & culpæ malitia, situm iustum quo erat constitutus ille, amittens, & deserens, vtero infami viperino receptus, quò erat opus renasci, petráque seruari, & tueri, vt viperarum progenies, geniminàque efficiunt vt viuant, semel lucem experta, terram aufugientes, terrena, & fugacia. Petram insectãtes, renatu, & habitatione. Petra autẽ erat Christus, qua in lucẽ sunt editi. Subdit Lucas, securim ad radicem arboris adstare, nunciátque id geniminibus viperarum, cùm iis occultentur, & lateant, vt diximus, dum fugam parant, quandoque arborum radicibus, & cauitatibus, viperæ & serpentes reliqui, vt drinus serpens, græcè

ręcè inde compellatus, quòd quercuum radicibus occulatur, græcis δρεινός drinos, id eſt quercus, ad radicem, qua fugit terrena, ad appetitum, quo terrena exugimus, radix noſtræ miſerię, & ruinæ. Ad hanc radicem ſecuris eſt poſita, vt reſcindatur, Chriſti doctrina, & lege gratiæ, quibus & inuitat mortales, nō ſolùm minatur. De cuius ore enſis, & ſecuris prodibat verbo virtutis ſuæ, & veritatis, non ſolùm ſupplicij, doctrinæ imò & miſerationis. Cùm verò natura ſeptum dictum tranſuerſum, græcis φρένας, ſeu ratio dictus, interpoſuerit cordi, & epati, ne cor ſedes virtutum omnium, centrúmque vbi terminantur virtutum aliarum opera, affectibus concupiſcibilis diſturbaretur, docuit Plato in Timæo, Gal. 3. de placitis, & de locis 5. c. 4. & 3. de morbis vulgaribus, commentario 2. & 3. Vt cor vaporibus nutritionis, quæ in ventriculo & epate fit, & viget, non officeretur, fulciuit hoc ſepto & circumuallauit natura illo, neceſſarium adeò vt eo læſo, vitietur ratio, delirétque animal, & erret, vt iis locis poteſt, cordis vicinia, & annexu cum illo, & capite, ſubſtantiæ denſiſſimæ, vt tenuiſſimo; ſolùm poſſit inflāmari ſucco calidiſſimo, & tenuiſſimo, adeò vt æſtu nimio ibidē efferueſcētis humoris caleant, & flagrent hæc, incendio delirent, & deſipiant, quò eſt ratio dictus. Et cùm hęc ſepto diſtinxerit in omnibus animantiū generibus, natura in viperis non intercepit, hæc imò in natura hac eſt videre confuſa omnia, communia; indiſtincta confudit illa, vt hæc illis vitiētur, coinquinētúrque ſitu, & actionibus; non ſecus ac aſellus piſcis, cui cor ventriculo continetur, & phalangiū, araneáque, quæ os ventris medio conſitum habet, vt docet Ælianus libro 3. c. 36. de quibus Paulus ad Philippenſes 3. cap. *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, (nūc autem*

& flens

& flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. vt viperæ genimina scilicet confusis visceribus, terrena habitantes, ad Romanos 16. subdit; *Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri*, cùm adhuc gentes cognoscant idololatræ, non ventri, imò Deo seruiendum esse. eóque hominem differre ab his, quibus ratio denegatur animantibus, dixit Sallustius iis: *Omnes homines qui sese student præstare cæteris animantibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant, sicut cætera animantia, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Tum & genimina viperarum eos vocitat, murænas scilicet vt diximus, quæ patrem viperam, fortem, & illustrem appellant, illis inutilem, cùm debiles sint, enascantur & impotentes. non secus atque Hebræi Abrahamum Patrem proclamantes, id suffecisse satis sibi concredentes, malitia pleni, & infecti veneno, fœminei, & molles murænæ, ac si ex genere Abrahamo iustificarentur. Tum & locus ille constat Mat. 12. c. vbi Christus Phariseos adulteros adulterantésque scripturæ sensum iis lacessit: *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* & infrà, cùm viperarum sobolem appellasset inquit: *Generatio mala & adultera signum quærit.* vbi non viperas vocauit Pharisæos, non viperinos, sed viperarum progeniem, spurias & nothas viperas, vt complecteretur viperas, viperinámque fœturam adulterio subortam, quæ non meretur viperæ nomen, sed murænæ, fœdo & illicito concubitu, adulterio, & infamia, adulterámque ideò generationem appellauit, quòd non secus ac viperæ, quibus tanta adest capitis potentia, & robur capitis tantum, vt eius partis vi subuertant omnia, superéntque; murænas

nas tamen ſectantur, quæ cauda vires, & robur poſſi-
dent, ſine capite quaſi, debiles adeò, vt quaſſato ca-
lamo, ſi percutiantur cauda, deficiant vita defunctę:
ſic illi, qui capite Chriſto pollebant, robuſti capite
(*viri caput Chriſtus, Chriſti caput Deus*: Paulus ſuprà)
non caput, non Chriſtum, non rationem & legem
ſequerentur, imò murænæ caudam, appetitum, por-
tionem inferiorem, adulterio obſcæni & corrupti,
partis fœmineæ ratione legitima repudiata, Paulus
2. ad Corinthios 2. *Non enim ſumus ſicut plurimi adul-
terantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ex Deo coram
Deo, in Chriſto loquimur*: Iſaias de his cap. 57. *Vos au-
tem accedite huc filij auguratricis, ſemen adulterij, & for-
nicariæ, ſuper quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os,
& eieciſtis linguam, nunquid non vos filij ſceleſti, &
ſemen mendax?* Quæ iuxta naturam viperæ dicuntur,
cùm ſit proprium eius dilatare os, linguam eiicere,
dum fœmellis vtitur, vt dictis conſtat autoribus
Galeno, & Ariſtotele, fœmineis cupidinibus cal-
canei noſtri, cupediæque, hinc Salphaad, qui in pec-
cato mortuus eſt, dicitur Numerorum c. 27. ſolùm
filias genuiſſe, refert Spiritus ſanctus, murænas &
fœminina opera, non maſculina, nec digna viro, ap-
petitus opera, & malitiæ, non rationis, nec partis il-
lius, qua conſtat vir, non rationis & virilitatis; imò
fœminæ appetitus Euæ opera, & ſerpentis inſequen-
tis murænas, fœminæ opera & calcanei, filias quas in
murenis generauit, portionis inferioris, caudę, & ap-
petitus, murænarum ſoboles, & progenies vipera-
rum ideò. Salphaad ergo hinc ſolùm filias pro-
genuit, ꝙ peccato infectus generaret; quando enim 19
ſemen à perfectione ſibi debita deficit, à maiori quã
poteſt, non virum, imò fœminam producit, quo
vocauit Ariſtoteles fœminam neceſſarium naturæ
defe-

defectum, vt ſpecies propagaretur. 2. de generatione animalium c.3. & libro 4. c.6. Plato in Timæo, & in conuiuio. Galenus 1. de ſemine & 2. Hippocrates libro de natura humana, vbi Ariſtoteles fœminā vocat marem læſum, opúſque vitioſum & deficiens à mare, quibus, defectus nomine, non vitium naturæ, eius imò pluralitatem, & varietatem annotat. Fœminas ergo genuit, & peccator gignit. Hinc cæſis Madianitis per Moſen, Numer. 31. fœminæ ſolùm illorũ ſuperſunt, & reſeruantur, vt intelligant mortales, fœminæ ſolùm opera, & fœminina ſupereſſe ex iniquis vita defunctis, vt Madianitis contigit à Moſe percuſſis, opera nullius valoris, infima, & debilia: quo reor Deiparæ virginis fœliciſſimam animam, fœmineum corpus informaſſe, puriſſimúmque, vt Chriſtum naturæ autorem geſtaret, & pondus illud immenſum, celebre, gereret vtero, omnium merè creaturarũ anima perfectior; imò cùm Chriſtus icone illo & effigie ſerpentis notaretur ſigno illo Moſis Numeror. 21. c. & Ioannis 3. vt ſerpẽtes iam homines genimina factos viperarum, ad ſe vocaret, ſerpenteſque ſerpentẽ non aufugerent illum, ſerpente exaltato in deſerto, ad ſimilitudinẽ cuius oportebat exaltari filium hominis, Chriſtus virginis filius, & æterni Patris Verbũ figura ſerpẽtis indutus eſt, potentiſſimi, eiúſque qui poteſt eſſe remedium ſuomet ictui, vt fuit humanitas Chriſti, diuinitatis vi, ictui, & morſui, venenóque humanæ naturæ, quò ſerpens & appetitus rationem & hominem læſere & infecere, vt vipera confecta theriacam intrat, fermentata, & miſta, ſuiſque morſibus auxiliatur, & omnino ſuccurrit, de quo infrà; ſic ſerpentis morſui fuit remedium ſerpens Chriſtus, morſuiq; appetitus ſerpentis, & hominis, quem ſibi inſligit homo, homo alter Deus, vt homo homini
remedium

remedium esset, vt vipera viperæ, reorque vocasse Pharisæos, genimina viperarũ, nõ viperas, sed murænæ fœtus, adulterij, viperarũ earũ quæ murænas adeunt, non potentissimæ viperæ fœtus, aut partus viuipari dicti, non Christi, qui viuos edit fœtus, nec huius potentissimæ viperæ, quæ theriacã composuit nostrã, & condidit antidotũ nostræ salutis. Quoad 20
viperę similitudinẽ, hæmorroisq; & dipsadis formã, Mosen serpentem erexisse teneo, forma nil inter se dissidentium ferè, vt hæc notaret, quando figura & signo serpentis præsignauit Christum, vt adulteros, & idololatras vocaret Hebræos, quæ etiã vt Ezechias 4. Reg. c. 18. rex hãc theriacã enotaret, pararetq; viperã hanc, theriacæ nostræ salutis, iam iamq; disponeret longam alioqui theriacæ mistionem & conditum, tanto tempore expectatum; serpentem hunc quem Moses struxit, in frusta diuisit eo loci, vt in frusta secantur viperæ ad pastillos theriacæ salutares. Dipsas enim Hæmorrois & vipera figura, formaque, quasi non dissident, sed officio, effectibúsque variis suprà relatis, vt vna figura varia, & multiplicia salutis auxilia præfigurata continerentur. Sibilo ergo & hinnitu viperæ murænas vocant, & sollicitãt in adulteriũ, & sensum sollicitant capite, & ratione pollẽtes, homines alioqui, Christo capite, quo queritur Ierem. c. 13. iis. *Adulteria tua & hinnitus, scelus fornicationis tuæ, super colles in agro vidi, & abominationes tuas.* vbi Ierusalem ad murænas cõfugisse, & ad caudæ virtutẽ nõ ad caput refert, eo quòd hinnitu & sibilo, verbis falsis, non significãtibus, murænas allexerint, & irretierint homines adulterantes verbum Dei, vt hinc Pharisæis dictum sit, genimina viperarum. Paulus ad Hebræos 12. *Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis.*

si extra legem & Christum, ad murænas confugitis, & appetitus caudam, estis adulteri, & non filij. Modo concipiendi & pariendi ordine viperarum, locus ille Iacobi deplicatur capite 1. vbi hæc constant. *Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, mortem.* Vipera enim salacissima, concupiscentia carnis instigata, ea passione stimulata, & vacans, maris caput præcindit ebria, concipit paritque filios, primo partu excubans oua, quæ fota cùm consummata fuerint, infœtúsq; abierint, matri mortem inferunt, lateribus diruptis, & confossis parentis. non secus concupiscentia nostra, & passiones, caput rationis rescindunt, & amputant, concipitque vitium, & deformitatem, quæ cùm consummata fuerint, mortem vitæ gratiæ generant, imò non solùm spiritus mortem, verùm luxu nimio, & vitiorum nimietate mortem corporalem & excidium.

Secundam partem complectens eorum, quæ ad sensus tropologicos, & historicos ex natura viperea spectabant.

Capvt. V.

21 SImulata virtus, abominabilisque hypocrisis, simulatio, deterior multò quouis altero vitiorum genere, quod non secus, atque illa, quæ proprias sedes, locaq; propria videntur deserere, violenter acta, dum alia inuisunt, maiori impetu in propria veniant, posteà concitatóque motu in sua prolabantur, è quibus summa violentia fuere discissa, & distracta (in motu præternaturali naturaliū omnium est videre) sic

ſic hi dũ exterminantur, & in bonum aliorũ videntur ire, propriaque deſerere, maiori impetu, maioriq; conamine in ſua redeunt violentia virtutis fictæ, ſeſe ipſos proſequentes omni ex parte; deteſtabilis adeò, perniciosáque reipublicæ peſtis antiquitùs tanto odio habita, priſciſque temporibus, noſtris verò minùs multò venenoſa, & lethalis, non virtutis augmẽto, perfectioniſve incrementis, ideo imo quod virtus, iuſtitiaque ſic decreuerint, vt & videri homines virtutem ſectari vitent, ſummiſque viribus recuſent, nonque ſolùm ſtudioſos eſſe, quòd irrideant imò virtutis effigiem, vultúſque iuſtitiæ odio habeãt. Hæc atrox immaniſque labes nullo alio poteſt meliùs præfingi, aut oculis ſubiici, quàm Scytharum allato euentu ſanguinis humani, & viperini immiſti cruoris, quibus venenum irremediabile oritur. Iungit hypocrita venenum ſuum ſanguini Chriſti, & dũ hoc abluere vitia velle ſimulat, alere extenuatos, & famelicos ſaturare ſanguinis illius alimento; venenum ſuæ auaritiæ & propriæ vtilitatis diffundit, deterius multò illi ſanguini immiſtum abuſu ſanguinis, non ſecus ac Scythæ venenum vipereum humano cruori obmiſcentes, irremediabile vulnus infligebant, viruſque parabant ſumma cum difficultate remediis parẽs. Venena enim immiſta iis quæ maximè enutriũt, deteriora euadũt, & citiùs nocẽt, quòd trahantur ſimul cum his quæ auidiùs partes expetunt, cum alimento ſimul, in viſcera, & ſedes internas animæ. Homo enim humanum ſanguinem plus aliis reliquis ad ſe euocat; & ſuum magis animãtia quæuis, cum alimẽto, cũ ſanguine, qui eſt totius naturæ ſubſtantiæque, trahitur ab omnibus animantis partibus potentiſſimè & ſubitò venenum quoduis, propter alimenti cupiditatem innatam partibus; eo enim

partes quàm maximè egent. Non ſecus hypocriſeum virus ſugit homo immiſtum ſanguini hominis Dei abuſu iniunctum ab hypocrica, quo adeò egent homo, cor, & vitæ principia. Vnde hypocrita malitia & dolo poculum ſolius ſanguinis parare ſimulans, alimentûque & doctrinā ſanguinis Chriſti, venenum emiſcet, & ſoluit virus proprium, ſua immiſcet, ſi hæc nequit, murænarum ſanguini immiſcet, & hoc ſanguine occultat, alimento appetitus caudæ dictæ & portionis inferioris, hominis vltimo & calcaneo, commutabilique bono, & alimēto ſenſus occulit. Et huic bono miſtum venenum deterius, magis noxiū, facit bibere obuoluto cruore ſpecie alimenti, virus & peſtē humano ſanguine cōfundens, ſimulatè & fictè delectabili bono ſuadet, ſanguinē proximi exugens quem inficit veneno proprio, virulentia viperina & callida. Vocauit genimina viperarum Pha-
22 riſæos, quòd cùm Eccleſiæ vtero, legibus & præceptis continerentur priùs, & principaliter ij ipſi, his ligamentis & membranis legis ſcriptæ; tamen viſcera eorū, cor, ſenſum, præcepta matris Eccleſiæ diruperunt, confodientes latera, proximos peruertentes, ſcripturæque ſenſum, vt legem excederent, præcepta, & conſilia contemnerent, veneno & malitia capitis ſerpentis, infecti peccati capite, capitiſq; peccato Adami, & poſteritatis viru; vt & veneno vitiorū, & culpæ, abrumpimus legis vincula, quibus continemur nos aliis proprius rationis, & regulæ, debitique, vt multoties gentes & vltimò concepti Eccleſiæ filij, in lucem prodeant fæliciùs multò Chriſticolis & Iudæis primò conceptis vtero Eccleſiæ; fuit enim Chriſtus miſſus principaliter ad oues quæ periere de domo Iacob & Iſraël, Matth. 15. cap. Gentes verò multoties præferuntur proprio ouili notiſque oui-
bus;

bus;erunt enim nouissimi primi,& primi nouissimi. Matth. 19. & iudicabunt viri Niniuitæ filios Israël in iudicio, vt dicitur Matth. 12. Isaias 54. *Lauda sterilis quæ non paris*, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas,*quoniam multi filij desertæ magis,quàm eius quæ habet virum, dicit Dominus.* Vbi vaticinatur Isaias, filios plures multò Ecclesiã susceptură ex gentibus, & de congregatione sterili, quàm de synagoga, quæ virum habuit Deum Christum, illi missum principaliter. Viperina enim & corrupta eorum malitia continebantur ij,sterili & sine viro vtero, sine virilitatéque posteà operum, propter eorumdem abominationes, & apostasias. Vipera enim tam mas, quàm fœmina testibus generationis caret,quo soboles magis multò est illi putrefactione, quasi suborta,quàm vera progenies, & fœtura, vt non secus, ac quæ vermibus scatent putredine, sic hæc viperculis repleantur. docet Aristoteles 1. de Generatione c. 1. & libro 2. de historia c. 17. & lib. 5. c. 34. Impotenti ergo vtero continebantur, & infæcundo serpentis, generationisq; veræ, & si corruptione sobolis abundantissimi, malitia & veneno serpentis illius. Genefeos 3. c. Quò vocauit genimina viperarum locis ad- 23
ductis serpentis filios, & sobolem. Plato in Symposio dialogo docet, vipera læsos solùm reuelare dolores vipera læsis, non aliis, imò nec alios intelligere posse, quales sint eorumdẽ anxietates, & cruciatus; tum percussos semel cautè viuere in posterum, astutósque euadere, periculo facto (abiit in prouerbium) *est vipera læsus, est punctus vipera semel.* Est id venenum calidum & igneum, quod si hominẽ non occidit quandoque, tamen distemperat calore adeo illius cerebrum, vt conditiones eorum qui temperamẽto sunt calido sustineat, factus calidus & versutus;

docet Aristotel.1. de physiognomia calidorum mores; & Galenus libro, quòd animi mores corporis temperaturam sequātur c.5.& 7. Callidi enim à calore dicuntur, vt suprà diximus. Hinc licet viperæ morsus, & vitiorum culpas, ictusque serpētis, Christo renunciare percusso vipera iam, eius ministris, eò vipera ictis, etsi nō infecto, at vulnerato, propter scelera nostra, Isaias 53. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus.* Fari ergo cum illo possumus cruciatus nostros, serpentiū ictus, dolores, miserias. Imò leuari nimis percussos dū percussis referūt anxietates, docet ipse Plato, & eorū contactu alleuari, quòd imbibant veneni cruorem, quo priùs replebantur pori eorundē iam vacui in superstite, alteróque, quem percussi obtingunt, sicci & squalidi potētia prægressi veneni distēperie inducta; sicca enim humorem auidissimè bibunt, præcipuè illum qui poris est ad proportionē & mēsuram iustam, vt est venenum idem quod poros infecit, ignea natura in percusso priùs altero; tum sympathia & consensu mutuo, veneni seminibus, & cōtagij latētibus, subiecti dispositione, eius qui morbo euaserat, virus ad se euocante illius qui adhuc morbo tenetur, venenum sugēdo & ad se alliciēdo ex relicta veneni dispositione alterata natura, simile appetente ex affectu prægresso, quo deteriùs habet qui bene habebat, & meliùs qui acriter vexabatur.
24 Traxit Christus ad se venenū nostrū, mortuus est pro nobis, vt pristinæ saluti reuocaremur nos, Isaias citato c. *Omnes nos errauimus quasi oues, vnusquisque in viā suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatē omniū nostrum, propter scelus populi mei percussi eum.* Cum eo conuersantes leuamur, scit ipse dolores nostros, cognoscit,

ſcit, eius cōtactu, ſacramēto Euchariſtiæ reficimur, in ſe ſuſcepit virus noſtrū, vt ſalui eſſemus nos. Vim muſicæ hic & alibi attulimus in morſu vipereo magni eſſe momenti, & auxilij, ex tot tātiſque autorum ſcriptis & ſentētiis variis, pueri tribus quieſcunt remediis, mulctu, motu incunabuli, & muſica. Cantu enim conſopiti ſomno quietantur. Thales Cretenſis muſica fugauit peſtem Athenienſium, & ſciaticas temperabat, ſuprà diximus latè ſatis. Morſus noſtri quo alio, quàm muſica, & dolores potuerunt temperari? Chriſti in cruce pendentis intentis neruis, & diſtentis, retortis clauiculis, imò clauis duriſſimis, & fortiſſimis contortis, vt neruus diuinitatis, & vis, cum neruis humanitatis conſentiret, aſſentiretque; in ligno cauo & perforato, vermiculo Chriſto, & teredine crucis, ipſo perforata, & leui iam, vt cythara illa Dauid toties perculſa perſonaret armonia, & concentu, terra cum cœlis, Deuſque cum hominibus, vt placaretur Pater Filij vocibus, acuto & alto diuinitatis, graui & humili humanitatis, rythmus & conſonantia vt reſultaret gratiſſima: duo illo concinno & ſonoro filij humanitatis, diuinitatiſque vocibuſque ſimul editis in cruce, quibus Patrem placauit, acuto illo & alto vocis Chriſti pendentis, quo cœlos rupit, & aperuit; *hodie mecum eris in paradiſo*, voceque alia altiſsima, dum exclamauit, *Deus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* exclamans voce magna, vt intelligerent homines voluntariè mori, potentiaque diuinitatis, vocem illam altiſsimam intonaſſe, quæ vſque ad cœlos vſque ad Patrem peruenit, cùm vires naturæ morientibus iam iam deficiant, vt voces altas, magnaſque edere non poſsint, aut vociferari impensè, languentibus iam, & expirantibus. Miſit imò ſpiritū, vt perſona diuina notaretur, quæ

emittebat, non exiuit, sed misit, dicitur, non exhalauit animam, sed misit. Assonăt enim in hoc duo, omnia vtriusque naturæ, & vnius cōcinni suppositi cōsonātia illa mirabili. Vulnera enim, nec dolores, passiove, aut aliud, non sufficeret, animă vnitam Verbo eripere, nisi vellet ipse. Quò dixit Christus Patri, *vt quid dereliquisti me?* quasi diceret, in bonū hominum mori decet, & animā separari licet, & meme derelinquere, in manusque inimicorū prolabi. Interrogat Christus Patrem, vt respondeat Pater, & correspondeant homines tāto beneficio. Respondet Pater Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ideo dereliqui, vt saluos faceret mortales, rationem petiit, vt quid? vt rationem homines callerent Dei mortis, finemque moriendi rescirēt, & scrutarētur, & nō sine fine Deū mori, qui in finem dilexit eos; cum tenore illo, *consummatum est.* Matthæi 27.c. personauit cythara Christus, hāc pulsauit Dauid in spiritu toties, *consummatum est*, omne quod ex parte Dei expetitur vitæ mortalium; quid enim debui facere quod non feci? imò quæ nō debui feci, & persolui; basso illo, & graui humanitatis, *sitio*, quibus vocibus armonia, & concentu, serpentis morsum persanauit, hac vocum armonia, & consonantia, modò voce alta intonans super omnem naturam, remissione peccatorum & cœli promissione latroni cecinit, modò tenore & media voce, medio nostræ redemptionis dato *consummatum est*, modò voce graui & basso nostræ salutis, *sitio.* In homines conuersus, in discipulum & matrem concentu & armonia cœlesti. Musica ergo hac homines pristinæ reuocauit saluti. Iuxta naturam huius animantis explicari potest locus ille Ecclesiastici 47. vbi hæc continentur: *Dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum, inducere iracundiam*

diam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiam tuam, vt faceres imperium bipartitum. Nomine Salominis corrigens Deus peccatores, & viperarum genimina, qui semen proprium, posteritatem, & alios inficiunt, infeceréque vitiis, exemplo, & malitia, prophanarũt scãdalo, & cum murænulis vitiorum semen humanum immiscuere, legem & doctrinam, caudæ murænæ, & appetitus vitio veram abnegantes progeniem, & semé, originemque cœlestem, exemplarque denegantes, & imaginem veram obumbrantes, vterum aberrantes, peccatores enim errauerunt ab vtero & murænis sese commiscuere; *reliquitque illos Deus secundùm desiderium cordis eorum, & pertransierunt in affectum cordis*, veneno infecti in iracũdiam, & stultitiam, & bipartitum imperium. Murænarum modo affectuum, & ignorantiæ, malitiæ modo, & viperarum; prophanarunt semen, sese commiscentes aliis à lege rationis, in obsequium sensuum, induxere iracundiam in liberos, in affectus, *furor illis secundùm similitudinem serpẽtis*, qui iis naturam infectat, & inquinat, psal. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa; furor illis secundùm similitudinem serpentis.* Quæ furorem impertit in proprios liberos ore & suctu secreto in naturam & fœtus, vt diximus. Sic ij loquuti sunt venenosa, & falsa, & stultitiam simul; hinc malum omne ignorantia, malitia, & passione nobis imminet. Rostrum vipera quassat, os conterit, quò minùs possit ore vti mas. Sunt vitia quæ os concludunt omninò, sinuntque minimè pœnitentiæ ore vti, vt Samaritana, & dæmoniacus ille, Matthæi 9. cap. Quem Dæmon mutus obtinebat, vsque dum Verbum accessit. Erat sine verbo mutus, accessit Christus, quod est fassus, est enim loquutus eo verbo. Eramus muti omnes

ante aduentum verbi; quis sine verbo loqui poterit? psalmo 36. Psalmographus sacer promittens bona per Christum: *Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit; Iniusti punientur, & semen impiorum peribit. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius.* Vbi, nõ iam genimina viperarum, Christi meritis, non semen nequam, viperinum semen, imò benedictionis, non veneni, Christo renati denuò in posterum viuẽt. Punientur iniusti, & peribit semen impiorum, & renascentur in Christo, & *os iusti meditabitur sapientiam*, Patris æterni, Verbum scilicèt, non venenum ore suget, vt viperarum progenies, & lingua eius loquetur iudicium, Patris in Christo & Verbo, nõ venenosa. Lex Dei erit in cor-
25 de eius, non vterus, & passiones carnis in corde, vt viperis adsunt, latè suprà. Cùm ergo Christus baptizatus esset in Iordane, Matthæi c. 3. vbi sic dicitur de Ioanne: *Videns autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Cùm ad aquas confugissent serpente percussi, vt confugit vipera, veneno commoto, æstu & incendio flagrans, siti ingentissima stimulata, cùm ad lauacrum venirent læsi, veneno infecti, non in opprobrium, imò ostendens necessitatem lauacri, eorumque collaudans accessum dixit: *Progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira*, iudicij Dei, & ignem aquis restinguere, Baptismatis vndis? quis alter quàm Christus hæc docuit; Patris sapientia summa, in cuius virtute baptizabat Ioannes, aqua viua quæ ignem extinguit æternum, nulla alia superabilis vnda. Solùm enim hac aqua, & spiritu renati,

renati, possunt intrare regnum Dei. Non quælibet hic dicendi occasio offerebatur de fœminarum sæuitia, & conditione litigiosa, reuerentiáque quam præstare marito tenentur, cùm vipera alioqui fera, & venenata mare potentior, fortiórque, ad eius præsentiam virus deponat, humilis, inferior, illi obtemperans, sine renixu, eum prosequens, facilis, & blanda; fœminæ verò sæuiant, furiis agantur, iurgia moueant, garrulæ, linguatæ, non secus ac Eua altera, cui cum quo loqueretur deficeret, cum ipso Dæmone garriit, ne taceret, & cùm in medio paradisi esset omnibus abundans, regina vniuersi totius, cui deficiebant inuidiæ occasiones, cùm sola viueret, nec essent quibus posset æmulari, iis non contenta insidias Adamo tetendit, serpenti credens, & consulens anguem superstitiosa, & vana, dicitur Ecclesiastici 15. *Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.* Pedes senis, veteraníque hominis siccissimi sunt iam, defectu humidi non contingentis longissima corporis, & distantissimos pedes, frigidissimi, & vltrà calore & sanguine destituti, arena frigida & sicca, siquid gratiæ, humiditatísve & caloris superest, absumit, & perdit, insértque sensum asperitatis, & molestiæ, quibus somnum senibus vtilissimum impedit, iam debiles & veterani ætate, vt necessarium sit, calceos excutere, & à se arenam abigere; non secùs mulier linguata gratiam absumit, humiditatem, calorem amoris restinguit, præcipuè ab homine quieto cui conditione opponitur, & cum quo dissidet. Inquietus verò, aliter & litigiosus hic, non odit dicacem fœminam, cum qua rixas & iurgia mouet, conditione similis, vt nunquam quiescant, aut cessent lites, solent imò increpare vxorem, quòd inter iurgia obmutescat, tales, quasi materiam

litium

litium ſubtrahat, (poteſt hæc deprauata conditio.) Hinc Eccleſiaſtici 8.dicitur : *Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna :* non compones ignem illius,& iram. Deponat venenum fæmina,reuereatur illum,eſt enim caput Chriſti Deus, & Chriſtus caput viri , vir autem mulieris caput, mulier verò de coſta viri,de medio,vt moderata ſit, & mediæ conditionis , non extremæ , non capitis, gubernetur imò capite. Eſt de medio , vt extrema fugiat,& de coſta & oſſe illo,quod non gubernatur ex ſe, cum medulla careat, qua nutriatur , quod de corde,capite & venis regitur,priùs circa caput diuiſis & immiſſis è ferculo in coſtas venis , vt alatur aliunde , non eſt de oſſibus quæ gubernantur medullis inſitis, & innatis, ſeſeque ipſis, vt capitis oſſa, & oſſa reliqua. Manſueſcat ergo quæ ſæuit,& ne vipera deterior cùm multoties læſerit,iceritque;venenum augeat, & intendat, imò ſaltem vt vipera quæ multoties icit, icere deſinat , venenumque mitiget, maritum vereatur,colat,non irritet, inſtiget, dicacitate effrænis & libera ſaltem , non vipera deterior, non ferocior. Prouerbiorum 17. *Melior eſt buccella ſicca cum gaudio,quàm domus plena victimis cum iurgio.*

De celebri Theriacæ Antidoto Viperinæ ſubſtantiæ.

CAPVT VI.

VIpereum venenum , omneque genus venenatorum animantium , omniſve forma cuiuſvis legis,conditioniſve ſit, nullum continet remedium maius , æqualeve alexipharmacum & antidotum , ac tenet vipera media ſui corporis parte;

te; vt nulla ſit virtus maior, ſalubriuſve medica-
men ſuomet ictui, quàm ipſa ſibi, parte media, vt
nullum venenum ſuperat, capite & cauda, extremíſ-
que partibus incluſum huius viuentis virus. Expreſ-
ſum virtutis hieroglyphicon, veráq; icon, quę inter
extrema vitioſa conſiſtit, & reſidet, medium ſibi
vendicans locum, & ſedem mediam, extrema recu-
ſans. Medio enim huius animantis, reciſis & reiectis
extremis, paratur ſecunda illa vita mortaliũ, morbis
omnibus remedium vnicum, anchora fida omnis ve-
neni, moderamen, & fręnum, Theriaca celebrata an-
tiquis, priſcíſque autoribus exculta, tantóque habita
pretio, vt huius præclari antidoti libri integri ex-
tent ſcripto Græcis, & Latinis grauiſſimis autoribus.
Andromachus enim huius mirabilis medicaminis in-
dex extitit. Docet Galenus de vſu theriacæ ad Pam-
philianum. Hac vtebatur in deſperatis morbis, quam
vocauit Galenus Græcè γαλήνην, id eſt, tranquillam,
quod impetus morborum fręnet, coërceat, tranquil-
let: Crito verò antiquiſſimus ille appellauit Theria- 27
cam θηριακὸν; tſori Hebræis, Latinis Theriaca à θη-
ρίον Therion græcis, quod venenoſam beſtiam ſigni-
ficat, cùm quòd venenatorum animãtium morſibus
ſuccurrat omnibus, & auxilietur, tum quòd virulen-
tæ viperinæ naturæ carnes recipiat, veneno notiſſi-
mas, & generali nomine græcis Therion dictas, vt
venenata omnia eo nomine græcè. Fuit huius nobi-
liſſimi Antidoti author Mithridates Rex ille Ponti,
cuius ea fuit vis animi & corporis, vt ſex iuges equos
regeret, duarúmque & viginti gentium linguis lo-
queretur. Hic diſſidentibus Romanis bello ſociali,
Nicomedem Bithynia, Ariobarzanémque Cappa-
docia expulit, Græciam, Inſuláſque omnes, excepta
Rhodo ſuperauit, à Pompeio victus, tamen à Phar-
nace

nace filio est turre obsessus, q. cedēs fortunę, venenū sumpsit: sed frustrà, quòd aduersùm venena toto vitæ decursu, hoc sacro antidoto munitus fuerat, corpúsque firmauerat, in quem missum posteà Gallum nomine dictum illum, vt pœna capitis damnaret, deterruit vultus seueritate, cuius manum titubantem confortauit in cædem. Plutarchus docet, Appianus, Iustinus, Valerius, Plinius libro 25. cap. 2. Meliùs imò Iuuenalis satyra 14. his: *Ocyus Archigenem quære, atque eme, quod Mithridates Composuit.* Conditione crudelissimus, vt quasi omnem cognationem extinxerit: Mithridates dictus, quòd variis dotibus animi, & corporis fulgeret, non secus atque Mitrax gemma conspectu solis fulget varia. Plinius libro 37. c. 10. Ex quo lapide pretioso mitra venit, quòd Mitrax Persis sol dicatur, moréque solis refulgere teneantur clari, & limpidi virtutibus, varij & illustres, qui mitras gestant, quò antiquitùs in mitris lapillus hic inserebatur. Docuit Apuleius libro vltimo. Fuit alter Mithridates qui Bruti epistolas collegit. Nulli non auxiliatur morbo hoc remedium, nulli non opitulatur lapsui. docet Galenus de vsu Theriacæ, & de theriaca libris. Nónque solùm venenosis ictibus medetur; imò omni morbo, omni noxæ, variis & diuersis ægritudinibus contrariis, imò & dissidentibus: virtutibus partium diuersarum distinctis, ad mediam formam venientium altiorem, excellentiorem, fermentatis, & alteratis ad inuicem medicamentis variis, efficacioribus ad agendum totius naturę, quæ suscipit illa paratis, vt videre est libro de Theriaca Galeni, & libris Nicandri, scriptísq; integris Andromachi, à quibus alij omnes suscepere posteà. Illis agentibus resultat forma misti vnius vna altior, mirabilior, præstantior in vno quasi organico eo corpore, & hetero

28

geneo

geneo variis miſcellis, proportionibuſq; variis ſimplicium & diuerſis, quibus proportio vna, & concentus reſultat, quæ virtutes continens mirabiles, raras, eminentia & perfectione formæ, tam quoad primos quàm quoad ſecūdarios effectus, varia opera diuerſa contraria molitur, non ſecus ac cœlum, aſtra influunt operibus, quæ eminentia, & exceſſu continēt varia, & illuſtria; perficit, edit, ſubiecti apparatu vario, & diuerſa natura illa mirabilia, obſtupenda, & rara, quò omnibus ſuccurrit morbis contrariis, cœleſte hominum inuētum, humanum Deorum præſidium, ſalus mortalium, vita hominum, & Deorum donum. Hæc conſtat mediis vipereis carnibus, exploſis extremis, & reiectis, amputato capite, & cauda, quę iubet Galenus de ſententia antiquorum, de Theriaca ad Piſonem cap. 13. reſcindere ad menſuram quatuor digitorum, reiiceréquē ab antidoto, nam eæ partes continuo motu & agitatione continua, ad ſe alliciūt humores totius animantis, molíſque corporeæ, & cùm alimentum, vt ſimilius naturæ retineatur magis ab illa; excremēta verò minùs, vt diuerſa & diſſimilia, (ideo enim excrementa ſunt,) hinc excrementis vitioſis ſcatent, tetríſque ſuccis extrema, retento alimento à præcipuis viſcerum partibus, & nobilibus, quiete & natura excluſis recrementis, & tractis in ignobiles & externas motu & conuenientia ignobilium, actionibus animæ alentis, quæ in viſceribus viget, quòd viſcera quæ medio corporis continentur, cor & vitæ principia, excrementa venenoſa deponāt in extremitates ex medio, vt cor ſeruetur liberū omni noxa, & malitia, vitę & animę ſedes, domiciliūq; illuſtre. Quò extrema veneno abundāt, & ignobiliores partes. Monſtrauimus enim anteà, recrementitios ſuccos animantibus impertitos, in vſus varios

vtiles;

vtiles; ſi alio quàm loco deſtinato à natura contineantur, magna vitia parere; mortem imò, vt patet bile effuſa è veſica fellis per corpus vniuerſum, aut è liene melancholia, imò ſanguine diffuſo ipſo extra propria vaſa, accidentia excitari ſimilia iis qui venenum potarunt, vt retento ſemine veniunt; docet Ga-
29 lenus 6. de locis affectis. cap. de ictericis. Ideo ergo præſcinduntur, abiiciuntúrque eæ partes, quòd veneno abundent, & excrementis. Tum inter venenata omnia vipereis ſolùm carnibus vtimur in Theriaca ſacra, docet eo loci Galenus, quòd mirabiles poſſideant dotes, & virtutes præclaras natura propria, ſaluti mortalium, docuit experientia & ratio; quę medicamentum intrant expurgatæ, paratæque vt licet, extremis ſub menſura quatuor digitorum diſciſſis, euiſceratis viperis vndique, ne humida viſcera putreſcant facilè in medicamine vitali, reiectis viſceribus, cum extremis ſimul, ſuccíſque humidis, ſanguine & alimento, quibus repletur voraciſſimum animans, excrementíſque plurimis, quibus ingluuie vitioſa protuberat, iiſque perfectis in vaſe terræ virginis, eo loci Galenus notat; aqua, ſale, & anetho, panéq; puriſſimo, ſcalptro & ſcobinato incoctis ſemel expurgantur, & deterguntur omninò, ſpinis poſteà, oſſibúſque ſeiunctis, excluſis, pane puriſſimo, & carnibus iis deterſis efformantur paſtilli, qui ad vmbram reſiccati, vt vult Democrates & Andromachus, propriis huius celebris antidoti libris, reſeruantur, vt Theriacam componant mirabilem, ſimul cum aliis, quorum infrà. Motus enim extremorum continuus calorem parit; calor liquat humores, poros reſerat, & amplificat, & partes motu excutiuntur, vt pellant quæ continent, & recipiant alia. Hinc extrema abſcindimus, & expurgatum medium ſeruamus,

iis paratum,& expurgatum, ſale deterſum, aqua lotum, pane inuolutum, quo noceat minùs, exſiccetur à cruento ſucco imbibito natura, & operetur lentiùs inuolucro illo conuoluto, viruque & vditate pane imbibitis, ſicco & poroſo, non ſubitò, imò paulatim & ſenſim, vt fert natura, anetho reſolutis vaporibus craſſis, flatibuſque & halitibus infectis, contagio & malitia deteriora, ob materiæ tenuitatem in qua reſident. Carnes ergo ſic præparatæ & deterſæ à ſuccis infectis, non vitio ſui, ſed culpa extremorum, malitia, & contagio, vbi retinentur recrementa, tantum abeſt, malitia polleant, aut inficiantur veneno, quòd nullum adſit remedium maius, ſalubriuſve mortalium vitæ, tum eſui ad hibitæ, conditæ more Anguillarum, morbis & ægritudinibus, allio, ſale, oleo, & pane, aromatibus, condimento facto; tùm aliis rebus permiſtæ eæ carnes, compoſitionibúſque aliis ſubintrantes ſaluberrimæ. Diſcutiunt enim humores noxios, euacuant tetros, abſumunt ſuperfluos, detergunt ſuccidos, frænant vitioſos, corrigunt infectos, malitiam retundunt, venenum ſuperant, expurgant viſcera, præcipua membra roborant, viuificant, inſtaurant, corroborant, Elephantiaſim, lepram, ſcabiem, cutaneos morbos extirpāt, purgant hydropicos, ventrem extenuant, ſuccurrunt diſentericis, maniacis, Epilepticis, omnib. vitiis, morbis omnibus, & ſi iis præcipuè, qui veneni, malignæve qualitatis contactu excitantur, vt ij omnes autores latè docent, noruntque experientia, & arte ducti. Videre eſt locis allatis anteà, neque ſalubris ideo, & proficua caro viperæ eſt cenſenda, quòd venenoſa & mortifera cor petat, impetatque continuò aſſumpta, vitæ contraria, inimica, repugnanſque vitæ principiis, cordi denique, quod cùm ex-

pugnet & aggrediatur illicò, antipathiaque & dissidio naturæ illud subeat, ducat secum salutifera omnia alia, quibus constat antidotus, auxiliaque pretiosa reliqua cordialia,& præclara, vt hinc sit illi præsidium,& singulare remedium. Hoc enim est vim & virtutem denegare viperis ipsis concessam, omnibus antiquis & recentioribus celebratam adeo, diuulgatam vndique. Tum venenum omne sufficeret immiscere Theriacæ, non minùs cùm cor petat quoduis, lacessatque, vipera cùm sola præparetur huic sacro remedio, cùm sola hæc ipsa perficiat, moliaturque illa reliqua, secùs venenata alia: sitque illa solum remedium singulare morborum, præparata, & detersa, venenosis reiectis, viru expurgatis carnibus: eisdem imò sine præparatione aliqua, & si hac meliùs multò subueniat periculis. Docuit experientia ipsa cui suffragatur ratio. Refert Galenus 11. simplicium cap.2. in Asia contigisse cuidam morbo elephantiasi laboranti, vino ebibito, vbi vipera casu suffocata perierat, pristinæ saluti fuisse reuocatum, expurgata materia, exsiccatis crustis quibus erat refertus, quæ & cùm aliis contigissent fortuna,& casu, est ratus ipse, aliique autores, vim, virtutemq; cœlestem iis carnibus adesse occultam, manifestasque, & raras vltrà virtutes, vt ipse est fassus de Theriaca ad Pisonem, cap. 9. Nouerat ipse viperas securissimè in Ægypto mandi, loci humiditate diluto,& soluto veneno. 3. de alimentis c. 2. Constat ergo non ratione veneni, nec aliorum causa, vtilem esse viperam, imò sui virtute, & ratione sui, innataque vi morbis refragari, non veneno tetro, cùm manifestis virtutibus dictis, expurgatiua, detersiua, exsiccatiuaque, intẽsissima qua pollet, vt eodem capite Galenus docuit, vbi sitim intensissimam inducere morsu retulit 1. de

sym

ſymptomatum cauſis; docet cap. 4. quendam manſa vipera, ſiti inexplebili vrgeri adeo, vt remediis plurimis medicis nunquam ceſſerit in poſterum; tum virtute altiori cœleſti, & diuina vltra elementorum virtutes, ſuſceptam cæli actione ſuccreſcente ad miſtionem viperæ: neque enim minùs communes virtutes miſta ab elementis ſuſcipiunt, quàm occultas à cœlo mirabiles & raras, pro varia miſcellæ proportione, & modo, interim dum efformatur miſtum, materia alterata, vt & Theriacæ euenit, dum tot tantaque immiſcētur inuicem, rara & pretioſa; imò cùm viperarum carnes virtute polleant corrigendi venenum natura propria, trahendiq; in deſtinatos animantis vſus, (in quos venit bilis in corpore exiſtens omni animanti, venenumq; quod eſt in iis in veſica fellis & in extremis contentũ,) virtutemq; tractiuam illius obtineant, vt trahant ab illis vtile virus ſuis vſibus & corrigant, in viaſque deſtinatas, & canales recipiant, & natura, hac virtute fulciantur temperandi cruoris, carnes mediæ, vt & caput viperæ exoneretur; ne recocto illo, & adaucto, caput intemperetur, & officiat toti, quò virus alliciunt, vt ſuperſit caput integrum & liberum, hac eadem qua excellunt virtute veneni tractiua, vt venenum pellant, & frænent Theriacæ immiſtæ carnes ipſæ, venenum ad ſe vocant, alliciuntque, & attrahunt ſuſceptũ, quibus cor expurgant, expiant, exonerant à malitia & viru, parteſque alias vt fugiant, venenum & noxas, in ſeque recipiũt virus, vt ſuperſint alia libera & immunia, vt nil ſit vtilius veneno & virui liberando, viru læſis efficacius nihil: ſimul cũ his quæ naturam reficiunt viribus, corroborant, & noxios humores extrudunt & frænant. Continet enim hæc vipera miſcella ſua, propria perfectiùs ſaluti mor-

talium, proportionata magis, & proficua, naturæ tē-peramento & miſcella, aliis reliquis venenatis, ſecurior, & perfectior, quia hæc petit hac menſura natura viperea, & temperies innata, temperamentúmque iuſtitiæ animantis, hanc ſubiens proportionem qua ab aliis noxis venenoſiſque diſtinguitur. Nõ ſecùs ac inter quæuis alia temperiei cuiuſuis, hæc lædunt, illa proſunt, temperamento & tēperie innata. Imò capiti nulli animanti tantum adeſt virus, ac adeſt viperæ, & medio corpori nulli ſalus tanta virtus & perfectio; nulli vis tractiua veneni potens adeò eo loci, aut alio. Sic ergo, & ſi alia toto venenoſa magis, nullum tamen capite noxius veneno & viru. Baſiliſcus enim toto deterior, at capite vipera imbecillior, & alia ſunt, ſic Galenus de Theriaca c. 3. Eſt eius tantus cruor, & venenoſa rabies, vt crediderit Galenus lib. de fœtus formatione. c. 4. non factas ab eodē opifice, à quo eſt factus homo. poëticè dictū. Continet enim hæc antidotus calfacientia, & excitantia medicamina, incidentia, reſoluentia, detergentia, expurgantia; tum corroborantibus conſtat, cordialibus, capitalibus, epaticis, lienicis medicamentis, pectoralibus, diureticis, ſolutiuis, quæ has & alias partes natura roborant, & ſtabiliunt. Tū alexipharmacis, & venenum corrigentibus integratur, & iis quæ mirabiles, cœleſteſque virtutes obtinent, vltra elementorum miſcellam, raras & excellentes, adſtringentibus ſtruitur, ſudorificis, anodinis, & dolorem ſedantibus, ſtupefacientibus auxiliis, & in ſumma omni remediorum genere, natura & officio, vt largiſſimè componit Galenus libro de Theriaca integro, Nicander itidem ex ſententia Andromachi, & Regis Mithridatis. Anima verò, vires, roburque huius medicamenti, viperina eſt caro, parata in paſtillos di-

ctos,

ctos, retulimus anteà; Imò & si caro viperæ iis iuuetur, & firmetur auxiliis, sola potest moliri opus plurimum, vt satis patet Galeni eo c. iis. Quidam enim nobilis vir cum laboraret elephantiasi morbo, in Misia Asiæ, profectus ad aquarum calidarum fontes sponte nascentium, sperans se consequi emolumenti aliquid, accidit ibi adstanti mancipio scorto pulcherrima iuuencula, compluribus ambita amatoribus, vinum illi offerre sitienti, in quod vipera inciderat, eo epoto casu, saluti pristinæ restitui integrè. Refert Galenus 2. c. 11. simplicium. Quanta sit huius antidoti perfectio, excellentiaque, facilè quiuis noscere poterit, si rerum copiam, numeros, proportionesque, quibus hæc sacra miscella constat in medium afferamus. Retulit Galenus ex vetustissimi Andromachi libro de Theriaca ad Pisonem c. 7. qui ex antiquiori Mithridate Rege desumpserat: vt omnis docet antiquitas, vel quòd ille hoc primus medicamine fuerit vsus, vel quòd tanti antidoti ipse extiterit autor, dixere Paulus Ægineta, Ætius, Oribasius, Celsus, & prisci artis Apollineæ autores. Est hæc forma, & structura huius celebris medicaminis.

Theriaca Andromachi senioris.

R. Pastillorum scilliticorum drachmas XLVIII. 31
Pastillorum theriacalium. Spisamenti Hedycroi. Piperis longi. Opij, singulorum drachmas XXIIII. Iridis Illiricæ. Rosarum siccarũ. Succi radicis dulcis. Seminis napi dulcis, id est, domestici, Scordij, Opobalsami, Cinnamomi, Agarici, singulorũ drach. XII. Myrrhæ. Costi, Croci, Corycei, Casiæ. Nardi Indicæ, Schæni, Piperis nigri, Piperis albi. Thuris. Dictamni. Rheipontici. Sthechadis, Marrubij

virentis. Petroſelini. Calaminthæ. Terebinthinæ. Quinquefolij. Zingiberis, ſingulorum drachmas VI. Polij. Chamæpytis. Nardi celticæ, Amomi, Styracis. Mei, Chamædrys, Phupontici. Terræ lemniæ, Folij. Chalcitis aſſæ. Gentianæ, Gũmi. Hypociſtidis ſucci. Carpobalſami. Seſeli. Aniſi. Cardamomi. Fœniculi, Acaciæ. Thlaſpi ſeminis, Hyperici Ammi, Sagapeni ſingulorũ drachmas IV. Caſtorei. Ariſtolochiæ radicis. Bituminis ſicci. Seminis dauci. Opoponacis. Cẽtaurei. Galbani, ſingul. drachmas II. Vini antiqui quantum ſufficit ad diſſoluendum humida. Mellis Attici drachmas 960. id eſt, libras. 10.

Paſtilli ex ſcilla.

DOcet Galenus Paſtillas ſcilliticas formare de theriaca ad Piſonem c. 13. his. Recentem ſcillam non admodum magnam accipere oportet, & eam non luto, ſicut quidam faciunt, inuoluere, (ſordidum enim id mihi eſſe videtur) ſed pulte teneriori: in qua & aſſatur facilè, & ab eo quidam dum aſſatur accipit, vbi ipſam probè coxeris, vel in furno, quod vocant, vel ſub cacabis, in quibus panes aſſantur, quo æqualiter aſſetur, ſummè interiores partes ſcillæ, quæ tenerrimæ fuerint, & eis accuratè diſſolutis, admiſce farinæ Erui optimæ, recentiſſimæque tantundem, ſicut Democrates cenſet. Nam & Magnus qui dimidium iubet, parum mihi coniicere videtur, & Andromachus, qui duas partes præcipit, nondum ſatis imponere, cùm æqualem Erui portionem ſcilla requirat. Sic itaque ſcilla & farina commiſtis, modicas inde faciemus rotulas quas in vmbra ſiccatas vſui reſeruabimus.

Paſtilli

Pastilli viperei.

PAstilli verò viperini huius auxilij anima, & vis, hoc ordine parantur. Vipereis carnibus paratis, viperarum extrema amputabis ad mensuram quatuor digitorum, visceraq; & pellem depones, eas verò aqua fontana, sale recenti, & anethi viridis ramusculis elixabis, vsque dum spinæ, & ossa facili separentur negotio. His semotis cum pane purissimo simul quantum sufficiat parandis pastillis subactu manibus inunctis opobalsamo eos efformabis in rotulas, quas resiccabis in vmbra. harum carnium quantum volueris ℞. panis purissimi, aridi, contusi, & cribrati, quartam partem, aut quintam. Simul contunde & pastillos forma opobalsamo in eis configendis adhibito.

Magmatis seu spissamenti Hedycroi compositio.

MAgma, seu malagma Græcis, idem est quod spissamentum, ex rebus tritis confectum, vnde Hedycroum spissamentum, idem est, quod spissamentum coloris Crocei, læti coloris fuluicãtis. Hinc Galenus lib. 1. de antidotis c. 10. sic inquit, *Magma quod Hedycroum læto dixere colore*, id est, placido, hilari, Croceo, etiamsi & ab odore gratissimo, quē hæc vnguenta pastillæve coloris læti spirabãt doceat Cicero 3. Tusculanarũ dici iis: Collocemus in culcitra plumea, psaltriam adducamus, hedycroum incēdamus, demus scutellã dulciculæ potionis; & si Victorius inter vnguenta referat, in commentariis huius loci solùm, pastillæ verò tales hoc ordine dispen-

ſantur. ℞. Aſpalathi Aſari. Mari. Amaraci ſingulorum drachmas II. Calami odorati. Iunci odorati. Coſti Phu Pontici. Cinnamomi. Opobalſami. Xylobalſami ſingulorum drachmas III. Folij Nardi Indicæ, Caſiæ, Myrrhæ, Croci ſingulorum drachmas VI. Amomi drachmas XII. Maſtiches drachmam I. Vino Falerno excipiantur, & miſtis rotulas figurabis vipereis & ſcilliticis ſimiles, ipſaſque eodem modo exſiccabis. Cõmunis quantitas, quæ huius ſacri medicamenti ſuſcipitur, tanta eſt quanta eſt magnitudo auellanæ nucis, poſt annum duodecimum à die cõfectionis, & ſi venenatorũ ictibus poſt ſeptimum, aut quintũ annum concedat Galenus c. 14. libri ad Piſonẽ, maiorve aut minor, prout occaſio exegerit. Sal qui à Plinio ſol ſecũdus, ſecũdave anima, compellatur, quòd corpora vindicet à putredine, & inquinamẽto, in tantũ, vt de quibuſdam animantibus meritò dictũ ſit, animam, quam poſſident ſalis loco illis eſſe conſitam, quò abiit in adagium, *animam pro ſale habere*, in eos qui nullius alterius ſunt vſus, munerisve, præterquàm ſues facti, vitioſi & ſuccidi, alimento vti, & ſpurca venere, quibus animam impertiri ſalis vice, ne corpus deficiat, & putredine inquinetur, conſtat, vt iam anima pro ſale ſubſtituat; ſal inquam venenis reſiſtit, natura & viribus, eiſque aduerſatur; docuit Galenus de Theriaca ad Piſonem latiſſimè, & de theriaca ad Pamphilianũ. Hic Theriacæ more ſolet parari, ex viperina progenie, in eoſdem omnes, quos Theriaca complet vſus, vt ex antiquis recepit Galenus locis adductis, quos omnes theriacus hic ſal vipereuſve aut Theriacalis, & ſi perficiat lẽtiùs, tamen abſoluit, Theriaca antidoto. Hũc verò dupliciter parãt ſalẽ; videre eſt apud Galenum locis ſuprà, cuius ſcrupulus vnus quotidie aſſum

aſſumptus eſculentis,aut potu,mirabiles edere effe-
ctus , & quos Theriaca nouimus , & Galenus dixit
ſuprà,ratione que,& experiẽtia ductus firmauit; qui,
& ſi duplici ordine cõfici poſſit,& parari talis,ſecu-
rius eſt Galeni inuentũ,methoduſque, quòd ſolùm
paſtillos vipereos recipiat , non viperas ipſas vſtas
ſimul cũ veneno & viru,vt antiqui parabant.Eſt ve-
rò hæc Galeni miſtura eo loci allata iis : Cæterùm
ipſe hunc ſalem etiam non inuſtis viperis conficio,
verùm paſtillos ex eis quorũ cõpoſitionem in the-
riaca docui,reliquis quæ cum viperis vtuntur admi-
ſceo,ipſoſque comburo,vt quam in ſe habent ama-
ritudinem,incendio deponant. Tantam verò paſtil-
lorum menſuram impono , quãtam habere quatuor
viperas coniicio : ac reuera ſal quàm optimus eua-
dit, vt qui propter vſtionem , neque cinerulentum
quippiam guſtatus præ ſe ferat , neque conſpectus
nigredinem. Verùm & iucundiſſimus accipientibus
euadat , & virtutem ad quæ dixi ipſum propriè va-
lere,præſtantiorem oſtendat.Ad Piſonem c.19. eius
compoſitionem inuenies longam ad literam.

Antidoti Theriaces Tropologias continens & naturalia plurima.

CAPVT VI.

DIximus ſuprà, ſerpentem exaltatum in deſerto 32
iuſſu Domini,Moſis induſtria,Numerorũ c.21.
Viperæ obtinuiſſe formam,figuramque,tũ Hæmor-
rhois,& Dipſadis effigiem parũ diſsidẽtium inter ſe
figura,& ſi effectibus euariẽt,vt vno illo ſerpẽte ſa-
cramẽta plurima cõtinerẽtur;cũ Chriſti ſignũ eſſet,

vt ibidem dicitur iis: *Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno.* & infrà, *Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno*, Chriſti ſcilicet, Ioannes dixit, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur, Chriſtus verò virtutem omnem capite obtinet, Paulus 1. ad Corinthios c. 11. *Omnis viri caput Chriſtus, caput autem mulieris vir, caput verò Chriſti Deus.* Capite ergo, Deitate, robur & vim omnem cõtinet, non ſecus ac viperam roſtro, & capite continere monſtrauimus. Cùm ergo capite polleat vipera, capiteque nulli æquetur potẽtia, omniaque ſuperet animãtia, & quæque potentiſſima naturæ, Baſiliſcum adhuc capite euincat, & ſi hic veneni malitia, corporiſque totius tetro halitu excedat viperam, non capite virtute inſita, & innata, non robore, impulſu, roſtrique potentia, quibus quaſſat & abrumpit quæuis, ſubitque tota, non grandi & inſuperabili vi, capite congenita viperino, cùm Baſiliſcus aliunde petat virtutem potentiamque illam, ſpiritus ſcilicèt è corde veneficos ſuſcipiens, quibus inficiat, officiat ille, oculis effuſis, capite alioqui debili, & ſtructuræ facilis, quos remittit potiùs capitis cerebrique frigore, & temperat, quàm acuat & excitet, non genitos ibidem, imò ibidem retuſos à malitia veneni, euaporantibus ad extrà, non ad libitum motis, non quando vult, & quomodo vult, nec cui vult officiens eiſdem, vt poteſt vipera, docet Galenus de Theriaca lib. c. 9. Hinc aſpis & baſiliſcus euiſcerata, corde detracto, nõ officiunt morſu, at vipera lædit capite ſolùm ſuperſtite, reiectis viſceribus, caput ſui iuris. Experientia edocuit, euiſceratas viperas inficere veneno capitis indomito, quæ nõ obeunt adhuc, detractis viſceribus lõgo tempore, reptilia omnia, vt alia. Cùm ergo Chriſtus ſerpentis forma inſigniri voluerit,

& effi

& effigie ſerpentis notari , formam ſerui accipiens, capite omnipotente Deitatis , non aliunde petito, meritò viperę effigiem ſerpens ille ſuſcepit , Chriſtúſque ipſe, cùm ſignum potentię Deitatis eſſet effigies illa, potentiſſimique redemptoris fideiuſſoris, ſolutoríſque noſtri debiti, incorruptibilis, æneíque roboris, æneus ſerpens benè ſonans, ænea ſubſtantia, formam ſerui & ſerpentis accepit, vt reciperetur à filiis ſerpentium, ne fugerent Chriſtum ſerpentem iam, hominémque factum. Æneus verò & incorruptibilis, ſolùm figura ſeruus, & ſerpens, verè homo & Deus, æternus, immutabilis, æneus, ſub ſerpentis forma, humana veſte indutus, quam aſſumpſit, & induit verè, hoc capite, potens, non confusè & indiſtinctè toto , vt baſiliſcus capites qui eſt alioqui impotens, & debilis , non confuſione ſubſtantiæ vipera Chriſtus ; Omnipotenti imò capite , non Baſiliſcus reliquis ſolùm vires manifeſtante. Tum viperæ figuram obtinuiſſe ſerpentem illum patet , cùm hic ſolus viuiparus ſit inter ſerpentes omnes , & fœtus viuos ſolus in lucem edat, qui inuolucris , putaminibúſque ouorum ſeminis ſerpentis , Geneſeos 3. capite, continebantur prùis : quò poſtquàm recepit eos inuolutos, & conuinctos, ſecundo vtero ſuſcepit, educauítque, & in lucem Solis iuſtitiæ edidit. Duplicati vteri ſerpens ſtatus innocentiæ, & legis gratiæ, legis naturæ, & ſcriptæ, legíſque Euangelicæ, Eccleſia qua continemur fideles , quæ nunquam defecit , nec vterus matris piiſſimæ , Chriſto in ſpe aut præſentia contenti , vitales partu vltimo legis gratiæ, ſerpente vipera , & viuipara Chriſto , mortui in ſemine ouis , vtero ſerpentis detenti, quæ nos fefellit, viui & vitales Chriſto in lucem editi, quo eſt inſignitus vipera. Sic enim oportebat exaltari filium hominis

hominis omni natura potentiorem, capite omnipotentem, qui eo omnes ſerpentes ſuperabat, & aufugabat omnino: tum quia hoc ſerpente paratur theriaca, & antidotus ſacer, celeber. Pan Græcis πᾶν, totum eſt, omne, totum alimentum, & medicamentum: pan ſuperſubſtantialis, ſubſtantia totus, ipſáque ſubſtantia; cuius accidentia, adhuc ſubſtantia ſunt officio, & modo, panis ſuperſubſtantialis, ſubſtantiã animæ reſarciens, & reficiens adipe frumenti. Eſt adeps ſubſtantia ſuperaddita membris, coaleſcens non vi naturæ inſitæ partis altæ, & enutritæ, frigore imò ſemel digeſto alimento, principióque vltra naturam nutritionis quæ fit coctione à calido, quo oleoſum & pingue ſanguinis in membra frigida decumbens concreſcit, in membranas decidens, & frigida alia, vt medullæ concreſcunt in oſſibus, & alia in aliis oleoſo alimento preſſo frigore, & principio, vltra naturam partium. Sic Galenus 3. de vſu partium c.6. Ariſt. 4. de partib. c.9. alij & alij. Eſt Chriſtus frumenti adeps, & ſuper ſubſtantiam panis, qui præceſſit, ſubſtãtia vltra naturam ſuperaddita, póſtq; aliam ſuccedens adeps, ideo alio veniens non naturę actu, ſubſtantia cœleſtis Deitatis, & humanitatis Chriſti, eſtq; ſuperſubſtantiale alimentum. Nam ſupra ſubſtantiam panis & vini, quę deſiere vi verborum, ſubſtantia ſuccedit corporis Chriſti, ſuper omnem ſubſtantiam. Eſt Deus ipſe, ſubſtantia ipſa, & per ſe ſubſtantia, ſolúſque ille per ſeipſum cuius eſſe, eſt eſſe, aduenienſque ſubſtantia ſuper ſubſtantiã, quæ abiit, ſuperſubſtantialis eſt, omnéſque ſubſtantiæ vires excedens. Vipera ergo huic antidoto intereſt, ipſeque Chriſtus; homo enim hominem læſit, fœmina virũ, homo naturam, carnémque noſtram paſſionibus, ignorantia, & malitia. Caro noſtra remedium extitit,

homóque verus, vt vipera auxiliatur morsui vipereo, viperáque, vt sit remedium & auxilium viperæ, potentissima omni labe immunis, & libera, potens virtutibus, cœlestibus dictis, mirabilibus, raris: subuenire potens veneno infecti generis humani, & virui, capite potentissimo, peccatíque vulneribus, & vitiis, vt theriaca auxiliatur vipereis ictibus: Vipera cœlesti parte pura, & veneni libera, media vipera mediis carnibus nimiæ potentiæ extremorum succurrit capitis afflictui, & caudæ verberibus. Et Christus mediator hominum, quem vocat Paulus, mediúmque, nexus, vnio & hypostasis, placat, temperat potentiam, & rigorem capitis Dei, homo factus quasi vnus ex nobis; vt sit homo, quasi vnus ex Deo, Deúsque optione vnitus Christo, hac antidoto & sacramẽto mirabili: vnitus Verbo & Christus homini, qui humanitatem sibi vniuit hãc nostram, se homini hac vnit theriaca, Deitatis capitísque rigori succurrens, rigori iustitiæ, quo nos impetebat Deus, & impotẽtiæ nostræ carnis, malitiæ appetitus, caudæque & vltimo, extremis iis subueniens, medium afferens nostræ salutis, carne hac media, viperea, sacra. Quis ferret Deitatem Deúmque solum, si Deus non temperaretur humanitate Christi? Hinc Psalmographus; *si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Hinc Ecclesia continuò precatur per Christum Dominum nostrum, supplicans per medium hoc, patrem, meritísque ipsius, quò medium se theriacæ immiscuit, extremis succurrens, medium eorum adducens, non caudam, vltimum, mortem, vitam imò morte frænata, diuinitate contemperata, in mediatore Christo, medium nostrum, nostræque salutis, Angelorum & hominum, præcautione & curatione salubri. Deus enim factus homo, vt homo corrigit, punit,

punit, increpat, miseretur, & condolet, non rigore illo antiquo Deitatis, non vltionis Deus. Imò vltionum Deus, vltórque, miserator imò, & multum misericors, vidit nostra & miseretur, homo factus experimentali notione, nostra considerans, suauis & mitis, blandus, & fatilis. Sic ergo à theriaca reiecit extrema rigida, mortem, peccatum, rigorem, mortem caudam, & vltimum, & caput peccati, rigorem capitis Deitatis, & temperauit antidotum mediis, vt rigorem extremorum frænaret, & coërceret, Eucharistia mirabili. Theriacam instituens, omni remediorum genere pollens, morbis & veneno omni salubris, alimentum mirabile, illustre medicamentum, antidotus præclara, & celebris, refectorium, medicamen instauratiuum, reductiuum salutis pristinæ, præseruatiuum, cordiale, alexipharmacon, omni potentia morborum infinities maius virtute, Pan, totum, omni modo totum, cùm quauis ratione totum sit; imò supra omnem rationem totum, cùm pars quæuis sit totum, & sit pars toti æqualis, quod naturæ modum excedit omninò, toti vniuerso vt communicetur, & omni modo impertiatur, & omnia elargiatur remedia salutis, solis accidentibus diuisis, integer substantia, omni ex parte, vt sciat homo accidentia diuidere à se, vt persistat integra substantia, & quòd quid est hominis ratio-
34 nis, & mentis, gratiæ & iustitiæ. Hinc diximus Ezechiam 4. Regum capite 18. confregisse serpentem æneum, vt ibidem dicitur iis. *Confregitque serpentem aneum, quem fecerat Moyses,*

siqui

ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum, vocauitque Ezechias nomen eius Noheſtan; Parabat enim iam viperam theriacæ, quò in fruſta diuiſit, & diſſecuit, vt parantur viperæ hoc maximo antidoto. Hinc diuiſit propior iam Chriſto venturo, confectionique theriacæ vicinior. Ezechias enim Domini apprehenſionem notat Hebræis, quo iam amore apprehenſum, captum, irretitum Deum enotabat, & theriacæ antidoto conſulentem, Ezechias, Domini fortitudinem, robúrque ſignificat, dextram & Patris brachium, Verbum ſcilicet, quò cùm veniret iam ille viperam parabat, & ſignificauit iam iam diſponi theriacam ſalutis, & gratię vitam, mundíque remedium. Fuit enim Ezechias inter vltimos Iſraël Reges, & ſanctitate maximus, & timens Deum, expectatórque intenſus, vt videre eſt capite allato, quò voluit Deus ei manifeſtare arcana, ſacramentáque maxima, & recondita, manifeſtè magis figurare; quò vocauit ſerpentem Noheſtan, vt eo capite dicitur, interpretatúrque ab Spiriritu ſancto eodem capite. *In Domino Deo Iſraël ſperauit*; quid excelſius, & clarius quid? Fuit ergo vipereæ figuræ ſerpens ille, vt theriacam ſignificaret, quam Chriſtus componere decreuit, cui Ezechias parauit viperam, reſciſione & diuiſione, deterſione & expiatione idololatriæ, & veneni capitis, mentiti Dei cui, piaculum cultum & honorem offerebant ſuperſtitiosè Hebræi; quò in caput, in Deum peccabant illi, ideóque perfregit, vt venenum capitis reiiceret; ex quo & caudam diſſecuit, vltimum, mortémque ex ſerpente triſtem, & for

& formidabilem ſubſequuturam idololatria & apoſtaſia. Tum peccati caput reſcidit Chriſtus, ſuperbiámque, ſerpẽs ſeruus, & humilis factus, venenúmque noſtrum ad ſe allexit, traxit iniquitates noſtras ad ſe, vt latè ex Iſaia ſuprà diximus, carnis vipereæ
35 more, viperæque inſtar, & cùm nil potentius venenoſos ſerpentes è cauernis extrahat, ac ceruorum ſuctus, inſpiratúſque narium, vt docet Ælianus lib.2. cap.9. & Plinius lib.8. cap.32. Ariſtoteles ſuprà, Galenus, & reliqui, Chriſtus ſerpẽtes extraxit, ceruus cuius ſanguis nunquam concreſcit, Ariſtoteles 3. de hiſtoria c.6. & 19. & 2. de partibus animaliũ c.4. Currit imò ſemper in bonum hominum, & fluet perpetuò, cap. de Angue diximus. Canticorum 2. cap. ſponſa de Chriſto: *Similis est dilectus meus hinnulo ceruorum*; traxit ſerpentem ſpiritu potenti, & robore illo. Pertimeſcunt ſerpentes omnes caput viperæ maius illis virtute & robore, quo ſuperantur & vincuntur; ſerpens factus, vt ſerpentis filios alliceret, capite & diuinitate ſuperans, extrahénſque ſerpentem ex abditiſſimis ſedibus animorum mortalium, vincens mortem, peccatum, infernum, Dæmonem, quæ frænauit
36 capite ſuperior. Caput viperæ aſportatum, caudáque, non minùs geſtata, caput roborant, viſum acuunt, auditum viuificant, olfactum perficiunt, guſtum, tactum, internóſque omnes ſenſus, motum animantis firmant, temperato & exſiccato cerebro excrementis vitioſis abſumptis, ſuperfluas abſumunt humiditates, & humores noxios, ſua qua pollent ſiccitate, & ſuctu, ſi quid venenoſum infectumve eſt, fugunt & corrigunt, quò morbis cerebri mirificè auxiliantur omnibus, dentium ſtupori, graui auditui, imminuto & deprauato viſui, infecto guſtui, & reliquis vitioſis actionibus, quæ neruis

è cere

è cerebro ortis perficiuntur; vt hinc appendantur collo, gutturique suspendantur pueris, & maioribus natu,& si pueris frequentiùs,quòd maiori copia humiditatis excrementitiæ abundent, caputque frequentiùs cauda vipereum, quòd ibi virus maius adfuerit,supersitque,docet Galenus locis adductis;Dioscorides libro 6. cap. de vipera, & reliqui vbi suprà. norunt omnes,& suspensum videmus vtiliter passim; omnibus resistit venenis, primis hinc mensis apponuntur, asportanturque ad mensas, auro argentove vallatas,ornatas, vt securè conuiuæ decumbant, omni potentiores veneno, quòd ad se alliciant, & arripiant ex esculentis omnibus virus, si adest,vt innoxia supersint alimenta. Hinc voluit Christus insigniri serpente æneo, viperinoque capite insuperabilis Deitatis,caudaque,vltimo sui & morte, inuincibilis alioqui; mortem enim moriendo destruxit capite,& vitam resurgendo reparauit. Qui mortem & venenum maius destruxit potentia caudæ,& mortis, vi capitis, à quo virtutem recipit illa; qui extremis insuperabilis,facilis est medio,mediator est,medium, remedium imò nostræ redemptionis, venenum nostrum, medio viperæ instar, exuxit & traxit ad se; *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, Isaiæ 53. Qui exaltatus à terra omnia ad se in cruce traxit, *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, loco adducto; huius sacræ viperæ medium in quo extrema Dei & hominis confluxere,suppositum illud Christus, Theriaca nostra salutaris est, in vase terræ virginis Deiparæ genitricis parata, vt paratur alia,cum tot tantisque excellentiis,& dotibus,donis, virtutibus, dixit Paulus ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Tum & ex venenosa,diraque peccati natura, non secùs parari potest

præclara Theriaca, sacerque antidotus, hismet ictibus quos incussit illud salutaris, proficua, extremis rescissis capitis pertinaciæ rebellis, & caudæ occasionum, qua arrepta, & ipsum ad nos trahimus, & allicimus, explosis visceribus malitiæ, recrementisque vitiorum, & fomitibus, ossibusque, & fundamentis, quibus illud innititur, distractis, & spinis simul affluentiæ, & copiæ extirpatis, medio accepto salutis, statuto pœnitentiæ & doloris, quod virus ad se euocat, & subtrahit potenter ab extremis, vt percussi & veneno infecti pretiosissimo Christi sanguine superata malitia, tetraque virulentia, cum pane Eucharistiæ, pane, carneque corporis Christi substantiæ purissimæ, cautè in posterum viuant, tanti beneficij memores, & ex delicto commisso præseruati iterum reincidere in miseriam tantam reformident, recusent, & vitent, ictuique peccati, memoria peccati subueniāt præseruatiua antidoto, & correctiua vitiorum veneni, vt ex illo à quo venenum contraxerant, cauti salutem hoc modo paratam recipiant, & consequantur.
37 Paulus ad Romanos 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne:* de vipera peccatum damnauit, de carne Christi diuini suppositi, de homine Christo Deo damnauit, antidoto facto, de eadem humanitatis natura, vi diuinitatis capitis, peccatum carnis & naturæ nostræ infectionem, homine homines liberauit, Deo, viperæ morsum humanæ naturæ, homine Deo, vipera dicto.

The

Theriaci ſalis, auxiliorúmque viperei morſus, myſtica continens & naturalia plurima.

CAPVT VIII.

NVllum maius remedium extat mortalibus veneno infectis, quã ſuctus, ſugereq; ea parte, qua icit & læſit animãs, quò trahẽtibus vtimur auxiliis, & euocãtibus ad externa, ne cor, internaq; venenũ petat, ex alto corpore educẽtibus virus, & ad extra trahentibus medemur cæſis, continuoq; irritãtibus partem & dolorem inferentibus, mouentibus ſudores, ſuccurrimus ſuctu potẽtiſſimo cucurbitularum, cum ſcarificatione, & excitãtibus moleſtiam, acribus, calidis, dolorificis, perurentibus, vt omnes locis allatis conſulunt; in quibus ſanguinem mittere recuſamus, ne recurrat ad interna venenum, venarum ſuctu exinanitis ſemel, nec purganti medicamẽto auxiliamur, ne vocet virus in altũ corporis, præterquã in nimis plenis, vbi ſuctus & recurſus periculi nõ timetur, cũ copia, & abũdãtia impediatur ſuct⁹ internarũ partiũ, vt ſolũ extrahẽtibus vtamur, euacuãtibus, alexipharmaciſq; antidotis, & victu, potuq; conueniẽti, frigidiſq; & adſtringẽtibus internis, vt repellãt partes ad externa virus, refectæ & roboratæ intrinſecus. Traxit venenum noſtrum ſuctu ſingultiens, luctu, & planctu, vt homines ſalui, & ſuperſtites eſſent Chriſtus, tulit languores noſtros. Vipera, vt docet Apollonius apud Philoſtratum, quod ab Ariſtotele, & Plinio adductis locis deſumpſit, catulos ſemel ortos polit, complanat, & lingit, mucorem detergit, & mucilaginem, qua perfunduntur in inuolucris intra vterum priùs, eos capite & roſtro impel- 38

lit, & incitat, prouocat ad motum, vt exercitio, & opere sordes excutiant, & mundentur, qui intra decem dies imitari incipiunt parentum modos, ritus, & artes, caputque erigere, & mouere, potentiam illius ostentare, & robur, quò se lambunt, perficiunt, & viuunt. Detergimur & mundamur Deitate, capite Christi, nos omnes filij serpentis, & progenies, filiique viperæ exaltatæ in deserto. De hac generatione, & progenie intelligitur locus ille Prouerbiorum 30. cap. vbi dicitur: *Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. Generatio quæ habet excelsos oculos, & palpebræ eius in alta surrectæ. Generatio quæ pro dentibus habet gladios.* Quæ omnia iuxta naturam viperæ patent, proprietatibus dictis: Obit pater, læditurque multoties, vt generet filios in vipereo genere, obiit Deus, & tandem mortuus est, vt renasceremur nos, *Generatio quæ maledicit patri.* quod est cum patre maledicit & ordinatur, non dicit cum illo, & matri non benedicit, Ecclesiæ, imò rumpit matris latera, & terminos, leges, statuta non dicit cum illa, & prototypo ipsius, & vterum quo continebatur, ob venenũ malitiæ vitiorum. Sordibus oritur hæc generatio plena peccati labe, quo lauacro egent, elingique Dei lingua & verbo; lingua Patris qua loquitur sibi, & nobis, habet excelsos oculos, superbos, vt vipera superba, quæ innititur caudæ vt sese erigat, extollat, & superemineat, docet Ætius, Paulus locis adductis suprà, imò Apostolus apprehensus est vipera in saltu, & elatione, in superbia animantis, Actuum Apostol. c. 28. Palpebrasque surrectas & altas, vt intentè, attẽteque videant, qua icere, & ex quo sanguiné fundere possint proximi, venenũ dentibus continens & gladios

dios pro dentibus venenosis, sorditie pleni, cæci adeò vt mundi, lotique iudicentur, quo minùs remediis obediant, imò respuunt, & superflua iudicant illa sibi, squallentes, sordidi mucore & mucilagine vitiorum cæci, qui egent linctu, & lauacro, detersione vitiorum, & superfluæ vitiosæq; humiditatis abstersione, vsque dum patrum, maiorumque exemplo ipsos lingentium cognoscant se linctu egere, & detersione, seq; capite expiẽt Christo, & Ecclesia. Gẽtes referunt patrẽ Liberum, è Semele sine tempore natũ, Ioueẽ suscepisse, femoreq; dissecto fouisse vsque iam perfectã secundo ortu, integrãq; reddidit sobolẽ, duplicis partus, & maturum infantulũ. Nec incõueniẽs iudico gentiũ cœcã narrationẽ multorũ enodare, & ad verum cultum reducere quandoq; dum opus est. Est verò opus, quando illorum errores ortũ duxisse culpa vitiorum, pœna illata cœcutientes in veritate, & aberrantes. Abominationes enim Ægyptiorum non immolabimus Deo nostro, mentitosq; illorum Deos vero cultui; at veritatem figmentis cõtentã eliciemus, vt ex vipera theriacã salutarẽ astruimus, alioqui venenosam, si vt decet, parentur. Non secùs nos filij Semelis adulterio sati, serpentisq; aborsus, secundo ortu sumus nati è femore, è robore, virtute Dei, vt perfecti & integri lucem experiamur, genimina viperarum duplicis partus. Leuitici 15. sic dicitur: *Docebitis ergo filios Israël, vt caueant immunditias, & non moriantur in sordibus suis.* Viperas extergunt & in theriacam parant, lingunt, & mundant Dei ministri, ore, & doctrina, rostroque potentiæ. Pane puro ab excrementis libero, sale, anetho, aqua limpida, in vase terræ virginis, argilla dicta Græcis, elixant, dissectas priùs, extremis capite, & cauda rescissis, ossibus, visceribus spinisque tandem re-

iectis. Panis viuus qui de cœlo descendit, non de aëris infima sede, vt manna, de cœlo; imò de Patris sinu, de substãtia Patris, liber omni labe, Deitate ple-
39 nus, in vase terræ Virginis Dei genitricisque purissimæ subacto, formato, sale sapientiæ Patris, sapientia ipsa, sal ipse: viperæ non quolibet sale parantur, fossili imò, & terræ sale; dicitur capite illo citato de Theriaca. Dictus sal gemma; sal enim alter communis, sapientia mundi, & capitis vertigines infert, inflatque, strepitum facit, sitim inextinguibilem affert, sistit ventrem, retinet exsiccata excrementa, & exuccia, virentia exurit; nil fert viuere secum, vbi adest ille, imò consumit omnia, citò liquescit, euanescitq; igne & aqua, deest, resilit, fugit charitatis vim, oleo & pinguedine tantùm consistit abundantia & copia, fluctibus aquæ, & afflictionum tumultibus, inconstans, desinens hic sal, hæc sapientia, inuidiam generat, æmulationem, odium, nil secum viuere sinit. Vertiginem infert, capitis inconstantiam: illud euanidat, reddit vanidum, inflat hic sal, sapientia hæc inflat. Paulus 1. ad Corinthios 8. *Scientia inflat*. Est natu superbus sal hic, solem expectat, vt concrescat, aut violentiam ignis, cùm semel igne genitus, ingratus genitori resiliat, fugiat, odioque habeat ignem, strepitu nimio, & contentione; dissidet cum illo scãdalo, odium manifestat, detegit liuorem; quæ omnia huic sali adscribit Dioscorides lib. 5. c. 83. Galenus 3. de alimentis, & 9. simplicium latè, & 2. de compositione per genera, Aristoteles sect. 1. & 2. problematũ, Plinius, & reliqui posteà. Hieroglyphica, & tropi scientiæ, quæ sine charitate est. Fossilis verò subtus terrã oritur, ortu humilis, excrementa detergit, expurgat ventrẽ, ne caput grauet, infestet, & circũrotare faciat, medicamẽtis expurgantibus immiscetur, vt

eorum

corũ vires augeat,& acuat, firmat caput,vẽtriculum ſtabilit,admittit alia ſecũ,nõ vrit vicina viuẽtia, fert proximum.Suſtinet imò,nõ inuidet,humilis ſubtus terram;nam ſi ſciẽtia inflat,charitas ædificat;Paulus eo loci. Quò humilia fundamẽta,profundaque petit ædificium, quo eſt cœlum attingendũ;Deus imò ipſe contingitur charitate,& ſapientia hac,ſale. Fert hic ſal ignem, igneſcit, vt metalla & ferrũ ſine ſtrepitu. Dioſcorides eo loci de hoc ſale,Galenus loco adducto,reliqui. Charitatis ignem ſuſcipit, inflammatur cõſtanter, vt ferrum fert ignem,& nõ vritur, aut euaneſcit , non reſilit ab igne , ignitus ducitur malleolo facilè, & formatur blãdus,ſine renixu aliquo,ſe ſeruat vt ferrũ igne,perficitur,nõ corrũpitur, aut vritur,non igneſcit vanitatis ſtrepitu , nec flatus generat, vt circũrotet caput, abſumit illos, vt conſtet, & firmetur imò, conſiſtit medio aquarum , tumultu perſequutionum, & laborum, non liqueſcit, ſubſtantia denſiſſimus,olei parum,aut nil ſuſcipit,vt ſpongioſus alter, qui imbibit oleum. Abundantia, & copia vtitur ſobriè. Hinc Chriſtus conſulens Apoſtolis,onúſque & officium Apoſtolatus exponẽs, Matthæi cap.5.inquit:*Vos eſtis ſal terræ*, non ſal quilibet,vanus,citò euaneſcens,imò ſal terræ foſſilis,ſal gẽma,humilis,cõſiſtens, facilè ductilis, ſemel atque incaluit,virtutum dictarũ ſal,& dotium. Euaneſcit autẽ hic ſal adhuc,& exoluitur, & ſi difficiliùs multò reliquis omnibus ſalis generibus ; diuiſus & tritus in pollinem, ſpirituſque defectu, & aëris charitate deficienti,& ſpiritu non vẽtilatus , tandem putreſcit,aqua & igne tritus euaneſcit, oleoque;quod alteri communi non contingit facilè , adeo in oleo ventilationis exercitij in proximum defectu.Plinius lib.31.c.7.docuit, ſalem eſſe è Nilo euectũ, fontibus

quibuſdam circa illius oras, rubrũ & aſperum, oleo ſolùm diſſolubilem, abũdantia rerũ, & pinguedine, ſapiẽtia multoties luxuriat, & euaneſcit, effrænis & copia furit. Quod ſi ſal euanuerit, & defecerit, ſi ſapientes, ſi Doctores, ſi ſal, qui, vt ſuperfluam rerum humiditatem abſumat, inditur corporibus, ne putreſcat excremẽtitia humiditas, inficiatque corporis ſubſtantiam, & putrefaciat; ſi, inquam, euanuerit ſal, & liquerit, in quo ſalietur, in quo ſalienti, in quo efficienti alio, in qua materia rerum, in quo alio rerum genere res ſaliẽtur? ſi ſal liqueſcit, humeſcitque adeò, vt potiùs humiditatem alliciat ſibi, & aliis, quàm abſumat; ſal enim in terra exiccat, in aquis humectat, biſcocti panes qui nauigantibus parãtur, ſine ſale cõdiuntur, putreſcũt enim humiditate allecta ſalis, vi in aquis nimia, & cõtinua, qua humorẽ vocat, vt exoluat, reſolutiua qua pollet virtute. Cùm ſit ergo vnde iugiter euocet, & perpetuò in aquis tanto tractu continuo putredinis cauſa eſt, in terris quam trahit, ſoluit, extenuat, vt euàneſcat, deficiẽtique copia, exſiccat, vt in aquis humectat; cõſeruat, vt in aquis corrumpit. Euincitur enim multa aquę humiditate ſal, abũdantia & luxu rerũ, in terris vincit humiditatẽ minorem, remiſſiorémque ſiccitate, & inopia. Si ergo ſal, qui exſiccare debet corpora nimio luxu humet, ſi humectat reliqua, ſi ſapiẽtia hæc emolitur, & demolitur, in quo ſalietur, in quo exſiccabũtur rerum genere ſuperflua, humiditate nimia, qua fluctuánt, & madent, in quo continebũtur in ſe res, vt ſiccũ cõtinetur, & nõ ſe exedent, vt humida diſſoluũtur, & liqueſcũt facilè, ſicca enim cõtinẽtur termino proprio, humida alieno. 2. de ortu Ariſtoteles. Ad nihilũ valet vltrà ſal liquefactus ſemel, quàm vt mittatur foràs, ne nimiam alliciat humiditatẽ, pu-

treſcatque

trescatque domus eodẽ, domus enim salẽ quæ obseruãt, antiquò, salitas imò carnes (videre est in salitis suibus reseruatis) sal humectat adeo fundaméta, vt videamus madẽtia illo, ruinam tãdem domorum cõcitare (visũ pluries.) Sternatur ante pedes ergo, & cõculcetur ab hominibus, pedibus spernatur sapiẽtia eorum calcaneis & vilibus hominibus, ne capiti officiat, & vertiginem inferat vaporũ ascensus salis, vt incutiũt, & inferũt natura. Videmus vertigine laborare qui salis opera exercent, illũque condũt locis salitis; caput enim apprehendit, & subuertit, exẽplo & malitia sapiẽtium, alios qui sale vtũtur corrupto, & deprauato. Imò cùm Christus Matthæi 5. eos vocasset ciuitatẽ supra mõtem spiritui obuiã, aëri peruiam, salubribus vẽtilatam ventis spirãtibus, ordine & gubernatu dispositã, morigeratã, vnitã, vniuersalem, id est, catholicam, & nominibus multis cõmendasset dignitatẽ, officiíque munera retulisset, mundi lucem, luminaque iustitiæ solis, subdit. *Vos estis sal terræ*, lumen enim amplius splẽdet, si materia in qua fouetur, & alitur, sale inspergatur, fossili tamen, vt in lichinio est videre, & docet Aristoteles sect. 23. problematum, & Macrobius 7. Saturnaliũ, Plutarchus quæst. 9. 1. symposi. & omnes experientia norũt. Sal verò antiquis à verbo Græco ἅλς, cõdio, quia condimẽtum est, dicitur, metathesi figura, nã *als* præposita. S. est sal, qui vt vult Plinius loco citato, est vtilis adeò nostris corporibus, vt sale, sole viuat animal solis; vocauitque solẽ, terrenum salem, qui fouet, viuificat, carnes corruptas resarcit, à corruptione vindicat reliquas: sol verò eas corrumpit, & putrefacit, seruat viuas solùm sale minùs mortuas inquinat, at sal viuẽtes & vita defunctas asseruat immunes à corruptione, & fætore, tam sapientiam & animi salem

 signi

significans, quã illũ quo & gratiã, saporẽ rebus conciliamus, & vitamus corruptionẽ. Terentius in Eunucho, *Qui habet salem qui in te est.* Donatus ibidem, sal neutrũ pro condimẽto, masculinus pro sapiẽtia, salque gratiã, & vrbanitatẽ in plurali notat. Quò cũ Apostolos vocasset lumen, lucẽque, solis iustitiæ radiis splẽdescentes, doctrina, & cognitione, salis nomine eos insigniuit, qui & lucẽ & lumẽ splendescere faciũt, & nosci; exẽplo & sanctimonia, lumenque acceptũ fulgere, vt sal lumẽ auget, immistus pabulo ardẽti, quę ad laudẽ Apostolorũ; & officij onus spectãt eo loci, quo subdit, *si sal euanuerit, in quo salietur?* si sal qui natura, miniméque obnoxius putredini, siccus est (& squallidus pœnitẽtia, & abstinentia paratus tropologicè) euanuerit, & maduerit affluẽtia & vditate vitiorum, vt salis officio fungi non possit, lumẽque iuuare & augere; imò humiditatis vitio in se acceptæ lumẽ suffocet, & extinguat; vt sal facit, si madidus & humidus igni misceatur, & lichinio, euanescẽs & resiliẽs, ignẽque fugiẽs, in halitus peruolãs strepitu, si sal talis fuerit, & qui alios corrigere & docere à vitiis debẽt, cũ sint lux, illuminare & ostẽdere, in quo salietur? quo sale, quo ministro, hoc molietur opus, indoctone aut ignoranti, corrupto & cæco? ad nihilũ valet vltrà salsugo talis, salque ille emortuus & extinctus, nõ sal lucẽ impediẽs, si euanuerit, si desierit sal esse, quàm vt mittatur foras, ne corruptionis maioris sit occasio, & causa; cũ nõ impediat putredinẽ; proiiciatur, vt conculcetur, & subtus pedes sit hominibus, & iis in quorum gratiam cõstitutus erat, destitutus officio, & dignitate, iis cõculcetur, quibus honoraretur aliàs & coleretur: *episcopatum eius accipiat alter.* Imò sal ille Agrigentinus dictus nominé, ea ex parte aduectus, ignem patitur, & mi

& mirabile dictu, exilit ab aquis, iuxta Dioſcoridem libro 5. cap. 38. & Plinium lib. 31. cap. 7. à quibus alij ſuſcipiunt. Ij gratiæ aquas fugientes incidant in ignẽ, & in gehennam ignis mittantur. Et ſi Theriaca celebratiſſimum auxiliũ vipereis morſibus extet ebibita, tum applicita ictui virulento ad extrà animantis, omnibuſque vnicum ſit præſidium venenis, tamen experientia, & ratio inter omnia auxilia quæ viperæ morſibus ſubuenire poſſunt nullum maius firmarunt capite ipſo vipereo in pollinem redacto, generoſiſſimo vino ebibito, inſperſoque vlceri facto, ob ſummam huius partis potentiam alliciendi venena ad ſeſe; quò reliqua expurgata viru & cruore ſuperſunt. Caput ſerpentis, peccatique ſuperbia eſt, qua nos icit, & læſit ille; dixit, *eritis ſicut Dij ſcientes.* Caput hoc ſuperbia, quæ & animi elatio, venenoſa adeò & lethifera, in pollinem redacta, in cognitionem propriam. Eſt homo puluis, & in cinerem reuertetur, qui ex cinere eſt. Proficua ſunt, & vtilia nimis, humilitaſque ipſa vitij remedium, hæc hiſmet ictibus ſalutaris, quos infligit ſerpens, ſuiſmet ictibus capitis, caputque in pollinem redactum auxilium.

De Aſpide ſerpente.

Capvt IX.

PSalmo 90. ſic: *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Deuteronomij c. 32. populi ingratitudinem ſæpius à Domino caſtigatam Moſes referens, ſic inquit: *Fel Draconũ vinũ ipſorũ, & venenũ aſpidũ inſanabile.* Qui Latinis aſpis aſpidave cõpellatur, Hebræis פתן *pethẽ*, Grecis ἀσπὶς, quòd

quòd frequentissimus sit serpens insulæ dictæ Aspis in mari Lycio, tenet Plinius lib.5. c. 31. tum quòd promontorium Africæ dictum Aspis, quod formam scuti repræsentet, sic dictum Græcis ἀσπὶς, scutum, iis abundet animantibus, cuius meminit Silius iis: *In Clypei speciem curuatis turribus aspis.* Strabonius l.6. sic de promontorio hoc, & ciuitate eodem nomine insignita eiusdem. Corsura insula est ante Aspidem sita, Carthaginensem vrbem, quam Clypeam vocant. Hinc Aspis, quòd caput scuti formam obtineat huius animantis, Græcis enim ἀσπὶς, parma est, scutumve cauum, & ἀσπίδεα, scutorum ciuitates. Huius tres species norunt authores, vt videre est apud Plinium locis adductis, Ælianum, Ætium l.3. serm.1.c.20. Paulum lib.5. c.19. vbi sic dicitur: Aspidum apud ferarum scriptores tres species reperiuntur, quædam enim ex eis terrestres, seu cherseæ dictæ, Græcis enim χέρσος, terra est: quædam Chelidoniæ, quæ circa fluuiorum ripas præsertim Nili, latibula possident, dictæ Chelidoniæ, quòd colore hirundines aues Græcis compellatas chelidonias imitentur, parte dorsi cærulea, & nigricante, tum quòd ventre æmulentur viride Chelidoniæ virentis herbæ, & si dorso dorsi, colorem hirundinum nimis. Quædam verò ptyades nominantur, vt tenet Plinius lib. 28. c.6. quòd venenum in oculos expuant, hósque solum inficere tentent, obcæcareque antipathia, & contrarietate naturæ, splendoribus oculorum aduersantes, quæ nulli alij intentant officere parti, præterquàm altiori & perfectiori sensui animantis, à πτύειν verbo, seu expuo. Has verò tres Aspidis formas sic distinguit Ætius, Cherseæ, seu terrestes maiores sunt, & quandoque vsque ad quinque cubitorum longitudinem extenduntur.

Ptyades

Ptyades verò maximè bicubitales. Chelidoniæ cubitales,& maiores aliquantulum, quę colorē hirundinum referunt. Ptyades ſunt colore cinereo & viridi,ad auri colorem declinante. Plinius eadem refert, Paulus libro 5. c.19. Nicander in theriacis, Galenus de theriaca ad Piſonem,c.3.4.& 5.Dioſcorides libro 6.c.52.& 68.Edoardus libro 6.c.114.Rhodiginus libro 25.c.31. & 27.c.14. Solinus in Polihiſtoria, Auicenna libro 4 fen.6.tractatu 3.c.21.24.& 26. Cherſea, ſeu terreſtris, quòd ſubtus terram diutiùs viuat reliquis aliis magis,quę & hypnalis aliquibus appellatur,ab ὕπνος græcis,quod ſomnum ſignificat,nam profundiſſimum infert ſoporem iis, quos ſemel inuaſit, dormiendíque inexplebilem neceſſitatem, ſic vt citra omne doloris genus diſcedant, lethargo altiſſimo,veternóque cōſopiti, morbo,& ſomno profundiſſimo ſepulti,vt non ſolùm ſine dolore,& moleſtia diſcedant læſi,voluptate imò, blandiſſimóque excitato ſenſu, dulcedine mira, quieti, tranquilli, & placidi,in medio diſcrimine,vt quieſcentes exhalent animam;,impręuiſáque occupentur morte,& inſperata, quo minùs de remediis agatur, & ſuccurratur minùs infectis,inopinatè venienti, ſubitanea, & improuiſa, miſerrimum mortis genus. ſenſit Dioſcori- 43
des lib.6.c.52. Paulus lib. 5. c. 19. Solinus in Polihiſtoria c. 30. & reliqui adductis locis : hoc Aſpidum genere Cleopatram diſceſſiſſe,ſibíque mortem conſciuiſſe omnes fatentur, ne victorias & triumphos Auguſti ſubdita honeſtaret, Marco Antonio deuicto, cùm vt minùs mortem perſentiret,ſomno oppreſſa,allecta dulcedine, narrat Solinus citato capite,Paulus,Ætius, Edoardus, & alij quos ſuprà retulimus. Hac antiquitùs feriebantur morte damnati latere ſiniſtro, qui cùm per tres quatuorve ſpatij

paſſus

passus processissent, concidebant illicò, vita posteà illa defuncti. Cleopatra cùm apud Ægyptios hoc mortis genus expertum haberet, suóque iussu multos edicto regio eo mortis genere damnasset regina, viriliter mortem eodem sustinuit, vt infamiam vitaret & ignominiam, triumphísque Augusti non interesset, arripiens ab illo gloriam, palmámque, & morti relegans, satius iudicans mortem sui triumphos, victoriásque reportare, quàm amantissimi Antonij Cęsarem inimicum, honores. Restat adhuc animũ vincere, superato mortali. Hæc minimũ infert vulnus, insensibile quasi, tum ictu, tum posteà est minimum, minúsque acus punctura leui, minimè edolens, dulcedinem imò, affectúmque voluptuosum, & placidum afferẽs, quasi imperceptibilis ictus; fatẽtur omnes locis adductis. Vocant hanc Ægyptij Thermuthin (vult Edoardus suprà) Ælianus lib. 10. c. 32. quasi græcè dixeris, terrestrẽ, quod idem est ac Chersea; quòd colore terrã, cineremq; repræsentet, & multo tempore subterranea viuat. Iisinet Aspidibus, nõ secus Psilli, & Marsi dubiã, & incertã prolem explorabant Aspidum ictibus, genuinos enim & pudicos, propriosq; filios non icunt Aspides, spurios verò & nothos, filios iniqui tori exterminabãt, & inficiebãt; illius generis sobolem veram lingunt, & timent crudelissimæ aspides, venenataque omnia, vt latè 1. lib. monstrauimus ex Plinio, Æliano, Solino, Galeno, & reliquis. Hinc Lucanus lib. 9. *Lethifera dubios explorant aspide partus.* Lethargo & cataphora graui, somno altissimo correpti occidunt, Aspide percussi & lęsi. Est enim aspidis proprium, profundissimum somnum inferre, vt ij omnes sustinent authores, quò Lucanus lib. 9. dixit: *Hic quæ prima caput mouit de puluere tabes, Aspida somniferã tumida ceruice leuauit. Plenior huic*

sanguis

*ſanguis & craſſi gutta veneni Decidit, in nulla plus eſt ſer-
pente coactum. Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in or-
bem Sponte ſua, Nilóque tenus metitur arenas.* Serpen-
tes Aſiæ & Africæ maiores eſſe Europæ Nicander
docuit in theriaca; ſubdit Lucanus: *Sed quis erit nobis
lucri pudor? inde petuntur, Huc Lybicæ mortes, & fecimus
aſpida merces.* Quibus & ſomniferam vocat aſpida,
& Lybiæ oriri, aduectaríque ex Africa refert Luca-
nus, ſomnifera, vt docet Dioſcorides loco adducto,
ab effectu quòd inducat ſomnũ. Eò enim venit Ro-
manorum auaritia, vt cũ quauis iactura cuiuſuis lo-
cupletari non recuſarent. Hinc venena parabantur
plurima, fecítque vitium hoc, ſacráque auri fames,
aſpidũ cruores inſuperabiles, merces venales, cuius
animantis pertinax virus vt natura frænaret, homi-
num ſolicita, piiſſima mater, velamine circũſepiuit,
vallauítque dentibus inuolutis, ore obſtructo, quaſi
membranulis duplicatis è lingua ſubortis. Excande-
ſcens nunquã vſq; dũ iniuriã caput ſuſtinuit, & ſi of-
fendatur reliquis. Quibus carunculę ſeneſcẽtibus iã
ætate decrepita, iuxta ſupercilia eminẽt dura, & acu-
ta, nõ ſecus atque antiquis auibus calcaria pullulant
ſenio, vltimíq; dentes aliis, & aliis alia, qui otio, ſpiris
cõuolutus, orbib. factis totius corporis, caput è me-
dio erigit, intentúmq; cõtinet, cautus, euigilans pro
ſalute totius, antè & retrò, non minùs ad latera, ſur-
ſumq; & deorſum facillimo negotio, illud pluſquã
reliqua omnia animantia porrigẽs, attẽtè inſpectãs, 44
& à longinquo præcauens futura; ne motũ tardũ an-
teueniat periculũ: igneos protuberantéſque, & emiſ-
ſitios iniiciens oculos, fulgoris plenos, linguã exerit,
viperæ more, capillamentis diſſectam, natura ouipa-
rum, non viuiparum animal, oua ſolùm excubans,
aliorum ſerpentium more, conuoluta membranis,
quæ

quæ fouet mas. De victu fœmina sollicita, quòd sit robustior, ferociórque natura mari. Terrę puluerem, catulis subortis, in lucem primò suppeditat, quam lingunt pòst toto vitæ decursu, si desunt reliqua, non secus ac reliqui serpentes, mures & alia. Est serpentiũ primus pastus puluis, prætérquàm viperæ, quæ mucilaginibus vteri alitur, semel atque ex ouis discessit intra fœminea animantis, & extra tribus diebus ac est experta lucem. Isaias 65. *Serpenti puluis panis eius*, Michæas 7. *Lingent puluerem sicut serpentes*, Nicander in theriacis, sectione de aspide, Plinius, Galenus, & alij locis adductis. cum strepitu moueri aspidas antiquas refert Nicander eo loci resiccatis squammis formidabilis corporis natura horridus, impatientissimúsque frigoris, cuius medium corporis maius est mole, extremis, sine proportione. Visuntur magnitudinis viperæ communes apud nos, in Africa verò mensuræ orgiæ, id est, vlnæ vnius, aut vt interpres Nicandri vult eò loci, quatuor cubitorum; amplitudinem verò dixit Nicander tantam esse, quantus est iaculus sagittæ communis, terribilis virulentiæ moles. Variis coloribus depictas inueniri apud diuersas gentes narrat, alias albicantis coloris, corporis squallidi, dorso virides, tum & maculis inspersas, cinereas, ardentes, ignitas sub gleba Æthiopum nigras, colorísque vliginis fluuiatilis: cuius ea est fœcunditas animãtis, vt sexaginta oua simul circumligata membranis exponat. Plinius libro 10. cap. 74. Ælianus libro 3. cap. 32. spiritibus emissis, toruo aspectu oculorum, eos quos respicit obcœcare tenet, more Basilisci Lybicas aspidas. Theremuthin Aspidẽ Isidi Deæ sacram venerabantur Ægyptij, id est, cherseam & terrestrem, hásque receptas in quatuor angulos domus numinis, ex ærario publico educabant, adipe bubulo

bubulo oblato, locis adductis refert Ælianus. Nullus ictus, morsus nullus inter serpentes leuior, minor est, aspidis morsu, sed nullus deterior, virulentiorve in natura omni, didicit Augustus ex Cleopatra, aduentante illo in conuiuio, quodnam esset genus mortis magis doloris expers, eam quæ gladio infertur infamans, dolorum cruciatibus, vulnerumque miseria; quæ verò epoto veneno laboriosam iudicans, conuulsione, euersione ventriculi, cordisque anxietatibus, Cleopatra summis laudibus extulit illam, quæ ex morsu aspidis sequitur, quod postea proprio experimento firmauit, libro 9. Ælianus libro 11. Improbos & scelestos homines, impuri & obscœni corporis, vafros, & versutos, vitiosos, luxuriantes, aspidas sine offensa prægressa icere spurcitia & immunditia allectas, Plinius retulit loco adducto, Philarcus l. 12. c. 7. Nymphes lib. 6. eorum quos 45
scripsit de Regibus Ægypti Ptolomeis c. 9. probos verò & innocentes lingere, lambereque, posteà vero capite in terra relicto spiris illos amplexari, retinere, quasi cum illis circumuolutæ velint in posterum vitam agere. Nimis amatores farinæ, & mellis, dociles natura, & in tanta feritate placabiles, eo enim loci Philarcus ab Ægyptiis coli, easdemque eo cultu mansuescere, retulit: cibóque cicures fieri, simulque cum pueris infantibus conuiuentes in nullo eis nocere, eas verò appellatas ex caueis prodire, atq; ad appellantem accedere: digitorum autem crepitu vocari, araneorum instar, vt pueri assolent circa domicilia quæ inhabitant, Ægyptij in Aspidum nationem hospitalissimi, primùm vt pransi sunt, statim tēperatas vino & melle farinas in mensa exponunt, posteà plausu dato, eas tanquam conuiuas ad prandium vocant, illæ velut ad condictam cœnam inui-

tatæ, aliæ & aliæ aliunde erumpentes accedunt, & mensam circumstant, ac reliqua omni spira in solo terræ relicta, caput alleuant, circumlambunt, & ingerunt massas in Isidis honores, cõuiuio facto inuitatæ sensim, quæ & moderatè explentur. Cùm autem Ægyptij de nocte habent necesse surgere, ne ipsas in tenebris conculcent, iterum percussione digitorum vtuntur, ea, vt de via decedant, signum dantes: & illæ sonitus discrimen intelligentes, confestim in latibula abstruduntur, vt qui de lecto surgit, posteà in nullas ipsarum incurrat. Plinius ex Philarchi historia hæc libro 10. capite 74. De Aspide miraculum Philarcho reddatur, is enim autor est; cùm ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur assiduè, enixam catulos aspidam, quorum ab vno filium hospitis interemptum, illam reuersam ad consuetudinem cibi, intellexisset culpam, necem intulisse catulo filio amantissimæ soboli, nec posteà in tectum id reuersam, ne iniuriæ vindicta sobole priuaretur: dixit mansuescere Galenus inter omnes serpentes solum Aspidem, libro de curandis animi morbis, c.1. Diis Aspis sacer erat, Regumque coronis insculptus, & maiorum thiaris, sacrorum mithris, quod maximè omnium naturæ animantium prouidentia vtatur in se, & in sobolem amantissimam, quam præmunit præuenitq; à periculis, & euentibus per annũ integrũ anteà (mirabile dictu) illa enim inundinationes Nili præsentiens, quantæ futuræ sint, ad quosque terminos illuuiones illius peruenturæ fundat latebras, struitque cauernas ea altitudine, vt nullo modo lædi, perturbariue eisdem possint. Hinc quanta futura sit illuuies Nili, ex earum mẽsura facilè dignoscũt coloni ouorum fœtura, & geometria excubatus. Eosdemmet omnes habet sententia autores, Nymphæum

præ

præcipuè libro 9.c.10. Ælianum, Philadelphum lib. 30.c.3. Serpens hic eiuſdem temperamenti eſt, atque vipera, & ſi calidius venenum obtineat, vt in ſumma reptilia omnia vera ſunt vnius complexionis, mucores quibus referta eſt, eorumdem ſubſtantia, frigidi quarto gradu, venenoſi, & lethales, toto genere deleterij, humidi tertio. Caro ipſa deterſa, & ab eiſdem libera, calida tertio, & ſicca, vt in viperis diximus, quòd reiectant venenum, calidum quarto, ſiccū tertio. Quò flagrant incendio læſi per initia, & æſtuant, poſtea verò ſumma veneni malitia, conflagratione, ſpiritibus calidis reſolutis, tenuibuſq; ſanguinis partibus virulagine tetra euaneſcentibus, ſiſtit ſanguis, concreſcitque frigore ſuccedente, calidorum abſentia, ſubſtantia calida exoluta euolante, vt algeant, & rigeant tandem his veneno infecti, & aſpideo viru, ſomnoque ex hymnali graui afficiantur, impotentia vigilandi potiùs, calidorum exolutione, ſubita potentia veneni. Ipſa verò venenata omnia torpida, ſomni- 46
fera, grauia, mucore illo frigido vndiquaque referta ſunt, præterquàm capite, vbi ignis, venenumq; cauſticum ore continetur, frigoris obiectu calidius, vt frigidior mucor tanto æſtu ſit capitis. Cōtraria enim contrariorum reficiuntur præſentia, vt extremis diſtemperata ſint nimis reptilia omnia, ideo virtute venefica potentiſſimæ actionis, iis perfectiua, naturaliſque venenatis, qua ſua opera exercent, & vitæ munia, aliis noxia, & deleteria, contrariaque aliis qualitatibus aliarum formarum requiſitis adeſſe. Hac ſunt potentes ſerpentes, & perfecti in eſſe & opere, abſolutíque omnino hac viuunt, & conſtant, hac ipſæ alia inquinant, & inficiunt; hac inferunt mortem diſpoſitione illa, qualitateque perfectiua corrupta qua eget anima, vltra temperiem primarum

qualitatum, vt insideat corpori, nota per actus & opera, vt & aliæ reliquæ. Si enim ex qualitatibus esset dispositio vltima, solúmque ex temperie primarum corruptibilium virtutum, vt nulla alia qualitas dispositiua exigeretur, pro ratione vltima, formæ inducibilis; mistum aut animans temperiei intensioris, cùm priùs remissiores omnes percurrat in transitu proportiones, temperiesque formarum infernarum, illo temperamento & intensione, dum it ad tēperamentum intensius, priùs formas omnes mistorum, & viuentium reciperet, illasque necessariò cōtingeret, antequàm susciperet intensiorem. Cuius contrarium experientia docet, & ratio simul; neque enim homo priùs vt generaretur, præcessit eius materiam equus, formica, elephans, & remissiora alia temperamento; imò his constat, virtutes alias exigere formas, dispositionesq; vltimas, vt assideāt materiæ, tum vt multa perfectiuis actionibus operentur, supra elementares virtutes, his è cœlo superno corpore acceptis; non secus ac reliquas ab infernis elementis suscipiunt. His mirabiles actiones veniunt, quas vulgus occultas vocat, & abditas, cùm sint per effectus manifestæ, & conspicuæ, vt aliæ quæuis, quarum non est sensus: neque enim sentimus qualitates, & virtutes aliorum, sensu solùm, imò per effectus quos ex eisdem sentimus nos, vt virtutem vegetatiuam alterius, quia crescit calor quo nos calefacit, magnetis quia trahit, & alias non minus. Constant hæc cum eadem & diuersa qualitatum portione primarum, & temperatura, vt in plurimis est videre lapidibus, herbis, animantium partibus, mistisque substantiis, non minus, hasque virtutes formas prosequi has, non illas, receptas in subiecto, cœlo obsequente, formarum modos, ab agēti dispo

diſpoſitione vltima inducta ſupra elementares cauſas, vſu primarum virtutum inſtrumentali, vt diſpoſitio vltima cum quauis intenſione earum inderetur materiæ, forma vt recepta, iuxta illam, mirabiles cœlum & altas virtutes impertiat, & dotes raras, vt exigit natura quæuis, menſura entitatis propria. Sanguine verò concreto, coagulatiſque humoribus, & ſi venenum calidum ſit nimis, ſegnities oritur, torpor, ſomnuſque profundus, calore deſtituto cerebro, ſpirituumque abſentia.

Primam partem dubiæ naturæ Aſpidis, ex ſacris ſcriptis renuncians.

CAPVT X.

DEuteronomij c. 32. populi ingratitudinem ſæpius à Domino caſtigatã Moſes referens ſic in- 47
quit: *Fel Draconum vinum ipſorum, & venenum aſpidum inſanabile*. Vbi, aſpidis virus remedio deſtitui profert Spiritus Deus. Quæ adhuc & cognouere gentes, & Ariſtoteles de hoc diro & tetro veneno 9. de hiſtor. animalium. c. 29. protulit his. Aſpis enim anguis, ex quo mendicamentum putrificum illud cõponunt, in Africa gignitur, cuius ictui nullũ remediũ eſt. Quod eſt, eſſe inſanabile. Plinius libro 8. cap. 23. ſic. Colla aſpidum intumeſcunt veneno, nullo ictus remedio. Paulus lib. 5. c. 19. idem Ælianus libro 1. c. 57. ſic ſcripſit: Viperæ, & aliarum ſerpentium morſus, non carent remedio, ex hiſque fieri potiones, atque vnguẽta percipio, incantationeſque quorundam illitum venenum mitigauerunt, ſolum Aſpidis morſum non curari poſſe, eſſeque omni medicina robuſtiorem,

libro 2. c.24. hæc: Serpentium venenum cùm peſtiferum eſt, tum multò aſpidis peſtilentius, cõtra quæ nemo ſalutaria præſidia facilè inueniat, etiam ſi ad leuationis aliquid afferendum doloribus agat, atque adeo ad liberandum ab illis ipſis doloribus acerrimis, ſapientiſſimus ſit; venenatis ſerpentibus incredibiliter perniciosum venenum in homine, ad hanc rationem deprehenditur; ſi aſpide quam ceperis, collum ſumma cautione contineas, in oſque illius diductum expuas ſputum in eiuſve ventrem delapſum, tanta ei pernicie exiſtit, vt inde ex tabe aſpis putreſcat: hûc accedit hominis morſum vel homini ipſi eſſe pernicioſum, nulliuſque animalis morſui de acerbitate concedere; Ætius tetrabiblio 3. ſerm. 1. cap. 20. ſic: Præſentiſſima eſt mors ex aſpidis punctura, nullis remediis, aut auxiliis cedens. Rhodiginus lib. 25. cap. 30. eadem. Nicander ſolùm Ichneumonem ſuperare (cauere propriùs) aſpidis ictus refert, non venenum, hoc enim deuincere nullum naturæ animãs, artibus verò & ſolertia Ichneumon ſolus irritum facit. Sunt hæc intricata ſatis, & difficilia, cùm experientia & ratio, communiſque rerum euentus, remedia plurima veneno, morſuique huius animantis inuenerint.
48 Plinius lib. 23. c. 1. dum aceti laudes proſequitur ſic inquit: Nuper ab aſpide calcata percuſſus, vtrem aceti ferens quoties depoſuiſſet ſentiebat ictum, & cruciabatur, aliàs eo ferente acetum, illæſo ſimilis erat; vbi intellecto ſibi remedio, aceti potu illi ſuccurſum eſt; quod maximum probat remedium aſpidis ictibus; cur ergo inſanabile? tum lib. 20. cap. 17. parat aniſum, & remedia alia plurima, ibi, & alibi. Galenus de Theriaca ad Piſonem, cap. 3. 4. 5. plurima, & varia instituit medicamina, & antidotos, quibus venenum aſpi-

dum

dum promittit corrigere, & reuerà corrigit Theria-
ca ſacroque illo medicamento, Deorum quod vo-
cat inuentum idem Nicander lib. Theriaces citato,
Ætius, Paulus, propria capita dicarunt remediis
aſpidum: vbi Paulus lib. 5. cap. 19. vſtionem laudat
ſummopere læſæ partis. Plinius allato loco vrinam
percuſſi, ore ebibitam, vnicum ſtabilit præſidium æ-
grotantis, tùm cerebrum eiuſdem animantis abſor-
ptum, libro de Antidotis 2. aſpidis ictui commen-
dat, Antipatri compoſitionem cerebrem, eo loci
adſcriptam, maximè extollit. Ætius Theriacam, vul-
neri applicitam, centaureæ potum, & plurima alia.
Cur ergo inſanabile aſpidum venenum ſtatuitur,
omnique deſtitutum auxilio, cum his, & aliis cedat
virus remediis, iiſque præcipuè ab ſpiritu Deo, Deu-
teromomij illo? Ætius verò loco adducto ſic ſcripſit:
Cæterùm acceſſiones, & ſigna communia ſunt in
his quos aſpides momorderũt. Vulnera enim in de-
morſo loco veluti ab acu puncta inueniuntur. Bina 49
quidẽ ex maſculi morſu, ex fæmellæ verò quatuor.
Duos habet caninos dentes mas in ſerpentibus om-
nibus, fœmella quatuor, citra dolorem, à quibus nil
effluit, niſi violentum animal ſit, quod morſum in-
flixit, id eſt, ira nimia percitum, nam tunc vulnera
infligit maiora. Cõſequitur autẽ ſtupor, pallor fron-
tis, refrigeratio, hiatus aſſidui, aut ſingultus, palpe-
brarum nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas,
ſegnities, collapſio in ſomnum profundũ, ad finem
verò & conuulſio, & tandem mors. Hæc autem in
tribus ad ſummum horis ex Cherſea ſequitur, ex
Chelidoniæ verò ictu præſentiſſima eſt, repentè &
ſubitò, vt non ſit locus remediis, nec auxiliis aliqui-
bus omni deſtituti remedio vero. ſubdit de Ptyade
hæc. Porrò iis, qui ab Ptyade conſpuuntur, caligo

oculorum succedit, & cordis dolor, faciei tumor, auditus corruptio: tardiùs autem mors consequitur. Idem refert de Chelidonia Ælianus libro 1.c.57. iis: Viperæ & aliarum serpentium morsus non carent remedio, ex hisque fieri potiones, atque vnguenta percipio, incantationesque quorundam illitum venenum mitigauerunt, solum aspidis morsum non curari posse, esseque omni medicina robustiorem: dignum hoc animal odio ob redundantiam mali, at fera scelestior, & quæ minùs vitari possit fæmina est venefica, qualem fuisse Medeam, & Circen audimus; nam aspidum venena, & morsus, opera sunt, & eorum actione & motu insperguntur, at fæminarum virus solo contactu inquinat, & oculis bibitur qui-
50 escentibus. Libro 9.cap.15. hæc. Aspidis morsus si ranam comederit, insanabilis est, præcipuè aspidis fœmellæ ferocioris naturæ, crassiori reddito veneno, frigore ranæ incrassante virus, quò fit deterius, & hærescit plus visceribus, officitque partibus, densa & consistenti substantia magis. Fæminarum iconicon, figuraque aptissima; feroces enim natura, & litigiosæ conditionis, iurgia ferocia emouentes, euomentes virus, mansuescentes nunquam, si ranam comederint, si vltra aspidis furias quibus excandescũt garrulæ, cõtentiosæque dicaces sint, ranæ instar ore arreptæ, venenum summum, virusque lethæum erit. Ecclesiastici 25. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* ferociores aspidibus, & serpentibus iracundiores, Prouerbiorum 21. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda*; cum serpentibus, qui deserta incolunt loca, est melius habitare, viuere, mitius est illorum venenum, quàm mulieris aspideæ, quæ ranam comedit garrulam, rixosa, contentiosa natura.

natura. Idem Auicenna docet de ictu Chelidoniæ
loco allato, Dioſcorides, Plinius, Ariſtoteles ſuprà:
qui & ſi remedia parent aliarum ictibus, huic om-
nes remedia denegant, & auxilia prorſus, omnique
deſtituunt præſidio, vt læſos deſperatos relinquant,
& deploratos. Quibus locus ille conſtat adductus
Deuteronomij cap. 32. De hac enim aſpide eſt ſer-
mo, dum dicitur; *Fel Draconum vinum ipſorum, & ve-*
nenum aſpidum inſanabile. Eſt enim venenum Cheli- 51
doniæ aſpidis inſanabile, & ſi non omnis aſpidis
virus inſanabile ſit, remediiſque deſtituatur, vt patet
locis relatis ſuprà, vbi varia remediorum genera pa-
rantur aſpidum ictibus, tot tantiſque autoribus ce-
lebrata, quæ & ex Marco Varrone colliguntur li-
bro 28. cap. 4. qui diuinum vocat inuentum, vali-
diſſimumque remedium, læſi vrinam ſui ſibimet po-
tu exhibitam, cœleſteque medicamen occultum, &
ſecretum nimis, quòd lotium permiſtum illi vulne-
ris afflicti veneno ſudorem moueat; quò diſcutiat
reliquum virus, quod vulneri viſceribuſque inerat,
vt liber, & incolumis euadat ictus expulſo ſudore
viru, ſimulque cum vrina eluto, deterſoque, & per
amplos lotij canales deriuato: vtimur enim diure-
ticis & vrinam mouentibus auxiliis in affectibus
venenatis omnibus. Tum acetum laudat quàm ma-
ximè, & omnes extollunt ſummis laudibus, interiùs
ſumptum, refectis internis, extincto æſtu quo flagra-
bant illa, aceti frigore tenuibus partibus intima
quæuis contingens, & penetrans, vbi virus latet: iis
huius capitis dubio ſit ſatis, neque enim omnis aſpi-
dis virus inſanabile compellat Spiritus Deus, non
Cherſeæ, non ptyæ, Chelidoniam imò ſolùm hæc
decent non alias. Propoſitio enim, aſſertioque illa
indefinita eſt. Vt verò aſpidis venenũ inſanabile ſit,

ſufficit ſpeciei vnius virus tale eſſe natura, vt eſt Chelidoniæ Aſpidis dictæ, quod nulli remedio cedat omni maius medicamine; hoc verè inſanabile eſt, reliquorum venena ſumma cum difficultate ſuperabilia. Eſt verò ſignum ſalutis, inquit Ætius loco adducto, ſi æger non euomat acetum ebibitum, in ictibus: Vt verò & hoc tãtum prophanũ venenum, tetraſque fugare aſpidas, conſopire, & mitigare poſſimus, remedia abditiſſima naturę huius capitis partem iure obtinebunt. Mitigatur aſpis veneno ęſtuãs decocto rutæ ſylueſtris, ex cœleſti aqua aſpide eodem perfuſo, videre eſt apud Plinium lib. 21. capite 20. Conſopitur verò eodem autore libro eodem cap. 31. radice halicacabi propiùs admota, vires eorundem ſopore eneruante. Aufugantur ſileris odore quouis modo ſuſcepto: docuit lib. 24. cap. 10. Laudat maximè libro 22. cap. 25. pollinem farinæ lupulorum confectum contra eorundem virulentiam; variaque remedia inſtituit libro 23. cap. 1. quæ eſſet longiſſimum recenſere, Ætius verò tetrabiblio 4. ſermone 1. c. 20. hæc ſummè laudat ex opinione Numij antiquiſſimi medici, Numius enim Origanum viridem, aut aridam pro ęgri viribus cum vino dabat. Poſt vomitum antidotis theriacis vtebatur, & communibus remediis prædictis. Vtiliter autem ad plagam imponebat, poſt cucurbitularum adhibitionem, & ſcarificationem, centauream cum myrrha & modico opio tritam. Rumex cataplaſmatis modo impoſita optima. Præter opinionem verò auxiliatur theriaca, tum plagæ impoſita, tum potata. Proſunt autem & aſſiduæ excitationes cum euulſionibus, & laceratione, puncturis, & plagis, & vniuerſi corporis motus, & aqua marina calida fomento aſperſa. Paulus citato capite hæc

comme

commemorat ictus huius virulenti remedia his: Verùm aspidis morsus acus puncturæ similis, omnino exiguus, sine tumore apparet, sanguis non copiosus, sed exiguus, & niger destillat, subita oculorum hebetudo inuadit, dolor corporis multiplex admodũ, sed mitis, & tandem non sine voluptate comitatur. Quapropter rectè Nicander cecinit: *Et vir perit absque dolore.* Mutatur color & virescit, stomachi rosio exigua infestat, frons continuè reuellitur, palpebræ sine sensu, veluti in somno commouentur, atque inter hæc mors prehendit, nec tertia quidem diei parte dilata. His itaque vtriusque membri affecti mutilatio, mox à morsu facta, succurrit, eóque sine mora, si fieri potest, præscindendum est, & in his, & propinquis partibus omnem carnem circumsecare statim, & radicitus vsq; ad os excindere oportet, deinde reliquiæ ferro candenti exiccandæ sunt. Etenim horum virus, sicut & Basilisci, tauriníque sanguinis instar, celerrimè sanguinem in arteriis, & spiritum coagulat.

Secundam partem dubiæ Aspidis naturæ deplicans ex scriptis sacris.

CAPVT XI.

FAcessit negotiũ non minus dubia huius animãtis natura, eis quæ dicũtur psal. 57. Statum impiorũ describens psalmographus sacer iis. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut Aspidis surdæ, & obturantis aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Quibus & aspidem constituit surdam, epitheto illo aspidis surdę, & surdam 52

ſurdam cùm natura vocet, aures obturare ſtabilit,
quod ſurdos dedecet, cùm auditu deſtituti citra id
quod obturent aures, minimè infeſtas voces, aut ſo-
nos moleſtos poſſint ſuſcipere, nec viſu excitabun-
tur, vt recludant aures. Cur ergo ſurdus obturabit
aures, cũ citra id audire nõ poſſit, nec percipere ſo-
nũ? & cùm ſurdam vocaſſet, addit, & obturãtis aures
ſuas, ne exaudiat vocem incantantium, vbi ſurdã, &
obturantẽ aures appellat aſpidem. Et augẽt dubium
quæ Plinius, Dioſcorides, Paulus & reliqui de natu-
ra huius animalis retulere locis adductis, præcipuè
Plinius lib.8.cap.23. vbi in hæc verba prorupit: Non
eſt fateri vtrum natura largiùs mala, an remedia ge-
nuerit, tã primo aſpidi hebetes oculos dedit, eoſque
non in fronte, ſed in temporibus. Excitatur itaque
ſæpiùs auditu, quàm viſu; pollet enim auditu acer-
rimo aſpis, at viſu hebeti. Idem Ælianus locis rela-
tis, & reliqui naturales omnes, auditus conſtituunt
aſpidas acerrimi. Galenus 4. ad Piſonem, & alibi ſæ-
53 pe: Tum cùm ſerpentes omnes, vt & auium plurimæ
auriculis careant, & in aſpidibus id experientia edo-
ceat, mutilas eſſe & ſine auribus, docuit Ariſtote-
les 3. de partibus c. 12. Vbi corticata omnia ſolùm
meatus auditorios poſſidere tenet, non aures, vt &
aues, & quadrupeda ouipara; inter viuiparaque ma-
rinum vitulum carere auriculis edocuerit. Hæc om-
nia ſolùm contenta auditorio meatu, Delphinum
imò audire ſine auribus, & ſine meatu aliquo, aut
orificio, 1. de hiſtoria cap.11. referat, cùm ſerpentes
omnes tegantur cortice, vt patet eodem lib.1. c.6.
& aſpis ſerpens ſit, vt conſtat 9. de hiſtoria cap.29.
omneſque tenentur concedere, qui quove modo
aures obturabit deſtitutus natura auriculis, quali-
terve impius furore agitabitur ſecundùm ſimilitu-
dinem

dinem ſerpentis,& ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, vt voces malefici & magici nō percipiat, & ſuſcipiat ille, vt contrahetur, imò auréſque obturabit brutum animal, & rationis expers verbis ſignificantibus quæ non callet illa, nec percipit, aut maledictionibus? Sunt hæc omnia difficilia ſatis & abſtruſa. Vt verò quæ addubitantur poſſimus diſſoluere, venit in medium Auicennæ locus libro 4. fen. 6. tractatu 3. capite 21. vbi in hæc verba prorupit: Eſt de his ſerpens nominatus aſpis ſicca, propter vehementiam ſiccitatis ſuæ cutis, & eſt in quantitate ſua inter tres cubitos, vſque ad quinque, & color ipſius eſt cineritius, & ad citrinitatem decliuis, oculi eius ſunt vehementis luminis, & interficit à duabus horis vſque ad tres aliqua eius ſpecies, & de eis eſt expuens, quoniam ipſe poteſt inficere per ſputum ſuum, & proiiciunt ipſum quidam, dentes eius conſtricti ſuper alios, quare interficit eum ſuper quem cadit ſputum eius, & odor ſputi eius, & longitudo eius eſt vſque ad duos cubitos, & interficit illum ſuper quem cadit ſputum eius antequam doleat; c. verò 25. ſic: ſigna morſus aſpidis ſiccæ, & eſt de ſurdis, illi quem momordit accidit illud quod accidit ei quem mordet hirundo; quare alteratur color eius, & ſtupefit, & multiplicatur ſingultus, infrigidantur membra, claudūtur palpebræ, profundè dormit; Eſt cura eius, cura ſurdorum ſerpentium mutorum. Quibus Auicenna aſpidam vocat ſurdam, natura deſtitutam auditu; diſcunt enim animātia adhuc vóces, & aliorum imitātur dearticulatos ſonos, cū rationis expertia aliorum expertium rationis, tum & rationalium verba proferunt multa; pica profert, turdus, pſittacus voces humanas, & alia pleraque, hominum cantus, modulationes & ſonos ex illis plurima, diſcúntque inter

inter sese quædam ab aliis voces, significantésque sonos sibi ipsis animantibus, naturæ ductu, auditu supposito, cuius defectu naturales voces ignorant pro occasione emittere surda, vt reliqua faciunt, speciéique eiusdem, aut alterius signa, videmus animãtia plurima vociferari aliis clangentibus, dolentibus aliis, & quouis alio affectis modo. Videmus catulos paréte percusso latrare, & clamoribus omnia pertundere, vt & visu ediscunt imitari motus, psallere, se erigere, & alia. Non minus auditu hæc suscipiunt, secus si orbata, destitutáque illo viuant, quò, & sunt muti aspides cùm à nullo animanti hæc possint suscipere audiendo, eo sensu destituti, & quòd aphoni sint, & sine voce vltrà, sine rictu & sibilo; muti, silentesque omnino, non solùm surdi, voces quòd non audiant, vt contingit ortu surdis, & mutos esse, quòd auditu destituantur, vt in loquelam excitétur, qui, & si vociferentur, non sermocinantur quòd auditu dearticulationem soni non suscipiant, vt sunt plurima natu, sed ideo quòd natura voce destituantur, aphonáque sint. Aspides, vt plurima alia priuantur voce audientia adhuc, inter homines & animantia, mutorum secundum genus quod est, aspis verò, & quòd non audiat, & quòd natura sit destitutus voce, mutus compellatur, & est ideo, dicitur Ecclesiastes 10. cap. *Si mordeat serpens in silentio, nil eo minus habet qui occultè detrahit.* quæ de hoc serpente intelliguntur, cùm in silentio mutus inuadat occultus & tacitus, quo præcaueatur minus. Venenum verò diffundit tetrum, lethale & mortiferũ, sic qui occultè detrahit, vbi alter nequit sui reddere rationem: in silentio alterius est, ac si serpens mordeat aspis in silentio mutus. In absentia sic ille ore inficit & spurcat halitu, qui detrahit occultè. Surdus

aspis,

aſpis, qui alterius non audit excuſationes, & defenſam; cùm enim curioſiſſimi viſus, acutiſſimíque, vt monſtrauimus, hæc animans ſit, & nullius auditus, omnia acriter cernit, & nullius rei excuſationẽ, purgationémve admittit, auditus defectu, quibus meritò comparatur detrectator aſpidi mordenti in ſilentio, acutiſſimi viſus, hebetiſſimi auditus, natura mutus; vt ſatisfaciat iis quos læſit ſemel. Surdã eſſe aſpidẽ tenet Ælianus vltrà adductis locis, Ætius, Paulus, & reliqui omnes de Chelidonia & Ptya; Cherſeas verò audire acriter nimis ſuſtinẽt omnes, eóque vndique excitari ſenſu, quantum enim viſu pollent, tãto auditu deficiunt, & contrà, aſpides Cherſeæ dictę auditus viuaciſſimi, hebetiſſimi viſus, alij verò omninò ſurdi, & aphoni natura viſus acerrimi, norunt vltrà earum captores, qui viſum ſolùm effugientes, captant eas facilè, ſtrepitu quouis facto nil impedito, ſecus difficulter nimis; pollent enim igneis oculis, ſplendeſcentibus, profundis tuberculis ſuperciliorum, eminentiiſque quibuſdam, & protuberationibus circumuallatis, & fulcitis ſurſum parte ſuperiori, quò pollent viſu, & aſpectus acumine dictæ, vt deficiunt hæc aliis; lucent enim colores & lumina in tenebris, & in obumbratis oculis ampliùs ſpectra luminata, & ſpecies. Videmus magis manus appoſitione obumbratis oculis, ſunt enim colores flãmulæ quædam modo & natura è corporibus ſpirantes opaco & luce commiſtæ. Docet Ariſt. de ſenſu & ſenſili c. 2. & l. de coloribus, Plato in Timæo; quò in vmbra lucẽt, qui in Dialogo ſympoſio dicto, docet, aſpidem mutam eſſe ipſiſſimæ huius ſententiæ, ἔχις enim Gręcis aſpidẽ & viperã notat. Cùm verò vipera ſurda non ſit, vt patet, quia excitato ſonitu fugit, quo captores taciti, taciturníque eas venantur; nõ aliter, 54

& ſic

& ſic meliùs; non erit muta, nec ſurda vipera; imò voces cum imaginatione profert, ſibilos, rictus, ſuſurrum, quibus vocat muranas, ſuprà indixi; aſpis verò ſecùs ſurdus eſt animans, iis deſtituitur, aphonæ naturæ, & ſurdæ omnino in dictis ſpeciebus. Eſt obmuteſcentiæ cauſa in hominibus liberè voces imponẽtibus adhuc, defectus auditus, & vltrà aphonia, vocíſq; priuatio: quo enim loquetur modo, aut qualiter, qui aliorum verba non audit, vt ediſcat ſermonem aliorum; vt ſimul idiomate conueniat cum illis ex auditu, ſi ſurdus eſt: nam & ſi viſu excitetur efformare voces, vt mutis aliquibus edocetur, id rarum & vocum pauciſſimarum erit, & quæ extrà ad externã oris partem articulantur, quæ viſu ſpectantur, nõ internè: plura multò cùm ſint quę formamus intùs hęc auditu ſolùm nota, & ſono, non alio, quo ſurdi & muti ſuperſunt, etſi voce polleant natura, & non aphoni. Liberas enim vocum impoſitiones, & ſignificata ſermonis propria, ſine vocum auditu non percipiuntur, vt nec naturales ſoni; eſt enim ſermonis materia & ſubiectum vox; vocis verò ſonus ſubiectum genus, aër ſubiectum vocis, & ſoni, dixit 1. Pe-
55 rihermenias cap. 2. Ariſtoteles. Surdi, non aphoni obmuteſcunt, niſi excitentur (id tamen raro) oculis, labiorum motu, & poſitione, quibus verba aliquot protuliſſe mutos ingenio viuaces videmus, quandoque loqui quædam, aliqua, ex viſúque edoceri oris motu, eorúmque inſtrumentorum poſitu, quo vtimur, dum voces dearticulamus efformamúſque, illis ſic paratis iuſſis exſufflare, non ſecus ac ſi in tibia muſicus digitos circumponeret arte, & muſicæ ignarus ſufflaret, concentum efficeret, armoniæ expers. Sic viſu edocentur aliqui voces efficere, & formare verba ſine auditus doctrina, vt & tactu,

con

conformatione literarum,& signorum quorundam, & mutos scribere videmus non rarò,affectibúsque in facie significatis, naturali expositione affectata, natura expressis vultu, conceptus exprimere immediatè illos scriptos, præter communem ordinem signorum vocum,& conceptuum, ex aliis signis præterquàm auditus,mentis conceptus exprimentibus, ediscẽtibúsque illis. Quæ enim signis,liberis vocum affectibus,mediis renunciamus solis affectibus, nũciamus sine voce primò: neque enim vocum impositiones alio quàm affectibus imposuimus prima impostura,vt significarent,neque eis solum sine affectibus vultu aut motu,sensibilíve alio signo libero,aut naturali, quæ significare intenderemus manifestauimus, nec potuimus cõceptũ quo eas imponebamus primo,aut prima voce imposita,alia voce manifestare, affectu imò aliquo sensili dato, affectibus voces imponimus priùs,pòst illas in conceptus ordinamus præsentibus, vt absentibus signa vocum damus scripta. Aphoni verò, & qui defectu vocalium instrumentorum voce carent, vel quòd nerui recurrentes dicti vitientur,pulmove,larinx,pectus, septum, quibus voces formamus, iis nullo modo loqui datur,& si surdi non sint, vt non sunt, sed vocis defectu negatur loquela, & si audiant,vt primi non vocis deficiẽtia,sed auditus obmutescunt;secundi vocis defectu, muti natura. Aspis verò vtriusque defectu; nec enim audit, nec vocem emittit in formis dictis.Nonque solùm aspis surdus est,& mutus, sed inficiens alios, surdos efficit, mutósque veneno diximus suprà efficere taciturnos, & comatosos; & cùm sit visus acùtissimi,obcæcat læsos,offuscat, vt ij omnes autores docent,& pater de Ptya, quæ venenum solum inspergit,funditque in oculos,vbi splen-

det lumen, reliquo magis corpore, iis contrariatur,
hos tentat inficere, iis solùm contraria, & repug-
nans natura, antipathia, & contrarietate cum lumi-
ne, vt habent spurca omnia, immunda, & defectuo-
sa, quòd nolunt detegat eorum deformitates, & de-
fectus, inuideantque splendores aliorum, dicitur
Marci 7. *Et adducunt ei surdum & mutum*, vbi primò
surdus, secundò mutus renunciatur. Idem cap. 9. Va-
tes verò Psalmo 37. *Ego autem tanquam surdus, non au-
diebam, & sicut mutus, non aperiens os suum.* Vbi surdi-
tas quasi causa obmutescentiæ statuitur, & si possit
surdus vitio instrumentorum vocis obumtescere,
non solùm surditatis causa; quò dicitur eodem cap.
7. Marci. *Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est
vinculum linguæ eius.* Nam mutus erat, quòd sur-
dus, & quòd lingua vincta erat, & aphonus, impe-
ditis neruis motus, obstructis, vel laxatis, quo mi-
nùs posset moueri congruè; qui oriuntur ex septi-
56 mo pari neruorum cerebri præcipuè. Cùm ergo as-
pis surdus sit natura (monstrauimus) & mutus vl-
trà, auriculísque careat, vt & veras aues (omitto ves-
pertiliones lactantes) piscésque veros carere docuit
Aristoteles locis relatis, cùm duritie cutis & densita-
te, qua erumpere aures nequeunt; tum quòd in cu-
tē, squāmas, rostra, & vngues, crustas, plumas, testas,
aliculas, materia aurium conuersa, meatus solùm
possideant aurium loco, & foramina quædā quæ au-
ditoria vocantur, inutilia aspidibus, Chelidoniæ, &
Ptyæ, deformia, & inculta; iis enim solū vtitur Cher-
sea, vt audiat, reliquæ ornatus causa, & quia sunt ex
se animantia perfecta, nisi vitio proprio, venenóque
tenaci & viscido obturarentur, quo minùs audi-
rent tandem recocto viru, exercitio & ira, alioqui
fluit ante insito natura veneno, quo Lucanus
lib. 9.

libro 9. ſic: *Hic quæ prima caput mouit de puluere tabes Aſpida ſomniferam tumida ceruice leuauit. Plenior huic ſanguis, & craſſi gutta veneni Decidit, in nulla plus eſt ſerpente coactum; Ipſa caloris egens.* Non ſecus enim ac talpa ſub cute oculos habet. Ariſtoteles docuit 2. de animo c. vltimo, quibus vtitur nunquam, vt non defeciſſe natura perfecto animanti conuinceretur; Quod verò ſubterranea habitet cupediæ terræ eius, & metus cauſa, vltra quàm par erat obuolutos obtinet, velaminibuſque illis munitos, ne obſcæcarentur, moleſtarenturque aſperrima terra; non aliter Aſpis, & ſi non vtatur auditu, meatus poſſidet auditorios, deſtitutus auriculis. Aſpis dictus quòd venenum aſpergat, vt vult Iſidorus 12. Etymologiarum c. 4. cuius nomen ſic apud Latinos perſtitit, quòd aſpergat virus, vt ſpargit Ptyas & diffundit (diximus) quòd cum idiomate Latino dicit, ſeruátque nomen aſperſione ab *aſpergo*. Antiquitus venefici erant, & 57
incãtatores, qui verbis & cantionibus, rebúſque quibuſdam applicitis miros quoſdam moliebantur effectus; mira quædam, vt ſuprà 1. lib. diximus; Deus ſolus miracula efficit, reliqua verò creata, Dæmones, homines, Angeli, ſolùm mirabilia, vſu ſolo rerũ naturæ, Deus ſe ſolo, ſua voluntate, nil vltrà ad agendum expectans, præterquàm ſe, & velle ſuum; nam cùm tranſcendat naturam, & omnis natura ab illo ſit, ideo Deus, quia omnia ab illo, & ſolus ipſe à ſe, nil naturæ eget, vt agat; imò omnis natura eo eget, vt ſit, & operetur; quò creat ex naturæ nihilo, & agit vltra omnem naturam, molitúrque effectus, & verè miracula vltra legem ordinatam, & operatur, quia ſic prouidẽtia vniuerſalis decreuit, vt etſi natura ordinata aliter fieri proclamaret, poſſet abſoluta fieri aliter, quod eſt miraculum; fieri aliter quàm

natura conſtituta iam petit, & fert. Creaturæ omnes virtutis finitæ cùm ſint, operantur naturæ vſu, non voluntariè, ſed pro ratione conſtituta agentis & paſſi, vt effert natura, ordinatáque lex. Hinc dum cauſas ignoramus euentuum, aut nobis latent naturales, miros quoſdam vocamus effectus, etſi nõ miracula; hæc enim talia eſſe colliguntur ex circunſtantiis, fine miraculorum, modo, imperio, & aliis, quo Dæmones & Angeli cùm corpora ſolùm immutent locali motu, non formali mutatione, non alterando illa intrinſecè, cumque poſſint viſum, ſenſúſque omnes ludere, & fallere, rerum imaginibus variatis, motione corporali ſpirituum, localíque motu, aut variato obiecto ſubito, alioque ſubſtituto, cauſis occultè applicitis variis, miraculoſos effectus edunt, cauſis occultis, deluſis ſenſibus, vt qui tropeliis vtuntur, & ludo manuum mira moliuntur, & admiranda, quę dum percallemus cauſas, contemnimus, & riſu ſuſcipimus, nóſque ipſos irridemus, quòd magni habuerimus talia. Eſt vtiliſſima rerum cognitio totius naturæ, & omniũ virtutes, ſi citra magiam cognoſcantur, & conſortium Dæmonis; ſi acquirantur ratione, experiẽtia, aut arte, ſiue infuſa diuinitùs ſuſcipiamus, vt Adamo fuere infuſæ, & Angelis congenitæ cognitiones rerum naturæ; nam hęc ſolùm eſt rerum notitia, & cognitio quæ cùm entitas ſit, bona eſt natura ſua. Dum verò hæc Dæmonis ope, & mendacij autore habentur, ſunt impia, ex autore, & prohibita lege; nam licet nunquam conſulere mendacium, & mentitos Deos, ac ſi non eſſet Deus in Iſraël, ne iis adhuc irretiamur, vt creditu nimio eorum, aut affectu aliorum, in deteſtanda & impia, dęmone cõuincamur callido. Ideò probabile vitamus periculum, & conſortium dæmonis. Quare à Deo,

aut

aut Angelis eius, veríſve miniſtris hæc ſuſcipere piiſſimum eſſet; tunc enim liceret omninò, ſecùs, aliter, non in abuſus, in vſus imò, & vt decet paratis, at nec mediatè, nec immediatè à Dæmone. Quò ſcientiam non vitamus, ſed magiam. Magia enim ſapientiam ſignificat, voce Perſica, & magus ſapientem notat. Fuere enim magici populi dicti circa mõtem Caucaſum vt docet Plinius lib. 6. c. 23. prudẽtes enim nimis, ſolertes, & ingenioſæ fuere gentes illius nationis, vt Græci ſapientes vocant philoſophos, & Galli Druydas, Ægyptij Prophetas, ſiue ſacerdotes, Indi gymnoſophiſtas, Aſſyrij Caldæos ab aſtutia, & ſagacitate Caldæorũ, à Caldęa Aſiæ regione, ſic Perſę magos vocãt ſapiẽtes à Magia regione illa; primo ſignificatu, poſteà verò propter calliditatem, & vafriciem, abuſúmque eorum qui ſapientiam relegarunt in prophanos, & impios vſus, Dæmoníſque ſequebantur præcepta, & iuſſis obtemperabant, vt moliri poſſent effectus varios impios, & obſcænos, vocarunt magos, veneficos, & incantatores, diuinóſque, ſecundo nominis ſignificatu; tum vltrà Mathematicos, Aſtrologos, Necromãticos, ariolos, aliíſque nominibus inſignierunt. Venefici enim dicebãtur, quòd potentiſſima venenatorum animantium natura præcipuè vterentur, vt miros effectus, & virtutis maximæ molirentur, in vitam, mortémque hominum, & animantium, inque hominis paſſiones, præcipuè amoris, & odij, & quòd hæc naturæ potẽtiſſima ſuperarent, vt eo illicerent mortales potentiæ ſpecimine. Incantatores verò ideò quòd cantu, cantionibúſque quibuſdam ad id paratis, varios, mirabiléſque effectus, mira opera, cùm in animantia, tùm in homines, tùm vltrà in reliqua naturę permolirentur, portentoſos, & myſterio plenos. Hinc dicti

incantatores à cantu & incantu verborum, & soni. Tales enim in malam partem compellantur eo nomine, vt qui verbis sanctis, piisque precibus Deum precantur, aut gratia gratis data suscepta, salutatores, exorcistæ, psalmographi, variisque aliis nominibus insigniuntur. Imò cùm vera religio, non solùm honores referat, colátque mente, & conceptu, internísque Deum signis, imò verbis, modulísque externis, cùm vt alij excitentur in verum cultum, & pietatem, tum & vt omni modo debito colatur Deus, verbo & opere, animo & corpore; cùm hæc omnia ab illo acceperimus, & omnium redditus, iure eorum quæ accepimus simus reddituri, vt hinc verbis, cantionibúsque, rythmo, & ordine concinno, & cõgruo, musica, armonia, spiritu eodem regente, probante Ecclesia, & maioribus quibus concessum est hæc examinare, & probare, recolatur ipse, & coli velit, iísque placari & precari, in bonum hominũ vt totum cedat opus, vtque illi ineffabili loqueremur, verbum dedit, per quod alloquimur homines & Angeli Deũ; diuersis imò rerum euentibus diuersas, & varias ordinauit preces, orationes varias, vt diuersa, & varia consequeremur mortales emolumenta, genere demonstratiuo quasdam, in deliberatiuo alias & iudiciali. Vt verò Deo hæc ex lege debentur, à quo omnia accepimus, & cuius omnia sunt iure, & natura, omnis entitatis, veritatísque totius & boni autor, sic vt ille mendacij, peccati, & nihili conditor, Dei æmulus superbiens in Deum, vult & nititur iis eisdẽ honorari & coli, in odium Dei, & in perditionẽ hominum venerari cupiens; iis quibus colitur Deus ipse, sibiq; natura hæc deberi ratus, vt & Dei ipsius visionem credidit; superbus, inuidum ipsum diiudicans Deum, & iniustum, defraudatoremque naturæ

naturæ Angelicæ, inuidus petit, & verbis ſacris, imò & ipſis ſacramentis coli in Dei odium, & opprobrium, mortaliumque liuorem & maleuolentiam, vtiturque per maleficos homines rebus ſacris, pſalmis, ſacramentorum verbis, & rebus, ſuperſtitioſa prophanitate, illicitè & impiè, miros qui quoſdam, vt diximus, edit effectus & portentoſa opera occultis cauſis, & abditis, vt opera talia ſacrorum virtute fieri credant homines, illique obedire, & parere illa, qui vt Deus eſſe voluit, & hominibus ſicut Deos eſſe promiſit, vt veræ ſacrorum autoritati deroget, cùm impiarum rerum cauſa credantur, illique ſubiici homines credant, hic qui eò venit dementiæ, ſuperbiæque, vt dixerit Ezechielis 29. capite: *Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.* Et Iſaiæ 14. *Conſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſſimo.* Quò & ſuperſtitioſis quibuſdam rebus vti iubet magicis & maleficis, verbiſque quibuſdam, cantionibus, cantu, & modulationibus certis, venitque quarundam rerum ſono inuocatus, non aliter; nec aliter maleficia adſtruit, quàm iis allectus vt ſignis exterioribus, illis pactum impleat, & cum iis ſenſibilibus ſignis pactionem inear, ſuadeatque facilibus illis ſua virtute id poſſe, eaque moliri; non cauſarum naturalium interuentu, ſed quod vult ſolùm, vt ipſum proſequantur cultu, eiuſque potentiam venerentur, quòs ſequitur, vt captet, & venetur voluntariè, eorum ſubditus imperio, aut potentioris dæmonis vi, Deove in pœnam eorum cogente maleficorumque in vltionem, verumtamen ſummæ ſapientiæ, virtute Eccleſiæ relicta, vique opprimitur, & reuincitur ille inuitus, velit nolit, ſacris exorciſmis, orationibuſque peculiaribus, quibus ſuperatur, expelliturque Chriſti virtute.

Incantatores etiam dicuntur peculiari ſignificatu, qui aliquid moliuntur verbis, & rebus aliquibus adiunctis, præter communem rerum ordinem, vt docet Plinius lib.28. c.2. Galenus libro de incantatione,& coniuratione. Ælianus lib.6.c.32. & omnes reliqui. Imò docet Spiritus ſanctus loco allato, &
56 alibi ſæpe,eſt videre Eccleſiaſtici 12. vbi dicitur. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo?* & in Exodo paſſim, Deuteronomio,& Prophetis,vbi,& prohibet incantatores, ariolos, maleficos, Deuteronomij 18.eſt videre,vbi ſic: *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec diuinos,& quærat à mortuis veritatem.* Tum maleficos Pharaonis mirabilia ſtruxiſſe refertur Exodi 7.& 8.Vetulam illam Pythoniſſam Samuelem ſuſcitaſſe prophetam petitionibus Saül acquieſcenté, refertur 1. Regum capite 28. & alibi, titulusque extat integer iure canonico, de maleficis & mathematicis, id eſt, diuinatoribus, de veneficis, de frigidis & maleficiatis, vbi ſacra iura has artes execrantur maleficas, pernicioſas, & impias, mille iuribus, & mille legibus. Vt enim veri Dei miniſtri ſacerdotes,exorciſtæ, diaconi, ſubdiaconi, & reliqui, ſacris ordinibus initiati,vel formati, precibus, exorciſmis, orationibus ab Eccleſia conſtitutis, fugant Dæmones,vincunt, & frænant, Dei virtute, orationibus piè prolatis, quòd Deus iis eiſdem hæc operari decreuerit, vel quòd donum hoc, & hanc gratiam, in bonum reipublicæ aliquibus concesſerit, incantatores & malefici verbis, cantionibus relatis impiè, & prophanè, moliuntur effectus impios virtute Dæmonis, applicantis cauſas occultè & abditè, vt

credant

credant mortales, Dæmonem Deum, ſolumque quia vult agere, ſine interuentu naturæ, aut cauſarum agentium, tum eius miniſtros poſſe, quæ volunt, verbis prolatis, cultu, & obſeruatione dæmónis, vt obſequio dæmoni cohæreant, allecti potentiæ,& imperij experientia fallaci, quaſi illis obediret natura, quo multoties molitur quædam facilibus quibuſdam, verbiſque ſacris, fallacia, & dolo, vt non exterreat mortales detectis criminibus, facillimis imò & facilibus,vti nullius malitiæ, rebus & verbis præfigurans, malaque non iudicent alioqui impia, & ſceleſta, abdito veneno,nil mali rebus illis facillimis contineri rati, virtutéque earum fieri ſuadere præſumens, vt tandem irretitos homines alliciat,deprædeturque miſerè: iis enim & aliis gentes apparentibus ſignis, fictis, & mentitis, ad ſe traxit,Deoſque putarunt incubos,ſuccuboſque dæmonas, magicos, & maleficos homines; hinc Ioues, Veneres, Cupidines, Bacchi, innumerique alij Dij, deceptis appetitu hominibus, menteque cœca, imò ſub boni ſpecie, & boni figura, incantamentis, & magicis artibus,bona oſtentantes,glorias, victorias, triumphos,palmas,diuitias,rerum voluptates ingentes, Baccho & Venere, Marte & Vulcano, homines in idololatriam compulerunt, veri Dei cultum omittentes. Tum Dæmones, eorumque aſſeclæ malefici, propulſantes venena, excidia, mortemque aufugantes, euincenteſque venenoſa animantia, & inter hæc aſpidas omni potentiores veneno (vt ſuprà) mortales ad ſeſe allexere, opinione, cultu, crédituque mirabilium, falſa religione, ambitione gloriæ, & potentiæ, ſuperbia affectatos. Hinc aſpidas coniurabant, incantabant, dirumpebant actore occultè Dæmone, cauſis effectibus latenter applicitis,

citis, vt miraculo essent habiti, cùm tamen naturalibus moliretur efficientibus opus, quæ condidit effectricia Deus, Dæmon honorem surripere intendens, & effectuum gloriam, in Dei odium. Meminit maleficorum Poeta iis: *Frigidus in campis cantando rumpitur anguis.* Ælianus libro 6. capite 32. sic Ægyptios sua propria magica ratione accepti, cùm de cœlo aues deducere, tum serpentes primò perstringere, deinde ex latibulis easdem facillimè extrahere. Plinius libro 28. capite 2. sic: Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximéque Virgilij incantamétorum amatoria imitatio, figlinarum opera multi rumpi credunt, & vasa fictilia carminibus; non pauci etiam serpentes ipsos incantari, & hunc vnum illis esse intellectum, contrahique Marsorum cantu. Libro verò 8. capite 15. idem prorsus, & vltrà cantu serpentes trahi refert, varia carmina variis describens morbis de antiquorum sententia, iis duobus locis, & verba varia, vt etiam Galenus refert libro illo de medicinis paratu facillimis, tum Ætius, Paulus, Celsus, & alij (quòd impia omissa) nam omnia hæc varia eodem autore agunt, eodem Dæmone, hoc illove modo ordinata, pro vt vanè in hæc aut illa rimantur Dæmones, pro ratione naturæ, & perfectionis propriæ, permissioneque naturæ conditoris & iussu. Hinc examinantur carmina, & verba ab Ecclesia, vt solùm pia referantur, adhuc in his quæ in salutem hominum, aut morborum quorundam expulsionem recitantur, quorum aliqua patronos suscipiunt, & aduocatos sanctos, simili morbo, aut pœna afflictos peculiariter, vt salutem consequantur ægrotantes afflicti, eorundem precibus communia alia in omnes affectus, & no-
58 xas recitamus. Cùm ergo incantator in aspidem declinat

clinat virulentam, & venenatam, reliquis omnibus aliis virulentis magis, vt potentiam ostentet, illumque dirumpat, in eas enim insilit magis, vt veneno potentiores, maioraque vt ostendat ille, Dæmon incipit causas diruptionis naturales tacitè applicare, quo torqueri incipit, & affligi serpens, extorqueri, & dirumpi, incipitque aut distendi partium tensione facta à Dæmone distendente partes, imperio motiuæ virtutis, quò dolet contrahiturque animans, non subito tempore, imò hæc præstant dæmones, vt maiori cultu suscipiantur, sensu quòd percipiantur meliùs ex longiori interuallo hæc; potest enim & localem motũ naturæ causis applicitis motus permoliri, vt si ferrum magnete applicito occultè allicere, aut funibus abditè applicitis partes intendere, & discerpere aliis trahentibus decerneret aliàs; resistereque incipit distentioni, diuisionique continui aspis, quò & contrahi incipit; contractio enim distentioni opponitur; illa enim continuum soluere tentat, & distrahere, hæc verò seruare & contrahere, illa distare partes vult efficere, contractio seruare in se, iniungere & continere, lædantur vt minùs vnita, se colligit, violentiam persentiens, peruius minùs contrariis corrumpentibus causis. Alterantur enim minùs indiuisa & continua vnita & integra; docuit Aristoteles 1. de ortu, & interitu cap. vltimo de mistione, & 4. meteororum cap. 4. & 9. diuisa enim misceri meliùs edocuit, alterarique. Dæmones verò hoc modo 59
nituntur serpentes perdere ruptione scilicèt, & diuisione continui, quòd sit illis facilius hæc peragere, vt pote qui corpora immediatè localiter emouere possunt voluntate, ex ordine rerum sine causarum interuentu naturæ, aliis à se, alterare verò mediis causis alterantibus solum, vt latè antea. Fit

enim

enim diruptio cedentibus motu locali partibus, vt hinc dirumpant serpentes; & perdant incantatores magici Dæmonis ritu, dũ mortis serpentium occurrit occasio, diruptione & crepitu, quòd faciliùs aliis eo intercipiantur, nã si alio est opus, finisve vrget alter, aliter causis alterantibus applicitis mortẽ conciliant, & excidium inferunt, hincque iis contrahuntur natura, dũ incantari incipiunt, & distendi. Diuidit enim faciliùs dæmon corpora, quàm alterat, vt mouet faciliùs Angelus cœlum, sola voluntate, immanenti scilicèt actione sine contactu, transeuntis virtutis. Alterat verò causarum interuẽtu, & siderũ partiumque cœli, & non aliter. Quò faciliùs subuertit ciuitates domos, tempestatibus aduectis, quibus immiscetur, quàm morbos alterationis astruat, seruato suo ordine. Faciliùs enim porcos impetu accepto, Marci 5. c. suffocauit aquæ ingressu, ore, & motu, quàm causarum alteratione interciperet, motu corporũ facili, & Simonem Magum faciliùs discerpsit ruina & casu, quàm alio mortis genere; humoribus enim motis, & corporibus aliis, motu medio & quantitate immediatè necem infert minori negocio, quàm qualitatibus mediis. Suffocauit enim septem viros Saræ vxoris Tobiæ, vt cap. 7. Tobiæ dicitur, suffocauitque alios, discerpsit, exenterauit, præcipitauit, & perdidit, hoc mortis genere, semel à Deo concessa mortis licentia, vt flagellauit priùs Iob, suffocabat Saül. Cùm verò antiquitùs dicerentur incantatores ij qui communiter cantu, & harmonia quadam mira permoliebantur, compescentes impetus serpentium, frænantesque potentissima naturæ, inter hos tamen qui sapientior erat, & potentior cantu, & opere, vtebaturque Dæmone potentiori, maleficus compellabatur & magus, quòd maiora exequebatur

quebatur opera; veneficus verò ille, qui interuentu veneni primò hominibus erat excidio, posteà verò, qui veneni instar, dæmonis ope, potentioris aliorum omniũ cacodæmonis scilicèt, mortales perdere destinabat, permittente Deo in finem suæ prouidentiæ, supra hominis captum. Fuisse verò hos veneficos patet hoc duplici significatu, lectionibus antiquis; sic enim scriptum est in oratione pro Cluentio: Huius autem legis pœna capitalis, non ad veneficos tantùm, sed ad eos etiam pertinuit, qui magicis incantationibus homines occidissent, aut qui mala medicamenta publicè vendidissent: venefici enim primo significatu, qui venena parabant, dicebantur, vt his patet; vitantur enim hic qui mala medicamenta parabant, & venenosa, alio verò dicebantur potentissimi in arte magica. Iis patet primò cùm dixerat, *incantantium*, addidit, *& venefici incantantis sapienter.* Nec omnia euincebant naturæ agentia ij adhuc, sed plurima illius: hinc dicitur Ieremiæ 8.cap. *Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* Neque enim potest natura, si Deus velit aliter, neque sine Deo agere illa. Quò incantatio, & opus Dæmonis cessat, renuente illo, imò cum regulus serpens Basiliscus sit, de quo infrà proprio capite, nullaque sit causa in natura omni, potentioris actionis, vt ibidem constabit, Dæmonesque causas solùm applicent naturales, vt superent alia naturæ agentia, & hoc nullum sit agens potentius, nequeunt vincere serpentium hoc genus incantamentis, aut maleficiis, venenumve illius frænare: vt iis non sit incantatio, inhibente Deo motum localem diruptionis, & natura motum alterationis caussarum reliquarum illo minorum & imbecillium.

Vt Catilinam dehonestaret Cicero, nullo alio læsit nomine, eius summam malitiam enotante 2. in Catilinam 30. quàm venefici, iis: *Quis tota Italia veneficus?* Idem Phil. 363. *Nimirum rectè veneficū appellas à quo tibi præsentem pestem vides comparatam; veneficum audes appellare eum virum qui tuis veneficiis remedia inuenit.* Quo & Circen cognomento veneficam appellabant, vt execrabiles eius notarent artes antiqui. Dixit enim Ouidius 3. Elegiarum. *Aut te traiectis Ææa venefica ramis, Quas legit Medæa ferox, quas callida Circe.* Tibullus libro 2. *Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni.* Quò est Circes cognomento venefica maioris ignominiæ causa, cùm posset incantatrix, malefica, aliisque nominibus offendi, hoc, vt deteriori omnes sunt vsi. Fugere ergo tentat serpens priùs, incantatore viso, & sese abdere, distensionem præsentiens iam incipientem, causarum Dæmonis abditè applicitarum opere, eiusve opera, & nutu ministri, qui vsque dirumpatur, ille non cessat agere, subire capite tentat terram, renitentem verò duritie, si nequit rumpere, & subire, circulo agitur, quo minùs dirumpatur, vnione orbe acto animans; cùm verò oculos aspis, vt & reliqui serpentes, ipse magis ad latera peruersos obtineat, eos contorquet, vt videat illum obrumpentem, & cruciantẽ, an fugere possit, capite & rostro figit latus vnum in terram, è latere conuersus ad illum, affigit oculum, vt videat quod è latere inspectet, vt aues peruersis oculis natura in latus, meatumque auditorium vnum, (aurem communiter dictum, & si verè auris non sit, sed audiendi meatus,) terræ applicat, illudque obturat, cùm tamen frustrà inniti terram aperire sentiat, caputque exertum cognoscat adhuc, frustraneum & inane opus iudicans

cauda

cauda lubrica illud occulere tentat, præsumitq; omnino, cupitque tueri, hinc velat caput, auremque; & oculum solum, vt videat à velamine excusat caudæ, auditum cooperiens, quòd pluris est illi, non quòd audiat, surdus natura, eo imò quòd eo via pateat foramine illo, vicino nimis cerebro, quo maius impendet periculum corruptiui cuiusuis mali, caput obseruat natura, vbi noxa maior, dolor acrior, vitat cruciatus imbellis capitis, natura capite debili notos, causis aliis expertis, obturat extensa cauda, nō intromissa, cùm sit latior multò, quàm vt meatus capere possit caudam commissam, non vt auditum excuset natura surdus, saltem Ptya, & Chelidonia. Imò, vt & via auditorij meatus minùs pateat in cerebrū, qua audit Chersea, vt non suscipiat strepitū, & cantū ad cuius modulos, & interualla, grauissimos cruciat[9] excitari experitur, non harmoniam fugiens, verba, aut voces, eorum imò effectus, terribilesque dolores aufugiēs (vitans quātum illi datur excidium) ad certa interualla increscentes Dæmonis magia, magicique dispositione sic ordinante, eo facta concentu, vt mirabiliorem sese exhibeat & admirabilem ex interuallis. Est eius conditionis aspis inter serpentes magis, vt debilissimæ structuræ caput ossibus facillimis fabricatum cùm possideat, omni cura, sedulitate omni innitatur illud tueri, & defendere, illud corporis spiris circunuoluit, orbibusque plicatis munit, quominùs possit obiici contrariis oppositisque agentibus hinc, per naturā, vt latè suprà monstrauimus lib. 1. totum largè periculis exponit, vt tutetur caput, cauda priùs hinc inde mota qua aduersaria remouere tractat, flagellisque cædere inimicos, hostes, tandem defessus caput vno ex latere terræ applicat, mole corporis obsessum, cùm verò facilius sit, vna ex parte

parte abrumpere quoduis, quam ex vtroque latere corpora diuidere, simul intendentibus manibus vtrinque, vt hinc cõtorqueamus flexibilia omnia, vt diuisioni cedant, dæmonque ordinem seruet naturæ, non minùs, vt quæ faciliora sunt primò initiet antequam abrumpat aspidem & frangat, distensione molesta illã instigat, & fatigat, maximisq; cruciat doloribus, intentis neruis vnius lateris priùs, aliis protẽsis contrarij lateris, volubilissimi corporis, flexilisque omnino, quibus conuulsis, versus caput à quo exoriuntur retractisque, caput flectunt, & distorquẽt eo positu, vt terrã vno è latere premat, cui applicat cùm vnum meatum audiendi, tum visus dimidium, oculumque vnum tractum tẽsione in eum positum, excusatque alium in altum porrectum, vt aduersa præcaueat, dum distenditur ille, cauda caput totũ obtegens auditorium meatum supernè relictum simul, vnde erat via in cerebrum, quod tuetur maximè occursantibus causis, & corruptiuis facilè; omnes enim aues, reptilia omnia aquea & terrestria, è latere cibum captant, videre est in gallo, docuitque Arist. 2. de historia animalium. c. 6. Hæc omnia dum attentè
60 inspectant euerso capite, terram versus inspiciunt, dum enim possunt caput erectum & liberum erigere, peruersos oculos cùm ad latera obtineant, hæc dicta omnia animantia adhuc ex latere inspiciunt, non rectà ex directove, magis verò afflicta oppressa angustiis, & anxietatibus, mortisque tremore, hæcq; magis quanto potentior fuerit incantator, qui illam stimulat, & premit veneficus, Dæmoneve potẽtiori vtatur; veneficus si sit, præcipuè cum iis potentissimo vtatur Dæmone. Aspis ergo, tũ Chelidonia & Ptya omninò natura surdæ, Chersea verò auditus acerrimi, vt quæ audiunt minùs, magis visus acie polleant, contrà

contrà quæ cernẽdi actu eminẽt minùs audiãt, Ptya & Chelidonia acutissimi visus, & surdæ omninò, Chersea visus hebetis, & auditus viuacissimi. Hinc Plinius dixit, excitari potiùs auditu, quàm visu, quòd eminentiis, & tuberculis oculorum quibus hæc pollet chersea animans, visus impediatur à longè, & si proximè cernat nimis acutè, audiat tamen multò anteà. At dũ videt, videt intẽsiùs quã audit, semel iã posito obiecto in iusta distãtia, quo excitatur auditu sæpiùs, vt dixit Plinius, & si nõ intẽsiùs audiat, obiecto semel proportionato ex distãtia, & aptato iã; curiosiùs imò cernat, & inspectet visa. Hinc gratias naturę refert, quòd huic pesti, venenóq; aspideo occurrerit visus imminutione, vt proxima solũ quæq; videat, audiat tamẽ remotiora, & si minùs bene quàm videat quę videt semel, vt iis Plinij locis nulla inuoluatur cõtradictio, difficillimis alioqui. Iis ergo aspis surdus obturat aures, hocq; ordine naturæ ritu cõuolutus, ob causas allatas, Chelidonia & Ptya obturãt aures, meatus auditorios cõcludũt, surdæ alioqui, ne in caput ascendat causa, reserato eo aditu, & patẽti, corruptiua & noxia, vitiet que cerebrũ præcipuã animæ sedẽ, & domicilium sacrum, pluris quod est reliquis omnibus aliis partibus compagis reipublicæq; totius corporis: Chersea verò vt sonos sensibiles ad quorũ interualla, & rythmos experitur cruciatus diros, recludit, ideò auréstq; cõcludit, omnes tamẽ illæ & eæ, vt nõ exaudiãt vocẽ incantantium, & venefici incantãtis sapiẽter, vt nõ exaudiãt, in effectu & opere, vt quasi vitent, & impediant cantus noxas ferre, operísque malefici voce illatas, vt nõ exaudiãt vocẽ, robur, & potentiam vocis, eius opera & offensas; vocem vt non ex audiant, experianturque vocem, cruciatibus, & opere diro in cerebro, ex via facili audi-

torij meatus,& pori,ideo obturant auditus vias,surdæ alioqui,vt caueant opera vocis incantantis venefici;non surda verò,surda vocitata , quod & si suscipiat sonos,verba non calleat, quò surda omnis hoc sensu est,imposita significata non percipiens, mentísque actus,impositionis saltem , & si bruta cognoscere valeant significata eorum in vocibus,impostura,quę affectibus solùm sensibilibus imposuimus significare,quòd affectus nostros persentiant,vt canes psallere,& erigere se, & alia vocibus certis edocemus,aliaque animantia,alia & alia è nobis voce ediscunt. Non minùs surda & chersea iis compellatur, ac aliæ natura.Obturāt verò omnes,visu,tactu , dolore, aut auditu excitatæ , surdæ hoc significatu aures,meatus audiendi scilicèt,vt cerebrum quauis noxa sensata custodiant primò, vt iis maximæ curæ est, rationibus suprà indictis latè.Vt ergo nō exaudiant, experiantur scilicèt effectus vocis venefici potentis opere,vocemque incantantium vt non persentiant, tormento & cruciatu diro excitato , eiúsque cerebrum eo meatu patiatur mala,& affectus,surdæ obturant aures,& obserant , quo minus lædi inde possit,natura imposita, vt enotet iis quæ infrà sequenti capite edicemus tropis , sensibúsque aliis elicitis. Vocauit Aristoteles aures auditorios cauos, & foramina auditus 3. de partibus c.7. Galenus 2. de vsu partium c.14.& alibi sæpè.

Ab

Abstrusa scripturæ loca in natura aspidea deplicans, & aliorum mystica.

CAPVT XII.

SApientia summa, incomprehensibilísque, & per se ipsa substantia, Deus ipse verbo vno omnia loquutus est in esse, & natura. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil quod factum est.* res omnes, vniuersaque hoc vno verbo constiterūt, verbo virtutis suæ, quod dixit esse, & subsistere rerum, verbo, conceptúque expresso fœcunda natura patris, quod omnia repetunt memoria, hæc imaginis & similitudinis, illa vestigij & tractus, eidem verbo adsona & vera cocētu mirabili, & harmonia, quæ sunt signa & scripta significatiua verbi, vt ipsius memoriam redigāt, & repetant, cuius scripti meminit Paulus illis: *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt,* tam libro naturæ, scriptæque legis, quàm gratiæ, Christíque libro signato. His ergo scriptulis naturæ, creaturarumque, passim loquitur Deus mortalibus, non secùs ac vocibus ipsis, verbísque elatis. Sunt non minùs hæc legis sacræ expressiua, quàm scriptula communia, & voces. Hinc verbo inscripto in natura omni monemur, exhortamurque, æquo & bono consulere, cum inanimi, & vita experti substantia rerum, quæ acta, & mota esse, & actionibus susceptæ formæ, hæc ipsa suggerit, tum aliàs animata & sensili à se mota in opera, & libera vltrà suíque consilij humanorum actuum. Inter vitales verò, aspide virulentissimo, & deformi, potentiæ & malitiæ insuperabilis quasi, peccati deformitatem,

cruorem exprimit, fœditatem, periculum, quo dicitur, cùm de malitia peccatorum & impiorum statu ibi esset sermo psal. adducto; *alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa. Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.* Tractatu de vipera diximus, quomodo peccatores sint *alienati à vulua*, eo quòd errauerint ab vtero Ecclesiæ rationis & legis, non secùs ac progenies viperarum, Ecclesiæ vterum, ligamenta, & præcepta abrumpentes, quibus continebantur lege naturæ & scripta, iam secundo vtero recepti serpentis idololatriæ, vitiorumque vtero, progenies viperarum; quòd vt vipera bispariens, vtero duplici fœtus absoluit. Qui multoties dirumpunt viscera matris, tanti beneficij immemores, genitorísque obliti; non secus verum Deum dereliquerunt genitorem, factorem (ibidem latè) secundo ortu, vtero secundo suscepti, vt catuli viperini lege gratiæ, meritis Christi, in vtero Ecclesiæ congregationis fidelium, vt orirentur. *Errauerunt ab vtero* mortales; ad murænas, & bonum commutabile confugerunt, vt adulterinæ viperæ confugiunt ad illa quæ animam in cauda continent præcipuè, vt murænæ habent, inferiore sui, & obscœna parte, qua rescissa intereũt illicò, offensa facili; at capite læso secùs, nõ citò adeò, viuunt imò, & prolixo obitu discedunt ictæ; *Errauerunt ab vtero* rationis, ad caudam appetitus confugerunt, ad vltimum, & extremum naturæ, vbi animam continebant, ad obscœna concupiscientiæ *pertranseuntes, in affectum cordis*, ex affectu effectum rimantes, & ad ignobilem sedem, bonum commutabile prosequuti, omiserunt æterna capitis

Christi;

Christi; alienati à vulua innata, & propria: *Errauerunt ab vtero* rationis, boni & veri, deos falsos consulentes, ac si non esset Deus in Israël: adulterantes cum appetitu, idololatrantes; *errauerunt ab vtero*, quo continebantur matris piissimæ. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis.* Agitatur serpens cauda, & vrgetur verberibus, vt in vltionem eat, odium, amorem, fugam, & prosequutionem, quæ vibrante cauda exercet, hac modò blanditur, verberat modò, odiũ, amorem illa præfingit, solicitaturque in hanc & illã partẽ affectuũ; ea passionũ motus adauget, furorẽ, irã, irritata verberibus, pugnam aggreditur, eadem rabie percita, hostẽ vt exenteret, & discerpat: vltimo sui appetitu scilicèt, cognitionis cauda, & infimo, ducũtur impij in bonum commutabile & mentitum, bonum rationis, caput deserunt, illudque serpentium instar, terrenis occultant, & obsident, concupiscentia terrena, furiis aguntur, carnis stimulis, *furor illis secundum similitudinem serpentis*, conatus operis cauda agunt, mouenturque. Nullum animans æquè concupiscibili, & irascibili cupedia, & desiderio rerum agitur; nullus ira, furiisve excandescit ac serpens, appetitusve affectibus magis tenetur. Hinc Aristoteles 1. de historia animalium, maximè cupediæ deditum compellat, lib. 1. vt & excepta fœmina; Spiritus Deus nullum sic furiis agi, illis verbis allatis pandit. *Non est caput nequam super caput colubri, non est ira super iram mulieris.* Cauda aguntur solo ducti appetitu, vrgentur serpentes, hoc agunt fraudulenti, & impij, vafri hoc deliniunt, demulcent, odiunt, amant, feriunt, dilacerant, efficiunt, inficiunt, *furor illis secundum similitudinem serpentis.* Serpens furiis actus, rabie stimulatus, vltrà quòd caudam vibrat, mouet, & agitat, capite demisso retinente infectionem, & virulentiam,

non contẽtus caudæ motu, ſupra caput cõſtituit, extollit caudam, ſummittit caput infami excremẽtorũ loco, & quod ſurſum eſt, deorſum efficit, ſubſtituítq; caput caudæ, euertit ordinem rationis; eſt illis cauda capite ſuperior, & altior, linguam exerũt, acuunt, cõmouẽtq; dentes, ſeſe vlcerant primò, linguæ motu, dentium attritu, exertorum, peruerſorumque ſimul ad ſe & ad externa, in ſe & proximum, habent natura peruerſos ſerpentes omnes dentes poſitu, quò ſe lædunt, ſanguinemque fundunt proprium è gingiuis, pòſt aliorum inuadunt, & inficiunt alios, impij offendunt primò dictæ caudæ innitentes; ancillam præferunt reginæ & dominæ, Agar Sarai, Geneſeos 16. caudæ & inferioris portionis innixu deſpiciũt ſuprema, & illuſtria mentis opera, ſe lædunt priùs veneno vitiorũ, pòſt inficiunt alios ſcãdalo, corruptioneq; obſcæna, & putrilagine, maledicẽtia, detractione, veneno dentium, & linguę attritu offendunt proximum, priùs ſe, ſuum proprium ſanguinem effundentes, proximi tandem, ſicut aſpides. Authymius antiquiſſimus ille, ſimulque doctiſſimus lib. 3. hiſtoriæ naturæ c. 7. Euſtathius lib. 5. c. 9. tanti furoris eſſe aſpides irritatos, furiiſque actos aſſeuerarunt, (quod mater naturæ rerum cognitionis experientia edocuit) vt ira perciti, ſi vindictam offenſæ illatæ non poſſint ſuſcipere, exanimati cõcidant, deliquioque animi correpti, quorum illa eſt væſana natura, vt ſemel atque rabie excitati excanduere, nõ priùs furiis quieſcant, mitigenturve, quàm virus euomãt, furioſi & inſani veneno proprio; quod dum non poſſunt in hoſtes refundere, ſaniem in propria viſcera remittunt, virúſque quod deglutiunt, & recipiunt in ſe ipſos, quo inquinãtur animi ſedes, internaq; animantis, corde vitæ principio affectato, vt multoties

ſyn

ſyncope, præcipitique virium cordis lapſu deficiāt. Hinc antiquitùs odium, liuorem, aſpide emortuo hieroglyphico enotabant Ægyptij, furoremque implacabilem, contumaciam rebellem, maledicentiam, & detractionem. Ii enim non priùs quàm venenum deponant, reiectent & infectionem paſſionum, malitiæ, ignorantiæ, & væſaniæ, miteſcunt multoties; imò ea eſt conſuetudo, aſſuefactioque vitioſa, exanimētur vt priùs, animaque linquantur, priùs obeāt, anima viru peccati infecta, quàm ab his quæ ſemel fuere proſequuti vitioſa diſcedant, deſiſtantve, morte multoties occupati, non anteà deponentes venenum, quod expuere nequeant in reliqua. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis* non natura, vt ſerpentibus ineſt, malitia imò, ideo secūdùm ſimilitudinem ſerpentis, nam deteriores illis multò aliis, & ſibi, ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ cum ſurda natura ſit, obturat aures, vt diximus, cauda, vt ſi quod supereſt audiendi remedium, vltra naturæ communem ſeriem impediat, illique totis reſiſtat viribus, & artubus, malitia & calliditate. Ii non ſecùs, ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, morte & vltimo ſui, obturant auditum, & tunc adhuc audire nolunt; imò eo tempore audiunt minùs, auditum magis obturantes aſpides; quando dirumpi ſentiunt, animamque à corpore diſcindi, obſtant iuſtis conſiliis, obſiſtunt rebelles, & obſtinati ſalutaribus præceptis maiorū, vt qualiter vixere, obeant, ſine auditu, ſurdi, ſine verbo, & voce muti, ſicut aſpides ſurdæ & obturātes aures ſuas. Iis furor ineſt, & rabies mortis, ſecundùm ſimilitudinem ſerpentium, cauda vltimo fine ſui & morte agitati, & conturbati, non exaudiunt vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter, ſerpentes venenatos vitiorum; Doctores, confeſſores,

concionatores explodunt, & abigunt, cùm & si non obturarent aures, non audirent, surdi, & auditus grauis iam; quò inutiliter & malitiosè nimis viam auditus intercludunt, malitia caudæ, & veneno, venenum imò caudæ, capitis veneno coniungunt, & vitæ virus, virui mortis. Iis enim duabus partibus venenum contineri diximus iis virulentis, quò rescinduntur dum esui parantur viperæ, vt suprà monstrauimus; quod motu continuo eæ partes excrementa vitiosa ad se alliciant. Ii cùm audire non possint, per naturam surdi, se obturant, vt aspides, & vitiorum habitu (est consuetudo altera natura) docuit Plato in Timæo, Galenus de consuetudine c. 1. vt nec per gratiam audiant verbum Dei malitia, impotentes, obstinati, ne illo excitentur, qui ne quæ amant cogantur deserere, verbum Dei pertimescunt audire, alioqui peccato surdi & veneno. Psalmo 113. *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt.* quos omnes effectus aspideum venenum læsis incutere monstrauimus. Retundit venenum aspis in propria viscera, suctuque ad interna virus allicit, dum in hostes illud eiaculari nequit, & in inimica animantia, cuius cruor & virulentia dulcissimi saporis extat, & mellei (mirabile dictu.) Est enim nullum in natura venenum, quod vel non dulce, vel saltem grati saporis non sit, non insipidæ, insulsæque substantiæ, vt hinc vipereum venenũ reiectum apes euocet, quę illud auidissimè elingunt, muscasque allectat maximo prouentu & copia, trahitque reiectum, nullam linctus offensam perpessæ, impunè exugentes cruorem, non secùs ac virulentia aspidea ore reiecta vespas inuitat, quæ virus ebibant, dulcedine illectas, nil noxæ sentientes, cùm tamen grandia animantia

pro

prophanum illud, igneumque castiger venenum, vastet,& perdat. Hoc omnia venenata serpentia retinent ore, suum quælibet suctu deglutiunt, oris partibus pressis, illud expressum, quod inseruit deglutiendi operi; virulentis ipsis, non secùs, atque oris vda substantia saliua communis, ex adenis, partibusque spongiosis oris perpetuò diffluens masticatu pressura partium aduecta eglutioni, quæ lubricas œsophagi vias reddit,& parat, deglutionisque semitas, inseruit vsui deglutiendi. Illud citra offensam eglutiunt mitigatæ serpentes, antequàm torridum venenum viscerum in os reiecerint, lingunt illud impunè, quieto & tranquillo statu, vsque dum furiis excandescentes, compressione totius in os regurgitant venenosam saniem, mitiùs ante, cùm continerent venenum solum, & si mortale aliis quod erat adhuc, instar saliuæ humanæ, venenum aliis, & si non homini, excidium serpentium, viru inquinatum, & fœdum posteà alio ascendenti ex visceribus torrido, ipsismet genitoribus vt sit excidio & morti, lethaleque virus, si interna contingat sic infectum; iam tenaciori alio superaddito viscerum, virusque virui coniunctum. Hinc vespæ (docet Nicander libro Theriaces, Authymius Eustathius locis adductis) Ichneumona appellari quòd ora aspidum infestent, eorundéque capita sensibilissimæ naturæ, facilisque omnino, sugēdi mellei veneni causa allectę, inuitatæ, communis, inquam, non torridi amari vstione cruoris biliosi, & ignei, nomine compellatæ inimicissimi animantis aspidis dicti Ichneumontis, hoc tandem veneni suctu infectæ, inquinatæ malitia mortem sibi consciscunt vespæ, deceptæ veneni dulcore, gratoque sapore melleo, malitiosa substantia occulta, adaucta in posterum gustu & cupedia.

62

Non minùs dictis consistit illud, nullum maius aspidis ictui inueniri præsidium, quàm frigidissima ipsius cerebri medulla, alioqui minima absorpta, & ebibita. Cùm enim igneum venenum viscerum capita eorundē exsucca nimis & debilia impetat, in dētesque & sæua ora veniat ob naturæ vsus, prouida illa algidam, nimisque gelidā substantiam substituit capiti, qua veneni æstus tēperaret, vt minus capiti officeret illud, quorū animantium cruores sunt eius conditionis & legis, vt perpessus semel vnius virulenti veneni noxā, ab eodem si euaserit securus in posterū persistat, & viuat, venenoque odem securus, etiā si iterū eadem virulentiæ specie impetiatur, & si aliis secùs naturæ alterius; quibus & si lædatur tamen minùs illæsis nunquam, veneno inquinabitur & inficietur. Hinc Mithridates antidotis venenosis animantibus omnibus confectis assuetus, nullo veneno interire potuit, coturnices non inficit veratrum, ob consuetudinem, non secus ac vetula illa veneno alta à pueritia, nullo viru interimi potuit, Galenus refert 1. de antidotis, de Mithridate, Plutarchus, Appianus, Iustinus & Valerius. Est imò illud notandū nimis, quòd si duo venena misceantur, minùs sint noxia, & lethifera, si sunt contraria, quàm per se quodlibet, refert Galenus, Ausonius Gallus lib. 3. c. 9. diuersa venena immiscuisse adulteram quandam fœminam marito, quæ inscitia contemperauit in tantum, vt nullum officere illi posse experientia monstrauerit.

63 His locus ille Iob. 20. c. elucescit vbi hæc continentur. *Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, diuitias quas deuorauit, euomet, & de vētre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum suget, &*

occi

occidet eũ lingua viperæ. Hac aſpideæ naturæ icone increpat impios, venenatoſq; homines, tam quòd venenum in proximos effundant, quàm quòd ſeſe ipſos inficiant virulagine obſcæna vitiorum, malũ dulce, venenum eſt, ibi; aſpideũ natura dulciſſimũ inter alia, abſconditũ ſub lingua aſpidea, vt continent aſpides continuò ob dulcedinem deglutientes, exugenteſque tetram, venenoſamque ſubſtantiam ore, continuo linguæ attritu, quam mouẽt illi perpetuò contentam pelliculis, abditamque, quibus ſemel & dẽtes & venenũ occulere aſpides diximus ad linguæ radicem ſubortis mẽbranulis, illudque occuli, Nicander retulit, hoc eſt dulce malũ abſconditũ ſub lingua cõcupiſcentiæ noſtræ, quæ eſt lingua, qua ſolum loqui valent carnales, *ex abundantia cordis os loquitur*, impij legis quaſi & myſteriorũ inſcij & ignari, ſine lingua obmuteſcentes, qui venenum exugunt dulcedine illecti ſenſuum, illud ſub lingua occultantes, hypocriſi, & ſimulatione. Hinc ſubdit, *parcet illi*, acquieſcet, arridebit huic virui, & veneno affectatus celabit in gutture ſuo, ſuctu tamen alliciet, vt inquinet interna propria, ſi effundere in alios non poſſit. Eſt vitiũ in nobis primò ratione propria, *panis eius in vtero illius*, in ore quo viperarum inſtar ſe replent, & concipiũt magnalia hypocritiæ (explicuimus capite de vipera) eorum panis, interim dum deglutitur alimentum, vanitas qua aluntur chameleontes ij, veneno permiſtus ambitionis, & odij in gutture latitanti, intrinſecus vertetur in fel aſpidum, qui propriũ virus exugit conſcientiæ ſtimulo, & eroſione animi, inconſtantia, & tumultu affectuum. Hac infecta ſubſtantia ingeſta, diuitias quas deuorauit euomet, non ſecus atque aſpides infecti deglutione veneni internè æſtuantis illud reiectãt vomitu, & ſi non reiecerint,

reſtitu

restitutione facta de ventre eorundem extrahet illas Deus, integras, deglutitas solū citra id quod vsum aliquem ex eisdē susceperint. Sic ex aspidibus semel ventre dissectis eglutita animalcula integra extrahere solemus, mures, passerculos & alia plurima cōminuta solùm, & quassata, nil substantiæ amissa, quo caput aspidum sugent, vt aspides sese exugunt, & lambunt infectam suam virulaginem, & quasi venenum aspideum, simul cum iis, quæ ingessere commistum ebibent, vt aspides proprium caput exugunt, dulceque venenum, tandem euoment; præcipuè si aliorum sanguinem emunxerint ventriculo infestissimum excitante natura vomitus, nec si caput aspidum suxerint, eorumdemque venenum, & medullarum substantiam cerebri elinxerint, securi ideo ab ictu atrocissimi aspidis, peccato ebibito viuent, occidet enim eos virulentum aliud, cuius venenū non sunt experti adhuc ab aspide liberi, etiā si caput aspidū suxerint, occidet eos lingua viperæ, & quos non offendit asperrimum, squamosumq; aspidis caput, occidet mollissima, blandissimaque lingua viperæ filamentis, capillamētisq; circūsepta, ea parte qua fundit venenū, quibus mollibus venenū effundit, blādissimo linguæ tactu. In tantum cautio consulitur adhuc his qui è peccato aspidum, & veneno tetro, maiorique vitiorum euasere dæmonis instigatu deuicto, & mundi, ne carnium illecebris, blandimentisque illecti, viperinæ linguæ iterum veneno inquinentur, diro & obscœno, ne cùm caput aspidum suxerint, muniti frigido cerebro animantis, postquàm æstu veneni conflagrarunt, antidoto facto præcautionis, in posterum eadem virulentia peccati, vtilissima memoria veneni, & infectionis, quibus reindicere vitant, viperea mollitie inficiantur, vt illi qui caput aspidum sugent,

ſugent, occidat eos lingua viperæ, ne otioſi, & ſecuri, vigilantes imò in poſterum ſint, neque impij ſuctu aſpideo veneno tracto proximi degant ſecuri; nam occidet eos lingua viperæ, propriaque mollities. Non ergo exaudiet vocem incantantium impius aſpis, & illorum qui verbi potentia Dei, ſerpentes extrahũt, venenumque euincunt, incantatores dicti pro Chriſto contumeliam paſſi, non prophetarum, doctorũ fidei præcepta, non conſilia aſſertoris noſtri Chriſti recipiunt, nec Chriſti reputati venefici, incantantis ſapienter: *formam ſerui accipiens*, vt ſuprà, *& cum iniquis reputatus*; ſic homines dilexit, qui prophetas incantatores, & doctores vitiorum legis euangelicæ conſtituit, vt vincant ſerpentes, ſurdaſque aſpides, natura & peccato impotentes audire, vltrà malitia ſurdas obturantes aures, eoſque munus ſuum inter aſpides vult exerceant, inter ſerpentes cantu Spiritus Dei, ſuperantes venenum, verbo, in harmonia & cantu, in conſonantia ſpiritus, in virtute Spiritus ſancti, quo aſſonant Pater & Filius vinculo amoris, vt Chriſtus veneficus reputatus venenum corrigat, factus ſerpens venenoſus figura, veneficuſque homo, ſeruus forma, dixit Paulus ad Philippenſ. 2. cap. *Semetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens.* Iſaias 52. *Et cum ſceleratis reputatus eſt, & nos reputauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum, oblatus quia ipſe voluit*, quaſi veneno infectus ſerpentis, & veneficus, quò dixere Iudæi Matthæi 12. *Hic non eiicit Dæmones niſi in Beelzebub principe Dæmoniorum*, Marci tertio capite, Lucæ 11. veneficum iudicantes, incantatorem, prophetas, Apoſtoloſque incantatores, & magos. Hæc tulit Chriſtus in amorem hominum, qui cùm ſit ſapientia patris, veneficus eſt, incantans ſapienter. Imò eò venit

malitia,

malitia, & venenum, vt non cedat serpens Aspis potentissimo verbo Dei, resistat imò verbo ipsi, vt nec audire velit, salutique reuocari recuset, sed obturet aures, concludat, præceptorum legis, incantantiumque verba audire nolit, eò venit dementiæ, vt salutem ipsam odio habeat, non secus ac Aspis somno, obliuione, & lethargo consopitus. Hinc Ioannis 5. cap. sciscitatur Deus ægrotum illum, qui triginta & octo annis lectulum, & occasionem peccati occuparat, iis: *vis sanus fieri?* Multi nolunt sani fieri, audireve verbum Dei, ne de peccato reuocentur: sic amant lectum malitiæ. Veneficive incantãtis sapienter verba suscipere fugiunt, Christum vocantque veneficum opere ipso, eum incantatorem compellant salutis autorem. Veneficum audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia inuenit? dixit Cicero loco allato pro Cluentio. Dictis non minùs intelligitur locus ille Isaiæ c.11. vbi Christum vatici-
64 natur gentibus, iis: *Et delectabitur infans ab vbere, super foramine Aspidis, & in cauernis reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Psylli & Marsi, vt suprà retulimus, & refert Martianus lib. octauo cap. vltimo, & libro 2. c.7. Plinius libro 8. vltimo capite Ælianus libro 1.c.57. & 16.c.27. Galenus de theriaca capite 4. & 9. simplicium c. de vipera, Herodotus lib. 4. Gellius lib.16.c.11. Crinitus lib. 1. c.3. dubiam sobolem explorant infantulis aspidibus commissis, pudicos, & genuinos lingunt, lambuntque, impunè eos tractant contrectantque manibus, adulteros secus spurios, & falsò creditos, veneno exterminant, & inficiunt, non secùs atque reliqua naturæ animantia lacessunt, cecinit Silius de Atyre Psyllo lib. 1. *Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr, tactuque graues sopire Chelidros, Ac dubiam admotam sobolem explorare*

rare Ceraste. Lucanus lib.9. *Lethifera dubios explorant Aspide partus.* Pater æternus omnipotentiam, virtutem infinitam Deitatis, vt gentibus ostentaret, æqualemque cum ipso filium suum vnigenitũ legitimum naturalem testaretur, Christumque posse vincere, remittere & superare venenum omne, fugare & peccata, vt edoceret, hocque ipsum filio inesse, non secus ac sibi natura, labemque peccati, venenum, culpam, malitiam, & virus posse extergere, pœnas absoluere, & veneni cruciatus, culpas, nullo inquinari veneno, malitia nulla, omni viru immunem & liberum, illum commisit aspidibus, morti, Dæmoni, inferno, peccato, vt cum ab omni veneni infectione liber securus hæc contrectasset, eorumque impetus irritos effecisset, mortales Deũ faterentur, & cognoscerent, redemptoréque potentiæ insuperabilis venerarentur, cùm vicisset, & superasset hæc ipse, illæsus omni ex parte, subiecissetque hæc omnia pedibus eius. Absorpta est enim mors in victoria, vt dixit Paulus, factusque ipse morsus inferni, mors mortis, stimulum mortis peccatum extirpauit & extraxit, vt aspis ille securè & impunè tractari posset, possimusque scuscitari à morte cum Paulo 1. ad Corinthios 1. capite. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est*, & cum Osea c.13. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* Pertimescunt aspides Psyllorum progeniem, quòd illis sint veneno & excidio Psylli, natura, saliua, sudore, & reliquis contentis subiecto. Iis ergo filium suum patefecit, quòd peccata dimittere posset, venenumque serpentis, & malitiam superare, & quòd infans cùm esset, aspides euicisset, & foramen aspidis infernum superasset, nulla culpa detentus, natura nobilis, leges contrà ac inferni ferunt, infans ab ortu

adhuc,

adhuc, nobilis Patre Deo, Deifera matre Virgine, illustri ortu Heroum regum grandi, nulla peccati labe infecta, nullo infectus veneno infans; vt non carnis viribus, imò Deitatis potentia, id factum intelligeretur, peccata remisit, vicit venenum, mortem, infernum, aspidum foramina, manibus, potentia, & virtute contrectauit. Quò mirabantur Lucæ 7. cap. Iudæi dicentes: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* id enim solius Dei est, imò omni extitit veneno auxilium, & antidotus ipse, non secus ac filij Psyllorum & Marsorum legitimi venenis aduersantur, quos docet Ælianus locis adductis suctu labiorum ad se allicere infectum virus, illudque extrahere. Suxit Christus ipse, extraxit venenum nostrum, suxit, emunxit, homo factus, expurgauit nos à vitiorum labe. Isaiæ. 60. cap. *Suges lac gentium, & mammilla regum lactaberis.* Lac gentiũ peccatum, & venenũ, quæ primò exugũt & extrahũt primo mortales à conceptus die, suxit, vt vinceret & liberaret homines liber veneno, & viru omninò. mãmilla regali Virginis Deiparæ regiæ stirpis lactaberis. (De Christo) traxit venenum nostrum ad se; *Cùm eleuatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; & posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum*, Isaias suprà, & vt Deiparæ Virginis pudicitiam commendaret, virginitatem, castitatem, puritatem, integritatem, filium commisit Pater æternus aspidibus, Dei filius vt dictis nosceretur, hoc aspidis hieroglyphico vsus: *delectabitur infans ab vbere*, id est, Christus, qui est infans, non fans fatum, imò Verbum Patre, dictione illa æterna, qua dicitur, fœcundo Patris, facundoque intellectu, ipse verò nec dixit, nec loquutus est verbum, imò Verbum est ipsum. Infans ergo Christus delectabitur ab vbere, à tempore, quo lacte matris piissimæ

piiſſimæ vtetur. Tunc enim ſerpentes irruent maiori impetu, & aſpides, dæmon, gentes, peccatum, infernus, lacte allecti. Sunt enim lactis & vini incontinentes ſerpentes, vt latè 1. libro ex Ariſtotele & aliis, & de aſpidibus docet expreſsè Ælianus locis adductis, & Rauiſius Epithet. de aſpide: *delectabitur ergo ab vbere*, & tempore quo maiori rabie ſerpentes mordere tentabant Chriſtum natum, allecti lacte, & natura humana, nil diuinitatis ibi latere exiſtimantes, ſuſpicioſi imò; eo enim tempore delectabitur infans ab vbere, & lactis tempore ſuper foramine aſpidis, & ſuper latibulo peccati, ſuper natura humana qua abdebatur illud, *deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*, vi diuinitatis accepta: Patrique acceptata, iã delectabitur ſuper accepta natura ſuppoſiti diuini deificata, plena gratiæ, dilecta, ſine labe culpæ, pœnæque reatu. Ab vbere verò delectabitur, à lacte cãdidiſſimo, quod ſine peccato ſit matris puriſſimæ, & gratiæ plenæ, omni ex parte, omni reatu libera & ſoluta: Imò cùm nullo alio placetur aſpis, 65
& miteſcat magis nullo, quàm præſentia fœminæ Virginis, refert Ioannes Rauiſius Textor opere Epithetorum. c. de aſpide, & tenet Ælianus, Plinius, & alij, quid mirum, quòd Virginis filius placaret aſpides in præſentia Virginis matris homo factus, & quòd matris Virginis aſpectu aſpides frænarentur, & ablactatus ſuperaret reguli cauernam, infernúmque Baſiliſci, Regulive gentium domicilium, huius ſæculi principis, qui poſtquàm oſtendit Chriſto omnia regna mundi, Matthæi 4. capite, eorum ſe regem prædicauit, (*hæc omnia dabo tibi*,) regulus eorundem, mittet in cauernas Reguli, Baſiliſcique huius, infrà capite de Baſiliſco, manum, vt patres liberet de ſeruitute dira tyranni reguli, & regis huius.

Id verò ablactatus iam ab vbere , vt non vi lactis, nec naturæ humanæ, potentia imò , diuinitatis vi, factum intelligamus,non carnis robore, super Aspidem,& Basiliscum ambulabit , & conculcabit Leonem, & Draconem. Super hæc ambulabit veneno noxia,& lethalia, pedibus quasi dimetietur illa , securus & illæsus , & eius potentia , iusti idem efficient,quæ facillimè irritantur , vt venenum diffundant,& reiiciant,tamen nec lædent,nec officient illi, & si irritentur gressibus pulchris Christi (quàm pulchri gressus tui Domine ; Super hæc ambulabis, Pater æternus filio)sufficit enim iis vt excandescant, contactus quilibet alioqui leuissimus,perambulatio sola,peccato & dæmoni,at conculcabis Leonem,& Draconem.Conculcatio vi maiori fit,calcibus maiori impetu exercetur,quàm ambulatio.Draconem ergo & Leonem conculcabis,Draco enim & Leo maiori egent irritamento,& impetu maiori,vt excitentur,& in iras abeant,quòd robustiora sint,& vastiora animantia;quò plus cùm feriant,tardiùs in irã prouocantur,maiorique egent molestia, ideóque conculcatu est opus,impetuque maiori,vt vires exerant, vincanturque,vt agitata semel. De Leone serpente, proprio capite infrà , locum hunc suo ordine examinantes psalmographi , & de Dracone . Conculcauit enim mundum & carnem, Draconem & Leonem Christus;hæc vicit , vt & iusti eius , virtute capitis
66 Christi superant,& conculcant.Hinc super aspidẽ & Basiliscum ambulare leui pressura , conculcare verò Leonem & Draconem eò loci dicitur,incantatores, hypocritæ,qui seipsos euincere non valent,doctores legis , magistri maiores , quibus ex officio impendet munus aufugandi serpentes , & vitia , abrumpendique ligamina serpentium, & orbes, spirásque
qui

quibus,qui virtutem sectarentur alioqui,detinẽtur, ostentantes aliorum posse serpentes, & vitia exterminare, verbo Dei abutentes in concionibus, & actionibus, fictè & subdolè sibi applaudentes, sese prædicantes,æstimationemque propriam, impotentes alioqui verbo & opere,imbelles, non doctores, incantatores imò, fucatores virtutum;percutientur ab Aspide & serpente venenato defectu verbi, quo euincitur aspis, serpensque antiquus, cum desiit illis verbum cui infernus totus paret, & obedit, Christus ipse: cum sine Christo hæc euincere tentent, quò cùm audeant hos Aspides contrectare, & à mortalibus extrahere sine verbo,veneno eorum inficientur,rerumque earundem viru,quæ eorũ corripiũt & corrigunt,non Christi filij,nõ Marsi,& Psylli, spurij nothi,non genuina & legitima soboles; Hinc intereunt venenati, dicitur enim Ecclesiastici 12.c. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis?* cùm conscius periculi, & malitiæ, in easdem ire decreuerit sine præsidiis, quorum opus esse sciuerat ille, & non secùs Aspis Ptya in oculos solùm venenum effundere parat inter omnes animantis partes, quibus veneno infectis, cessat auditus; ea est cruoris potentia, vt sensere omnes, vt tandem muti discedant, somnolenti & pigri, ipsa imò somnolenta & grauis, cùm sit somnifera hæc aspis, vt desides & præuidentes minùs inuadat hostes confisos in ipsius pigritia & segnitie animãtis securos;quò maiora,& deteriora infligit vulnera in incautos & cõfisos. Sic vitiorũ plurima visum primò inficere tentant,propriamque miseriam sui cognitionem distrahunt,impediũt,sic, vt in se nunquam descendant mortales,tędioq; habeant sese examinare, & cùm illis sermonem inire,

qui eos possint iusta edocere, luménque vt videant afferre, & præstare; surdi malitia tandem veneno, sic dæmoniacus ille constituitur Matthæi 12.c. vbi dicitur: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus, & mutus*; qui & surdus erat, si mutus, aut sine verbo aphonus dicitur, Marci 7.c. *Et adducunt ei surdum, & mutum*, de eodem miraculo. Visum inficiunt eæ teterrimæ aspides, & appetitu obcœcant rationem, adeò vt auditum vitient, & fidem amittant tandem vitiorum tumultu, vt muti, & sine verbo discedant, sine Christo, hosque sensus inficere parant primò, cùm è longiori interuallo, & ea quæ à longè veniũt præuideant, verbumque cognoscatur æternum visu fidei, & auditu à longè, quod è lõginquo venit. Isaias 30.c. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, grauis ad portandum.* Nomen Domini, id est, Verbum, ad portandum crucem, grauis sufferẽs, grauium more, subditus omnibus, loco infimo repositus, humili parte, mitis, nulli renitens oneri, grauis & immotus. Ieremias 46. *Et tu ne timeas serue meus Iacob, & ne paueas Israël, quia ecce, ego saluum te faciam de longinquo*, id est, de sinu Patris infinitè distantis. Ecclesiastici 23. *A domesticis tuis attende, à longè enim salus.* à nobis corruptio, peccatum, à Deo salus, integritas, *inimici hominis domestici eius*, imò non solùm cognitionem sui ipsius, & status miseriæ humanæ & peccati turbare & impedire tentant eæ aspides, oculósque propriæ cognitionis obcœcare, & eruere, vt Dalila, & Philistæi fortissimum Samsonem obcœcarũt, Dei imò oculos præsumunt decipere, & illudere; Ecclesiastici 23. *Quis me videt? tenebræ circumdant me, parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus.* Visum Dei abnegant, oculosque iustitiæ eius eludere tentãt, cùm

cùm omnia, vt eo capite dicitur, videant oculi illius, tum scandalo & vitiorum peruersione inquinantes oculos aliorum, venenumque expuentes. Isaias 30. c. de iis, *Dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ sunt recta loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, cœcos, mutos, surdosque efficiunt carnis illecebræ, impudicæ fœminæ, non secus ac aspides Ptyæ oculorum infectu, vt non intelligentes non audiant, non audientes non loquantur Dei verbum muti, vt nec auribus concipiant.

Sensus afferens allegoricos Aspideæ sobolis.

CAPVT XIII.

Miserabile mortis genus, & terribile est illud, 67
quo Aspidis veneno infecti decedunt, nulla veneni noxa excitati, receptæ virulentiæ nil experti, securi imò & placidi, voluptate summa affecti, vafri, fallacísque veneni intereũt subitò: quando sperabatur minùs mors, pertimescebaturque minùs, medio vitiorũ tumultu, luxus, & lasciuię voluptatũ medio, deliciarũ & mollitiei, philtris, & illecebris appetitus irretiti, & conuincti, inopinata & impræuisa morte exterminãtur, præter spẽ, subita veneno vitiorum infectione, tetra & mortifera, insensibili ictu (aspidis instar) aculei mortis, vitiorum somno oppressi rerum fugacium, somno bonorum apparentium grauati, & consopiti: minimo semel adaperto osculo, leui punctura toto infecto ex occasione leuissima, per initia insensibiliba quasi & occulta: à qua petit mũdari diuinus vates Psalmo 18. iis: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo*: ab ictu

occulto huius aspidis, à morte, & occasione leuis aspectus, impræuisa & abdita, minima alioqui, veneno maxima, & malitia, & ab alienis mea culpa commissis, scandalo, & occasione data, munda me Domine, & parce seruo tuo. Petit hoc mortis genus fugere, iis: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*, in iis, quos meos compello, vitiorum & voluptatum lasciuia; in iuentute vitæque medio, quando effrænatiores & maiori vitiorum fœditate sunt corrupti. De iis loquitur spiritus Deus Sap. 2. c. qui dicunt, iis: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute, celeriter; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ.* Subdit autem de his capite 3. *Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur*; aspidibus, voluptuoso veneno rerum, luptatū illecebris, non secùs ac Psylli & Marsi dubiā, & incertā prolē explorabāt, eorundē ictibus, genuinos & pudicos, Deiq; filios nō icētibus, spurios verò & nothos iniqui thori exterminantibus, inficiētibusque. Adulteri ergo & iniqui thori ij, voluptatis medio discedent, aspidis ictu deliciarum & luxus, irretiti illecebris, imparati, & incauti, morte improuisa quando sperabatur minus, tunc mors inopinata continget, & ibidem hæc: *Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, subito interibunt.* Paulus 1. ad Corinthios 15. c. *Si mortui non resurgunt Ephesi, quid mihi prodest, manducemus & bibamus, cras enim moriemur*, vt ex opposito oppositum colligeret, Psalm. 72. de iis sic: *Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium Domine.*

Lethar

Lethargo, & cataphora graui, somnoque altissimo correpti, vt occidunt aspide icti, interibunt, velut somnium deficient, nil vitæ vt supersit, transacto curriculo breui, vt somni insomnij nil expergefactis superest, addit (*surgentium*) illorum scilicet, qui somniantes è lecto consurgunt, vt plurimis accidit, motuque defatigati multiplici, huc & illuc agitantur, qui tandem defessi & lassi, subitò soluta crapula, comateve graui expergefacti, vana omnia & mentita iudicant, solum laborem & defatigationem persentiunt; iis solùm relictis. Sic ij, qui bonis fugacibus & fictis tenentur somno consopiti, voluptate ficta, & vana rerum, post somnum mortis grandem subitò solutum, laborem summum, summamque miseriam sufferent, vana experti, & mentita illa quibus fruebantur somniantes, sitis incremento adaucto & fame iis ingenti, quibus hæc ipsa restinguere, & satiari somniabant. Subitò enim somnus fit, & soluitur, vt omnia quæ obstructione oriuntur, & occidunt, subitanea esse docuit Galenus 3. de locis, cap. 6. Leui obstructione ventriculorum cerebri venit somnus animantibus, vt ibidem colligitur. De iis Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Sunt ij viri diuitiarum, & affluentiæ, 68
voluptuariiq; & luxuriātes homines, veneno Aspidis infecti, somnolenti & graues ad iustitiæ opera. Est vita impij somnolenta mors; mors verò vita peruigil pœnæ perennis, iustorū contra vita peruigil laborū, mors quies placida, somnusque quietus, & tranquillus; quò impij dormierunt somnum suum, quem iudicabant somnum, & quietem, iusti non dormierūt, sed dormiunt, securi. Dormiunt somno libero, soluto, & placido, non suum, sed Christi somnū, mortē

ſcilicèt Chriſti dormierunt, ſomnus eſt iuſtorum mors. Paulus 1. ad Corinthios 15. cap. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium.* reſurrectio enim, primitia dormientium in Chriſto eſt, fructúſque & præmium, & Chriſti reſurrectio primitia fructuum victoriæ mortis; cauſaque noſtræ reſurrectionis. Ad Theſſalonicenſes 1. cap. 4. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum adducet cum eo.* Eſt ergo ſomnus iuſtorum mors, vt eſt ſomnus impiorum vita. Vates ſacer Pſalmo 4. de Chriſto ſic: *In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Singularis vnionis, Verbi ſcilicet, ſpe Chriſti denique conſtituiſti me, in ſpe mediatoris. Impij verò quaſi veneno hoc infecti, inhærentes voluptatibus, morte corripiuntur intempeſtiua, ſine ſenſu & dolore vulnerum, mortis obliti, antequàm vlcera ſuſcepta doleant, & vulneribus affligantur, ſine dolore & pœnitentia, præcipuè peccatores publici hoc mortis genere interibunt, ſine ſenſu, & quaſi omni vitiorum genere magiſtri, Doctoreſque cathedræ peſtilentiæ & contagionis, qui inficiunt alios & inquinant exemplo & ſcandalo, vt ſint eis non minùs ſupplicij exemplar, quibus extitere culpæ & ruinæ occaſio, quò cùm dolorem non ſentiant, imò voluptate deliniantur, mulceanturque, ſenſu blando illecti, nec conqueruntur, nec remedia petunt, nec iis egere credunt ſomno oppreſſi catocho graues, vt antequam malo præuideant, mortis ſint præda. eſt hæc mors de qua dicitur Pſalm. 6. *mors peccatorum peſſima.* eſt lingua huius Aſpidis illa de qua dicitur Eccleſiaſt. 28. *lingua teſtificans adducit mortem.*

Hæc

Hæc lingua testificatur, hocque mortis genus de iustitia Dei Isaias c.50. nuncians Hebræis afflictiones & supplicia, quòd non reciperent Christum verum Deum hominem, colligit caput iis. *Denique, & doloribus dormietis*; quasi somno oppressi, & graues vulnerum dolores non percipietis, nec vt veniam consequamini ad Dominum conuersi eritis: imò rebelles & contumaces discedetis malitia & veneno desides, sine sensu & dolore, media voluptatum & deliciarum via; sine intelligentia mortis. Est mors iustorum præparata mors, Esther 9. *Conturbata est gens iustorum, timentium mala sua, & præparata est ad mortem.* Non subitò aut repentè interit iustus, præparatus imò. Prouerb.14. *In malitia sua expelletur impius, sperat autem iustus in morte.* Deglutiunt iusti mortis haustum, ingerunt ruminatam ante mortem, tritam, meditatam, facilem, impij integram eglutire non valent, suffocati, vt intereant spiratu prohibito superno. Venenum hoc refrigerat, stupefacit motus, & sensus vias, capitisque influxū impedit hoc voluptuosum venenum. *Caput verò nostrum Christus est*, vt latè suprà, & Paulus docet ad Colossenses 4. Si serpentis morsus vitare cupis, acetum in cruce cum Christo bibe; in cruce, in oppositione rationis & appetitus lineis obuersantibus, succurresque morsui & veneno tetro Aspidum, corrupto, grauiq; auditui: sine auditu nullus sanitati potest restitui. Sine fide, est enim ex auditu fides. sunt incolumes qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, beatioresque ventre ipso quo Christus asportabatur, & vberibus quæ suxit. Lucæ 28.c. est ex auditu credere necessarium ad salutem. Exodi 21. & Deuteronomij 15. *ad petram perforata aure subula.* Est petra Christus ex Paulo, vt diximus, subula *sermo Dei viuus, efficax, penetrabilior omni gladio*

ancipiti, Paulus ad Hebræos 4. Signum est salutis, inquit Ætius loco adducto, si non euomat acetum ebibitū, in ictibus æger si sustineat, & ferat patienter, cum conferentia & tolerantia acetum, acria, & acida; non suauia, voluptuosa, & dulcia, hoc robur in præcordiis & visceribus notat residere, infectus reddit hæc, & vomit si quæ spectant ad pœnitentiæ remedia, curationem, præcautionem, reductionemque salutis, si obediat; est enim hæc medici actio curare præsentia, præcauere futura, & quæ præteriere vtilia reducere, debitaque in specie & via rectitudinis; quibus vniuersa curatio continetur ægrotantium. Verbum nullo modo enunciabile ineffabileque, hominibus sese explicuit; visceribus Deiparæ virginis, ex quo fabile & affabile extitit, gratia impertiit, quæ natura abstulit, vitiosa nostrum, hominumque malitia veneno aspideo infecta, Geneseos 3. hinc iam verbum habemus quod loqui possimus apud patrem, muti anteà & surdi virulentia aspidis, reseratis iam auribus, Dei digito & virtute, Christo. Dicitur Marci 7. *Immisit digitos in auriculas eius, & audiuit*, & posteà. *Et expuens tetigit linguā eius, & loquutus est*; incepit enim ab auditu. Est primò fides, posteà verbum, actio, & opera ex fide; primò dissoluit aures, posteà linguam, auditui primo subuenit: Obmutescentia enim verbi, vitio auditus contigit, *eritis sicut Dij*. Geneseos 1. quò verbum defecit in nobis, imagoque Deitatis. Loqui sine verbo nequimus, audireve sine voce; at verbo dato loquuntur muti, surdi audiunt, vt dicitur Lucæ 7. capite, & Matthæi 11. *Surdi audiunt, mortui resurgunt*. Hinc Isaias cùm de hoc Verbi aduentu loqueretur capite 29. sic: *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt*. Sunt verba libri, verba Christi, est liber

liber ille Apocalypſis 5. ſignatus ſeptem ſigillis de tribu Iuda, & radix Dauid, qui ſeſe aperuit hominibus. Nullus alter poſſet aperire, radix ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ, qui iis ſeptem ſigillis clauditur, & ſignatur. Eſt ſignum rei ſacræ, ſacramẽtorum quodlibet, eſt Chriſti ſigillum, ſignumque huius libri, quo Patris continentur ſcripta, & theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, dixit Paulus: Verba ergo libri audient ſurdi, & muti loquentur magnificantes Dominum. c. 35. Iſaias in hæc verba prorupit: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* Cùm verò Aſpis ſurda, & muta ſit, eiuſque venenum ſurdos, mutoſque reddat homines, inſanabile, vi naturæ totius, vt fuit ſerpentis virus Geneſeos 3. vltra naturæ terminos remedium efflagitabat, & ſperabatur, verbumque ineffabile, quo poſſent alloqui Patrem mortales, & per quod mẽtem deplicare conuinctam poſſent. canit Eccleſia continuò *per Christum Dominum nostrum* patrem alloquens; Aſpides enim non medicamentis, non naturæ auxiliis curamus euincere; remediis imò quibuſdam trans naturam quaſi, incantamentis, cantionibus, verbo, ſerpente percuſſos. Numer. 21. & Deuteronomij 8. c. iuſſit ſilere, ſolumque aſpicere ſerpentem. Sine verbo adhuc erant, expectareque attentè intuitu fidei, vſque dum daretur nobis, quid poſſemus loqui. Chriſtus ipſe, hinc Aſpis verbo tantùm ſuperari, & frænari Spiritus ſanctus docet loco allato, *ſicut Aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, vt non exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Verbo enim ſolùm euincitur illa, hoc ſolum domatur. circulo actus caput ſolus ſerpens cuſtodit, omne animans pro capite reliqua exponit iniuriis, at circulo facto priùs, ſerpẽs

ſolus,

ſolus, quo illos imitari iuuemur, idemque Apoſtolis eſt conſultum Matth. 10. c. Caput enim ſeruandum eſt, caput noſtri quod eſt circulo æternitatis, Chriſtus ſcilicèt verbum æternum, caudaque obtegendum noſtra, vt ſerpentes caput obtegunt, vltimo noſtri. Morte ſi opus eſt, cauda ſtrictiori totius parte, corpore, vita tēporali debet ſeruari æterna, caput cauda tueri & defendi, caput occulit ſerpens, terrā ſubit capite, vt occulat, & abdat ſeſe: pollet enim capitis robore, quo impetum facit, & venenum diffundit, quo ferit & irruit in hoſtem; nós in Chriſto robur, vim, & potentiam habemus capite, ſi ſumus prudentes ſicut ſerpentes, Matthæi 10. citato. Omni alio modo impotentes, debiles, tum caput habemus terra occultum, Chriſtum, triduo in viſceribus terræ ſepultum, humile caput, quod dum opus eſt, ſe ſubmittit terræ viſceribus, qui de cœlo deſcendit, humilis vt factus nos doceret humiliari, vt cum illo exaltaremur: *ſic enim oportuit exaltari filium hominis, ſicut exaltauit Moſes ſerpentem in deſerto*, vt qui priùs conculcabatur abiectus, & odio habitus ſerpens, ſupra caput conſtitueretur; humilis priùs, vt exaltaretur in poſterū. Soluta ſunt linguæ noſtræ ligamenta veneno Aſpidis muti, ſine verbo priùs, ſignatus liber apertus eſt ſeſe ipſo, Verbum datum nobis, quo loqui poſſimus, noſtraque obmuteſcentia veneno Aſpidis ſuborta ceſſare: neque enim alio præterquàm ipſo de ſuper hominibus conceſſo fari poſſemus mortales, mentemve deplicare noſtram conuictam & perplexam; quæ vt vox illa huius ſacri verbi enotaret Ioannes (dictus vox Chriſti, Verbi huius ſubiectum, & ſedes, non ſecus ac vox, in qua illud efformatur, Deiparæ Virginis nouum hieroglyphicon, in qua formam Verbum ſuſcepit

paſſibilis

passibilis nostræ mortalitatis, carnisque & naturæ) discipulos relegauit, vox ipse ad Christum, vt verbum susciperent ab illo solùm, ipso enunciabile, non erat ille lux, sed eo venit, vt testimonium perhiberet lumine aliunde suscepto, ipso Christo luminis fonte, & origine illustrante, illuminãteque lucernam Ioannem. Est lucernæ lumen ab alio accipere mutuatum, non à se habere. Ioannes ergo lucerna, accepto lumine illustris, vt enotaret non ex se lucere, etiam si præsciret à sexto conceptus mense, Christum Messiam esse promissum in lege, remisit illos in lucem ipsam, quæ ex se illuminat tenebrosa quæuis. Hæc est lucerna præcursoris, præparantisque vias Domini, cuius dicitur Psalmo 131. *Paraui lucernam Christo meo*, de qua dicitur 17. *Tu illuminas lucernam meam*, quæ impios non illuminauit, *lucerna enim impiorum extinguetur*, Prouerbiorum 31. Nudauit enim Ioannes se ipsum à se, ne illius succresceret æstimatio propria, minueretur que Christi creditus, non secus ac Dauid Rex spoliauit se regali veste, abiiciens vestimenta, sceptrum & coronam regiam, ne arcæ detraheretur quidpiam cultus & honoris, commorata inter gentes priùs; alteri ne honores proferrentur, regium apparatum obiectauit, vilipensus, abiectionem populi & risum procurans, vt arcæ soli honores & cultus exhiberentur.

De duello, & pugna Aspidis & Ichneumonis.

CAPVT XIV.

ISaiæ 59. sic est scriptum: *Non est qui inuocet iustitiam, neque est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepere-* 71

runt

runt iniquitatem: oua Aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum. Iudæos increpantis de malitia, idololatria, & obstinatione. Pertinacissimum duellum est, præclarissimisque autoribus maximè celebratum, quod ineunt Ichneumon & aspis, tum odium dissensusque mutuus horum animantium, dissidium inter sobolem Ichneumonis & Aspidis oua, inimicitia & contentio. Antiquissimus enim Nicander in Theriacis de horum animantium antipathia, & pugnanti natura sic scripsit: Proinde solus Ichneumon citra noxam aspidis, furorem fert; & cum pugnam cum ea init, declinat, & tristia serpentis oua, quæ ipsa in perniciem multorum fouet, in terra planè omnia discerpit, & è pelliculis suis lacerans, deuoransque, excutit, noxiisque suis confringit dentibus. Plin. verò lib. 8. c. 25. sic de aspide. Habet deinde internecinum bellum cum Ichneumone. Notum est animal hac gloria maximè, quòd aspidas superat, in eadem natum Ægypto: mergit se limo sæpiùs, siccatque sole, mox vbi pluribus se eodem modo coriis luteis loricauit, in dimicationem pergit, in ea caudā attollens, ictus irritos auersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces aspidis venenatas, neque hoc contentus aliud haud mitius debellat animal Crocodilum Ichneumon. Quæ eadem Nicander retulit loco adducto, quasi eisdem verbis, Ælianus libro 10. cap. 48. eadem prorsus, Martialis libro 7. Epigrammate 86. iis: *Delectat Marium si perniciosus Ichneumon, Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ, Qui videt hæc dominis monstra placere suis?* Vocat perniciosum cum quòd morsus venenosi sit, & virulenti, vt alia animantia quàm plurima, tum quòd dilacerans sit, &

quæ

quæque inuenit, diſcerpat, conditione innata. Ælianus verò libro 10. cap. 48. hæc de iis protulit: *Ichneumoni vtriuſque ſexus participi, à natura tributum eſt, vt & ſuo ſemine grauiditatem, & partum afferat, vt ipſe quoque & ventrem ferat, & ex ſeſe pariat, qui in pugna, quam inter ſui generis compares pugnant, & cum Aſpidibus, victi fuerint, ea bellicæ offenſionis nota inuruntur, vt in viliorem ſexum cenſeantur, vt patiantur muliebria, fæmellarumque fungantur officio, contrà ij, qui ex bello ſuperiores euaſerunt, victos ſubigunt, & ſimul ſuo ſemine implent: at victi ex ea malè à ſe pugnata pugna, hoc præmio afficiuntur, vt & partus dolores ſufferant, & ex patribus, qui iam antè fuere, matres fiant.* Cùm homini infeſtiſſimis beſtiis aſpide, & Crocodilo inimicitias gerunt: Latonæ, & Lucinæ ſacri eſſe exiſtimantur, apud Ægyptios Heracleopolitas venerationem, & religionem poſſidere ferunt. Eſt Ichneumon, vt his autoribus conſtat, Indicus mus, magnus, cuniculi inſtar, caudæ ampliſſimæ, qua ſe totum obtegit, & cingit, terra genitus, & ſolis virtute, veraque propagatione ſubortus, & adhuc, vt reliqua animantia communis ortus quæ putrefactione oriuntur, & non minùs ſemine; hic frequentiſſimus eſt Nilo, eiuſque oris. Hermaphroditus natura, ſexuſque vtriuſque particeps, qui tam maris, quàm fæmellæ officium exercet, ſuoque & alieno ſemine ſeſe implet. Vt & lepuſculos plurimos vtero gerentes paſſim videmus, cùm genitalia maſculina mentulã & teſtes retineãt adhuc, vtriuſq; quaſi ſexus, ſuo ſemine in vterum ſuum prolabente, aut ſuctu tracto vteri, emiſſo percolatove poris partium circumiacentium in ipſum, raræ naturæ, & laxæ, vt ſunt ſeminalia vaſa, aut polluto animanti ſomniis in loca ſufficienter fœminea ſemine prolabente, dum copia

protu

proburerat animal, turgetq; illud, vt ex ſeſe impleat ſatu imperfecto, ſobolemque ſuſcitet, more eorum quæ putredine replere poſſent quoduis aliud ſpatium, generationiſve ſedes, & vacua vteri. Lepores, cuniculos, lepuſculos, muris ſpeciem plurimi iudicarunt, quòd inſtar eorum, & terra producantur, procreenturque, & veſcantur illa tempore penuriæ & indigentiæ. *Quippe vbi temperiem ſumpſere humorque, calorque, Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus. Trunca vident humeris, & eodem in corpore ſæpe Altera pars viuit, rudis eſt pars altera tellus.* Ouidius in metamorphoſi, quibus animantia plurima ſuboriri caloris fotu, & terræ vditate renunciat hæc; paſſim enim vidimus illunione ſuffocante vniuerſam cuniculorum progeniem, illáque extincta omni ex parte, terræ virtute, veris tempore, iuxta æquinoctiū vernum nullis eiuſdem ſpeciei parentibus aliunde aduectis, eos iterum renaſci, pullularéque, cœli terræque ſatione, citra principium alterum experimur. Non ſecus Ichneumon eiuſdem naturæ congeneris, cuniculo ſimilis ex cœli, terræque clementia ſubortus, & natus, glitibus, niteliſque noſtris fluuialibus non diſſimilis, cuius formam his expreſſit Nicander in theriacis ſectione de Aſpide. Eſt autem Ichneumonis forma, qualis eſt iracundæ ictidis, ſeu muſtelæ, quæ auibus domeſticis perniciem meditatur, eas corripiens ex ſomni retibus. Parat nidum Ichneumon ſupra tabulata aliquot lignoſa, & exſucca, ne vditate torpeſcat, fouet ſobolem continuò ſub brachiis, cuius pugna cum Aſpide eſt iuxta Ægypti florentes thryores, Græcis dictos, nobis iuncos muſcoſos, fluuiatiles, irretitos alga; quibus huius animantis depinxit naturam, ſed cùm nil natura reliquerit

rit ſine vindice, & contrario, vt homines in perpetua militia eſſe totius naturæ exemplo præſentirent, *militia eſt vita hominis ſuper terram*, vt dixit Iob 7. capite. Quibus mortalibus vtiliſſimus metus imponitur, ſapientiæ initium: Eccleſiaſtici 1. Prouerbiorum 14. *Timor Domini fons vitæ.* vt non ſui iuris eſſe, imò ſciant humiles potentiora, maioráque cognoſcant, Ichneumoni luteis loricis munito vndique armato hoſti acerrimo aſpidum earúmque victorem, obiecit natura Aſpidem adhuc Ptyam, cuius eſt ille naturæ inſtinctus, vt virus expuat in lumina & oculos, cum quibus ſolùm habet repugnantiam, & diſſidium, vt ea parte qua ſolùm peruiam, immunitámque reliquit Ichneumon diſcrimen, & periculum ſubeat, & quam videndi cauſa luto non infecit, nec vallauit, ea excidium & mortem paret, vt qui in aſpidas acriter inuehitur, his eiſdem morti ſuccumbat, vt *per ea per quæ quis peccat per hæc ipſa extorqueatur* Sapientiæ 11. Negligentia ea minima quę excuſationem admittere videbatur, videndi cauſa reſeratis in pugna oculis, Pſal. 140. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* ne videar mihi poſſe excuſari, excuſémque excuſationes, & non ſolùm afferam, rebellis eas imò allatas excuſare præſumam, contumax & proteruus. Animans hoc ſenis ſolùm viuere annis retulit Plinius libro 10. capite 63. Húncque maximo odio veſpis haberi libro 10. capite 74. Vt hinc veſpæ Ichneumontha appellentur, quibus, & Ælianus arriſit locis adductis, Galenus & reliqui. Diſſidium ſummum, ſummámque antipathiam verſari, inter araneas textrices efflantéſque, & aſpidas virulentas (tantam repugnantiam admirantes) dixere Priſci, Neothericíque authores; firmauit experientia ipſa, 72

omnisque antiquitas, videre est apud Nicandrum libro Theriaces, Ælianum capite de Phalangio, Plinium & reliquos, Aristoteles imò libro 9. historiæ animalium capite 39. retulit, à quo Plinius surripuit iis: Librat se araneus filo medio è ventre diducto, cui os & dentes insunt ventris medio, in caput Aspidis porrecti quiescentis sub vmbra arboris, cui insidet ille, tantaque vi morsus cerebrum apprehendit animantis, vt stridens subinde vertigine capitis circumrotet, eneruis adeo, vt nec filum tenuissimum rumpere possit desuper pendentem aranei, nec fugere, duellove finem ante mortem imponere; hinc fugit dum à longè videt aspis araneum filantem Græcis Phalangium, & Rox, summóque odio habet araneorum telas, quòd ibi lateat inimicissimum animans, eiusque vitæ mors, & excidium, ex eisque libretur filo potentior araneus aspide, in principemque eius partem, in caput veneficum ruat, tanta superbia animantis frænata hoc vno minimo euincta hoste, terror & vastitas Aspidum telaranea (mirabile dictu) in quo tantum continetur virus, potentia, & venenum luxuriant, telaraneas pertimescit, & fugit, filamenta tenuissima nequit rumpere, summum venenum & insanabile virus. Sunt verò plurima araneorum genera ociosa, sine opere, quæ aliorum telas fabrefactas subripiunt, & domicilia inhonorificè expulsis earundem fabris, quas in posterum, vt proprias inhabitant, venatione insectilium sublata, Græcis, Agrostes, lupive dicti aranei, dixit Nicander, & videbimus latè infrà capite de araneo. Explosi verò & exules, tum & ij rapaces natura lupi, si id non conceditur, filamenta aliorum habitare, exulibusve alia intertexere temporis angustiis oppressis, telas commorantur, araneas viscidis,

dis,craſſiſque vaporibus elatis è terra, vdiſque locis, congenitas natura,ſine araneis artibus,ex putri præcipuè materia viſcida & craſſa, qui interim dum ex illa conſcendunt, impinguntur adſtantibus corporibus,angulis ſecurioribus, minuſque difflatis, vt hæreant & detineantur halitus craſſi,lateribuſve eius, à quo fluunt & ſubleuantur, vt hinc ouorum putamina ſemel, atque computruere, interim dum reſiccantur,abſumunturque interni liquores, fœtidis iam & putridis ouis, pemphigibus his filamentis & telaraneis repleantur, araneiſque non minus, qui eas ſedes vacuas occupant anguloſas, & putres, craſſæ & viſcidæ ſubſtantiæ in vrinis ouis iam elatæ plenas, & locis aſpidum ſuccedunt,in ouis aſpideis putrentibus, quæ aſpideam ſperabant progeniem, quẽ modum generationis latiùs capite de Araneo infrà deplicabimus; docuit Nicander locis adductis, Plinius, & Ælianus & experientia docet. In ſumma, qui hieroglyphico aptiſſimo inimicitiam ſummam,& odium exprimere vellet, vel eum qui maximum ſibi enutriuit hoſtem ex propriiſque educauit, nullo alio æquè bene poſſet obumbrare, quàm aſpidum ouis telaraneis intextis, pemphigibuſque his, & tellulis, quas vocauit Galenus de ſententia Satyri, & aliorum 6.de morbis, ſectione 1. textu 29. Ruptis ergo his ouis & dilaceratis, dentibus Ichneumonis, iam iam putreſcentibus ſeminibus iis, telæ araneæ ſubcreſcunt,& oriuntur,aranei nõ minus,præcipuè ex ouis Aſpideis fætura prolixi mucilaginoſique animantis, mucilaginibus quãplurimis plena, intra pelliculam, qua reponuntur mucore perfuſa viſcido, & tenaci, quo alatur lactis inſtar, ouis orta progenies initiò, & foueatur mucore; Ex quo facilè telulas parari monſtrauimus has, quibus loca humida

& subterranea abundant, aut pulueruleuta; puluere immisto vaporibus ascendentibus eôdem detentis, viscidæ & glutinosæ conditionis. Oua medium sunt inter fœtum animantis & animans, recentia, facillimæ coctionis, victusque salubris, nunquam satis pro dignitate laudata in salubri animanti & sano, si in aqua elixata sint leuiter, integra, ne aquæ calore alterentur, rupto putamine, tremulaque oblata; acescunt enim facillimè, & corrumpuntur; fugiunt naturam lactis more, cui substantia ouorum correspondet. Quo animantia lactantia fœtus educant ouis destituta, ouipara contrà lacte multantur proprio, Galenus de alimentorum facultatibus libro 3. capite 22. & 11. Simplicium ad finem, sed quantum laudis merentur oua recentia Gallinarum præcipuè sic parata: tanto sunt vituperio digna antiqua & vetusta dicta vrina latinis, quòd corrupta sint, fœtidoque liquore, plena graueolentia, non secus atque vrina quæ computruit tempore. His enim vt eisdem locis docet Galenus, Pliniusque libro 10. c. 53. Ælianus lib. 10. putridis & corruptis, varia animalcula venenata, & infecta solent in medium prorumpere, putredine sata, vitiato potentissimo principio generationis sobolis ouiparæ, animantiumque illorum, simul & alimento primo natura instituto, intra oua, & putamina huic eidem generi viuentium. Sunt actiuissima generationis, omnia primordia, in semine & menstruo. Est videre sanguine, ouis seminibusque rerum, quòd res in esse producant quo minùs rerũ ortus, speciei q; vitetur successio intẽta maximè à natura. Actiuissima ideo sunt oua, & energia agendi prædita grandi. Quæ abeunt semel putrida, in vitiosas, extraneas, simulque & venenosas qualitates, quãto sunt animantis ferocioris, conditione & natura,

præ

præcipuè in venenatis actiuitatis eximiæ,ſummæque actionis,ſi corrumpantur;aſpidum tandem, quorum virus eſt inſanabile,& remediis non cedit:hæc enim dum confouētur ab aſpide terra, putaminibus indurantur, & concreſcunt omninò,primo occurſu algidi animantis, & rigeſcentis , vſque dum tandē quietè & ſpiris circumuolutus vndique, calet , friguſque ſuperat innatum natura , & rigida oua primo algore intemperata,calefacit, temperiemque reſtituit , quæ & hiatu æſtuantis veneni impullat & alterat , linguaque ignea lingit, & lambit,fouetque ſæpiùs. Cuius eſt ille rigor & algeſcens natura,vt illa perdat ſemiconfota, & deſtituat, concreſcente putamine , vt fœtus abrumpere non poſſint. Multoties carcerem quo detinentur vltra tempus debitum , hinc ſuperbus Ichneumon , victoria & triumphis , mortem ſibi ex victoria parta conſciſcit in oua inſiliens , aſpidis odio iam ſuperati,& euicti,vt illa gliſcat, ſobolemq; exterminet inimiciſſimam,vndique irruens , at ſuomet ſemine emortuus ille iniuriā vlciſcitur vita adhuc defunctus,ſubſtitutis hæredibus,qui Ichneumonem inficiunt , & coinquinant virulenta ſubſtantia immundi eſus, vt tandem victus ex victoria ſuccumbat patris vltoribus. Oua verò vrina illa ſeu ſchiſta virulenta plena,fœtida , putredine alterata,& corrupta,illam adipiſcuntur malitiam , venenum illud , vt viru ſuperent genitores , & cruore tetro parentes, non ſecus ac ſeminalia omnia naturæ actiuiſſima, in pernicioſiſſimas abeunt qualitates,corrupta ſemel,& à natura diſtracta , ob vim maximam & energiam quam habent agendi. Exigitur enim vis ſumma , & effectio , in his quæ primo ortu, omnia ſunt euictura contraria, vt conſiſtat genitum,oriaturque primò. 73
Hinc videmus corruptum triticum infeſtiſſimum

eſſe,& quæuis ſemina putreſcentia,& conſpurca. Se-
men enim animantium retentum ſæuiſſima excita-
re ſymptomata, ſimillima iis quæ venenum epota-
runt, ſi nimiū, ſi alimenti ingluuies ſobrietate non
euincatur. Galenus monſtrauit 6. de locis affectis ca-
pite de hiſtericis, Paulus, Ætius, Hippocrates in libro
de genitura. Oua ergo illa corrupta præcipuè aſpi-
dis animantis inſuperabilis virus, excidio ſunt, & in-
terneci fortiſſimis quibuſuis naturæ totius, magnum-
que venenū, quæ ſic degenerant multoties & à pro-
pria natura deficiunt, vt virus nacta putrilagine ob-
ſcæna, vltra id quod ex omnibus ouis ſemiconfotis
& putridis venenoſa veniant animantia, ex aſpidis
verò ouis hac lege inquinatis, & ex his quæ gal-
lus progenuit, viſcerum vitio & luxuria æſtuanti, ſi-
ne concubitu, igneis æſtibus, ætate præcipuè ſqua-
lida excubauit, Baſiliſcus ſeu Regulus erumpat (di-
ctu mirabile) ex putri materia ea lege ſuppoſita, qua
expetit ſerpens ille, dum vligine venit, putredine ſa-
tus, non rarò, non ſecus ac ſerpentes omnes hoc ritu
73 enaſcuntur putrilagine media, vt & vera propagatio-
ne, ortuque naturæ ex terra & aliis. De iis latè ſuprà
adductis iam diximus, quæ capite de Baſiliſco ple-
niùs dicentur. Hinc Ægyptij, quibus ob Nili inun-
dationes, & Lybiæ affinitatem, ſerpentes ſunt com-
muniſſimi, eorundemque ortus & natura notiſſima,
Baſiliſcum ſuper ouum depingebant, quòd ma-
ximè ouis naſceretur. Videre eſt modo in Bembea
tabula inſculptus, refertque Philon Hebræus, &
Epies Rabinus antiquiſſimus, auemque Ibin ſummo
cultu venerabantur, quòd omnes ſerpentes gliſce-
ret, & exterminaret, cuius venenoſa oua quaſſabant,
& abrumpebant, quòd ex eis corruptis Baſiliſcus
ſuboriretur, cōmuni experiētia, vt hi autores enarrāt.

Iſaias

Isaias 14.c. *de radice colubri egredietur Regulus*, id est,
de ouis colubri, vt de ouis aspidis; generali enim no-
mine colubri dicuntur serpentes omnes ab Spiritu
Deo, quibus cõstant illa quæ ex naturæ ritu, secun-
dum eius insitum ordinem cohærent, in his quæ
scripto sacro adducto Isaiæ continentur. Ichneu- 74
mon enim naturali instinctu odio habet oua aspi-
dea, illaque prosequitur antipathia & dissidio, dul-
cissimique veneni quod sint, & sapidissima, corrupta
adhuc, multa enim alliciunt alia infecta & graueo-
lentia quæ aliter nõ euocarẽtur, mures capita sardi-
narũ corrupta; caseus antiquitate corruptus, carnes
putridæ muscas, alia alia, equus vespas, vitulus apes.
Non secus atque veneficas aspidas in ouis rumpit
ille, & dilacerat semiconfota, vt in plurimum sunt
oua animãtis, huius virulẽtiæ plena, putrida, & cor-
rupta; cùm quod deserantur ab ipso genitore, segni
& negligenti, tum quòd parentum frigore induratis
putaminibus, plusquàm decet, carcere illo detenti,
fœtus deficiant, emorianturque & computrescant
tandem, priùs frigore distẽperati simul, cũ ouorum
liquoribus relictis, vt inde & venenata supersint, vi-
rulentaque oua, & vrina schista dicta, plurimaque
virulentiæ plena progignantur, aranei & telaraneæ
natura nimis cum aspidibus dissidentia, ortu tamen
cõgenera, conditionibus & ritu pugnantia, ex putri
& obscœna parte ouorum corrupta nata, vt sint ve-
nenum fatale & dirũ iis, quæ illa degustarũt, & quod
confotum est calore aspidis, ibatque iam in aspidis
formã, alteratũ ab illo calore venefico putrescẽti, si-
mili, innato, instrumẽtóq; animãtis, ab vltima dispo-
sitione deficiẽti, qua formã aspidis mereretur, in de-
terius abeat venenũ, tetraq; putrilagine in regulum,
basiliscum, vt de radice colubri oriatur regulus,

& quod confotum eſt erumpat in Baſiliſcum. Hæc dictũ illud ex natura inuoluit, quæ ſecũdum eius leges inter ſe hærent omnino. Quibus eluceſcit literalis ſenſus loci adducti, Iſaiæ, iuxta naturæ ſenſum literalẽ, vt inde & ſpiritalem eliciamus natura penſata, his tropis, iconibuſque inimicitiæ, & odij. Ea enim parte Hebræos criminatur Spiritus Dei, quòd odiũ inimicitiaſque obſeruauerint, captauerintque, lentas & prolixas in populum diſſeminauerint rixas & contentiones; ſummo odio inimicos habuerint, rempublicáque ſubuerterint diſturbauerintque; quò dicitur, oua liuoris & odij, virulentia malitiæ plena ruperũt, ſemina inimicitię, occaſiones, ęmulationes, ambitiones, quibus cõtentio omnis oritur, & diſſenſus, telas araneæ texuerunt, vt ibi aranea commoraretur, araneis ſedibus in ouis aſpidum conſtitutis, vt eſſet ibidem odium ſummum, ſummumque diſſidium, quod inter aſpidem & ipſam verſari expreſſimus; qui comederit de ouis eorum, eorundem ſemina, & doctrinam ſectatus morietur. Quod verò confotum eſt, quod incaluit venenum detẽtum inimicitia, & contentione tenaci, erumpet in regulum ſummæ virulentiæ, qui oculis reipublicæ iis maioribus, & potentioribus virus impertiat, & venenum, vt in oculos effundit ille virulaginem tetram, & vt coinquinentur reliqui, membraque alia myſtici corporis inficiantur. Hinc ſubditur eo loci, hos reipublicæ magnates, maioreſque increpans ſapientia ſumma, quibus regimen & clauus imperij conceſſa erant. *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis; opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum concurrunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles; vaſtitas*

& con

& contritio in viis eorum, viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum, semitæ eorum incuruatæ sunt eis, omnis qui calcat in eis ignorat pacem. Bellissima allusione eos irridens de propria confidentia, cùm vitio daret, telas aranei texuisse, eadem allegoria perseuerans inquit; telæ eorum non erunt eis in vestimentum, neque operientur operibus suis, opera eorum inutilia, opus iniquitatis & veneni, vastitas & contritio in viis eorum, ouorum contritione & attritu, vastitas & terror virulentiæ excitatæ venenosis subortis, quassatis ouis aspideæ virulentię, corruptis iam, & inquinatis; cogitationes eorum & fœtus conceptusve consoti malitia, & dolo, inutiles, superuacui, non secùs atque venenosa animantia vocat superuacua; Sapientiæ 11.iis: *Quòd quidam er-* 75
rantes colebant mutos serpentes & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animantium in vindictam. Superuacua ob malitiam, distracta, & remota, separataque priùs ab hominum consortio, & via, quam percurrebant in deserto, vacua, & morsus aliena, occupata tandem Dei iustitia in vindictam obscœnorum hominum, & immissa; & 12.c. *Etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos existimantes, hæc quæ in animalibus sunt superuacua*, id est obscœna, & immunda cultui, esuique inutilia, vt ex Leuitico patet, vetita hæc esse, solùm vtilia, morsu veneno & malitia suppositis priùs suæmet virulaginis & cruoris meritò, superuacua ideò, non vt alia vtilia hominibus nulla malitia prægressa; inter quæ sola vipera est vtilis antidotis, reliqua omnia inutilia omninò; docuit Galenus de theriaca ad Pisonem, c.2. & 4. & omnes quotquot theriacam astruunt. Serpentes enim ignitos immisit Deus toto genere deleterios, & mortales in populum rebellem, vt locis adductis

Scripturæ patet, non viperam; figura antidoti, Christique ipsius, qui erat omnis contagij & veneni nostri ex serpente contracto remedium, non secùs ac vipera omnibus aliorum morsibus est præsidio, & saluti theriaca celebri.

Figuratos sensus Ichneumonis, & Aspidis alliciens.

CAPVT XV.

76 VIncet minimus Ichneumon homo antiquum Aspidem serpentem veneno terribilem, & fatalem viru, superabit pulueris memoria inspersus, eius quod est, & in quod est vertendus, puluis cùm sit, lutum & cinis, pœnitētiæque lachrymis luto facto, sese loricabit, fulciet, & circūuallabit vndique, vt aqua gratiæ, & rore cohæreāt siccæ pulueris partes, cōsistātque, Soli iustitiæ radiis expositus, influentiæ & lumini, humido superfluo absumpto vitiorū: iis euincet munitus & loricatus aspidem dæmonem, veneno potentissimum, alioqui Ichneumon minimus Pygmeusque breuis, vermis, & nō homo, culpa & labe, Gigas imò ex Pygmeo factus asportatus humeris Christi, altus, elatus, eius qui exultauit vt gigas ad currendam viam nostræ redemptionis, vt dicitur psal. 18. qui acta Dauid Goliath giganti superimposuit, vt eminerēt, Ichneumonisque acta Aspidi; conuincet ingentes mūdi Crocodilos, passiones carnis, ignorantiā nostrā, Aspidumque malitiā, quibus ratio peruertitur, cauda ante nares prætensā, vltimo sui, & memoria mortis, ante nares vt facit Ichneumon, non ante oculos, vt mortem à longinquo olfaciat, à vitæ spatio, olfactum præmuniens, visum exacuens,

ne

ne cæcus in mortem prolabatur, hacque mortis memoria, in hostem irruet fortis vt vincat Aspidas ingentissimas veneno alias insuperabiles, insanabileque virus; initium Sapientiæ timor: cinere & aqua sancta recreatus, creatus semel Baptismate sancto, ille qui in puluere se redegit, de quo formatus erat, posteà renatus ex aqua & Spiritu sancto, luto loricatus contra Aspidas, iterum in puluerem redactus, peccati fomite, reatu & veneno, formet se se iterũ; cinere hoc saltem quadragesimæ tẽpore, hoc saltem die puluere inspersus, lachrymis lutum efficiat, vt rore gratiæ consistant iterũ sicca & arida, vt iustitiæ sole conformetur Christo, quibus superabit hostes, venenosásque aspidas cineris memoria, mortis, hoc cinerum die quo illum vocat Ecclesia sancta, & de somno excitat, memoriâque repetit, inuitatque, & allicit, vt cùm sit puluis, ad fontem veniat aquarum, quibus formetur iterũ, & in pristinam formam reducatur, ad imaginem primam qua est efformatus verbo, efformatione Christi. Hinc inuitatur cinere ea die luto, & aqua sancta, vt loricentur in aspidas Ichneumones Christicolæ. Ex luto primo est formatus homo, puluis factus culpa, ex sacro Baptismate renascitur, & formatur aquis, vt in pristinã redeat formam: vtriusque cùm sit sexus particeps, maris & fœminæ, non secùs atque Ichneumon, rationis virilis, & appetitus fæminei, fæmineæ partis Euæ, calcanei, & carnis, virilitatis, rationis, capitis, & spiritus, Adami & hominis, tũ vtriusque sexus particeps, natura humani & fæminei, gratia diuini virilis supernaturalis, est vir noster Christus, est mas, homo Deus, psal. 104. *Misit ante eos virum* (de Christo) *in seruum venundatus est Ioseph.* Idem Genes. 31. c. Ecclesiastici 19. cap. *Ex visu cognoscitur vir*, impertiit enim

visum

visum cæcis Christus, quo notus est Deus; sic dicitur Matthæi 10. *Cæci vident, claudi ambulant.* Est mas noster. Ieremias 20. cap. *Natus est tibi puer masculus.* Isaias 66. de Virgine sic: *Antequàm parturiret peperit, antequàm veniret partus eius peperit masculum*: quis audiuit vnquam talia? neque enim peperit more aliarum Deifera virgo, aliæ enim partu vitiantur, non ampliùs virgines, tamen Deipara virgo antequàm parturiret, ante partus imperfectiones peperit, & ante partus leges, naturæ, & mores partus peperit masculum, & præuenit eam Spiritus Deus, præparauítq; eam altissimus. Iis erit virilis sexus, rationis, Christi, verus Christi assecla, ne aliter semine Aspidis impleatur, patiatúrque declinans, muliebria, in vilem declinans sexum, mas fortis iis erit, robustus vir & aspidem oppugnabit sapientiæ luto, rore gratiæ subacto, quo vtuntur aurifices, sic compellatum, vt fulgeat & roboretur aurum, flagellis, ieiunio, macerabit sese. Imò factus Ichneumon, confringet oua Aspidis, dentibus erodet pelliculam, qua continentur, seménque serpentis absumet, vitiorum occasiones. Extirpabit Aspidis semina, oua malitiæ, pelliculámque nostræ carnis, qua hæc continentur in nobis, vt oua aspidea, pellicula contineri monstrauimus, monilis instar, & boni apparentis specie, discerpet, vt confotum non erumpat in regulum, calore nostræ concupiscentiæ alteratum. Antiqui Heroüm simulachra, & Deorum effigies Aspidibus coronabant, insigniebántque hoc genere animantium signum insuperabilis potentiæ, & virtutis inclytæ hieroglyphicon, vt est modo videre in Isidis simulachris, & multorum Deorum stemmatibus, numismatum, & aliorum: potentia enim & robur huius animantis, nullis cedit remediis; omni est superior,
omni

omni est maior oris malitia, & si superetur Basilisco oculorum viru, & totius spirantis tetro halitu, at nō ore veneni reiectatione, etiā si vipera sola capitis potentia, veneno generando, sine cordis auxilio illum euincat virtute & antecellat. Aspis verò eam excedit veneno cordis auxilio genito, & ore reiecto basiliscū adhuc. Rigidæ animantes, non molles, neque enim ducuntur, acquiescuntve blandimētis: proprio enim filio non pepercit, vt historia Ægyptia tulimus suprà, quòd hospitis filium catulus læserat, interemit amātissimam sobolem ille. Non flectuntur precibus, insuperabiles affectibus, aures obturant, oculos claudunt, vt nullis torqueantur verbis, rebus, personis, constantes, rigidi, omni acceptatione liberi, quibus, & Stoicos præfigurabant antiqui: virtutem suā exercent, potentiam exerunt, vt Heroës, principésque tenentur facere, & qui rebus publicis assident, clauūq; reipublicæ tenent, Deus iustus, iustitia sine visu depingitur, velata facie, rigida, sine auditu affectuum. Ingentissimas verò Aspidas superauit solus Ichneumon noster paruulus Christus, luto nostræ carnis, quę ex luto formata est, primò obuolutus, hac loricatus minimus hic Ichneumon, naturæ duplicis, humanæ & diuinæ, sæculi principes subiugauit, tetrarchas, mundi sapientiam, vicit potentes, cōtriuit fortes, venenum & peccatum discerpsit, nulla alia potētia superabile; destruxit mortem, infernum, qui in loricam acceptā ictus recepit, libera & illæsa diuinitate, irritos fecit mortis, inferni & peccati impetus Ichneumon, illæsus omninò, qui expositus calori influētiæ Spiritus sancti loricauit se nostra carne mortali, & passibili, luto nostro sine humano virili opere impassibilis Deus. Est Christus Ichneumon minimus. Paulus ad Romanos 9.c. *Verbum breuiatum faciet Dominus*

minus super terram. Isaias 9. *Paruulus enim natus est nobis*, capite 11. *Puer paruulus minabit eos.* Vbi potentissimas Aspidas hoc paruulo Ichneumone fugandas esse vaticinatur, cauda ante nares prætensa, vltimo sui, morte, carnéque passibili. Est Deus mortuus secundùm carnem, constipatis naribus morte, quòd nec olfecit peccatum, nec peccati aliquid in se recepit, quod est mortis stimulũ, & si iniquitates nostras tulerit, & reportauerit scelera; at non olfecit hæc, sed satisfecit pro iis, Patri pro hominib. Arridet iis quod Ælinanus lib. 10. c. 48. refert, sapientissimos illos Heracleopolitas Ægyptios hoc animans Lucinæ castitatis Deæ, Latonæ filiæ dicasse, ipsúmque venerari & cultu prosequi, religiosúmque cõpellare animal, pietatis & religionis symbolum, quo viso, nescio quo numine instigati homines venerantur, & colunt eius maiestatem, alioqui minimi & pusilli animalculi, qui & si paruulus ingentissimos Crocodilos discerpit, orê ingressus, viscera eorundem erodens, eósque consopitos somno dilacerat, Ælianus refert locis allatis, Plinius libro 8. capite 24. & 25. Est Christus castitatis Deæ filius, sempérque Virginis proles, illi dicatus; ortus Dei spiritus opere, ortu omnia, & si minimus, excedens, omnia ad se trahens, exaltatus adhuc à terra in crucis patibulo, secum traxit omnia in regnum cœleste, quò cœlum versùs altus à terra, vt in proprium regnum ire enotaret, cruce obiit. Nares obturat, celat cauda Ichneumon, vt viam spiritus tueatur, nariúmque foramina, ne via hæc spiritus intercipiatur, aut veneno inquinetur; hanc circumuallat, & defendit. Cauda tenentur viam spiritus reserare, omníque impedimento obseruare immunem, omni offendiculo liberam, qui Aspidis veneno infici pertimescunt: ne inspiratu infecto,

cor

cor vitæ principium offendatur, viam ſpiritus reſeratam, munitam tamen cuſtodire, doctrinam ſuſcipere, tabulam confeſſionis poſt naufragium peccati arripere, conciones ſacras frequentare, legíſque gratiæ ſacramenta, ſpiritus Dei via, qua cor reficitur gratia, & ſanctis è cœlo ſpiramentis, auxilia & motus Dei Spiritus, ne Aſpide inficiantur, odoréque tetro diri animantis, qui viam ſpiritus intercludere tentat, & infarcire, quo minùs ſpiritus veniant motus; ne nouos creet halitus mens, & ſpiritus rectus innouetur in viſceribus, toties à Pſalmographo expetitus pſalmo 50. Vt hac via libera, & expedita, cùm Dei Verbum penetrabilius omni gladio ancipiti, tum maiorum exempla, tum auxilia cœleſtia diuinitùs immiſſa ſuſcipiantur, & veniant, nouóſque alat ſpiritus & concipiat, quibus nouos & maiores apponat conatus, iu obſequium Chriſti, etiam ſi minimus homo: Chriſti enim humeris aſportatus erit Gigas, vt Chriſtum in cruce altum, quem videtur attingere non poſſe, attingat, amplexetur, & teneat ſtrictiſſimis amoris, vnioníſque nodis. Sic con- 78
tingit puſillo Zachæo, Lucæ 19. capite, qui vt Deum videre poſſet, ſycomorum aſcendit, ficulneam illam Ægyptiam, moro ſimilem, foliis & fructu ficulneæ, vnde ſycomorus, aut ficomorus venit: lacte inter omnes arbores vberior, & copioſior, Chriſti ſymbolum, qui doctrina, & lacte omnem naturam exceſſit; quò, & ſi puſillus Zachæus, naturáque imperfectus, læſus, & impotens ſycomorum obtinuit, Chriſti cauſa, & vt illum intueretur, & inſpectaret, lácque & doctrinam, quibus Deum videret, factus humeris Chriſti elatus gigas, qui percurrit ſalutis viam Chriſti humeris, cruce, paſſione, morte. Homo aſportatus

tatus gigas fiet, vt propria merita meritis Christi iniuncta gigantea opera sunt, non Pygmæa, aut Zachæi acta, ipsi imò vt satisfaciant Deo, Christo imposita. De sycomoro hæc refert Theophrastus, Dioscorides, Galenus, Plinius: Vlpiano teste grauiter in eos solet animaduerti, qui in Nili ripis sycomorum exciderint; grauitérque punientur illi qui locum salutis & refugij, idque ex quo Deum videre possumus, absciderint, impedientes ascensum sycomori, virtutis, sanctæ intentionis, exequutionis operis, tum & ea in quibus Deum consulimus, punientur grauiter, quia sycomorum abscindunt, locúmque ex quo Deus noscitur, doctrinæ & lactis locum & sedem. Dissident maximè inter se Ichneumon & Vespæ. Refert Plinius, lib. 10. cap. 74. Est Vespa inutilis, flores occupat, è quibus cùm mel suauissimum conficiant Apes, ipsæ amarissimum infectúmque eliciunt succum, qui nec mel, nec fel est, figura mel, sapore & substantia fel, saporis ingrati, natura noxium, venenatum, & minimè alimentum, cùm tantum alimenti habeat quoduis, quantum dulcis obtinet, ex Aristotele de sensu, & sensili cap. 4. Fugit vespas Ichneumon; odit & respuit Christus, qui melli dulcedini apparenti fel immiscent, & venenum diffundunt fictè, mellea simulantes, vt minùs substantia præcaueri possit, virus tetrum, hypocrisis & simulationis. Ea multoties siccos fauos omni liquore destitutos, nidificant, inane opus & futile, Prouerbiorum 16. capite, *fauus mellis composita verba*: nòn dixit mel, sed fauus mellis, sine melle exuccus & vacuus, vt nidificat vespæ. Vespas inutiles odit Ichneumō, ociosum erodit Crocodilum inertem (diximus antea.) Hîc verò qui salutaris adeò est hominibus, proficuus adeò Ichneumon, sâlus nostra, & esse, qui maiores naturæ humanæ

humanæ hostes dilaniauit, & superauit Crocodilos
& aspidas virulentas, si irritetur, instigetúrque ingra-
tis hominibus, in eosdem irruit, quos discerpit mor-
su potentissimo: qui enim peccatum vicit, & supera-
uit Dæmonem, infernum, mortē, si ingratis irritetur,
vastabit eos, mittétq; in exteriores tenebras, vt in lati-
bula tenebrosa proiicit Ichneumon aspides, vbi ali-
mento & motu destituti deficiunt, carcere obscuro,
quòd sint feri & inhumani, beneficij tanti huius, &
gratiæ immemores. Dicitur psal. 124. *Declinantes au-
tem in obligationes adducet Dominus cum operantibus ini-
quitatem:* permittet enim ingratos, & qui declinant in
obligationes, contra obligationes, adduci cum ini-
quis & sceleratis hominibus, culpæ permissione,
aut pœnæ exequutione; cum operantibus iniquitatē
adducentur, irruet in eos Ichneumon hic, qui est
& sycomorus naturæ duplicis, Ecclesiastici 29. *Gra-
tiam fideiussoris tui ne obliuiscaris: dedit enim pro te ani-
mam suam.* Vt dedit Christus in cruce pro mundi
vita, fideiussor noster, & sponsor; imò qui soluit pre-
tium redemptionis nostræ, omneque debitum pa-
tri creditori, qui nostrum debitum persoluit inte-
grè, imperium eius super humeros eius reporta-
uit. Imperium crucis, quo vicit Dæmonem, infer-
num, & mortem. Non minùs dictis locus ille depli- 79
catur psal. 14. vbi hæc sunt scripto in detractores: *Se-
pulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè age-
bant, venenum Aspidum sub labiis eorum, quorum os ma-
ledictione & amaritudine plenum est.* Guttur earum
sepulchrum patens est, & apertum maledicen-
tia & detractione, graui fœtore, spirat tetrum hali-
tum, exerunt ossa sepulta; deteguntque detracto-
res, occultáque iam oblita, oblinitáque piissima
terra abdita, depromunt cineres, extrahunt latentes,

& abditos, in propatulo exponunt, palàm faciunt secreta maiorum; vt ossa sepulchrum putrida putrilagineque eorum, defectus, imperfectiones, teredinē defectúsque detegit, illorumque vitia reserat. Nō secùs ij gutture reserato maiorū culpas, notas, & maculas manifestant, reuelant, sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolosè agentibus. Instar serpentiū, qui linguę filamētis, capillamentísque mollibus elingunt dolosè, priùs blandissimo excitato tactu, præcipuè aspides, vt venenum reiectent, sub labiis contentum; sub pelliculis illis, quas diximus è radice linguę suboriri, venenum tetrum, sæuósque, & caninos dentes occultari, torrefacto ibidem temporis tractu, veneno detento naturæ alioqui dulcissimo, voluptatis maximę, melleique saporis, mora temporis, amarum, torridum iam, & exustum igneo ore, expiratione que ęstuātibus halitibus è corde, & pectore reiectis, phlogosi & incendio flagrantibus; nō secùs ac dulcia omnia exusta semel amara fiunt ignitione, & empyreuma passa, melque vstum amarescit, inhuncque saporem declinat, docuit Galenus 4. de simplicium medicamentorum viribus capite 11. & experientia docet in dulcibus exustione peracta: sic aspideum venenū vstum intra igneam voraginem amarum, phlogosim passum, exustum si reiiciant aspides deterius nimis, recoctum maiora mala inferens & grauiora symptomata, vt sit *venenum aspidum sub labiis eorum, quorū os maledictione & amaritudine plenum est*, dolo & fallacia, blandimentis, & adulationibus, priùs assentatores, posteà venenum euomentes tabificum, & insanabile. Hinc dicitur psalmo 139. *Acuerunt linguam suam sicut serpentes, venenum Aspidum sub labiis eorum*, quæ & retulit Paulus ad Romanos 3. Cùm enim serpentes aspideæ filamenta illa veneno plena exsuccant,

ſuccant,inter compreſſaque labia exerunt, id non vt à veneno vindicent,emundentque , linguæ eorũ lanuginem efficiunt,& ſi id efficiant, nec vt ab eis venenum amoueant:imò vt venenum lanugine imbibitum, ad interna reuocent , ſub pelliculíſque conſtituant, vt blandimentis priùs lingua efformatis,venenum iaculẽtur maiori copia,omnibus ex partibus tractũ in tartareã ſedem oris internã;*acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes*, vt eſſet venenum aſpidum ſub labiis eorum.ſimulacrum adulationis, blandientiumque effigies expreſſa, qui vt detrahant,venenumque recoctum effundant, linguas priùs blandimentis & adulationibus exacuunt,venenumque aſpidum diffundunt indomitæ ſtragis,internecioniſque inſuperabilis;tantæ tamen dulcedinis & voluptatis,moriẽtibus ipſis eximię adeò,vt nil delitias maiores,ęqualéſve afferat,intuleritve vitæ ſpatio,his vt pręferatur venenum alimento omni,& aſſentatio,adulatioque veritati. Docuit Dioſcorides libro 6. capite 52. de 80
Ptya aſpide veneno, & morſu , voluptatem inferre, ſenſumque dulcedinis intenſum nimis,titillationem ingentem , & ſummam penis arrectionem ſatyriaſimque;tum venenum, prurigine excitata blandiſſima,inficere ſuauiſſimo excitato tactu titillanti,vt affecti mediis deliciis inopinata diſcedant morte,frõte alta,veneno retracta & conuulſa ſurſum, ſuperciliis tractis, & erectis , intentis oculis,ore conſtricto , & compreſſo quaſi in admirationem rapti tantæ potẽtiæ veneni,ac ſi ſtupeat natura,& miretur,inopinatę malitiæ , & quod prius oblectamentum iudicabat, venenum modò, & mortem quod diiudicet ea effigie occurrentem.

De Basilisco serpente.

Capvt XVI.

PSalmo 90. citato, vt diximus, hæc verba continentur: *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem:* nec de Basilisco alter extat Scripturę locus, sub hoc nomine. De regulo verò, de quo videndum est, an sit idem cum Basilisco, an ab illo dissideat, sunt alia in Scriptura sancta. 2. Prouerbiorum sic: *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus*
81 *venena diffundet.* Isaiæ 14. hæc: *Ne læteris Philistea omnis tu, quoniam cōminuta est virga percussoris tui, de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrē,* cap. verò 59. sic: *Oua Aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Ieremias 8. cap. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* Basiliscus, nomine notior magis, quàm visu, dictus est à Basilisca, quod domum regiam significat nomen Græcis βασίλεια, Hebræis *Bitan* בתן, & *Hecal*, in qua exercebantur causarum iudicia & promulgabantur leges, iúsque dicebant principes, & Reges, Imperatores, Monarchæ; Plinius epistola 3. *Descendebam in Basilicam Iuliam, auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debebam.* His adstipulatur Hesiodus, interprete Budæo: posteà Basilica, templa, delubra, quibus Diis sacra celebrabrantur, posteà domos negociatoribus dicatas: vnde Basiliscus Græ-

cis

cis regius, regulus, seu Rex paruus, regalísve appellatur, quòd regum more & capite sit diademate albo insignitus, coronæ instar, & quòd sit potentia, & veneno superior reliquis omnibus naturæ animantibus, quem timent reliqua, venerantur, & colunt, fugiuntque quasi regem potentissimum, tyrannumque dirum, & immanem. Quò regulum vocant, eadem omnes regulo & Basilisco accommodantes. Est mole minimus, duodecim ad maius longitudine digitorum, Ætius & si trium palmorum mensuram æquare affirmet. Solinus in Polihistoriæ c. 5. palmi vnius. Diuersis climatibus mensuras diuersas adæquant, vt latè suprà, & de omni serpentium genere. Hæc variare monstrauimus cœli & terræ ortu. At omnia superat potentia veneni, dictus regulus rex paruus: regulus enim, regnum paruum, & regē paruum enotat: dicitur enim Iosue 13. c. *terra Chanaan diuiditur in quinque regulos Philistim*: in quinque regna parua, numerantur ibidem. Ioannes verò c. 4. sic: *Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur,* id est, princeps, regalísque homo, nobilis, & illustris ortu, & potentia, vt idem sit, Basiliscum & Regulum compellare, regemve paruum animantium. Nec inter se diffident hæc; sunt imò synonyma rei vnius: Probat Plinius etymologiam hanc libro 8. c. 21. & cum eo reliqui naturales omnes, Auicenna libro 4. fen. 6. tractatu 3. c. 22. Paulus idem, Ægineta, Ætius, Dioscorides libro 6. c. 53. Erasistratus libro remediorum, Galenus libro de theriaca ad Pisonem c. 4. Solinus c. 4. Polihistoriæ, Archelaus l. 2. c. 9. Est etiam apud Aristotelem 8. de historia animalium. c. 4. regulus, & auicula quædam, quæ aliis vermicularis vocitatur; quòd vermiculis alatur, corona & diademate insignita. De Basilisco Plinius libro 8.

capite 21. ſic ſcripſit : Apud Heſperios Æthiopas
fons eſt Nigris, vt plerique exiſtimauere Nili caput,
iuxta hunc fera appellatur Catoblepas κατωβλέπας
Græcis, quaſi ſomnolenta, & pigri viſus, κατω pigreſ-
co, pigerve, βλέπω, aſpicio βλέπις aſpectus eſt, mo-
dica alioqui, cæteríſque membris iners, caput tan-
tùm prægraue ægrè ferens : idque deiectum ſem-
per in terram: aliàs internecio humani generis, om-
nibus qui oculos eius videre, confeſtim expiranti-
83 bus. Eadem & Baſiliſci ſerpentis eſt vis. Cyrenaica
hunc generat prouincia, duodecim non ampliùs di-
gitorum magnitudine, candida in capite macula, vt
quodam diademate, inſignem ſibilo ; omnes fugat
ſerpentes, nec flexu multiplici, vt reliquæ, corpus
impellit, ſed celſus & erectus medio incedens. Ne-
cat frutices, non contactos modò, verum & afflatos,
exurit herbas, rumpit ſaxa, talis vis malo eſt. Credi-
tum ex equo occiſo haſta, & per eam ſubeunte vi, nõ
equitem modo, ſed equũ quoque abſumptũ. Atque
huic tali monſtro (ſæpe enim enectum concupiuere
reges videre) muſtelarum virus exitio eſt ipſi, adeò
naturæ nil placuit eſſe ſine pari. Iniiciunt eas ſcti-
des, cauernis facilè cognitis ſola tabe, necant illæ, ſi-
mul odore, moriunturque, & naturæ pugna conficci-
tur eadem. Solinus loco adducto, quem tantæ cõſti-
tuit vitulentiæ, vt emortuus adhuc non ſolum viuus,
inficiat extinctus, alites imò peruolantes halitu, vt
quæ momordit, nullum animans contingat in poſte-
rum. Galenus idem de theriaca ad Piſonem latè. Aui-
cenna libro 4. fen. 6. tract. 3. c. 22. Ætius Tetrabiblio
4. ſermone 1. c. 29. Ælianus lib. 7. c. 1. Rhodiginus lib.
33. c. 21. docet, Baſiliſcum Ægyptiis dici Vræum, ſeu
aureum, quòd auri referat colorem tergoribus, &
capite, quo noſtri vnguentum Baſilicon vocitant,
quòd

quòd ſit aurei coloris illud, vocant hunc immortalé & veneno inſuperabilem, ideo capitibus Deorum appendebatur, ſcalptu & pictura, immortalitaté vt enotaret, ſummamque potentiã numinum, ſquãmis ſtellatus refulgentibus, & aureis, Diiſque dicabatur, quòd ſpurca vitet, & immunda animantia, genúſque omne ſpurcitiæ, vbi vel cadáuer eius adhuc exanimatum contineatur, quò Pergameni amplo ſeſtertio reliquias mortui Baſiliſci compararunt, vt ædes Apollinis inſignes expurgarét, ſuccidis animalculis, immunditieque omni, vt nec araneæ intexerent, nec alites peruolarent, fugatæ appenſo eius cadauere, aureo reticulo inuoluto, ij omnes enarrant. Huius non eſt forma vna, aut effigies; euariant imò, vt ſerpentes reliqui. Eſt enim Catoblepas, Baſiliſcus, Drynus etiam Baſiliſcus eſt. Figura varia, Baſiliſco acutum maximè caput eſt, breue, altum forma, magnum verò rotundum planum supernè Catoblepæ; Eſt Catoblepa Harmene Arabũ, diſſidẽs magnitudine ſolùm, reliquis eadem. Eſt Drynus capite aſpideo, 84
Baſiliſcus tamen; probant Dryni ſerpentis accidentia & effectus, quibus rerum ſpecies, & ſubſtantias percallemus, communia vtriſque. De hoc enim Ætius loco adducto eadem ac de Baſiliſco affert; flatu enim adurit, viuentia enecat, rumpit ſaxa halitu tetro; eius latibulum tabe, vſtione, cinericio cognoſcitur exurentis veneni, iique omnes autores allatis locis ſuſtinent, tetrum ſpirare halitum, noxium, mortiferum, dictus Drynus quòd in quercuum radicibus, græcis dictæ δρῦν ς drynos δρῦς ſeu drys habitet, do mum aſtruat, omnes ſuprà cõprobarũt. Cuius eſt ea virus potentia, & cruoris malitia, ex Galeno, de Theriaca ad Piſonẽ c. 4. vt ſi læſis ſubueniat aliquis, & vlceratam partem manibus contrectet, cutem

amittat, carneque expolietur vsque ad ossa, iisque non contentum venenum, illa teredine inquinet, sola contagione contactus ægroti, suaque latibula vstione, non secùs ac Basilisci esse manifesta. Sanguis
85 basilisci Saturnus compellatur Chimicis, hunc magici vtilissimũ suis vsibus prædicãt, philtris præcipue & amatoriis superstitionibus. Inuenitur multoties triplici diademate insignitus ille de sententia Ætij tetrabiblio 4. sermone 1. c. 33. Archelaus antiquissimus ille, à quo Ælianus plurima desumpsit in exponenda rerum historia lib. 2. c. 7. & ibidem Ælianus de hac immani & obstupenda animantium bellua, sic scripsere. In Africa mulos, vel cæsos, vel siti animo deficientes, plerosque mortuos humi iacere, proiectos nouimus, sæpeque magnam serpentium vim confluere ad eorũ cadauera depascenda, eas verò Basilisci exaudito sibilo statim se in cauernas intrudere, infra aut arenas sese abdere, vt ille eò profectus, vbi iacent insepulta, & cadauera in tranquilla permultæ pacis libertate prandeat solus, posteà verò pransus sibilo repetito, latitantibus serpentibus signum dare absentiæ, se iamque pransum ex cadaueribus abire, lib. 2. c. 5. Ælianus sic. Basiliscus, & si magnitudine sit dodrantali, tamen serpentium maximus, non longo tempore, sed statim, Basiliscũ intuens exiccatur, eiusdem spiratione, & si baculum quẽ quispiam tenet, ille momorderit, baculi asportator necatur. Quæ cohærent maximè cum his, quæ de Basilisco retulit Plinius adductis locis, Auicenna, Paulus, Ætius & Dioscorides, Galenus, Lucanus imò lib. 9. cum iis maximè consentit his: *Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes Ante venena nocent, latè sibi submouet omne Vulgus & in vacua regnat Basiliscus arena.* Infrà verò eodem libro sic de Murrone illo feroci milite, & forti Catonis.

tonis. *Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murro Transfactus? velox currit per tela venenum, Inuaditque manum, quam protinus ille reiecto Ense ferit: totoque simul demittit ab armo, Exemplarque sui spectans miserabile lethi.* Huius tanti animantis robur & venenum tantum, summaque & indomita strages, virulentia insuperabilis, naturæ omnis viribus, solo galli gallinacei cantu exaudito exanimatur, languescit, deficitque 86
omnino. Quò Ælianus libro 5. capite 50. sic: Gallorum cantus Leones exterret metu, Basiliscos exanimat, feles verò ille, & miluos extimescit. Libro vero 3. c. 30. Leo gallo gallinaceo magno timore afficitur; eodem timore est Basiliscus, cùm enim eum videt, tremit animo, cúmque eundem audit canentem, terrore concussus, propemodùm emoritur. Quam rem non ignorantes, qui per Africam iter faciunt, gallum itineris comitem sibi adiungunt, qui eos à tam pestilenti malo Basilisci prohibeat. Mirabile verò est quod docet Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. c. 29. de natura huius animantis, vbi sic: Cæterum percussus ab eo, totius corporis ardor comitatur, itemque liuor, defluũt capilli, mors instantanea, corpus eius mortuum nullum contingit animal carniuorum, cùm calcent reliqua, & conculcent, contingantque; contingens enim emoritur illicò, visu & auditu necat, sibilo & aspectu, quare vana sunt (inquit) omnis naturæ remedia, auxilia & medicamina. Quod verò communiter circumferri solet de visu 87
huius animantis, infectione & contagio visus, magnam affert admirationem; modo enim visu, modo auditu, animantia interimere docuit Ætius loco citato nuper, Ælianus idem suprà, Auicenna, Plinius omnes alij naturæ interpretes, patet iam. quod tamẽ vltrà enarrant de Basilisci, hominisque aspectu, illum

primò interiturum, qui vltimò alium inſpexerit; qui verò primus alium inſpectauerit, illæſum iri, difficile eſt vndique: & ſi vltra id quod omnes ſuſcipiunt, Ælianus referat loco adducto, Iſidorus 12. etymologiarum, & ſanctorum plurimi quibus datũ eſt, quod decet in Scripturę ſanctę expoſitionem, vt quod abſconditum eſt à ſapientibus ſæculi, ſit datum paruulis, magnis aliàs in regno cognitionis & veritatis, cœlorumque. Lib. enim vitæ Patrum dicitur de quodam iuſto viro Dei, Baſiliſcum ſpectante in hæc verba prorupiſſe: O ſumme Deus, aut mihi, aut huic mori licet; quid ergo agẽdum? Baſiliſcum verò illico, ea eſt iuſtorum Dei cura, medio crepuiſſe corpore, viro iuſto incolumi, & ſuperſtite. Oculorum faſcino vnũ alterumve interire; autores plurimi tenent eius qui prius alium offenderit viſus acie. Oritur enim, & generatione vera, propagationeque naturæ, vt ſerpentes reliqui, & putredine vltrà, hac verò duplici, vel corruptis rebus putridis tetri odoris, & vitioſi, obſcœnæ, & fætidæ naturæ, quo gignitur ſentinis, cloacis, ſubterraneis, putridiſque locis, vel ouis præcipuè corruptis, vrinis & ſchiſtis, omnis generis animantium terreſtrium, at præcipuè alitum, ſerpentiumque aliorum, vt Aſpidis, Draconis, & inter aues, ibis, galli gallinacei, ſtruthij, & aliorum alatus modo, ſi ouis auiũ corruptis progignatur, ſecùs ſine alis, dum ſerpentium ouis degenerantibus à natura propria venit ille, què dicitur Iſaiæ 30. vt capite de vipera monſtrauimus: *In terra tribulationis, & anguſtiæ leæna, & leo; ex eis vipera & regulus volans.* comminante Hebræos; vbi, volantes Regulos inuenimus, vt & ſerpentes alios monſtroſè alatos inſpectamus, vt formicas alatas, humida ſta-
88 tione conſpicimus, reptiles natura, & Iſaiæ 14. c. ſic:

Ne

Ne læteris Philistæa, omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui, de radice enim colubri egredietur Regulus, & semen eius absorbens volucrem. Nam cùm alatus oriatur multoties Regulus, volucrem absumere poterit, volucresq; poterit persequi alis. Hinc antiquitùs Basiliscus alatus depingebatur, vt patet in numismate Antonini Augusti, vt esset summæ potentiæ signum, cum aëra & terras posset percurrere, potentissimũ alioqui animal, & peragrare. Ægyptij imò, vt in Bembea tabula extat sculptus, alatum fabrefaciunt, capite accipitrino, refert Philon Hebræus, & Epies Rabinus antiquissimus, in quo ære facto, arte oculos versatiles fabricabant, quos sacerdotes dum aperiebant, populus lætificabatur, clausis verò, luctu & grandi opprimebantur tristitia, idolum iratum iudicantes. Cicero verò allatos stabilit serpentes 2. de natura Deorum iis, vt c. de vipera alata monstrauimus. Inquit ergo: *Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aues excelsæ, rigidis cruribus, procero, corneoque rostro, auertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues ex vastitate Lybiæ, vento Africo inuectas interficiunt, atque consumunt, ex quo fit, vt illæ viuæ, nec morsu noceant serpentes, nec odore mortuæ cùm ab Ibibus absumantur,* Hæc Cicero. Ægyptus enim non solùm scatet venenosis animãtibus indigenis, sed aliũde aduectis impletur aduenis. Psal. enim 148. ij referuntur alati serpentes, iis, *Bestiæ & vniuersa pecora serpentes & volucres pennatæ.* Sunt Ægypto Scorpiones alati & armati duplici aculeo, Æliano teste libro decimo sexto capite 42. & angues alatos vidit Plinius. Ibes enim species struthij, estque alba & nigra, vt Plinius libro decimo capite 30. de qua latiùs capite de Cocrodilo. Inuocatur enim Ægyptiis contra serpentes, vt refert libro 10. c. 28. Ibis enim serpentes

obli

obligurit & gliscit, vt ingerũt milui, grues, & volatilia alia, ciconiæque gliscunt angues, & reptilia omnia, vermes & immunda animantia, quasi expurgent & mundificent inferiorem regionem immundis animalculis. Cùm ergo ibis cœlestis, venenosa hæc nimis, tetra, & obscæna animantia liguriat, multories est ea veneni potentia, & serpentium quibus vescitur malitia, quos viuos eglisсit, vt propria oua inficiat, & coinquinet illa viru reiecto intra viscera alitis, adeò tetro, vt Basilisci eisdem cõfotis, & reguli erumpant, quod enim confotum est vitulentorum, & fotum simul, alteratumque, virulentiæ infectione, simul cum virtute ibidis erumpet in regulum. Quo Ægyptij, & si hanc alitem venerentur, & prosequantur cultu, & religione, eiusdem oua, si inueniant, quassant, confringuntque, & in alios relegant vsus; vasa enim ex eisdem parant elegantia, potui exhibendo, tum galeas capiti admouendas, recusantes semper Basilisci exortũ. Idem docet Pierius lib. 16. c. de bono ex malo subsequuto, non secùs galli gallinacei dum oua excubant, mares cùm sint; fœminarũque funguntur officio iam senio infecti, naturæ vitio ægrotantes, natura peruersa, & sui muneris oblita, semen masculinum degenerat, & tuberculum producunt inutile, molæ instar coagmentato semine infæcundo, ouumque monstrosum illud sine luteo aut vitello, *solo albumine* plenum, sine alimento, vitello, quo posset ali fætus, morbosus inefficax tumor in visceribus animantis coagmentatus, excrementorum copia, & multitudine vitiosi succi, cùm dum ægrotat, tũ dũ furia libidinis furens fæmellæ desunt quibus expleat venerẽ, vt semen salacissimũ putreat, præstantissima virtute agendi præditum, degeneretque in corruptissimum efficiens naturæ, instar

molæ

molæ matricis fædæ partum. Scimus enim potentisſima in agendo, corrupta ſemel, noxios magis edere effectus, corruptiores magis, veneno ſimiles, & virui. docuit Galenus de menſtruo retento, vt ſemine putrido viduarum conſuetarum excretioni, & concubitui, luxu viuentium, nõ ſobrietate. 5. de locis affectis. c. 7. vbi accidentia parere ſimillima iis qui venenum hauſerunt, retentum ſemen edixit. Cùm ergo potentiſſima hæc generationis principia degenerent à propria eorũ natura in fætura, vitioſas genituras, & monſtroſas edunt Baſiliſcos, animãtia corruptiſſima, naturæ fædæ, & obſcænæ, qui ouis Aſpidis & colubri naſcentur meliùs venenoſa natura; & ſimilior eorundem, corruptis & vitiatis ſemel degenerantibus ab ortu primæuo, vt hinc galli, & Ibis ouis oriri conſpiciatur, patet adductis. Summè laudat Eraſiſtratus lib. 14. c. 9. Paulus lib. 5. c. 20. Caſtorij drachmas tres, aut opij ſcrupulum vino ebibitas, contra venenum huius animantis, quod vulnus infert aurei coloris inaureus & fuluens tergoribus, capite albo viſus non raró, communiter fuluo. Notiſſimum eſt hoc tetrum animans, eiſdem autoribus, propria ſtercora vorare, & gliſcere; fæda conditio & obſcæna.

De Baſiliſci contagio, & faſcino.

CAPVT XVII.

Contagium, faſcinationemve huius animantis, vt nec quamuis alteram, ſenſuum actione, actuque ipſo interno immanenti ſentiendi, euenire poſſe implicat, infectionemve talem; cùm ſint omnes ſenſus interni, & exteri immanentis operis, lædere vt aliquem extrà minimè valeant, in quibus 89

terminus,

terminus, aut actio non tranſcendunt efficiens, nec principium à quo eliciuntur, impotentes immutare extrinſeca aliquot, quòd agant immanẽter; aliàs quæ actio eſt natura interior tranſiens extitiſſet, quæ implicant ſanè, & manifeſtam inuoluunt contradictionem, poſito cum actibus, imò careant principiis ſenſus, quibus poſſint alterare materiam tranſmutatione naturæ, qua ad aliam formam diſponatur, corruptione ſuppoſita, eius quod erat priùs, ſint cũ altioris ordinis intentionalis ſcilicèt ſenſus; quò ſpecies nequeunt mutatione naturæ reali, corruptione & ortu, materiã alterare, cùm operari ſequatur eſſe, & ſit, vel vt multiplicetur, producaturque eſſe, vel vt perficiatur in ſe illud, ſintque ſupra eſſe materiæ ſpecies in alio eſſe, cum ſint operis altioris; quò non ſe impediũt in eſſe, vt formæ naturæ, nõ agent propter eſſe materiæ, ſed propter eſſe intentionis & cognitionis, cuius ſunt principia. Ideò nec ſubiecta naturæ denominant nomine formarum realium, cuius ſunt ſimulacra, nec effectus earundẽ moliuntur, aut cauſant, neque vi ſenſuũ & intẽtionis actu, hæc illave contingẽt opera ad extrà, ſolũ in eſſe intentionis ordinatæ & notitiæ, contrà ac rati ſunt antiquorum plurimi, Auicenna 6. naturaliũ, Arabi omnes, Græci plurimi. Vnde ortum eſt illud, imaginatio facit casũ. Verum efficiens, conſtituentes imaginationẽ naturę, mutationis naturalis dictæ, qua eſſe naturæ non notitiæ ſolum producitur, verumque motorem omnis materiæ corporeæ ad libitum, prout vellet, veſania maxima tantorum virorum, etiam ſi imaginatio & ſenſus, ſanguinem & ſpiritus agitent in paſſionibus animi, vt eſt videre, ira, timore, gaudio & reliquis, modò pallore, rubedine modò, nos affectantes, pro hoc illove animi affectu: eo motu fugam vel

proſecu

proſecutionem animalis motus imitari conantes ad interna fugientibus, vel ad externa proſequentibus, vt petit affectus, viſque imaginatiua inſita illa, in animi mutationibus & affectibus, ſanguinem & ſpiritus impertiit, quibus animalia opera perficiantur, aut ceſſent, præſentia ſanguinis, & ſpirituum: quæ impulſum impertiunt, & elargiuntur partibus actiuis, vt agant, & paſſiuis vt ferant. Hæc verò ex imperio mouente, ex ordineque ſine virtute aliqua tranſeunti, intelligentia vt mouet cœlum, ordine, & imperio, ſine virtute ad extrà cōmiſſa; cùm ſint omnes eius actus immanentes, intellectus & voluntatis. Vnde fit, cùm permoueat illa, & in ſenſus, parteſque releget hæc, vt illam effectricem credāt, interno actu, ſolùm imperio, ſine commiſſa materia, cauſave actiua aliqua naturæ alia applicita, præter imaginandi actũ, cùm ſanguis ſpirituſque immiſſa, opera illa variare conſtet, hoc illove modo applicitis, ac illa copia impertitis humoribus, ſimul aliis commotis virtute phantaſiæ, diſturbatiſq; mira, bile iratis facies pallet, os amareſcit: Zelotypia & triſtitia, melancholia, liuent Zeloſi, Horatius de Zelotypia riualis Thelephi cecinit. *Væ meum difficili bile tumet iecur*, bile tenaci, melancholia difficili ſuperatu & motu, hilaritate, ſanguine, & ſpiritibus, rubent & ſplendent hilares, ſpirituum fulgore & ſanguine rubro: gula, pituita, os ſaliua abundant videntibus deglutire, quæ expetimus gliſcere, albicant pituitoſi, vt operentur, agantque, operi dum applicantur, membra influxum ſuſcipiunt virtutis imaginationis, docuit Ari- 90
ſtoteles 3. de animo c.12. hinc inimicitia, diſſenſus, & antipathia, qua diſſident Baſiliſcus, & homo natura, vt & plurima alia, repugnantque, ortum habet maleuolentiæ actu, internecio, mors, intentioniſque imagina

imaginationis diræ, & cogitatiuæ, vt intellectus in homine, voluntatisq; peruersę, & dissidẽtis, vnius & alterius. Spiritibus & sanguine motis in oculos bile & melancholia inquinatis, liuore & odio naturæ, commotis in faciem & externa animantis, veneno tetro, in virulentis, venenatisque, iis succis allectis, quibus sensus agitur, dum se inspectãt illa in maximo prouentu attenta inspectione, tractis affectu, vnde exhalãt & ad extrà, spirãtque impulsu, copia veniẽtium continuò: bile mota in visceribus infecta, & melancholia, liuoris & maleuolentiæ actu, venenoque vnius, quod est alteri virus, vt saliua hominis excidio est virulentis, hominique illorum virus, internecio, bile vtraque inquinatis, his infectisque, tam flaua, quàm atra, virtuteque organi imaginatricis potentiæ vltrà, virtutibus plurimis natura affectato, naturali actione transeunti organi, & si potentia immanentis operis sit, paratisque illo dotibus miris, non secus ac nutritur organum phantasiæ actione externa transeunti, & molitur alia hac actione pauca externa, expulsis ab oculis, illisque exhalãtibus continuò & iugiter natura leui, tenui, & facili, volitante inficiantur, vt ad inuicem inquinentur veneno tartareo impensè, & fatali eorum genitores, vt qui priùs alium inspexerit, mortem priùs illi consciscat, quod oculis virus effuderit interuallo longiori, maiorique tempore alium offenderit visu, vt quando venenum sẽserit, cor ipsũ subierit & penetralia obtinuerit iá; quod cùm fiat subitò, ea est malitia & pugnãtia vnius ad alterum, potentiaque veneni, qui primò offenderit alterum, inspectaueritque, reportabit victoriam & palmã. Visu verò potiùs quã alio venenũ diffũditur, contagiumque & infectio oritur, inter contraria & dissidentia animantia, quòd sanguinis & spirituum

copia

copia, huic ſenſui inſit, impertiaturque maior cæteris; cùm ſit ſenſus actionis altioris, perfectioriſque multò reliquis aliis; quò, & ſpiritibus eget depuratioribus clarioribuſque, & in maiori prouentu; cùm vt in eis perſpicuis, & lucidis rerum ſpectra eluceãt, & fulgores rerum emineant, tũ vt viſus organũ perfectiuas qualitates ſuſcipiat, præclaraſque dotes ab eis, quas è corde ſuſcepere ortu ſpiritus, eiuſq; excellentia partis cùm perfectius & excelſiùs ſit organum, operaque altiora & clariora eliciat. Hinc clauſo oculo vno protuberat alter, & in maiorem molem inſurgit, copia ſpirituum, & ſanguinis vno commiſſa, quæ duorum erat: docuit Ariſtoteles, fœminas menſtruis affectas, ſanguineas maculas ſpeculis intuliſſe oculis, ſeſe inſpectantibus, ſpeculis vetuſtioribus tamen, quòd ſint læuigatiores, lenioreſque vſu & terſiores attritu, quibus concreſcunt meliùs vapores indiuiſi æqualitate & planitie ſpeculi, ſecùs in aſperis, inæqualibuſque corporibus. Vetulas imò obſcænas, & odoris tetri, pueros inficere halitu infecto ſpirantes ad extrà, oculis, toto oreque præcipuè, dum pueros molles oſculantur, & baſiant, quibus officiunt magis, vt teneriores, faciliores alteratu carnibus, quibus ſuſcipiunt tetros halitus faciliùs. Hinc ſi menſtruatæ fæminæ contingant virentia, marceſcunt multoties plantæ. In occimo & betonica eſt videre, ficulnea, mentaſtro, ruta, & aliis. Hinc viros inficiunt, monſtraque interlunia veniunt menſtrui tempore concubitu facto, halitu ſpirante tetro, hocque modo ſpiritibus in oculos motis, quibus ſplendent oculi, & lucent, exolutiſque langueſcunt oculorum lumina, vt patet in morientibus, emortuiſque animantibus: ideo nerui optici caui in oculos fuere inſerti, poroſi ſcilicèt omni ſubſtantia, & laxi. 7. de

placitis, Galenus refert c. 6. vt ſpirituum capiant copiam, ſpiritus verò imperio imaginationis ducuntur natura lucidi, veniuntque in oculos, ictu enim oculorum facto, lumen multoties ex oculis reſilit, fulgoreſque, ſplendores, violentia acti, ſpiritibuſque concuſſis, à ſede humoris cryſtallini, quem fouent, illuſtrant, ante tunicam retinam in foramine vbeæ, diductis ad extrà, propulſis violentia ictus, qui interiùs continebantur naturæ poſitu ante corneã tunicam, ictu excuſſis. Videmus ſpiritus lucẽtes igneos, & fulgurantes in ictibus; qui, & ſi ſint aëreæ naturæ, lucent tamen, quòd ignis portiones aliquot in eis reſideãt, ſplendeſcentes, & illuminantes, alioqui paucæ, in eorum ſubſtantia, vt omnes ignis videantur. Ignis enim alioqui minimus, magnam aëris portionẽ illuſtrat, ſplendeſcereque facit exiguus, & ſi vt tepidum, moderatumque calorem conſeruent oculorum, non naturæ ignis, imò naturæ aqueæ, cùm ſint oculi, docuit Ariſt. de ſenſu, & ſenſili cap. 4. & Plato in Timæo, non vrẽtes, nec in exceſſu immoderati aërei, imò iis motis, ſanguine ſucciſq; aliis, poteſt animal varios inducere effectus, pro abſentia, præſentiave huius cauſæ, motæ imaginationis imperio, imaginatioq; poteſt variare effectus, applicitis iis actiuis patientibus, vel ſemotis, vt poteſt Angelus cæli motu moliri varia, ſolùm variis cœli partibus applicitis ad opera. Cùm ſint ergo aëreæ, igneæq; ſubſtantiæ, tum actiuiſſimi ſpiritus, ob virtutes raras & mirabiles, inſitas, genitoris, perfectiuas & naturales: veneno & internecioni reliquis aliis: natura lucidi, ſplendeſcenteſque vt carbunculi, & pretioſi lapides, miſcella & natura fulgentes: potentiores actiuioreſque cùm ſint Baſiliſci ſpiritus oculorum, tenuis ſubſtantiæ, & ſubtilis, animantis ignei, & vrentis, vt & hominis,

ob

ob raras actiones altioris potentiæ quæ inſeruire tenetur menti diuinæ, & ſpiritali, illique parere & miniſtrare ſpectra rerum ſenſata, præclara, inficiunt viuentia & inquinant, præcipuè hominem, contagione & faſcino hoc, & contrà. Cum eo enim experientia docuit, contrarietatem, antipathiam & repugnantiam ſummam eſſe, vt ſit alter alterius venenũ; præcipuè oculis, quibus tenuiores funduntur illi, & naturæ agilioris, ob inſitas virtutes cõtrarias, effectibus notas, repugnanteſq; omnino, à cælo acceptas interim dum elemẽta miſcebantur, vt illi progignerẽtur; non ſecus ac alias poſſident ex miſcella naturæ elementaris ſubſtantiæ miſta. Ij verò tendunt magis ſpiritales halitus, vbi conuertit aciem linea recta plus pupilla in obiectum, nec in quauis diſtantia enecat, nec æqualiter quoduis inquinat viſu, malitia eorum quæ in oculos veniũt virus teterrimi. Auditu interimit, etſi minus acie, ſpirãte halitu forti ſufflatione ſibilans, propiùs tamen, eo animantia inficit ad minorẽ diſtantiã tetraque & totius expiratione, ſibilo exanimat alterato aëre priùs, in viſceribus virulentis, corde & præcordiis. Refert Ælianus lib. 5. cap. 31. Baſiliſcum cor habere in gutture, fel in inteſtinis, teſtes ad caudam, venenum oculis & ore. Agunt quædam in magnum ſpatium, nulla ſubſtantia immiſſa, ſola virtute, luminis modo effuſa per medium, vt polus ad ſe rapit contactos magnete Chalibes, magnes ferrum, oſſa crurum accipitris ſcobes auri: palma fæmina ad aſpectum maris fructificat ſpatio vnius leucæ & amplius, ſecùs aliter, æs virtutem vſque ad nubes effundit, quo nubila fugat ſtrepitu, & virtute, & ſi benedictionibus præcipuè & conſecratione, iam ſuprà latè libro 1. Hinc oculi inuidorum & maleuolentiæ, noxam inferre valent, & cauſare mala,

morbos,& mortes actione reali spirituum,sanguinisque fœdi, quo si intelligatur modo fascinatio negari nequit,vt ratio docet, & comprobat experientia rerum,testanturq;historiæ.Hinc peperit fœtum nigrũ, illa inspectu Æthiopis, fœtusque variegati Iacob aspectu virgarum variegatarum possent aliquo modo in naturam referri, disponentem saltem, & si miraculo id extitisse reor. Sunt & oculi liuescentium tales plurimis, vt quassent quæ inspectant,attẽta ocu-
91 lorum acie, vitra quidam dirumpebant intuitu. Qui toruè inspiciunt, vnoque oculo plusquàm duobus lædunt, quod maiori copia spirituum in vno existentium ab altero compressu expulsorum impellantur magis,vt plures extrà prosiliant,irati deteriùs infectant alios ira commota bile;inuidia affecti & maleuolentia lædere hoc ordine queunt,motione bilis, cum spiritibus immistæ. Prouerb. 10. *Qui annuit oculo dabit dolorem.*annuere enim ěst vno oculo toruè inspicere, nictare vno oculo clauso, & reserato alio obliquè inspicere, maximè enim animi motus quasi in animæ fenestris oculis repræsentantur,gaudiũ, lætitia,beneuolentia,tristitia,melancholia, maleuolentia emicant.Prouerb.cap. 16. *Omnes viæ hominis in oculis eius*, & capite 10. citato. *Lux oculorum lætificat animam, fama bona impinguat ossa.*Oculorum enim lumen,hilaris aspectus, lætus,& placidus lætificat animam.Cùm quòd beneuolentiæ sit signum,& gratiosæ acceptationis,tũ quòd cùm blandos & halituosos spiritus ad extrà moueat hilaris, sanguineos caloris tepidi, halituosæq; substantiæ, sugit alter hos ipsos pulsu totius, vt similes sibi, inspiratuq; cõtinuo trãspiratione iugi simul cũ aëre tractos,tũ respiratione, contactuque, si adest, cum iis, quibus exhilarat alter sanguine placido,lætificatq; animã.Hinc senes,&
vetu

vetulæ puerorum reiuuenescunt cõtactu,& accubitu,hinc delectamur osculis,& tactu molli,haurimus enim labiorũ suctu spiritus molles,halituosos,placidos,& osculis animam quasi haurire tentamus quoquo modo possumus,vt coniungamur rei amatæ,vt sit anima communis,viuere,& esse. Resarcitur enim 92
calor natiuus, crescitque contactu carnis iuuenis, tractatu & vicinia. Dicitur 3.Reg.c.1. *Et Rex Dauid senuerat,habebatque ætatis plurimos dies,cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei serui sui. Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege,& foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israël,& inuenerunt Abisag Sunamitidem,& adduxerunt eam ad Regem; erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege,& ministrabat ei,Rex verò non cognouit eam.* His enim tractis spiritibus Rex reiuuenescebat, blando halitu, & tepido. Vnde in præsentia amati obiecti in faciem veniunt, & externi fiunt spiritus, & sanguis, quasi obiectum petant, & prosequantur, vt ad inuicem quilibet alterius hauriat blandos & hilares, sanguineos halitusque sugat, remque placidam & amicam ad inuicem, dum intuentur, mouenturque spiritus, & sanguis purus in faciem & oculos. Lætatur anima, & hilaritate splendet; hinc sanguinis proportiones amorem parere docuit Plato in Conuiuio, vniusque & alterius natura congener, subdit: *famaque bona impinguat ossa*, nam securus ille iam & quietus, congratulatur honoris,& famæ adeptæ, gloriamque intra se meditatur. Hæc ipsa ad interna mouent spiritus & sanguinem, quibus ossa frigida iis summè indigentia increscunt, fotu sanguinis, alimenti,

& ſpirituum. Eſther 15. *Cúmque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet Regina, corruit in pallorem colore mutato.* Oculis enim furor cognoſcitur, & animi affectus tanquam animæ feneſtris. Eccleſiaſtici 14. *Nequam eſt oculus liuidi, & auertens faciem ſuam.* Quibus contagium, & faſcinum deplicato modo conſiſtunt. Hinc ſi priùs vidit hominem Baſiliſcus perit homo, & animantia aliquot, cum quibus eſt pugnantia naturæ, diſſidium, & antipathia, contrà, ſi homo illum proſpectat anteà, deficit ille, ſi ſe aſpiciunt ſimul, vterque; Qui enim priùs vidit, venenum infundit alteri tempore illo quo inſpectat alium priùs, præcipuè oculis in diſtantia debita, proportioniſque certæ, intenta cogitatione, imaginatione per naturæ motus, quibus exhorremus, iis viſis quos vitare ſubitò nequimus, & multoties nec poſteà, inimici inſtantis præſentiſque, moto veneno ſpirituum infectione, alter verò emortuo altero, non inficitur viſu, frigore ſpiriti-
93 tibus congelatis deiẽtiſque algore incraſſatis, quo minùs exire poſſint. Latet hîc arcanum maximum, & ſacramentum mirabile, Baſiliſci abditum natura; dæmon enim Chriſto antiquior, prior ortu humanitate Chriſti, eius vidit carnem, poſterioraque, priùs humanitatẽ, illa vetuſtior, quò eſt paſſus ſecundùm carnem, mortuuſque eſt Chriſtus, homo verus & verus Deus, ſerpente diro, at Deus antiquior omni natura prior, æternus, ſeſe exiſtens, ſine principio, Dæmonem vidit, præuidit imò, peccatumque, & mortem priùs, Baſiliſcum, infernum: hinc Dæmon periit, ſuperauit peccatum, infernum vicit, ſubiugauit mortem. Serpens ergo antiquus Baſiliſcus Diabolus dictus Apocalypſi. 12. Chriſti virtute conuictus eſt, morſus inferni eſt, Chriſtus mors mortis; abſor

absorpta est ipso mors in victoria, vt prædicat Paulus. Admiratione dignũ est, in natura huius animantis rara & inusitatum, postquã oua educauit, sobolis principia futuræ, sufficiensque illis, relegauit agendi principium, & virtutem insitam, instar secundi seminis principia prolifica oua natura, excubatus tẽpore oculorum inspectus, attentusque intuitus præsentia animantis, esse adeò necessaria, exigique in tantum formationi fœtus, semel atque per vices ouis supersedit, vt nullo modo proles in lucem veniat, conformeturve intus in ouis, si inspectus deficiat. Ea est visus potentia Basilisci, quantumuis illa prolifica constiterint, & efficientia fœtus, non secus ac testudo, & testacea omnia, ouis superesse extimescentia, põdere ne illa abrumpãt testæ, non excubãt super illa, intuitu imò & aspectu fouent, viuificant. De palma arbore fœmina diximus, fructificare longissimo interuallo intuitu maris, secus verò sterilem esse, & infructiferam: quasi his, & aliis, non solùm efficiens causa mas adsit, exemplaris imò modum subeat, ad cuius præsentiam secundùm mensuram illius perfectionis, entitatisque, efformetur effectus, vt ad præsentiam prototypi imago depingitur: non secus atque homini creato ab ipso summo rerum cõditore, productoque, & in lege gratiæ collocato, vt sui absolutam perfectionem obtineat, formamque excelsam, adeò dotes raras, & mirabiles humanæ substãtiæ impertitas habeat supernaturales. Non sufficeret illi, Deum habere factorem, vt illo frueretur, efficientemque causam, si exemplarem ipsum Verbum non haberet, ad cuius imaginem, veritatem, & similitudinem sit homo, illique si exemplar non extet, iustitiæ, operum, & integritatis actuum. Nec aliter Christus serpens factus Basiliscus, habitu 94

inuentus vt homo, exaltatus in cruce ſerpentis, inſtar Moſis, ſufficiet efficiens cauſa noſtri eſſe; vt ſalui ſimus, ouaque, & efficientiam noſtræ redemptionis excoluiſſe non eſt ſatis, ſi vltrà noſtrorum meritorum cauſa exemplaris non extet, ſi illis nos non formemur, conformemurque opere cum prototypo Chriſto, virtute relicta ab ipſo noſtro genitore, illi vt ſimus ſimiles exemplari, vt conformatio cũ ipſo, regula noſtræ ſalutis, integritatis, & eſſe noſtri eſſe ſit, vt formatio prima fuit Verbo, virtutibus, & perfectionibus, Chriſto formemur Deo & homine, ne ſolùm in teſtes redemptionis vocemur, nõ in redemptionẽ, contenti, vt ſimus in Scriptura ſacra, ne nobis contingat quod Tiberio Cæſari, Annæ, & Caiphæ, Herodi, principibuſque aliis enumeratis à chirographo ſacro Lucæ 3. Qui ſolùm in teſtes vocantur qui adfuere præſentes Scripturæ euangelicæ interim ac celebrabãtur, implebãturque Scripturæ, non tamen quod fructum redemptionis ſuſceperint inſcripti illi, ſuà culpâ malitiæ, & contumacia; ſolùm teſtes qui adfuere præſentes myſteriis allati à chirographo ſacro ex lectione, inſtrumentoque publico, tempore Tiberij Cæſaris celebrato.

Baſiliſci Aenigmaticos præfigurans ſenſus.

CAPVT XVIII.

96 GAlli cantu fugatur Baſiliſcus; fugauit galli cantus Baſiliſcum obſtinationis, & infidelitatis Petri, qui Chriſtum abnegauit ante galli cantum; poſteà verò quàm ille cecinit, fleuit amarè; iam fugato Baſiliſco, Matth. 26. c. Luc. 22. Marci 13. Ioannis 13. & 18. quò iis locis dicitur. *Antequam gallus cantet*

cantet, ter, me negabis, Basiliscum effugauit vndique gallus, negauit ille, qui dixerat anteà, *& si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, sed hæc Dei erant, illa Petri. Quis tamen gallus ille, qui Basiliscum in fugam conuertit, terruitque alter, quàm qui vocatur Prouerbiorum 30. *gallus succinctus lumbos*? Scimus enim gallum præcordiis succinctum, lumbis incinctum, breuemque fortiùs multò reliquis canere, & vocem altiùs, vehementiúsque emittere aliis, quòd compressis visceribus, & arctatis præcordiis, pulmonibus fortiùs esset, fistulis redditis & canalibus arctioribus, constrictioribusque aër exsufflatus, vt sese propellat maiori impetu compressus, vi impulsus suscepti insufflantis, illéque compulsus aërem impensiùs feriat, & propellat acutiùs, altiùs vt canat. Gallus ergo præcinctus, succinctusve lumbis, quòd altiùs canat, potentiùs Basiliscum expellet; superauitque Christus gallus succinctus lumbis, fortissimè cecinit, dæmonem Basiliscum fugauit, homines conuertit ad se, Petrum; venenum explosit, vsque dum fleuit ille amarè, non solùm salsè, lachrymasque salsas expressit, vt sunt primæ lachrymæ, effudit amaras imò, angustia, & dolore oppressus viscerum æstu, vstus enim salsuginosus liquor amarus perstat, salsa enim perusta omnia amara euadunt, docuit Galenus 4. simplicium; & experientia probat, *fleuit amarè*. Primo sale, cognitione sui & sapientia, fleuit salsa, posteà sancta indignatione commota bile amara, vt venenum Basilisci, quod cor contraxerat, oculis expurgaret fletu, melancholicis enim, & corde oppressis, venenatisque, fletum consulimus, cor, caputque vt expurgent à vitiosa recrementorum sarcina, Christus gallus præcinctus altissimè cecinit, diem enunciauit legis gratiæ, manifestauit Patrem: nemo

enim Patrem nouit, nisi Filius, aut per Filium: altus cecinit in crucis patibulo: succinctus concinit, *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiēs*, verbum breuiatum, præcinctum, ad Romanos 9. c. *Et linteo præcinxit se*, Ioan. 13. Lucæ 12. Præcinxit lumbos suos linteo lini, frigido natura; passiones hoc symbolo alios restinguere, vt edoceret ipse liber, mundo, maximè tractabili, facilè cedenti, humili linteo, edocens discipulos, lumbos præcingere, sobrietatem, modestiam, diligentiam, humilitatem sectari. Erat Ægyptiis hieroglyphicon sedulitatis, & vigiliæ, præcinctus gallus, homóque cinctus, vt solutis vestibus obuolutus, impeditusque negligentiæ, gallus vigilantissimæ naturæ est, Solem, auroramque annunciat, soli dicatus, ob vigilantiam. Hinc Ouidius fabulatur, & antiquus Hesiodus, famulum fuisse Solis gallum, in hoc animans posteà conuersum, ob gratitudinem Apollinis, & gratiam, vt continuò solem proclamet; parātur in opera homines, dum præcinguntur, vestiumque fimbriam cincto retinent, & appendunt: animantia enim omnia præcincta quæ vocem edunt, aut susurrum, fortiùs emittūt præcincta magis; videre est in iis, & aliis strictioribus resonātibus musicis instrumētis adhuc & sonoris, quod aërē impellant maiori impetu è loco arctiori. Hinc lumbos præcingunt, qui altas voces edere cupiunt, pressisque precordiis, manibus, aut alio vociferamur impensiùs, securiúsque, consulimus concionatoribus, ne abrumpantur, se præcordiis eligare, intentisque neruis pressura firmiùs mouemur, stamus, imò & consistimus. Laxa enim & flexibilia, solutaque stant minùs contra alia, vt hinc pueri molles minùs constēt motu, humidi natura, adultis siccioribus, & durioribus. Defatigantur verò minùs, qui minori cum
labore

labore mutantur; laxa cedunt facilè, & laboriosiùs adducimus inconstantia, docuit Galenus 1. de locis. 2. & 3. cap. Hic ergo præcinctus gallus Basiliscum exanimauit cantu altissimo; de cœlo enim loquitur qui de cœlo est. Sacri verbi concionatores, & rhetores sacri galli, Basiliscos exterreant, præcincti linteo candido mundiciei & humilitatis, restinctione passionum cincti, orationis Basiliscum propellant altissimo & sonoro cantu, canant lumbis præcinctis appetitus, qui maximè in lumbis residet, cùm viæ ibi originentur, primò lasciuiæ reliquis aliis maior affectio; qui enim hoc modo canunt, Basiliscum exterrent præcincti priùs, termino ipsi naturę adacto pressura; non se excedentes, cõrrigentes imò concupiscentiam effrenatam & liberam. Hinc Prophetis sanctis succinctis, Dei legata asportantibus, vias quòd essent Dei percursuri, dicitur; *Et factum est verbum Dei ad Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & alios.* Factum inquam, est verbum, sermo; facit Deus illis sermones, vt non hominum, Dei imò sint verba, fructus, operísq; prouentus, gallus succinctus ore pollet ampliori, pectore capaciori, vt magnam aëris quantitatẽ suscipiat, & posteà plausu laterum compressis visceribus, reiiciat fortiter acceptum spiritum; est Christus ille, qui magna voce emisit spiritum, adeo vt pectus dirumperetur conatu, lancea tandem perfossus. Iob. 38. *Quis dedit gallo intelligentiam, vel quis posuit* 97.
in visceribus hominis sapientiam? vt adeò robustè caneret humanitas Christi, ipsa diuinitas posuit ipsius, hac cecinit fortiter adeò, vt aures Patris attingeret. Quis concionatoribus & Doctoribus legis dedit intelligentiam? his gallis sonoris quorum cantu aufugatur Basiliscus? est enim hoc Dei opus, non hominis, quò adiunxit; vel quis posuit in visceribus hominis

hominis sapientiam, rerúmque cœlestium cognitionem & notitiam finis supernaturalis? quis Christo gallo præcincto dedit intelligentiam? ipse ex se habet cùm Deus sit, *in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei*, quis sapientiam posuit in Christi visceribus, in humanitate? ipse Deus. Hinc sacri rhetores intelligant, fructus, hominúmque conuersionem Dei esse, animarúmque prouentus, nec desistant ab opere, dum citra fructum concionari sibi videntur. Est illud adhuc Dei opus, scit ille quæ expediant. iis deplicatur locus ille Isaiæ cap. 22. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum, sic subleuabit te.* Minatur enim eo loci Hierusalem, propter scelera & delicta populi, ideóque asportandos enunciat sicut gallus gallinaceus: gallus enim cùm nimis vxorium animal sit, condolet maximè dum aliò transfertur, relictis amãtissimis vxoribus, adeóque contorquetur, molestéque fert absentiam, vt citissimè vita defunctus intempestiuam sibi consciscat mortem, inedia & languoribus tristissimis actus, fame, siti; experiẽtia comprobat quotidiana, norunt qui gallicinio incumbunt; quò minatur Hierusalem, quòd eam asportari faciet à deliciis suis, faméque & miseriis citissimè defecturam, quasi gallus gallinaceus asportatur, gallúsque deficiet, qui Basiliscum pellat, in Hierusalem, sed asportabitur quasi gallus asportatus, qui non canit, imò rauco clangore idololatriæ & Apostasiæ schismatum & sectarum clangit, non cantu sonoro vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ; punietur Hierusalem, quasi punitur gallus asportatus extra Ecclesiæ gremium, vt puniuntur schismatici, galli rauci, qui priùs sonoras edidere voces: incidet, si non egerit pœnitentiam, in hæc vitia, asportatibúrque, vt gallus

gallina

gallinaceus, *& vt amictũ subleuabit te*, quasi qui exuit vestem, relinquet te, & omittet. extrinseca eris, profuga, extra Deum; est vestis vestito, externa illa vtimur solùm in extrinseca, quando magis. dicitur Prouerbiorum loco citato cap. 30. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Gallus succinctus lumbos, & aries, nec est Rex qui resistat ei, & qui stultus apparuit postquàm eleuatus in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.* Leo enim fortissimus est, nec expauescit ad occursum animantium, & si mole minor sit plurimis animantibus: at timet cantum galli, expauet, quod naturali contrarietate & antipathia pugnent, vt ouis lupum odit, & pullus miluum, & mus felem, odit verò horum quodlibet occisorem; at Leo odit gallum, quasi quòd corona inter animantia fuerit insignitus, minimus alioqui animans, imò corona ex propria illius substantia suborta, & natura, non rapina, non iuba & lanugine capillorum inutili, extra rei substantiam, ornatus causa insertorum, vsus nullius operisve alicuius, aut actus, vt Leoni inest, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo: Paulus de Christo gallo succincto: Rex natura corona insignitus substantiæ eiusdem, naturæque vnius, circulo deitatis, æternitatísque. De Dæmone verò, *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, rex tyrannide, & violentia, qui superbia, & fraude insignia regalia arripuit, qui & si ad nullius occursum pauebit, nec ad impetum molis corporeæ animantium, vi, aut arte factus superior, occursantibus omnibus, obsistentibúsque mole corporea, ad cantum exanimabitur, & quod visu contemnit, auditu pertimescet, & venerabitur; humiles enim & abiecti, iusti despecti, Ioannes tandem vinculis detentus, Herodem exterruit,

terruit, despectus aspectu, cantu, & auditu, timorem incussit regi, vt animo defecerit ille. Figura & voce per naturam dissonat cum illo gallus, imperij signa abhorret Dæmon, gallum succinctum Christum signa imperij, miracula & opera portentosa, dominiíque exerentem acta obstupenda, & rara prosequitur odio. Tum fœliciter graditur gallus succinctus, qui crura cùm moueat neruis ortis ex lumbis, & coxis firmioribus, pressuræ intentis, & firmatis, ex iis, vt & reliqua mouētur, Galenus docuit 6. de vsu partium, capite 9. & 10. & 3. de locis diffusè, Anatomicíque omnes norunt, docuítque vltrà experientia cùm illis resectis, crurum motus vitietur. Cùm ergo iis neruis moueat crura in succinctis consistentibus magis, laxi minùs præcinctis lumbis, proceriores, agilioréśque erunt, motus velocioris, gratioris, propter vim maiorem qua regunt, & gubernant illa, vt hinc bene gradiatur succinctus gallus; & qui castistate pollet; lumbis pressis: mundus Doctor fidei, coxis integris, & lumbis, vt est videre in integris & corruptis, contrà fœmellis integris firmus incessus, gratiosus, pressus inest, aliis laxus, incōcinnus, deformis, peruersis pedibus, distortis, euersis. Tum aries bene graditur; nam dum impetere vult, retrocedit, vt antè prosiliat; præterita enim, præsentia, & futura rimatur, prudentiæ partes qui bene graditur, & vià rècta incedit; quo non est rex qui resistat ei, nec potētia, potestasve aliqua: præuidet illius occursui, cùm fugere credatur, quando impetere vult, quo præcauetur minùs, vt hinc vincatur, & superetur ille, qui alios gubernat rex, ratio, intellectus naturæ, nisi desuper vires impertiantur cōtra carnis passiones, arietis, impetentis carnis retrorsum facto, vi serpentis antiqui. Tum quartò non solùm bene, fœliciter imò gradi

graditur, qui postquàm eleuatus est in locum sublimem stultus apparet, nec in hominum gratiam, iustitiam deserit, & si stultus iudicetur, & fatuus; si enim intellexisset hæc, quanti essent, ori suo imposuisset manum, & non conquereretur, quòd iudicaretur stultus, & amens, imò de industria taciturnus esset, vt talis censeretur, reputaretúrque. *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; sapientia enim huius mundi, apud Deum qui intelligit, stultitia est; nos verò qui non intelligimus, sapientiam iudicamus, si enim homines intelligerent, ori suo manum imposuissent.
Cutem amittit, carnem, ossa tandem, qui Basiliscum 98
emortuum adhuc contigerit, excoriabitur illicò; qui enim occasiones non fugit, restinctúmque ignem, etiam emortuum, tandem carnem, & ossa amittet, actualia, & habitualia, solida tandem, & si vt decet, castè viuat, si vltra quàm decet, religiosum & sobrium virum verbis adhuc ociosis solutis alloquatur, cutem, splendorem, ornatum fœdabit, primò fœdus, indecorus, venustatem vitæ alioqui integræ, & incorruptæ, etiam si emortuū Basiliscum contrectauerit, sedatis passionibus, & victis. Carnales & carniuori, non contingũt, nec calcant Basiliscum emortuum & victum adhuc, Dæmonẽ peccatū, neque ii super Aspidem & Basiliscum ambulabunt securi, & intrepidi, fugient imò & pertimescent hæc ipsa emortua & superata, adhuc Christo ardore cõcupiscentiæ flagrabunt, liuescent extincto charitatis feruore, vt calido innato restincto, partes liuẽt mortuis, morientibusque, vt contingit extinctione calidi natiui, & naturalis. Imbecilles enim, & debiles carniuori mortuum fugient Basiliscum, eodem interficientur, & inquinabuntur, inquinati veneno, vt

vene-

venenosa alia, emortuum interimere diximus. Contrà qui spiritu viuunt, ambulabunt super ipsum intrepidè, impunè, vt pedibus metiantur, concinno & ordinato motu, ambulabúntque super illum regulari motu, & debito, non timore inordinato, & debili, vt carnales qui fugiunt, expauescúntque illum: iusti viuum imò pedibus æquant. Quod dicitur carnalibus Geneseos 6. *Non prævalebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est.* Recedit à carniuoris spiritus Dei, & galli cantus, quò timent, fugiúntque & vincuntur, Basilisco subiugato iam. Expurgat templa, vt diximus anteà, spurca interficit animantia, emortuum hoc animans, non minùs expurgat Ecclesiam vitiosis hominibus, & spurcis, congregationémque fidelium, carnis vitium, dum intempestiuas affert mortes, tristes & inopinatos vitæ euentus, morbos, dolores, fœditates, miserrimúmque mortis genus. Ezechielis 36. minatur populo dicens: *Dabo vobis cor carneum.* vt non possitis vincere Basiliscum, imò conuertamini in fugam, eo viso, vt conuertuntur carniuora animantia; capilli, & cogitationes iustę fluent, indecoráque sequetur caluities, sine virtutum ornatu, & pulchritudine lasciuis. Emortuus Basiliscus vtilissimus est, vt diximus, etiamsi virulentum nimis, & fœdum sit animal, putredine ortum, & corruptione venenosum, animantia omnia virulenta fugat, immunda, & obscœna, immundissimus ille, illustrat ædes, expurgat, & extergit mortuus iam, superatus & victus, cùm viuus solùm exterreat virulenta quæuis, at interimit nullum, effugientibus viuum, quòd emortuum despicientia inquinantur occulto viru, in venenata actiuo & contrario, mors mortua, superatus infernus, Dæmon victus, restinctum peccatum, sunt vtilissima alioqui; cùm memoria,

moria, quorum oritur timor sapientiæ initium: dum recordatur homo miseriæ reatus, & culpæ, conuersus in Deum, ruinam, & lapsum intuetur, contremiscitque, & totis artubus cócutitur, expurgatus pertimescit tantum Basilæum virus, tum gratias quòd referat Christo mediatori, cuius potentia est diductus de seruitute dira, illum amat, & timet; pauet, miseriã recordatus, ruinæ & periculi pœnæ; eo sic emortuo Basilisco alites deficiunt, dæmones deserunt tẽpla viua Christi, mortalium animos: araneæ nõ intertexunt iniustitiæ telas, quibus minutissima opprimãt animantia, & nullius noxæ, relictis aliis venenatis, & feris. Oseæ c. 8. sic vbi prædicitur Sammariæ ruina, quòd vitulum erexissent, cui adolebant idololatria & indebito cultu: *Proiectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos, vsquequò non potuerunt emundari? quia ex Israël, & ipse est; artifex fecit illum, & non est Deus, quoniam in aranearum telas erit vultus Samariæ:* Si enim vultus Samariæ est in telis araneorum inuolutus, præsente vitulo, non est ibidem Deus, nam ligatus Basiliscus coram eo esset dæmon, quo minùs araneæ telas struxissent, & nidificassent præsente Basilisco conuincto, reuinctóque. Cùm ergo solùm Christi Ecclesia fidelium contineatur religatus ille, & conuinctus Basiliscus dæmõ, vitulus Deus non erit, artifex imò fecit illum; corã vero enim Deo Basiliscus dæmon reuinctus est, & telaraneæ iniustitiæ, & idololatriæ, inutiliaq; opera desunt, & cessant, templo appenso & ligato illo (latè suprà.) Est vtilissimus emortuus ille, qui excidio, & internecioni fuit anteà; nõ secus ac gladius Goliath vtilissimus Dauid, superato gigante, hoc præcidit caput Philistæi. 1. Regũ. c. 17. non alio illo, imò vno Goliath gladio. Peccatum ergo, Dæmon, euicta vtilissima sunt, Basi-

ſcuſque emortuus,& mortis ſtimulus hebes iam,peccatũ. Paulus qui anteà Saulus,& Baſiliſcus erat,eſcã impediens,alimẽtum,Deum ipſum Chriſticolis,venenoſus,virulẽtus in Chriſti aſſeclas immanis,& ferus, emortuus tamen mundo, & carnis reſtinctis paſſionibus,Eccleſiæ frugifer extitit,templo veri Dei appenſus,& applicitus;dixit ipſe: *Viuo ego,ſed non ego, viuit in me Chriſtus*.ad Galatas 2.c.Iſaias 59.increpans populum, quòd vitiis & peccatis inficeretur, immundus &,obſcœnus, inquit: *Et telas araneæ texuerunt*. Cùm non eſſet ſuperatus & victus Baſiliſcus, quò ſpurcas domos habitabant,cordáque hominum obſcœna erant,& immunda;dictis conſtat locus ille Iſaiæ 14. *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui*:minatur enim Philiſtęos, quoniam lætabantur ob calamitates Iudæorum, *ne læteris omnis tu*; quæ verba execrationem continent imperatiua voce,ne ſuperbias,quoniam comminutą eſt virga percuſſoris tui, potentia & poteſtas populi Dei, nomine virgæ poteſtatẽ imperij complectẽs; *de radice enim colubri egredietur Regulus*, & vitia quæ vltionem,flagellum prouocent. Aliàs, eſt radix Colubri ſuperbia,ex qua primò dæmon infectus eſt,ſecundò homines,ex qua venit inimicitia inter Deũ & homines;illo,*eritis ſicut Dij*,Geneſeos 3.c. & illo,*conſcẽdã in cælum & ſimilis ero altiſſimo*,anteà allato,vt hac radice regulus oriatur;rigor,vltio,indignatio,ſuppliciũ q;impiorum,pullulante in actuales deformitates viru,increſcẽte ampliùs colubri,vltrà malitia actuali,& fæditate. Decepit hac coluber parentes primos Geneſ.3.de qua regulus oritur corruptis ſeminibus & ouis.Superbia enim ſemen vitiorum omnium in regulum degenerauit dæmon iis ortus eſt, malitia, infernus, mors, culpa,pœna,pœnalitates omnes de radice

radice colubri, de superbia, vt ex ouis colubri, serpẽtiumque aliorum corruptis & vitiatis degenerantibus à propria eorum natura regulum oriri monstrauimus, aliorumque animantium ouis. Assonat iis locus ille Isaiæ c. 59. vbi iniquitates Iudæorum prosequitur dicens: *Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Qualiter ex ouis Aspidum ruptis confotum erumpit in Basiliscum, ij sic conceperunt laborem. Est iugum Dei suaue, ruptis ouis pepererunt iniquitatẽ, peccata, & deformitates, abruptis illis, vi in legem facta præcepta transilientibus, & quando ex confotis vitiis consuetudine, & habitu detentis, calefactis, sperabatur prouentus, quod confotum est calore concupiscentiæ & malitiæ nostræ deterius factum, quando expectabat, in quid erumperet, erupit in regulum mortis, tũ ruperunt oua aspidum, minora vitia insequuti, diruptis victis maioribus minùs soliciti de leuibus aliis aspectu facilibus, iis verò calefactis, detentis, assuefactione, confotisque occasione ineuitata erupere in regulum, & vitia maiora: vt fiant nouissima illius hominis peiora prioribus, dicitur Matth. 12. Cum multi sint nati Ibes, alitesque volatiles, spiritu Dei aëre cœlesti puro, & vago, aliis præpositi, vt præsint, limpidissima & clara exemplaria doctrinæ, ouaque excubent, & semina, doctrinã, quibus ibes alias procreent, & generent alti volatus, venenosa absumant vitia, extirpentque immunda quæuis, quibus populus inficitur, vt est dictum Petro Actuum 10. *Occide, & manduca*, non secus ac Ibis venena, immundáque omnia gliscit, & extergit, oua tamen inficiũt, dignitates, prælaturas, honores, ministeria, officia, corrũpuntq; omni vitiorum labe, tãto deterius, quãto in

 maiori

maiori sunt constituti dignitate, vt quod consotum est vitij & malitiæ, virulentia, sua dignitate, & præeminentia abutentes, fouentes imò vitia, autoritate & dignitate, summæ virulaginis, erumpat in regulũ, in alites, in peccata alata, quæ hinc inde peruolent, scandalo, & infectione contagionis, & venena diffundant, quæ in loco illustriori, eminentioríque cùm sint, manifesta omnibus magis, in propatulóque, inficiãt plures multò, quàm inquinarẽt secus. Est enim vitium consotum dignitate, adeo perniciosum & ferox, vt in volantem erumpat regulum, Ibibus, vt contingit, constitutis: Ideo natura vt venenata absumerent regulos maioris virulentiæ, parere cõceptis ouis corruptis solent, de his dicitur Isaiæ 16. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ.* vbi hæc vitia cymbalata vocat, quòd personent omnibus, & alis peruolent, percurrantque omnia, in tantumque euolent, vt trans flumina Æthiopiæ distantissimæ regionis veniant, simplicésque inficiant gentes, idololatriam Æthiopum conquerẽtia, tandem vt fide extincta Æthiopes fœdi, denigratique titiones lumine fidei restincto supersint, vt multis contigit, vitiis vitia inuocantibus, & nocte nocti indicante scientiam, abyssus vt abyssum vitiorũ inuocet. Quòd si sal euanuerit, si maiores, in quo salietur corrupto reipublicæ sale, quo integra illa salis instar cõseruabatur? His locus Prouer. 23. constat: *Ne intuearis vinum, quando flauescit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Quibus vetat spiritus Dei, vini splendescentis in vitro nitidum aspectum, rerumque fugacium, & fragilium apparentiam, specimenque, in vitro existentiæ fragilis, & in vitro boni apparentis, in quo splendent, & fulgent oculis mortalium, solum præsentia

æsti

æstimantes, futura quasi somnia posthabentes, quæ vini instar inebriant, & rationem peruertunt, ingrediuntur enim blandè, vt vinum, voluptuosa & suauia, quæ sitim extinguere pollicentur nostram, cùm tamen maiorem multò inferant incompescibilem, imò posteà, vt vini accidit potu, nullo alio restinguibilem, præterquàm Christi sanguine, vinum enim sitim restinguere videtur primo occursu epotum; auget vero calore, & siccitate posteà, & in nouissimo mordebit vt coluber, qui cum primo ludicrus, facilis, placidus sese offerat, calefactus semel exercitio & motu, orbes exerit, deplicat spiras, fotúsque ille icit, ferit vltimo quando sperabatur minùs malitia & venenum, tandem inficit in nouissimo, ingratus, & dolo plenus. Morte icunt temporalia omnia, quæ priùs amica & grata videbantur, & sicut regulus venena diffundit, visu coinquinaberis, & inficieris, huius vini & reguli aspectu, & apparentia. Quibus apertè datur intelligi, aspectu basiliscum officere, non secus ac vinum inficit, & afficit videntium oculos, & animos temporalia affectare. Hinc conqueritur Deus Oseæ 3. iis: *Et dixit Dominus ad me, vade: dilige mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.* Apparentia scilicèt, & exteriora, & quæ cùm vini aliquid videantur habere, nil obtinent, sunt imò suum alimentum, & immundorum animantium esca. Tum locus ille Ieremiæ c. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* cùm enim magici ope dæmonis effectus moliantur & incantamenta, dæmonque, vt suprà diximus, solùm causas naturales applicet operi, applicans tantùm actiua passiuis naturæ, & in natura nil sit acti-

uius veneno, & viru, potétiúve basilisco, non poterit Dæmone incantari, nec mago necromantico ille, nec asportari aliò, vt non noceat, & quin lædat priùs, & si Dæmoni subiiciantur corpora ad motum loci; malum enim impertiet priùs, cùm visu instantaneo moliatur opus, quo inutiliter transferetur iam illata noxa, præcipuè vbi vsque ad morsum detinẽtur Dei iussu, in vltionem delicti, quo nequit Dęmon incantare regulos, vbi Deus decantat illos. Hic verò à mustela conficitur dissidio & antipathia naturæ, virtutibus pugnãtibus & oppositis, & à Christi minimis.

De Leone Serpente.

Capvt XIX.

99 *SVper Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* De Leone hic, sequenti de Dracone dicetur (Deo dãte.) Locus hic quatuor continet potentissimos serpentes, duos insuperabilis veneni, aspidem & basiliscum, quorum aspides veneno insanabiles, spiritus compellauit Deus; & si incantari posse, & euinci naturæ causis, quo minùs reiectent virus irremediabile, reiecto semel aspidis dicti stabiliat; basiliscum magiæ & incantamentis explicito modo vero incantari non posse adhuc, instanti visu venena diffundentem, edocet. Duos verò vastæ incredibilísque molis, Leonem & Draconem; Cùm enim serpens sit Leo dictus in natura rerum, veneno terribilis, quem conculcare nimium est, non minùs quàm aspidem, draconem & basiliscum excedere, merito iusti triumphi victoriæ & palmæ, Leone serpente significabũtur, cęterísq; nõ minùs venenatis. Regularis enim magis est

sermo

ſermo illius, præcipuè qui eſt ipſa regula dicendi, faciendique norma, ſi tribus appoſitis ſerpentibus quartus adderetur, locuſque omnis hoc vno genere animantium vniformis adſtrueretur, vitiaque ſuperata, venenatis meliùs virulaginibus animantibus depingerentur, quæ in ſacris ſcriptis vitia exprimũt, & præfigurãt, iuſtique victoria & palma iis ſubactis illuſtris, deuictis meliùs, auxiliaque cœleſtia, quibus eſt opus in hæc maximè, quàm leoni perfectiſſimo animanti; ſaltem & ſermo regularis magis eſt, & ſerpentibus quadrant melius, quæ hiſce edicũtur. Ibi enim ſecuritas, inceſſus iuſtorum enotatur, potentiaque, virtus, & robur; ſerpentium verò calliditas, malitia, periculum, his quatuor adductis. Veneno duæ, mole binæ inſuperabiles, vt cùm vafritiem, artes, impiorumque venenum, tum potentiam & robur, iuſtos Dei viros ſuperare, ambulareque greſſu compoſito & pacifico ſuper hæc, technas deplicare, & cautelas conculcare, ſuperareque mundi vires, & potentiam notaret. Neque enim deficiebat ſerpens, vt tribus ſerpentibus appoſitis reptilibus, confugiẽdũ eſſet ad greſſibilia. Iis regularior eſt multò ſermo, locus vt ille ſerpentibus adſcribatur omnis, contextuque literæ patet, & ordine. Hic verò notandum venit, Leonis nomen, non vnum perſcribere, pernotareve ſignificatu, varia imò & rationis diuerſa. Dicitur enim leo marinus quidam piſcis, refert Ælianus libro 14. c. 8. qui Græcis, Latinis, & aliis, leo appellatur, idem Plinius lib. 32. c. 11. Tum & auicula leo vocitatur quædã acutiſſimi viſus, tum ſignũ cæleſte, & alia nõ pauca hoc gaudẽt nomine, varia & diuerſa: Nã cùm leo ſic appelletur à verbo Greco τὸ λάω παρὰ τὸ θεωρῶ λεωντεῖν, quaſi fera viſus acutiſſimi, aut perpetuò vigilans; docet Manethon ad Herodotum

libro 1. capite de leone, & Cœlius Rhodiginus libro 13. capite 8. Edoardus libro 6. capite 116. cùm
1 & adapertis oculis oriatur, & ortus semel eisdem reseratis dormiat, quòd conniuere non possit palpebras, propter nimiam oculorum amplitudinem, spatiosumque orbem, quòd sint minores, quàm vt eorum ambitum possint capessere, ideò perpetuò vigilans compellatur. Qui enim coronas gestant, & sceptra, vt asportat leo, vigilare tenentur iugiter, Pastores, Imperatores, Reges, ministri, Prælati maiores. Hinc vexillis, stemmatibusque, & diuisis regalibus sculptus, depictus est leo, vt illam præsentem, vigilantiæ iconem imitentur, eiusque regalia acta, & opera, conditiones & ritus. Quæ enim partes alimẽti in coronam abeunt, & capitis crines, deficiunt palpebris, Aristoteles 2. de historia cap. 7. vt oculi liberi, & patẽtes supersint, perpetuóque euigilent, idem gallo coronato contigit, incremento cristæ, imò & coronatis fructibus, abundare fissuris, quasi corona oculos velit omni ex parte reserare, Argus alter. Mali granati fructibus est videre, quibus quòd alimentum in coronam decesserit, sectiones variæ, & rimulæ insunt, qui vt simul corona, & fructus conspiciantur, & pateant. Leo ergo de vigilantia perpetua nomen traxit, ab acutissima visus acie qua pollet, & quod reseratis oculis dormitet, docet Ælianus lib. 5. cap. 39. Democritus de leonis natura idem, tum Homerus Odyss. λ. refert, Ælianus eo loci, Plinius libro 8. cap. 16. Aristoteles, & cum eo reliqui, multaque alia animantia, si iis & aliis proprietatibus & conditionibus cum leone consentiant appellari Leones, Græcis & Latinis; Latini enim nomen hoc à Græcis accipiunt, Græcorum morem sequuti nominis acceptione, vt hinc serpentem hunc ij, & illi

Leonem

Leonem vocarent, quòd & eminentiam quandam
capite obtineat, coronæ inſtar, tuberculumque
quoddam more iubæ leonis greſſibilis,& quòd per-
petuò peruigilet, oculis exertis, intentiſque palpe-
bris. Ille enim non ſecus ac leo greſſilis ſeſe excitat, 102
verberatque cauda, aggreſſurus pugnam,vt nil igna-
uiter aggrediatur; illa Ælianus retulit libro 6.capi-
te 1. Plinius adducto loco,Ariſtoteles & alij de leo-
ne greſſibili. Serpentem hunc iis, & aliis ideo leo-
nem vocarunt, vt & marinum vocant piſcem Leon-
ta adhuc, quòd iuba polleat, & apertis oculis viuat,
iuxta Ariſtotelem 2. de partibus animalium cap.14.
Tum antiquiſſimus Nicander,quem ſequuntur me-
dici omnes, omneſque Philoſophi, à quo Galenus
tot tantaque accepit magiſtro, vt narrat ille de the-
riaca ad Piſonem, Auicenna, Dioſcorides, Paulus,
Ætius, & reliqui. Hic,inquam, magiſter omnium,
Doctor, & facilè præceptor, libro illo quem de ſer-
pentibus venenoſis edidit animantibus,in theriaca,
ſic de leone ſerpente cecinit: *Iamque colenda tibi fue-
rit ſi aut inſula claudi Vulcani,aut inuiſa Samus,quas vn-
dique gurges Threïcius claudit procul à Reſicynthide fano
Iunonis,qua Ebrus nubibus, memorandaque Zone, Oea-
gridæ & quercus,iuxta Zerinthium antrum. Occurret pun-
ctis immania Cenchrina membra (ommaculata gerens,va-
riique idcirco leonis Nomine donarunt, vaſtum reuolubile
monſtrum.*Quibus planè colligitur,ſerpentem eſſe di-
ctum nomine leonem,& Cenchridem,quòd & ſan-
guinem leonũ more ſugat,neglectis aliis eſcæ parti-
bus.Cenchris,Cēchria,aut Cenchrites,quod idē eſt,
dicta, tum Cenchrine etiam: etſi Auicenna diſtin-
guat Cenchritem à Cenchria, vt videre eſt libro 4.
fen. 6. tractatu 3. vbi capite 40. de Cenchrite eſt
ſermo 44. de Cenchria inſtituit ſermonem: vo-

catque Cenchritem Acontiam, quam dicit esse speciem viperæ, Iaculus dicta; hoc enim græcis Acontia notat, Iaculus; hosque vidisse narrat, quæ more iaculorum, transfigunt animantia saltu, arbores subeuntes, vt capessant impetum, ad modum bellici tormenti missilis, nomen Cenchritis transferētes ad alia, ob similitudines alias, quas cū Acontia milium habet varietate coloris, græcis Cenchrios dictus, latè suprà. Cenchris verò, vt hic docet Nicander, magnæ est molis vastumque & reuolubile monstrum, non breue, vt Acontia duorum palmorū est; Auicenna tenet adducto loco, vbi & accidētia morsus viperæ eadem esse Acontiæ dictæ sustinet, & curationem eandem, venenumque simile. Cenchris ergo leo dicta, vt Nicander docuit, vastum monstrum & reuolubile, hoc nomine Cenchridis vocitatur, quod græcis Milium Cenchrios vocetur κέγχρος ve. Cùm verò hic serpens variis sit inspersus maculis granis milij instar, figura & colore, varietateque macularum, hinc est dictus Cenchris. Vnde Nicander eò loci. *Occurret punctis immania Cenchrina membra Commaculata gerens, variique idcirco Leonis Nomine donatum.* Sunt Leones colore fului impensè, vt & miliū maturum iam & perfectum referant, semenque milij fulgore; Comparat ideo Cenchridem, leonemve, colore, leonis fulgori, variegato gressilis animantis, ea varietate qua milium euariat spica. Gressibile enim leo colore milium maturum refert, variegatum verò, Cenchris serpens milium & variegatum leonem. Leo enim pelle ipsa varius, & diuersicolor cute est, pilo deraso milij, vt spicam repræsentet, vt Cenchrides cute, quo est dicta Leo illa, vt hic dixit Nicander, in colorem causam referens. Litera patet. Eadem occasione vocauit Aristoteles Cenchri

Cenchridem 6. de historia animalium c. 10. auiculam quandam turdi speciem, nobis *Zorzales*, coloris varij similis milio, tum & quòd milio vescatur auidissimè. Plinius lib. 26. c. 6. tùm & Cenchrites gemma dicitur, autore Plinio lib. 37. cap. 11. quòd variis sit referta maculis, milij granis non absimilibus. De serpente Cenchride idem retulit Lucanus lib. 9. iis: *Et semper recto lapsurus limite Cenchris Pluribus ille notis variatam tingitur aluum, Quàm paruus tinctus maculis Thebanus Ophites, Concolor exustis atque indiscretus arenis.* Quibus Cenchridem variari edocet maculis Iaspidis Thebani more, milij granis similes magnitudine, & colore, non secus ac leonis cutis, & pellicula Plinius, & genus adamantis Cenchridem vocari, quòd maculis refertum se offerat, iis dictis vult lib. 37. c. 4. Cenchris dicitur, & Cenchrea portus Corinthiorum ad sinum Saronicum, quòd figura Milij granum referat vna ex parte latior, reliquis strictior. Quò dicitur 18. Actuum Apostolorum, *Paulus totonderat in Cenchris caput suum*, & ad Romanos 16. dicitur. *Ecclesia quæ est in Cenchris.* Huius serpentis Paulus Ægineta meminit libro 5. cap. 18. Cenchris nomine. Ætius lib. 4. sermone 1. c. 25. & 27. Qui distinguit eo loco Cenchriam, vocatque Æmotidem, à Cenchrite, quam appellat, vt Auicéna Acontiam, vocat Cenchridem Æmotidem, id est, sanguinis suctricem, αἷμα enim Græcis sanguis est. Cenchridas verò ibidem Cenchritibus constituit minores. Sunt in Thracia Leones ij serpentes, varia, & vasta monstra volubilia, & maxima, vt dixit Nicander. Euariant enim plurimùm regione, & ortu serpentes, vt & alia plurima. In Chinæ regionibus balenæ magnitudinis visuntur eæ; norũt qui eas inuisunt regiones, caput magnitudinis vastæ, cuius oculi molendinarum

dinarum rotarũ magnitudinem æquant. Has Plinius Boas vocat, de quibus libro 1. diximus. Sunt ergo maximæ Cenchrides leonésque serpentes, variis distinctæ coloribus, Milij modo variegati, duritiẽ Milij retinentes cute, Auicenna edocuit, imò colorem milij immaturi, obscuri, viridis dorso æmulãtes, dixit Ætius, qui Cenchrites vocauit Acõtias ob duritiẽ solũ milij granis congenerẽ: non macularũ varietate, vt Cenchrides Amotides & Leones dicti; idem Edoardus lib. 6. c. 116. Galenus 2. de locis affectis c. vltimo sic ex Nicandro concinit de hoc animanti. *Ne temerè offendas calcando Cenchridis artus, Dum furiis agitur.* Id est, caloris tempore, quo furit. Hæc enim calore excandescunt, agunturque furiis, quo dixit Ouidius 2. metamorphoseon, Phaëtontem expauisse serpentem solis æstu calentem in discursu cœlesti illo tragico suæ ruinæ, expauescentéque cecidisse de cœlo superbia: olfacientibus gẽtibus casum Luciferi, cœlestem sedem sibi debitam rati, natura & iustitia, expauefactus qui ruit, serpente viso, in serpentem reptilem conuersus, vbi non possum non maximè venerari, admirarique summam Dei sapientiam, & incomprehensibile iudicium, qui in minutissimis adhuc summum ordinem seruari voluit, regulam, proprietatéque summam, qui omnium est regula, scientia, sapientia, prudentia, intellectus, ars. Dixit enim psalmo 90. citato. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* vbi, ambulare, ad aspidem & basiliscum retulit. Hæ enim cùm sint efficacissimæ naturæ, & viuidæ, viuacissimæ, agilis, vrẽtis, igneæ, facilè instigantur, quauis leui occasione, quæ comprimi minùs sustinent, impatientes cùm sint, magis serpentibus omnibus, quo ambulatu excitantur satis, furuntque & excandescunt. At

vastissima

vaſtiſſima monſtra leo & draco,calcatu egent, conculcatione, vt irritentur, & in furias eant, vt indignentur ſatis;his Nicander calcare Cenchridem dixit, hocque periculum eſſe maius, *Ne temerè offendas calcãdo Cenchridis artus*. Calcibus .n. impetum maiorẽ cauſamus. Eſt ambulatio leuior calcatu, quòd anteriori parte pedis fiat, cui minùs innitimur, calcatus vltima enitentibus talo fortiſſimis ſtructo partibus, oſſibus, muſculis, neruis robuſtiſſimis, cui inſidet vniuerſi corporis moles, & machina, incumbit, inſidet, calcat capita Aſpidis & Baſiliſci debilia, & imbellia, leonis verò & draconis grandia, & robuſta. Sufferunt illa nihil, hæc maxima quæq; robore, & potentia, mole. Eſt hoc maximè notatu dignum in hoc animanti deſtituto alimenti, propriam caudam quòd exedat, ſanguinemque proprium ebibat, exugatque caudæ vaſtiſſimæ, illam exenteret, & radat, quaſi ſe ſibi ſatisfactum putet eſſe, aliaque deſpiciat, dæmonis inſtar ſuperbiens, elatus, detinet, & delectat coloribus inuiſentes, vt ſugat ſanguinem, ſi poteſt in eoſdem irruere, varia nimis & periculo plena accidentia infert, quos ſemel apprehenderit. Nicander retulit his: *Protinus ergo putror carnes, viruſque vorando Percuſſi, tetrum vaſtant; quin pondere iniqua, Atque moleſta Hydrops, media firmatur in aluo.* Lethargum patiuntur percuſſi, ſomnumque profundum. Cùm tamen ſerpens hic leo ſit dictus, quòd euigilet perpetuò, vt anteà monſtrauimus, ſitque ille vigilantiſſimæ naturæ, Leonis more, & leonta dictus à λεοντεῖν græco, quod eſt, vigilare, quò locũ illum Petri 1. c. 5. vbi dicitur: Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. De hoc animanti intelligi poteſt, cùm ſomnum inferat morſu grauem, ipſe verò euigilet

euigilet perpetuò; quò est maius periculum, vt ideo contra somnum stabiliat spiritus Deus vigiliam contrariam (indicant hæc) rugit, non sibilat, leo serpens, fremit imò vastum animans, ore amplissimo. Vnde sibilo caret, ampla enim non sufflant aëre; effuso, & disperso, ideoque nec sibilant, oritur sufflatione sibilus aëre coadunato propulso, non detento in constrictis corporibus pellitur, partes partibus cõpulsæ, è quibus adunatus priùs & detentus quantisper, impetu extrusus sibilum causat, fremitu tamen pollet. Altissimum somnum inferre docuit Paulus Ægineta, Auicenna, Ætius, Plinius, & reliqui locis adductis, sitimque molestã. Morsus huius ferocissimi animantis tremores incutit, timores, metus, angustias, animi deliquia, sitim ardentẽ, famẽ ingentissimam. Laquei modo pedibus irretitur, vt decidere faciat rectos stãtes; putrescunt partes illo læsæ, serpit putor, partes liuent, fœdantur & decidunt. Leone percussi serpente videntur illi, quos Iob depingit 18. iis. Inquit enim eo loci, describens Baldad amicus Iob impiorũ maledictiones. *Arctabuntur gressus virtutis eius, immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eũ sitis, vndique tenebunt eum formidines, & inuoluent eum pedes eius; attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius, deuoret pulchritudinem cutis illius, cõsumat brachia illius primogenita mors.* Sunt enim hæc omnia leonis morsus accidentia variegati serpentis, cuius maculis simulantur hypocritæ, quorum est eo loci sermo. Veritas candida tota est, & vna, simulatio variegata, coloribus variis vestita, nõ vna, inconstans imò, & à se alia, se sibi malè consentiente, nõ vnius formæ, inæqualis imò & dissentiens, hoc est, in maculis eius ambulare vsque dum primogenita mors, filia peccati primogenita;

nita; *per peccatum mors*, animi mors primogenita, non corporis solius, mors postgenita inuadat. Paulus ad Romanos 5. capite, consumat costas illius, & brachia, fauores, & spes quibus innitebantur hypocritæ, non discedant ij morte posthuma & postgenita; de qua dicitur mori lucrum, nam hæc vita est iustorum, orta post humatum patris, mortemque Christi, primogenita imò peccato discedant, non temperata, & victa, subactáque Christi victoria & morte. Est animal hoc sanguinis auidissimum inter 104
serpentes omnes, & leonis more hunc sugit aliis neglectis; validissimè gutturi irretitur cauda, euoluiturque vt strangulet animantia, circumuoluitur orbibus, & spiris, vt capite icat, sanguinem sugat, ruptis vasculis iuguli, quibus continetur copiosiùs, hic hæret, hanc partem sic tenet, constringit, & comprimit, facilè vt suffocet incautum animans. Docuit Auicenna lib. 4. fen. 6. tract. 3. c. 40. & 44. Paulus lib. 5. cap. 18. Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. cap. 25. & 27. Dioscorides vbi suprà, Nicander, Galenus. Omnes cauda & capite gutturi animantis hærescere asseuerant, extrema venenata gutturi iniiciens caudam, & caput. Caudam iniicit primò, vt caput admoueat illa, conscendit irretitus, perpetuò euigilat astutia & malitia, semiapertis oculis sese dormire simulans, capite demisso. Est maximè notabile in hoc serpente quod Nicander loco allato his verbis docuit, iisque carminibus cecinit: *Hic cũ feruet humus radianti lumine solis, Vndique perlustrans montes disquirit eundo, Insidians pecori, expleri nam sanguine gliscit. Inque Sao, & Mosychlo, si quando sub abiete pastor Inclinatus humi lentus discumbit in vmbra.* Dum enim pastores medio æstu iuxta proceras abietes auram placidam captãt ociosi, & desides, opere defessi, continuò

continuò ſecuri, & placidi, extimeſcentes nihil, die media, luce meridiana, omnia clariora dum ſunt, ſomnum aſciſcentes, credit luminis ſolis, eiuſq; præſentia confiſi: aſcendit leo hic ſerpens, ſanguinis auidiſſimus, horridos montes, inſidias tẽdit ſimpliciſſimis pecudibus, dũ feruet humus ſolis radiis meridie, ſilentque omnia, rapinam molitur, prædam fert ſecum, quãdo omnes alij ſerpentes occulũtur, abduntur, ſuiſque domiciliis feralibus quieſcunt, immane hoc monſtrum aſtutum & vafrum, ſolicitum ſurgit, captat tempus, tanquam Leo rugiens quærens quem deuoret, ſeſe verberat cauda, moleſtatque nimis, & angit pugnam aggreſſurus irritatus, vt ſæuiat in hoſtes, cum Nicandro, Stæbe dixit eius interpres, vt hinc & leonem dici confirmemus inter alia, qui ne ſegniter aggrediatur aliquid, ſe inſtigat ille prius, ſtimulatque vt greſſilis leo: abſumitur iecur, & putreſcit huius morſu ſerpentis, quauis alia corporis parte veniat læſio, deciditque viru infectum, Hydrope priùs moleſta ſuborta. Primò infectat Cenchris leo iecur, renes, veſicam, vrinæ viaſque inficit, putrefacit, analogia veneni cum iis animantis locis communi, erodit cruor ſeminaria vaſa, exedit generationis principia, & inquinat ſerpens, vt infeſtauit ille Geneſeos 3. Eſt ſal morſis Cenchride vtiliſſimus foſſilis ille gemma dictus, qui expurgat ventrem, & iecur detergit, extrahitque ſuccos infectos veneno glutinoſo, & viſcido, impactos, referunt dicti ad dragmæ vnius pondus, vino ebibito.

De

De Allegoricis sensibus Leonis serpentis.

Capvt XX.

SPiritus Deus conculcare leonem & draconem 106
securè & impunè iustis promittit:super aspidem verò & Basiliscum ambulare. Sunt obscœni impiiq; homines, sunt & vitia quæ vt irritentur, sufficit leuissimus contactus, venena vt diffundant, ambulatu solo, pedis positione quamtumuis leuissima, vt alia calcatu egent,& commercio maiori:fortius enim calcamus,quàm deambulamus motu. Aspidem ab aspergendo veneno lingua, & ore dictam refert Isidorus 12. etymologiarum lib. c. 4. Iconismon maledicentiæ(iam suprà attulimus) psalmographus de iis psalmo 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant,venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione,& amaritudine plenum est.* Sunt conditionis facilè excãdescentis superbia,ambitio, auaritia,lasciuia,detractio. Hæc sensuũ oblectamẽtis facilè excãdescentia,illa superbia & ambitio,amore proprio efferuescẽtia veneno, quæ leuem occasionẽ nacta, in summam perniciem veniunt, deambulatione solùm per hæc, tractu,non quiete, calcatu quouis, transitu lubrico,non statione. Ambulare enim supra basiliscum,percurrere illum leuissimè adhuc sufficit, summæ infectioni, detractioni cutis, excoriationiq; proximi,auaritia Basilisci suborta,qui proprium stercus exedit, auaritiæ, & parsimoniæ symbolum præsentissimum : iustis hæc perambulare promittit Deus impunè, securéque contrectare. Increpare & corrigere aspidem maledicentiæ, basiliscum superbiæ &

auaritiæ: Leonem verò & draconem conculcare, gulam Draconis, & Leonis, cautelas, insidias, hypocrisim versipellis animantis, & varij (suprà) quæ vitia calcatu egent, vt irritentur, luxu, ocio, opulentia, animi ignauia, pede toto, calcaneo enim applicito moueri nequimus, si pedis reliquum non firmemus, vt illi innitentes calcaneum leuemus, contrà parte anteriori pedis deambulantes stante & firmata, sine calcanei mouemur pressura, subleuato illo & alto ambulamus, si calcamus pede toto, opus est posteà cõprimere vt ambulemus. Vafrities, corruptela, inquinamentũ honoris & famæ, veracitatis debitæ defectus, nobiles & bene natos dedecẽt, iis nõ assuescũt heroës, & si super hæc deambulent, facilè se excutiũt ab iis, calcatu egent, vt in eos hæc vitia irritentur, iusti conculcabunt medio adhuc occasionum tumultu, inuoluti, securi, & liberi, leonem hunc & draconem; super aspidemque & basiliscum ambulabunt, conculcabunt hæc, est pes eorum munitum oleo, & ferrum calceamentum eorum (dicitur de tribu Aser Deuteron. 33. c.) *Et tingat in oleo pedem suum, ferrum, & æs calceamentum eius.* Oleum mortificat serpentes, & insectilia omnia, docet Aristoteles 8. de historia animalium c. 27. & cum eo omnes medici, & Physici; replet enim angusta eorum viscera, insecta enim cùm sint visceribus, sunt pressa & succincta, quo suffocantur, vel ore suscepto, vel imbibito, poris præcordiorum, si illo inungantur. Est illud naturæ nimis penetrabilis replentis, & obturantis: docuit Aristoteles 32. sectione problematum problemate 22. replet viscera, infarcit poros, quo minùs aër sit cordi refrigerio, possitque interna subire, vt temperet internas animi sedes, alioqui strictas & compressas, flagrent incendio, obeantque illo. Hinc contra serpẽtis ictũ munit

iustum

iustum Aser, Spiritus Deus oleo gratiæ, repromissione Christi, ferroque & ære, vt securus calcet serpentes, diuinitatis robore, æris incorruptibilis, mediatoris promissi, ferro forti, at passibili, & deficienti tandem, vallatus Christo homine & Deo, iustus ære & ferro circũactus, tutus serpentes conculcabit, super aspidem & basiliscum Geneseos 3. c. ambulabit securus, intrepidus. Depingitur simulatio hoc perniciosissimo serpẽte, vario, & insidioso, versicolori, ambagibus variis & orbibus acto, spirisq; tricatis obuoluto, quem cùm intuentur animantia, varietate colorũ illecta, detenta versicoloris cutis vario spectaculo, & mira varietate fulgorum, dilacerat, & discerpit, fortissimus alioqui incauta & impræuisa, strangulat appatenti, & exteriori pulchritudine occupata, intus
venenũ torridũ occulens, & malitiã. Variis coloribus 108
virtutis & sanctimonię simulati serpẽtes, exterminãtes facies suas, vt non Dei iã similitudo, nõ eius imago, dæmonum imò, vltra terminum quẽ stabilit Deus facies ducẽtes fumo, coloribus variis, hypocrisi. Matthæi 6. cap. interiora verò malitia, & dolo plena, vitiis, veneno, detentos homines admirantes, verba simulata, & ficta, & composita, varia, & versicolora icunt, eorũque sanguinẽ sugunt, pauperum ignorantium. Siti inextinguibili torquentur auari, pleni diuitiis, non secus ac hydropici aqua pleni siti incompescibili vrgentur Tantali instar mediis vndis. Caussat hydropen hic serpens, dæmonq; auaritiã, serpens antiquus. Isaiæ locus explicatur iuxta naturã huius animantis c. 29. vbi dicitur: *Quoniam defecit qui præualebat, consummatus est illusor, & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem.* Dæmon qui præualebat, defecit, Christi victoria, & consummatus est illusor serpens, qui promisit hominibus sicut Deum

esse,fefellitque eosdem, illumq; vafritie & cautelis, coloratis verbis, & fictis, & succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, infernus scilicèt, peccatum,mors,serpensq; hic euigilans, illudens simulatione, & technis; reliquiis Iacob promittit illuminationem, & conuersionem eo capite. Leo ergo hic, qui super iniquitatem vigilabat, succisus est, qui capite & cauda strangulabat, capite superbiæ, in vitæ capite,in iuuẽtute vitæ principio,capite vitæ, & cauda auaritiæ,in senio vitæ,vltimò in senectute vitia iuuenum,senumque, quibus cùm inficeretur po-

109 pulus Isaiæ 52.dicitur. *Non adiiciet vltrà,vt transeat per te incircumcisus & immundus: Excutere de puluere. Surge Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion,* cenchride leone serpente iniecta, quæ iugulum inuadit naturali antipathia, & contrarietate, copiaq; sanguinis allectus, odio quòd habeat Christum caput angelorum & hominum, & quòd caput sustinet iugulum,& collũ,Ecclesiã. Iugulum odit Christi capitis,quo eius verba efformantur,renunciunturq; eo capite Ecclesia, tũ quod eo caput erigat homo rectũ & celsũ, cũ nunquã serpens caput directũ sustinere valeat,vacillet quin illicò hinc inde inconstans,& titubans caput,huc & illuc volubile inconstantia perfidiæ,infidelitatis errore,errans,& incertum, in omnibus serpentibus est videre.Abacuc.3.patri. *Egressus es in salutem populi tui,in salutem cum Christo tuo.Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum vsque ad collum.* Caput serpentis peccatum est, de domo impij, de inferni sede tartarea, percussisti illud, vicisti cum Christo tuo, fundamentumque vsque ad collum, Dæmonis illusiones, errores, & figmenta

110 percussisti,vsque ad collum, denudasti figmenta,& suggillationes, philtra rerum, personatas illusiones,

appa

apparentes, veritatis ſpecimine ſimulatas, vt legem
veram & ſapientiam edocere, non ſolùm vſque ad
caput corporis myſtici; eſt Chriſtus caput homi-
num, vt Deus caput Chriſti, imò vſque ad collum,
vſque ad Virginem Deiparam omni labe immu-
nem, gratia plenam, quæ eſt collum capitis Chri-
ſti, myſticique eius corporis, cùm nulla ſit creatura
pura capiti illa coniunctior, vicinior, & altior, non
ſecus ac collum eſt capiti vicinius, ſupraque omnia
alia membra conſtitutum dignitate, excellentia, &
ſitu: denudaſti fundamentum & baſim colli, mem-
bra alia quibus inſidet, conſidetq; illud, alia membra
malitiæ, & inſtrumenta vitiorum, doctores corru-
ptos, & obſcœnos homines, quibus inquinabat, &
ſubuertebat gentes ſerpens, denudaſti oſſa carne hac,
carnalibuſque iis detectis, ſemota carne hac corru-
pta & obſcœna, fide relicta, oſſibuſque in Eccleſia
fidelium, & conſtituta miraculis & ſignis, vt noua
pullularet caro, genteſque legis gratiæ renaſceren-
tur; denudaſti fundamentũ euidenter, vt eſſet credi-
bile, reſeraſti hominibus, doctrina cœleſti, miraculis,
præceptis & cõſiliis legis gratiæ, vſq; ad collũ inſpi-
ratus vitalis, leone ſerpẽte, vt nõ ſtrãgularemur, ſpi-
rituſq; via obturaretur, & influxus, ad collum, vſ-
que ad doctores maiores, cõcionatores ſacros, quibus
ſuſcipimus ſpiritum vitalem, & reſpiramus, ab iis
carnem amouiſti, denudaſti. Paulus, *in quo viuimus,* 111
mouemur, & ſumus. & ad Galatas 5. *Si viuimus in ſpiritu,*
ſpiritu ambulemus. Caueant ergo paſtores, & qui alio-
rum curam gerunt, officiiſque publicis aſſident, ab
hoc immani animanti, & bellua ſæua. Sunt enim his
addicti legibus, vt nec quando aliis quies placida
cõceditur, æſtu, frigore, mediis tẽporũ iniuriis, diu

noctu, ipsi quiescant, aliàs officium illis satisfaciet, non illi officio, cùm teneantur munus susceptum implere, cautéque vigilare. Interrogatus Ieremias à Domino cap. 1. quid videret? respondit, *virgam vigilantem ego video.* Iustitia enim virga & rectitudo est euigilans, virga supplicij, rectitudo conscientiæ, iis vna insignita virga dormit nunquam. Quò Ægyptij sceptrum, virgamque rectam, rectum, coronæ annectebant, vt iustitiam, rectitudinem, imperium enotarent, quibus supereminebat oculus iugiter euigilans, vt hieroglyphica antiqua testantur. Grues imò duces vigilantes constituunt aliarum custodes petra pedi appensa, vt strepitu casu facto lapide ruenti, fugiant pericula, & labore oneris sit expergefactus continuò ductor earundem, *petra autem erat Christus.* Tenentur vigilare maiores, strepitumque correctionis verbis excitare, vt vitia extirpentur aliorum, lapide Christo, reliquos è somno vitiorum euocare.

112 Leo serpens, ne gregem, & ouile deprædetur, continuò euigilans & insidias tendens; extat locus ille psalmographi, psalmo 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Quibus iustis timorem excutit cenchridis meridianæ, leonisque, & dæmonis meridiani, media luce inuadentis, doctoribus, sapientioribus, clarioribusque doctrina & sapientia. Sunt ij deteriores, obcæcati, & allucinantes caligine, non secus ac extincta lucerna tetro odore inquinat vicina, & offendit, sine lumine non perniciosa adeò, etiam si non vtilis, inutilisve, & si esset illa, in hæc parata arte eius qui eandem struxit, & formauit in vsus semel, conuerso lumine & cognitione in malitiam, luna inæqualis crescentis

ſcentis & decreſcentis concupiſcentiæ, inter lumen ſolis,& creaturas obiecto, vt obtenebretur mens, deficiatque ſol intelligentiæ & lumen; armis Dei quibus copiosè muniti erant in ipſum conuerſis. Ij enim ſerpentes, ſuperbiæ, & laſciuiæ; concupiſcentiæ vitia hæc, medio æſtu excitata, quando omnia alia vitia ſilent: iuſtos aggrediuntur ſecuros, quando pertimentur minùs, quādo alia omnia ſuperauerint monſtra, leo medio feruore carnis inſurgit, & ſuperbit de puluere elatus, furiis agitur, occaſione adhuc non conceſſa, ocio ſolo, & vita deſide, ratione, formaque viuendi ſoluta luxu, abundantia, & rerum copia, quibus periculum imminet, non facilè ſuperabile, vt cadant denuò, ſi non euigilent, ouileque cuſtodiāt, ſeſe ipſos. Vnde vigilantibus promittit ſecuritatem ſagittæ volantis in die, mundi, qui diem expectat ſolùm, quaſi vt negotia tractet, eorumque procellis ſeſe immergat, & offuſcet, quæ vt ſagitta peruolant omnia, à negocio perambulante in tenebris, à laſciuia, & obſcœnis carnis fœdimentis, ob ſuam fœditatem noctis negotia dicta, ne eorum horror lucem teſtem habeat; *qui malè agit odit lucem*, paſſionumque noſtræ carnis, quæ mentem obcœcant, & rationem ſubuertunt, tum ab incurſu occaſionum, quæ ſe offerunt caſu, & occurſant, & Dæmonio meridiano, à dæmone qui Angelum lucis ſimulat, & præfingit medio lumine, latenti, dum ſapere pluſquàm ſapere licet, tentat, ſuadet, nonque ad ſobrietatem, vt dixit Paulus, cautela & vafritie nos ſubducere intendens. Iuſtis ergo vigilantibus victoria trium inimicorum, mundi, carnis, & Dæmonis, promittitur, libertaſque à Cenchride leone aſtuto & callido, ſecùs verò iis qui officia & miniſteria ſolicitant,

negotiorum procellis, fauoribus, sollicitationibus, vt quiescant, & securi somno placido incumbãt, officij obliti, munerisque suscepti, & prouinciæ impositæ acceptæ, imò sibi solùm indulgentes, ocio & voluptatibus, imperio & honoribus. Est enim super has virgas, virga illa Isaiæ euigilans perpetuò, & quando stertunt aliæ, vigilat hæc; *non potuistis vna hora vigilare mecum?* cùm inuenit eos dormientes. Matthæi 26. Et negotia publica gerere potestis, curamque aliorum sustinere? dicent, possumus, si illos imò sciscitaretur Deus ipse, *potestis bibere calicẽ, quem ego bibiturus sum?* cùm tamen illis ad dexteram & sinistram sedere concederetur, ea est ambitio, & regnandi cupiditas dira, dicerent, *possumus*. Non secùs ac si cenchride percussus esset Pharao, omnisque Ægyptus. cenchridis accidentia referuntur Exodi 9.
113 iis: *Dixit Dominus ad Moysen, & Aaron, tollite manus plenas cineris de camino, & spargat Moyses illum in cælum coram Pharaone, sitque puluis super omnem terram Ægypti, erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes, in vniuersa terra Ægypti, & factum est ita. Indurauitque Dominus cor Pharaonis.* Ictu cẽchridis vlcera hæc contingere diximus anteà, tum hydropes excitari, repletiones vesicæ, Iscuriæ Græcis, & ipsius vlcera fæda, & fætida, vltrà, lapidescere membra, indurarique leone serpente læsa, quasi in lapideam mutari naturam; est induratum cor Pharaonis, pecudes, iumenta, armenta, infecta, pecudes ignorantiæ, iumenta passionum, armenta malitiæ, iis eisdem accidentibus inficit Dæmon plurimos, excrementa reiicere vitiorum vt impotentes non valeant, tetrosque succos. Vrinam cohibet, ventrem compescit venenum huius animantis. Inquinati discedunt

discedunt vitiosis referti succis, vitiisque naturæ insensilis, lapideæ, restincto charitatis calore, adeoque increscit malitia, vt induratis credere nolentibus subtrahantur omnia in pœnam delicti, contumacia & perfidia. Corrumpuntur Cenchride læsis viscera 114
veneno infecta, rabie, & feritate insanientibus. Prouerbiorum 12. *Viscera impiorum crudelia, fatuus statim indicat iram suam.* Inflatur, tumet, excandescit, facilè in iram abit, quam cohibere nescit, scandalo & maledicentia iram indicat, minùs enim esset, vltionem sine scandalo, si illam sumere decreuit, iam infectus accipere. Isaias Thren. cap. 2. *Conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritionem filiæ populi mei:* super peccatum, nomine Cenchride infectorum alloquens dixit; Iecur decidisse super contritionem, super attritum & desolationem, super stragem filiæ populi, contritionemque filiæ popularis, peccati scilicèt, quod est filia populi, non vir, perfectum viriléve opus, sed fœmineum, filiaque; fœminam vocauit Aristoteles 2. de generatione animalium c.3. & lib.4. c.6. peccatum naturæ imperfectius opus, & à viro deficiés, at necessariam propagationi fœminam, non instituto naturæ, non fini & termino, sed conditionibus operis necessarium, vt esset quò gestaretur fœtus, vbi foueretur, aleretur, & si cum viro conferatur, imperfectio & deficientia, subdit Isaias: *Viscera conturbabantur, cùm deficeret lactens in plateis populi.* id est, Christus, qui lacte, & doctrina hæc glutinauit, persanauitq; vlcera dira, & rebellia. Nullum extat remedium maius in natura omni, vt refertur locis citatis, morsui Cenchridis, quàm lactis potus, & ablutio vlcerum erodentium lacte; temperat enim suo lentore vene-
 num,

num, corrosionē humoris tetri frenat, extinguit intemperiem, mitigat dolores. Lacte opus erat, & doctrina, Christi aduentu, qui erat lactens, lac, alimentumque hominum. 4. methodi, & 5. vlcera pectoris, phtisimque tabificam solo lactis potu medetur Galenus, à quo omnes posteà recepere. Iecur expetebat Deus in sacrificiis, reseruarique iussit; est fons sanguinis illud, vbi primò sanguis rubescit ex materia rudi chili, semel ac chilus à ventriculo immissus, radicibus instar iecoris mesaraicis venis sugitur, rubere visitur, in rudemque sanguinem commutari, vsque dum it in epar ascendens, veri sanguinis & integri formam habet, omnesque humores eo actu epatis resultant cum sanguine simul, quibus in affectus inducimur, pro eorum sarcina varia, è iecore aduecta. Petiit iecur Dominus sanguinis & alimenti sedem, Dei quod est iure, vt viuere alimēto desuper dato noscerēt homines, alimoniamque nostram desuper venire, notaretur; nō satisque hominē sibi esse, vt viuat ille, suique sanguinis effectorem iecur exposcit, illis inutile alimentum progignens, quod aliūde venire erat necesse, hominis alimonia: superbiæ, generis, ortus, sanguinis, fundamenta subuertēs, quo sanguis ante altare effundebatur oblationi inutilis, & cultui in sacrificiis, illiusque esus interdicebatur Hebræis, inutilia quæ vt iudicarent, iecur adoleri præcipiebat, cibum alium vt expectarent, Christique solùm sangine alēdos, paneque Angelorum Eucharistiæ sacræ, lacte, doctrina, cōsiliorum, & præceptorum legis, quibus datur viuere vita gratiæ, tùm iecur fontem caloris, alimentique poposcit, quod cordis egeat influxu desuper dato. Cor Dei est ex lege, iecur nostrum, cooperatio nostra, auxilium

lium verò & gratia supernè veniunt, petit nostram
dispositionem, virésque, & si debiles, vt cordis influ-
xu perficiantur. Ignis ergo fontem, charitatísque pe-
tit Deus, iecur cordatum, vbi coquitur alimentum
nostrum; imò vt iecur suscepto sanguine è corde suũ
coquit sanguinem, alterat, perficit influxu calidi in-
nati, sanguinis, & spirituum cordis, Hippocrates 1.
apho. 4. Galenus ibidem, sic sanguine Christi nostrũ
perficitur alimentum, & integratur. Hoc ergo infice-
re tentat cenchris leo, corrumperéq; charitatis ignẽ,
restinguere veneno, Paulus 1. ad Corinthios c. 13. *Per
charitatem viuit homo, vt operatur per animam*, & ad Ga-
latas 5. capite. Iis patet Oseæ locus, capite 13. abo- 115
minationes Israël increpans & minans, populíque
vitiatam consuetudinem castigans inquit: *Occurram
ei, quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris
eorum, & consumam eos ibi, quasi leo bestia agri scin-
det eos.* quæ de hoc animanti intelligo, & de Cen-
chride leone, quæ iecur inficit, & adoritur, viscerá-
que hominis & sanguinis fontem, cuius est auidissi-
mus, Leuitici 1. 3. & 4. cap. & 9. adhuc, & 19. Exodi,
Deus iussit iecur, & renes seruari; in iecore enim
sanguis, alimentúmque fit primò, in renibus semen
originatur, à quibus seminis viæ, græcis dictæ *parasta-
tes*, originem ducunt, gulæ & luxuriæ, vitiis his capi-
talibus occurrens, hæc exposcit vt seruemus. Hæc
ideo expetebat in sacrificiis, ne cenchride leone of-
ficerentur. Plato enim 3. dialogo de republica docet,
iis maximè rempublicam subuerti gula, & luxuria,
quorum gulam magis senibus adscribit, luxuriam iu-
uenibus. Est enim voluptas iis maior gustui, & tactui,
gula gustus est, vt tactus luxuria, quę vires, cũ vtãtur
obiecto

obiecto reali, ſaltem in medio rudiores ſunt aliis, trahũturque magis obiecto ob neceſſitatem vtriuſque actus. Gula enim indiuiduum ſeruatur, vſuque alimenti: luxuria ſpecies genij actione, quo eſt iis maior impertita voluptas reliquis ſenſibus; guſtus alimenti eſt, tactus titillationis, pruriginis laſciuæ; quò ſunt maiores paſſiones eorum, trahitur enim ab obiectis magis appetitus iis ipſis, periculumque eſt maius, ideoque enotans periculum maius, has partes expetit ideo Dominus.

FINIS LIBRI TERTII.

IOANNIS BVSTAMANTINI CAMÆRENSIS, APVD Complutenſes Philoſophiæ & Medicinæ primariæ moderatoris publici,

DE ANIMANTIBVS Scripturæ ſacræ reptilibus verè dictis,

TOMVS SECVNDVS.

Opus eximiæ eruditionis, & vtilitatis, cùm Theologis, tam Scholaſticis, quàm concionatoribus ſacris, Scripturæque interpretibus, tum Medicis, Philoſophis, & iis qui de bella literarum ſupellectili bene ſentiunt.



LVGDVNI,
Sumptibus ANTONII PILLEHOTTE.

M. DC. XX.



PRÆFATIO.



CVM omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſint (docente Paulo ad Romanos 15.) in lege naturæ ſcripta, & gratiæ. Eorumque erudiamur, vel tropologia cum figuris, rebúſque naturæ, tum ſacrificiis hominum & actis, dictíſque maiorum, vel præceptis, notitia & inſtructione, inſtitutíſque legum boni & æqui, conſiliorumque optimo & perfecto, poliamur doctrina, quibus vniuerſa Scriptura continetur, quibus illi conformamur. Sacerque omnis contextus, teſtamentum vtrumque, vltima noſtri conditoris voluntas, miraculis, oſtentis, teſtibus, ſignis firmata: qui (cauſa non ſolùm effectrix noſtrorum operum, verùm neceſſariò formalis humanorum actuum, vt quales debēt eſſe perfecti, ſint adepti ſubſtantiam) ſcriptum omne, omnis doctrina, & eruditio ſcripti ſacri, aut finis eſt, aut eorum quæ ſunt ad finem;

nem;finis sunt quibus super naturam de Deo ipso edocemur (finis legis, Paulus ad Romanos 10.) quantum ad eius substantiam attinet & esse, sapientia, fide, spe, charitate, vnus, trinus, homo, fide exponitur, aliisque eius essentiam spectantibus attributis, liberalis spe, charitate bonus, venturum quem obumbrarunt multa, consignantque sacrificia & signa in Ecclesia sancta, præsentemque retinent, obiecere alia, acta verò, facinoraque rara & obstupenda ipsius, miracula, & portenta, subiiciunt & exponunt finem ipsum Deum rationalis naturæ supra naturæ captum. Eorum quæ sunt ad finem media, legibus, exemplis, præceptis scilicèt & consiliis, scriptis sacris, continentur. Legibus, sanctionibus, consiliis, æquo bonoque consulitur, bonum virtute intenditur, scopus iusti, legisque meta, quibus & malum excutitur, reiiciturque vnà cum iis, hæc sit cùm eorum quæ sunt ad finem ratio, boni prosequutio malique auersio, & vitij; ex quibus præmium, pœnaque impendent, in arbitrio libero, suique consilij actoribus, omnique reipublicæ probè morigeratæ, cum pręmium pœnaque insint, virtutis & vitij, exhortamur rhetore illo autore naturæ vniuersæ, cuius est exordium, narratio, & compendium, demonstratiuo in genere, deliberatiuo, & iudiciali rerum earum

omnium quæ in esse consistunt, earumque actuum, reptilibus præcipuè, de vitij deformitate, fœditatéque, veneno tetro, & spurca natura eorundem depicta, ne illa sectaremur deformia & spurca, labes vt & culpas haberemus odio, venenumque dirum recoctum visceribus malitię nostræ, illecti illecebris, blandimentísque appetitus infecti serpentis virulagine, (Geneseos 3.) progenies viperarum iam (Matthæi 3.) genitoris vestigia insèquuti serpentis ludicri & voluptuosi, qui interim dum plicabat spiris, blandiebaturque, & demulcet modò virus ore reiectat, reiicitque fatale, tartareum, asperrimo capite, cauda lubrica, & placida, plicatis orbibus, quæ genera vitiorum, cùm tot tantáque sint, esséque possint, obliqua cùm infinita succedant, vbi rectum vnum solum recipitur, variis hinc reptilium generibus hæc mala execratur, tot tantisque vitiorum iconibus & fœditatibus animantium, vt alioqui negotij magnitudo, amplitudóque non exposceret, iuréque sibi vindicaret longam hanc seriem, prolixa foret hæc nostra de reptilibus dicendi ratio. Hinc iam ergo iure ad quartum librum exarandum accingor.



LIBER QVARTVS.

De Dracone serpente.

Capvt I.

1 SALMO 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Venit de Dracone suo ordine psalmi huius nunc sermo: Draco nomen est græcum, δράκων dracon Græcis ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod est acutè cernere: Hebræis תַּנִּין; quòd sit serpens acutissimi visus, non vt leones gressiles, potentia virtutis visiuæ, imò quòd supercilia, tumoresque, qui oculos circumeunt, iuuent maximè oculorum aciem, videantque iis munimentis, quæ alioqui potentia debili natura non cernerent. Supereminent enim draconum oculis tubercula quædam & excrescentiæ protuberant, quæ obumbrant visus regionem, vt commoditatem oculis præstent, commodiùs vt inspectent velamine adacto, non secùs ac vident acutiùs & perspicaciùs intuentur qui oculos submissos & profundos possident, quàm qui emissitios & protuberantes, quòd lumine & coloribus, qui lumine videntur, ex luminéque & opaco resultant, immutetur meliùs tenebrosum quoduis, quàm lucidũ impensè, remissiori enim lumine alteratur tenebrosum spatium, & remissioribus coloribus immutatur, meliùs quàm lucidum iã, coloratũ ve nimis, quòd lux magis in tenebris luceat, & quę in lumine nõ splẽderẽt, in tenebris emicẽt. Est maior

maior habitus oppositi potentia cùm priuatione, aut habitu cõtrario, vt possit immutari quouis, omni carẽs latitudine actus. Hinc qui habẽt oculos profundiores, acutiùs cernũt. Ideoque sunt acutissimi visus dracones, quòd iis tuberculis oculi obũbrentur, non aliter ac dũ manus oculis superponimus, visum obũbrantes, crescit inspectus. Hinc antiqui poëtæ & rhetores thesaurorũ custodes effinxere, præesseq; hortis & pomariis acutie visus. Ouidius poma aurea custodisse refert in Metamorphosi. Suspicor verò dictos fuisse dracones à Draconæa ciuitate, cui sunt frequẽtissimi in Icaria insula, & à Draconæa insula Lybiæ; refert Stephanus l.3.c.6. Solinus in Polihistoria multa docet de hoc animanti, præcipuè c.33. In Æthiopia enim versus meridiẽ, ingentẽ montẽ esse, euomẽtem ignẽ scimus, in quo magnã Draconũ copiã inueniri testatur, verosque dracones, quibus ora parua nimis adesse ad morsum, nõ dehiscentia, strictissimo enim ore cùm polleant, exponit, nequire dentibus quidpiã arripere, arctasq; fistulas nariũ loco possidere, quibus respirant, & cibum capessunt, suctu potiùs quàm ore, quo exerunt longissimã linguã, porriguntque, nõ ore, sed cauda, nõ morsu, flagello imò noxios & infectos, nõ rictu, sed ictu caudæ inferẽtes mortẽ, excrementorumque venenatorũ aspersu, hosque cõtinere lapidem in capite pretiosissimum, perlucidum nimis, illustrisque aspectus, quẽ multi habent Orientis Reges, illudque & gestare incultum, sine artificio aliquo, natiuo solùm candore & luce contenti, splendescentem, lenocinij & veneni impatientem, quorum præsentia obscuratur, nitoremque amittit, tanto facinori interesse recusans, lumen reprimentem, tenebris malitiam consignantem quam viuis draconibus extrahendam prædicat, mortuis subitò a

euanituram, bile enim calidissima mota in caput, interim dum pugna agitur, vt capiatur, vel intercipiatur animans liquescit, & per vias conspicuas in cor dilabitur, senio verò, aut si obeant frigore, mortis compressione facta, in cor propulsum, calore euanescere, vt solùm supersit remedium antequàm hæc fiant somno consopitũ draconem aggredi, vt repentè extincto, hunc possint educere lapillum inęstimabilis pretij, & valoris immensi, secùs aliter. Sostachus hunc lapidẽ vidisse sustinet lib. 2. c. 10. Plinius lib. 37. cap. 10. apud quos dicta extant omnia, non minùs quàm apud Solinum. Præstantissimos audacia viros asserunt eius regionis incolas, vt hunc lapidem substrahant, draconum cauernas intrepidè subeuntes, quibusdam soporiferis alimentis oblatis, acerrimis visu animantibus, priùs sopire alioqui vigilantissimos, valeant vt ipsi occulti, & abditi in eorundem feralia, subterraneaque loca descendere, quibus consopitos trucident dormientes, lapillumque extrahant. Nicander in Theriacis hæc de draconibus retulit, *Draco ab Æsculapio medicinæ Deo educatus est in Pelio monte, quem Pheletronium appellant; sunt coloré virides, & nigri, pulcherrimæ omnino formæ, triplicem dentium obtinentes seriem, frontem & supercilia eminentiora aliis partibus multò, obesos oculos sub superciliis ornatos, mentum auratum, coloris bilis, spendescentis, nec plagam inferunt maiorem muris ictu, etiam si perciti ira insanierint oris structura:* hic pugnam atrocem init cum aquila, illa vn-
3 guibus, hic cauda, quòd pullos & oua aquilæ perdat antipathia naturali ille & dissidio, extrahatque multoties hædos prædam de vnguibus aquilæ, reuolutus arboribus, locisque occultus, vbi illa nidificat. Æsculapium medicinæ Deum, autoremve depinxere antiqui medio corpore draconem, vltimò medio

medio hominem supernè efformatum, vel quòd Draconem primus educauerit, domaueritque, vel vt daretur intelligi, medicum oportere esse acutissimi visus, diligentissimum, nimisque indagatorem; natura enim tales esse dracones, refert Rhodiginus libro 10. cap.3. Ælianus libro 11.cap.16. Plinius libro 9. cap.27. Est vastissimum totius naturæ animal draco, magnitudinis miræ, vt animus tantæ moli insufficiens esse videatur. Docet Onesicritus libro 6. cap. 20. duos fuisse in India proceræ adeo magnitudinis, vt alter sex & quadraginta cubitos faceret, octoginta alter, hosque intrepidè expetiuisse videre Alexandrum magnum cognomine. Plinius libro 8. cap. 11. in India tantæ esse vastitatis, vt cum Elephantis gerant duellum, & pugnam, tricenum & ampliùs cubitorum, idem Artemidorus de Arabibus dixit libro 7. capite 10. auidissimos ouorum auium quos faciunt, quæ perdunt, vorant, dum possunt, quassant secùs, & confringunt inimicitia, & odio, cum volatilibus. Non minùs pullos deuastant, inter terrestre animal, cælestesque aues dissidium, & pugna. Cum aquila maior est contentio, quòd illa surripiat multoties & draconi prædam vnguibus validissimis, vt contrà draco aquilæ, colligatus cauda arboribus, potest cauda quod illa vnguibus; oua verò si maxillæ capiunt, integra absorbet, si senior est draco, si maiora oua animantium, aut iunior, caudæ spiris, quasi gladio circumcidit, & dissecat, illaque ouum tenens securè absorbet & lingit, reiicit ouorum putamina ore, dum gliscit integra, secùs si cauda obtineat, ingeratque putamina eglutit. Plinius libro 10. cap. 72. Edoardus libro 6. capite 118. reliqui, serpentium oua imò, & aliorum absumit, si aues gliscit aut animantia, plu-

 mas

mas & ossa ore reiicit, vt putamina ouorum. Xãthus lib. 9. c. 6. antiquitatũ refert, draconis catulum à venatoribus occisum, parente adueniente subitò ad vitam reuocasse herba quadam, quam Balin nominat ille, hacque eadẽ Thylonem nomine quendam dracone læsum conualuisse. Aristoteles 9. de historia c. 6. Plinius lib. 8. c. 27. Pausanias Syrus in Corinthiis. Ælianus libro 10. c. 49. & Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 3. c. 21. Ætius tetrabiblio 4. sermone 1. c. 34. Paulus, Dioscorides, Galenus, docent, dracones pomis repleri vere, quorum sunt auidissimi, nauseam verò hanc vernã lactucis agrestibus ingestis emẽdare, corrigere, vomituque euacuare, quò Ouidius pomorum auratorum custodes constituit, vt diximus, & alij. Auicenna duos draconum ordines stabilit loco allato, quosdã ingentissimi oris: arctissimi & paruissimi quosdam; vt Solinus loco adducto, hosque veros vocat dracones, idem Pausanias in Corinthiis, Dracones veri qui loco narium foramina tenent, & oris loco, fistulasque oblongas, facillimè mansuescunt, si armilla iniiciatur foraminibus dictis, ducunturque facili negotio hâc & illâc, non secùs ac fræno equi reguntur, gubernanturque. Mansuescit enim quàm nimis draco terrestris, vt & domos habitet, & ad manum venire discat vocatus; patet de Draconibus illis qui Romæ primò fuere in ludis Pompeianis adducti. Pausanias testatur, maximam his inesse inimicitiam cum aquila. Vltra dictas causas addunt Ætius, Aristoteles, Plinius, locis suprà, quod aquila serpentes sui generis absumat, vescaturque reptilibus, quorum genere continetur draco, Plinius lib. 8. cap. 13. Dracones Indicis pares generat Æthiopia, vicenum cubitorum cristatos iuba, aurataque lanugine, Asachæi vocantur Æthiopes, apud quos maximè

maximè naſcuntur. Narratur in maritimis eorum locis, quatuor & quinque eorum complicari caudis, vt flumina tranſnatent ſecuriùs, ne fluctibus rapidiſſimorum fluminum, vaſtiſſimave eorundem mole, ſuffocentur vndis, hocque modo ſecurè ad meliora pabula Arabiæ peruenire, tum vt vniti cum cetibus maximis bellum gerant, eis in fluminibus contentis, ne impetu fluminum ſubuertantur, medioque corpore complicari, dum pugnam aggrediuntur, vt caput & cauda superſint libera, quibus & robur continent, & potentiam. Sic ſplendent veri dracones, ac ſi aurum variis coloribus ſuppoſitũ emicaret, non ſecus ac ſplendent aureis variiſque ſplendoribus columbæ dorſo, & pauones cauda, ij ſuperciliis, criſta, mento, cute dorſi, & ſcapulis, collo, iuba emicant. Hoc verò mirabile eſt nimis, huic generi animantium, tantæ eſſe molis quandoque magnitudinis adeò immenſæ, vt dorſo, tergoribuſque multoties, ſæpium inſtar, & riparum herbæ, arboreſque adnaſcantur, virentia plurima, quæ propria ſubſtantia alta, & nutrita, ſanguine irrigata animãtis, altas in hæc ipſa immiſſa radices, germinent, fructificent, conſita tergoribus vaſtæ molis, monſtroſæ, & grandis, per poros & venas, ſucto alimento proprio viuentis vaſtiſſimi, qui floridus ramis, abditus & latens, fruticibus plenus, & occultus, vireſcentibus variis, amœnitate & loci ficti deliciis, in animantia irruit illecta, cibo, eſcáq; decepta, vt miſerè deprædetur & diſcerpat. Hinc plurimi, lepidium, dracunculos herbas, ſic dici, quòd huic animãti inſint, orianturque ex eiuſdẽ ſubſtantia opinãtur. Imò dracontæam hinc eueniſſe virẽtẽ, quòd ſenectã draconũ, cutẽq; æmuletur colorib. vt magis huius plãtæ cortex coriũ draconis videatur, quã herbæ pars aliqua. Cũ enim hęc primò.

primò draconibus innascerentur, eis varietate & venenosa substantia corrosiua non absimiles, posteà semine terræ commisso, pullularunt, eam semper obseruantes naturam, qualitates easdem, semel draconum ac extitere genimina, genitorum malitiam referentes, hæredes relictæ virulaginis abditæ, & si spuria soboles, vt & terris nascuntur adhuc illa, at primò draconibus. Scimus enim, & cornibus ceruorum adnasci hederam frequenter. Refert Arist. 9. de historia animalium c. 5. oririque cornum arborem in hominum auribus ossiculo intra ipsas elapso experimur, loci vditate alto, animantiumque aliorum: animalcula imò animantibus procreari, pediculos, vermes, lũbricos, subtus cute, qui posteà se exerunt, rupta cute ea parte, & lacerata, aut poris erumpentia. Arboribus adnasci solent alia, quæ aluntur substãtia, succis, expensisque illius cuius sunt exorta; quorum extat exemplum Agaricum, fungique non minùs, muscus dictus, herbæ aliæ non paucæ. Testatur experientia communis, multaque virentia, inserta omnia quæ increscunt trunco supposito, in quo aluntur, & viuunt. Spicas adactas vocatos surculos inditos intra suppositam arborem cui inseruntur. Sues crassissimos generare mures in natibus scimus, obesis nimis, cùm loco moueri nequeunt, ignauos & desides. Herba dicta draconis sanguis hisce debetur; est iis adnata primò, quæ succum reddit similem draconis sanguini; hæc & plurima alia tergoribus draconum innasci, quæ & nascerentur ventre, si attritu & reptu terræ non abraderentur, reptili animantis motu, conspicimus. Hinc tergoribus adnascuntur illa, non sicco capiti, aut ventri, qui reptu hæc impedit, & compressu, pondere atterit. Plinius libro 25. cap. 2. Edoardus libro 6. cap. 118. Pausanias, Aristoteles de

ceruis

ceruis ſuprà; Cum enim ſanguine nutriantur iſta, draconi dum inſunt, hunc ſuccum reddunt, ſanguis draconis dicta virentia, ſeruantque in poſterum radicum opere, ex terra nata virtutem illam adeptam ſemel. Foliis imò draconem ſculptum forma & effigie tenent exorta illa, dictu mirabile nimis, norunt Indi Hiſpaniæ nouæ, & nos vidimus, communiter plãtis aduectis, & 2. lib. 7. c. hiſtoriæ Indiarum occidentaliũ inuiſitur. Hæc enim plãta altiſſimas radices immittit pertingentes intima vaſa ſeminaria animantis huius, lumbis adnata, per quos ſeminis ductus decurrunt, ſemen vt trahere poſſint formatum, prolificum efficere potens draconem verum, formetque vt illum foliis primò; draconibus inſerta ortu accepta virtute, ſeruataque in poſterum, terræ commiſſa loco fruticis, quæ nullum alium fructum gerunt vnquã, quàm foliis draconem efformatum (mirabile ſatis.) Conſecrabantur antiquitùs dracones Palladi Deæ, Æſculapioque, vt videre eſt antiquis numiſmatibus, ſimulacris, iconibus antiquorum, & hieroglyphicis; Rhodiginus refert lib. 10. c. 3. & Edoardus vltrà, Pierius, alij. Palladi cùm quòd cautè inſpectarent, occultè, vigilanter, quibus Palladis pudicitiam ſignificabant, virginumque candorẽ commendabant, quarum eſt, cautè, modeſtè, vigilanter viuere; tũ quòd ſint virginum amatores, zelotypi natura, cuſtodeſque acerrimi, & inuiolabiles virginum, quas detegunt odio, & auerſione ſemel corruptas; Æſculapio, quòd debeat eſſe vigilantiſſimus, qui aliorum curæ præeſt, ſolicituſque, vimque in cauda obtinere medicos, in mortem, in vltimo, vt draco tenet: non ore, non verbis, opere imò, quod eſt ſcientiæ practicæ finis, mortem vitare, vltimum, caudam vitæ. Amittunt pellem, ſenectamque, bis anno quouis, vt ſer-

pentes

pentes reliqui; vere & autumno, anteà diximus, quam occultat maximè. Nullum excitat dolorem morſus huius ingentiſſimi animantis; eſt enim minimus illius morſus, muris inſtar, & cùm tamen nitatur ille nimis mordere, minimè mordet, debile, remiſſum nimis iis adeſt venenum, ictus. Quòd ſi quãdo obtinent, eſt Luna plena, inſtigantur enim tunc mucore adaucto, Edoardus, Ælianus, reliqui. Ineſt hoc magis ſubflauis. draconibus dicatis Æſculapio; Venenatus morſus rabie actis. Eſt medici, venena retundere, & frænare, vt ij venenati illi dicarentur, non alij. Ælianus de hoc animanti hæc ſcripto mandauit lib.2.c.21. Æthiopia generat Dracones longitudinis triginta paſſuum, qui carent proprio nomine, ſolúmque interfectores appellantur Elephantorum: ij ad ſummã ſenectutẽ perueniũt, quibus duplicata cauda eſt. In Phrygia procreantur dracones decem paſſuum magnitudine, ij quotidie media æſtate, hora, cùm forum hominum conuentu plenũ eſſe ſolet, & prandendum eſt, ex cauernis procedunt, & ad nuncupatum circa pontum, fluuium Rhyndacum concurrunt, qui cauda terræ adacta, reliquo tóto corporis erecto, celſo gutture, ore hianti, relaxato, & aperto, ſuperuolantes aues, rametſi ſublime, & perniciter ferantur, ſua inſpiratione, & ſuctu, tanquam amatorio quodam philtro ad ſe trahunt, & alliciunt, quæ ſpiritus ductibus diductæ, in illorum ventrem illabuntur, & decidunt. Hæc ad Occidentem verſus peragunt, qui poſteà ſeſe occultantes, dum greges ex paſtu in ſtabula redeunt, inſidias parant ſimplicibus animantibus, multamque inferunt perniciem, quò ſibi abunde prandium comparent, Phrygium hiſtoriæ. Idem lib.7.cap.10.& 13. Sunt non ſolùm viſus acutiſſimi, imò & auditus acerrimi dracones;

patet

patet locis adductis. Eorum adeps cum melle mista albuginibus oculorum mirificè prodest, & visus impedimenta, discussoria qua pollet virtute, detersioraque extrahit, morbisque crassorum humorum medetur exactè. Refert Ætius locis suprà; Auicenna narrat, Ælianus lib. 11. c. 16. dracones Virginum ossa, & integrarum, obseruare, custodire, abscondere, imò & abdere, & terra humare semel inuenta, reserare verò, corruptarum defodere, quod est cum formicis illis commune, eò loci inuenies. Sunt formicæ toto corpore serpentes, figura, & forma, longitudine & insectione, & si pedes obtineant. At longiori corpori cùm non sufficiant, serpunt, & reptant, quò iis serpentibus genere affinibus idem conceditur natura instinctus; conficiunt enim in frusta ossa integrarũ, & occulunt secretò, reseruantque succo allectæ ossium, quo pollent virgines copiosiori, illum quòd obseruauerint, nonque reiectauerint integræ, secùs, ac corruptæ, extenuatæ iã Veneris vsu. Imò antiquitus narrat, in Lauinio luco apud Italos tẽplum fuisse Iunonis Argolicæ dictæ, quòd Argos occiderit industria Mercurij, in quo antrum erat amplissimũ profundumq; satis, & draconis cubile, in quod certis diebus sacræ virgines concurrebant, panis offam ferentes manibus, velatis oculis linteo purissimo, via recta in cubile diductæ, non secus ac si deuelatis, reseratisq; venirent ocellis, è quibus draco capessebat cibos castos; è corruptis, si quæ erant, secùs respuebat odio, quo ingenio examinabantur virgines, accusabanturque corruptæ, vt ex lege suppliciis afficerẽtur. Sunt maximè puellarum, puerorumque virginũ amatores, Rhodiginus loco adducto, Plinius libro 10. cap. 74. Arcadia antiquior Plinio libro 6. cap. ... Ælianus lib. 6. c. 16. Hierosolymæ narrant, tempore
Herodis

Herodis regis Iudæorum, draconem eximiæ magnitudinis, pulcherrimam deperiisse puellam, quam inuisebat noctu, solicitabatque, dulcissimis tenebat amplexibus, perditeque adamabat, quæ cùm exhorresceret sedulũ amatorem, pertimesceretque de amico dispari, subduxit se, absfuit mensis spatio; absentia vt obliuisceretur amor; hic verò cùm in dies augeretur absentia, & zelotypia magis, adeò increuit, vt noctes, diesque locũ repetens, vbi solitus erat cum illa versari, absumeret, acerrima oppressus angustia, extenuatus, & exolutus fame, vsque dum illa rediit; inuenta casu, quam mille osculis, amplexibus mille tenebat, spiris, & orbibus obuolutam, lachrymans, elingens pedes ingratæ amicæ, & rigidæ, suspicionum plenus, quã parcè & molliter cauda verberabat, ac si pœnas luere vellet delicti cõmissi. c. 62. narrat historiã de puero Arcade, iis: Cũ paruulus draco in Arcadia simul cum puero natione Arcade educaretur, factus iam puer, natu grandior, dracoque cùm permagnus euasisset, molis vastissimæ, & inusitatæ, mutuóque inter se amore flagrarent, asportati simul in syluam, decreto prætorum, ne vrbem vastaret immane monstrum. Redit iuuenis, abditus draconem fugiens; pòst tamẽ, cùm per desertam regionẽ procederet, in latrones incidit Arcadius ille, percussus, & petitus gladiis, exclamauit, auxilium implorans, draco autem bestia, & ad audiendum acerrima, & ad videndum acutissima, illicò ac puerum exaudiuit, cognouitque, sibilo edito, suæ indignationis terrorem illis iniiciens, & signum exhibens, acerbissima morte sceleratos affecit, veterisque amici vulnera lingua expurgauit, pristinæque reuocauit saluti; quo facto, & venatu alto iuuene draconis expensis, ne molestus esset amatori, in syluam redit, amorem

amorem violentum recuſans, lib. 10. c. 49. Draconem, Pindum interfectum Regis Macedoniæ filium, fratrum inuidia, narrat eum non reliquiſſe, ſemel ſtrangulatis aggreſſoribus in ſylua, vſque dū cognati debita illum ſepultura exornarent, quod aliquando ex præda & venatione redeunte illi partem impertiiſſet ille. lib. 6. c. 20. Plinius lib. 8. c. 12. Maximam adeſſe inimicitiam Elephantis & Draconibus recenſet Ælianus ſic: Dracones non inſcij, aut imperiti, Elephantos ſolere exanimare, ex arboribus ramos decerpentes in paſtus ſuos, in eas arbores ſerpentes, reptanteſque dimidia ſui corporis parte, quæ ad caudam ſpectat, foliis arborum circumtecta parte alia, anteriori, funiculi inſtar appēſa, & demiſſa; quò cùm accedunt Elephantes, ad arborum cacumina colligēda, in oculos eorundem inſilientes, effodere & obcæcare, reiecto vomitu, illos conſtrictoſque tenere cauda circumligatos, laqueo quaſi, ſuffocare in poſterum, inuſitato quodam modo. Plinius hanc pugnam ſic fieri refert c. 11. lib. 8. Africa vltra Sirtycas ſolitudines & Mauritania, Elephantes habet, maximos verò India, bellantes cum Draconibus, tantæ magnitudinis, vt Elephantes circumflexu lberè & facilè ambiāt cauda, medio corpore, perſtringantque nexu nodi, vt ſuffocent, compreſſiſque viſceribus obruant, pondere verò Elephantorum occiſorum ſimul cum illis complicati rumpuntur caſu, vt victor & victus æquali victoria, triumphiſque æqualibus glorientur. Cap. 12. eiuſdem libri hæc. Draco itaque iter ad pabula ſpeculatus, arbori excelſæ plicatur, ſcit Elephans impares eſſe ſibi vires contra draconis nexus, quo cum pondere pollere cognoſcat, arbores quærit, aut rupes, vbi poſſit Dracones ſemel ſibi annexos collidere attritu molis & pondere. Cauent hoc Draco-

nes, ne dum plicati Elephantos comprimant, rupes sint quibus collidi possint, hinc pedes primò ne possint ad rupes accedere nexibus colligāt, resoluunt verò Elephantes nare, paraboscideque volubili, in narem caput illicò condunt, immittuntque dracones mentum & rostrum, spiritum, respirationemque vt intercludant suctu potentissimo, quo pollent, inde oculos eruunt facillimo negotio, quo cæci, fameque confecti reperiuntur Elephantes eo duello. Causam verò inimicitiæ horum animantium assignat, quòd Elephantibus adsit frigidissimus sanguis, dracones verò cùm æstuent, & flagrent incēdio, fistulis arctissimis oris, & narium, quibus cordi refrigerium, tantæque moli impertitur parcè nimis, auidissimè sanguinem eorum expetunt frigidum, ob refrigerium sibi maximum, mediis illis æstibus exusti, propter quod bibentibus Elephātis insidiantur, aquis immersi, fluminibus & amnibus: vbi abditi (mirabile) in aurem solam morsum defigunt, quòd is locus nare & manu dicta Elephantis, defendi non possit solus in vniuersa illius cōpage, è qua vniuersum imbibunt sanguinem animantis. Liuore & inuidia maxima vrgentur, vt & senectam occulant, & gemmā liquent, abdantque parci natura, Plinius sensit libro 37. c. 10. Ælianus libro 6. c. 4. qui gemmam capite cōtentam frequēter mortis tempore, angone, in lacrymas conuersam oculis effundere dixit, qui cùm homini aut feræ internecium parant, venenatis radicibus virentiū se replēt, vt vomitu, eiectuque, & morsu inficiant, vt si & mortem subeant, nō impunè animantia victoriosa ipsis vescantur, veneno imò ingestorum infecta, mortem sibi illis vltionem consciscāt, cuius rei non ignarus Homerus Odyssea λ. retulit; ibidē Ælianus dixit; vt draco manet circū cauer-

nas

nas complicatus, priùs refertus multis cibis venenatis, & perniciosis, aliis venenum, & nutrimentum sibi, sic Vlysses captabat ira percitus tempus, lib. 28. c. 4. Plinius caput draconis limini domus appensum fortunatam, fœlicem illam reddere credidit, habitatores gratos, & fœlices, tum illos qui horum oculis cum melle tritis perungerentur, laruas, nocti umque phantasmata non extimescere, adipeque perunctos victores euadere in duellis. Spondilium primũ vertebrarũ colli mulcere potestates, & iudices, gratiamque cum magnatibus conciliare, dẽtes idem huius efficere, si portentur alligati & suspensi, cauda & capite fœlicissimas efficere domos. Hinc iis subducti antiqui, & vt alij vigilantiam domus commendarẽt, sculptos dracones, depictosque scutis, liminibusque domorum infigebant, prudentiam, potentiamque ostentantes, vt est modo videre frequentissimè iis locis. Ælianus libr. 11. 16. c. diuinatores, præsensores temporum, rerumque multarum constituit, illos tempestatum, beneficij memores, lunæ motus sectatores. corporis temperie nimis variare, crescere, decrescere, malitia, motu, & actionibus, vt crescit, decrescitque luna. Horum quosdam alatos esse natura recenset Lucanus lib. 9. iis: *Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris Serpitis aurato nitidi fulgore dracones Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum Aëra cum pẽnis, armentaque tota secuti, Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros. Nec tutus spatio est Elephans, datis omnia letho. Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.* Alatos constituit, vt passim antiquorum monumentis est videre, numismatibus, Deorum templis, simulacris, statuis, stemmatibus, diuisis, taxilis; diximus suprà, serpentes alatos nasci, tum monstrosum illud esse, vt & pedes obtinere, quod est visum

quandoque, referunt Ælianus, Plinius locis adductis
10 c. de vipera dictum. Illud est potentiæ huius animantis, omni admiratione dignum, docet Ælianus libro 6. c. 4. & libro 16. cap. 39. & cum eo Chiorum Chronici lib. 7. cap. 60. in Valle Pellæa, procerissimis arboribus consita, dracones esse inusitatæ magnitudinis, hosque proceras arbores tanto impetu & violẽtia concutere, & agitare caudæ nexibus, vt contritu, & attritione arbores ea violentia collisæ ignem generent, flagrentque incendio, vt illæ simul & dracones inurantur igne communi iam senio confecti, vitam tædio habentes. Id verò illis arboribus contingere, quod abietes resinosæ sint, succensu faciles, vt Sole solo radiis, lumineque multoties inuri videãtur; igniuntur enim plurima aliàs luce sola, specillis crystallinis, radiis solaribus visitur id quotidie. Galenus refert, in Mysia domum quandam, stercore columbino inspersam, vrenti Sole, ęstate media conflagrasse vndique, stercoris igne succẽsa, abietinis structam lignis resinosis exposita, Sole vehementissimo; de causis morborum c. 4. 3. de temperamentis cap. 3. dracones omnes aquas expetunt, in quibus per tempus commorari cupiunt, æstuanti natura ignea, parcissima respiratione, non suffectura tantæ moli animantis, quo & monstra huic insunt naturæ maxima, humiditate locorum, quæ habitant. c. de Leuiathan longiùs infra hinc hydras, lacus, fontes, stagna, paludes, humentia & vda inhabitare norunt Pausanias in Corinthiis, Homerus & alij. Sunt Hydræ Draconũ monstra, vel multorum capitum, aut alata, pedestresve Dracones, hi verò & hydræ adhuc distinguuntur à Dracone, pisce marino, qui est Graculo pisci persimilis, moderatæ molis; refert Plinius libro 9. capite 27. Quem docet captum, atque in arenam emis

emissum, mira celeritate cauernam sibi excauare, fugereque facillimè, euanescere subitò, non secus atque acus piscis rostro arenis adacto, lib.32.c. 11. aculeos vsque ad caudam habere, & c.7. dentibus huius scarificatis gingiuis, indolentia potiri afflictos, Ælianus lib.14.c.11. sic Draco marinus aliis piscibus similis, reliquo corpore verò Draconi terreno, capite & oculorum magnitudine, magni enim sunt & pulchri iis: maxillæ etiam formam quandam similem habent cùm terrestribus, squammas habet duras, adeo vt tangenti non videantur longè abesse à pelle Draconis terreni, simul & aculeis armatus est grauibus, & venenatis, tãgentibus perniciosæ, Aristoteles idem de historia animalium lib. 8. cap. 13. qui 9. de historia cap.6. docet, expurgari lactucis syluestribus, semel pomis refertos Dracones pomorum auidissimos cap. 1. eiusdem pugnam cum aquila describit, qui autores Draconis carnem aqua maceratam, contusamque vulneri applicitam, maximum esse remedium, & mirabile satis tam marini, quàm terrestris morsibus eorundem, locis adductis edocent.

Quo varia scripturæ loca deplicantur, abstrusa natura Draconis obuoluta, spirisque plicata.

CAPVT II.

IIs constant varia Scripturæ loca, cùm historico, tum tropologico sensu. Primò locus ille Exodi 7. c. vbi hæc continentur: *Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron; cum dixerit vobis Pharao, ostendite signa, dices ad Aaron, tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharao-*

ne, ac vertatur in colubrum. Et factum est ita, versaque est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fecerunt ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Proieceruntque singuli virgas suas quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum, & cùm iis Pharao non dimitteret populum Hebræorũ, subdit Deus: *Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripam fluminis, & virgam quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua, & percute aquam fluminis, & vertetur in sanguinem*; & neque iis conuersus est Pharao. Versa est Aaronis virga in colubrum verum, natura talem subitò, & repente: Deo omni lege agendi soluto operante, qui nec expectat materiam vt agat, ex nihilo omnia quia vult solum educere, potens; nec causatum effectus, cùm quæ illæ possunt ab illo sint, susceperintque: possent & hæc mediis plurimis trãsmutationibus naturæ euenire, tardè longo temporis interuallo, at non ex tempore, & subitanea mutatione: Variæ formæ enim in materiã succedunt, agentibus causis naturæ, tempore & motu, passique dispositione aptata, vt fert passum, & potest agens, lõgiori breuiori tempore, interuallo facto, aut subitò in dispositis iã vltimatè: at in dissidẽtibus diuersarũ specierũ suppositis, sese ad inuicẽ successio formarum, hoc Dei est, non naturæ opus. Est virga Aaronis versa in colubrũ verũ, posteà in veram virgam, vel numeralem vnam, vel specie vnam: succedentibus sibi ad inuicem formis in materiã eandem, Dei efficientia, cui nec præteriit tempus idem, nec eadem numero, vt pote omnia afferre, supplereque potens, infinita omnia transcendẽs virtute, quibus numero eadem, quæ fuere corrupta reddit. Dæmon verò & malefici, cùm solùm possint mediis naturalibus causis effectus moliri, quæ motu & tem

tempore, viciſſitudinibuſque ad inuicẽ factis egent, non ſubitò effectus veros excitant, apparentes imò & mẽtitos: virgæ enim maleficorum nõ in dracones veros fuere commutatę, ſed in mentitos, & fictitios, ideo eſt dictum eo loci; fecerunt ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter: non vera, vt Aaron fecit Dei opere. Fuere in dracones cõuerſæ maleficorum virgæ, Aarõ verò in colubrum anguem communem, ſerpẽtem dictum nomine generis, quòd communiùs & vulgariter magis ſerpat. Coluber genere dictus reptilia omnia continet venenata, nimis agiliſſimi motus, potentiſſimique capitis; motu & viribus, potentiaque veneni actiuiſſima, & ſi minima mole; imò quanto minora actiuiora; dracones contrà deformes capite impotentes nimis diximus cauda vim & robur obtinere, non rictu oris, ictu imò caudæ pollere, vaſtitate molis maximos, potẽtia veneni, & morſus imbelles, debiles. Facilius fuit dæmoni, molem cumulare indigeſtam & rudem cui corpora obediunt motu locali, quàm vires, potentiamque virtutum animantium imitari, quæ nequit facilè, cùm egeat ille, hæc vt æmuletur, cauſarũ applicitu, eaſque agere expectet, ſi effectus edere velit, ſolũ actiua paſſiuis cùm applicet in effectus omnes præterquàm loci motus (latè ſuprà.) Deus verò vires exeruit animãtis, impertiitque animanti colubro vero ſuam potentiam præfigurãs minimo colubro. Coluber enim appenſus & ligatus, ſerpenſque hic, cõtinuò caput mouet, permouetque ſuperiùs, celſius altiúſque reliquo omni tenet corpore, cui aſſidet, intueturque celſo capite. Figurabat Chriſtum cruci affixum, *ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic oportet exaltari filium hominis.* Ioannis 3. c. *Chriſti caput Deus*, diuinitas. Paulus

prima ad Corinthios 11. Christi caput assidens humanitati, corporique mystico Ecclesiæ fidelibus, capite insuperabili, quod eidem insidet, vicit virgas maleficorum, dracones apparentes, incantamenta, philtra, carnis, mundi potentiam, dæmonis arma, peccatum, superauit coluber minimus vermiculus ille paruulus mortem, infernum, peccatum, dæmonem. Coluber hic ingentissimos dracones vastos &
12 molis ingentis vorauit, hos capere potuit, deglutire, capitis virtute, amplissimo ore in capite consito diuinitatis, doctrina, consiliis, præceptis, vita, morte, deitatis ore distento, vsque ad carnem passibilem, virgis maleficorum versis in dracones, mirabile, vt illud mirabilius videretur, colubrum dracones ingerere & deglutire, reputatus paruulus alioqui gentibus & minimus, capere molem ingentem, vastamque adeò, vt digitum Dei ibi adesse faterentur rebelles, vt conuinceretur Pharao: in Christoque diuinitas vt notaretur. Retulimus suprà draconem appensum arboribus nimio pondere, graue caput terræ committere; caudam capite superiorem reponere, inuolutum pendere cauda supernè, ventréque capiti superiore facto & toti, irruere vt possit in Elephãtes; quibus significatur appetitus, ventrisque potentia, non capitis, non diuinitatis, concupiscentiæ imò, ventris appetitus, caudæque & infimi vires. Diuinitatis cùm nihil opus Ægyptiorum contineret, continereque Aaronis acta sunt fassi, dicentes, *digitus Dei est hic*; Christus qui Patrem notificat digito virtutis, & potentia. Quò mirari desino gentes addubitasse, Ioannem, Christus an esset, cùm digitum Dei animaduertissent, quo illum designabat, potentia miraculorũ, & doctrina, vitæque integritate. Digitus enim ille quo agnũ indicabat, miracula obstupenda

penda & rara; digitus ille Christus erat, Deique digitus in quo ipsum manifestabat hominibus, Angelis, Doctor Angelorum & hominum, virtute digiti Christi. Si ergo in digito vno Christus noscebatur Ioãnis, quid de toto illo addubitarẽt homines cùm omnibus Christum imitatus sit ille, an digito Christo mortales à dubio nõ reuocasset: *aquel que con solo vn dedo, dio con Dios en la tierra, haziendole conocer a los hombres:* de quo verè dicitur, digitus Dei est hic. Hinc coluber virga hæc, illæ verò dracones extitere. Posteà iussit Deus Aaroni sumeret virgam in draconẽ conuersam, quæ redierat in formã pristinam Virgæ iam Maleficorum, quæ verè nõ fuere immutatæ; desiere enim apparere tantùm, virgæ enim semper adfuere: assumeret aliorũ virgam iussit, quæ in draconẽ fuerat cõuersa apparẽter, quæ enim fuerat Aaron fuit in colubrũ verum mutata, vt victoriæ signũ existeret semper, spoliis reseruatis contra maleficos adeptæ, ideo virgã vnam ex aliis sumere iussit, & seruari; Pharao vt eadem inspectata in aliis portentis interuenienti, recordaretur figmentorum maleficorum, potentiæ Dei veri, vt conuerteretur ille. Quæ virga, dura, rigida, sicca, intractabilis, dracoque, hæc inflexilis, iustitiæ virga, floruit in Virgine Deipara primò misericordia cõditoris, blanda, & tractabilis, facilis, & ductilis, cõtra draconem rigoris, & peccatũ voracissimæ naturæ floribus amygdali exornata; Numerorũ 17. c. ver nunciauit solisque accessum ad æquinoctium, & signũ agni Christi, solisque iustitiæ, vernum gratiæ tempus, æquitatẽ iustitiæ, cum osculis pacis & misericordiæ, quibus iustitia & pax osculatæ sunt, floribus nunciat Amygdalus prima ver, efflorescit primò, rigore brumæ & siccitate transactis: ver, cõstitutioque sanguinea sanguinis Christi,

sanguinem enunciauit ipsa Virgo fæcundissima mater, & non secus atque Amygdalæ vulpeculis sunt excidio & internecio, tenet Plinius lib. 22. c. 1. & Bercorius lib. 12. c. 2. Sacra Virgo fuit hæreticis horror, vastitas, & ruina; Ecclesia canit: *Tu sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo*: extirpasti hæreses, confudisti, precibus & meritis tuis illuminatis fidelibus; ad te enim hoc munus spectabat, & ex officio impendebat, quòd esses mater Christi veri Dei, & hominis, simulque aduocata nostra, quod ne faterentur hæretici in varias hæreses inciderunt, cùm tamen iis honor tuus integretur, & constet, & cùm verè mater esses veri Dei & hominis, hocque daretur intelligi mortalibus, tu hæreses eradicasti opere tanto, extirpasti omnes; vocat enim vulpeculas hæreses Spiritus sanctus Canticorum 2. c. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit*: vineas congregationes fidelium, & Ecclesiæ statutos ordines, religionis, matrimonij, cœlibatus, aliorum, vineaque floruit nostra Virgo Deipara. Herodem appellauit vulpem Lucæ 13. Ieremias 5. Threni: *Propterea mœstum factum est cor nostrum: ideo contenebrati sunt oculi nostri propter montem Sion, quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generatione, & generationem.* Vbi, montem Sion vocat Ecclesiam quæ iam disperiit plurimis nationibus, propter vulpes & callidos hæreticos, qui caudis complicatis, æstuãtis concupiscentiæ, igne conflagrantibus, religionem vastare, & succendere sunt conati, appetitu & portione inferiori; cauda, vt vulpes, canes venatores cauda, secessu fœdissimo excrementorum inficiunt, fœtidissimisque excrementis fœdant, non secùs ac vulpes ij colligatæ caudis, appetitu & amore proprio,

prio, vt tandem in Dei contemptum degenerent & prolabantur (Augustinus 1. de ciuitate Dei c. 6.) fructusque fidelium, vineæque floridæ Deiferæ Virginis floribus virgineis perpulchræ, omni ex parte integræ & perfectæ, incendio & malitia deuastare contendant: concupiscentiæ æstu, & malitia inquinantes reatu culpæ liberam Virginem omnino, Deique matrem illustrem Principis priuilegio, voluntate, & concessa gratia, vulpeculæ natura paruulæ deteriores vulpibus maioribus natu, & grandioribus, infestæ magis naturæ, cùm quòd minùs pertimescamus de iis, caueatque ideo minùs quilibet, tum propter artes quibus pollere experientia ediscimus versutiores, & deteriores. Retulit, vt suprà Plinius, & Ælianus libro septimo, capite sexto, vulpeculas deteriores vulpibus esse. Spiritus enim ignei, bilisque copia in iis quibus maiori abundant prouentu, vulpes aliis animantibus, vesicaque bilis amplior, capacior, animanti stimulant magis contenta pusillo collectaque, quàm si latiori diffusa complecterentur viuenti, quo deteriores natura. Iudicum 15. hæc eadem virga Virgo sacra hæreticorum, quæ in manu maleficorum (de vulpeculis cauda ligatis initur sermo) draco credebatur, solumque Draconis conditiones subire, in manu Aaron & Mosis, iustitiæ & sanctitatis, iis sacerdotio & principatu insignitis virga fuit, effloruit, & quæ obliqua, circumuoluta iudicabatur iis, dracoque serpens, virga recta iustitiæ, & misericordiæ symbolum extitit in manu summi Sacerdotis Christi, Deifera Virgo directionis, & rectitudinis, imperij & iurisdictionis nostræ, virga in manu Iudicis, in qua visitauit nos oriens ex alto, & cuius interuentu signatur cuilibet ius suum, misericordiaque & clementia

clementia notificatur hac ipſa, Iſaiæ 2. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Ex hac virga egredietur flos Chriſtus virgæ & Virginis huius filius; virga erit ipſe, ſi virgæ filius eſt. Virgo ſacra eſt virga virtutis Dei, in qua hæc omnia operatus eſt Dominus, virga iuſtitiæ in manu Domini, quæ aliàs, vt & omnes, draco eſſet, peccato originis priuilegio libera, & immunis, nobilis extitit voluntate principis, gratia plena, ex qua ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. Hac diuiſit Moſes mare rubrum; vtebantur enim eadem ad inuicem Moſes & Aaron, Numerorum 20. c. Fuit hæc virga in conſpectu Domini ſemper, & in arca fœderis, eo loci dicitur. Fuit ſacra virgo in conſpectu Domini, & in fœdere cum Patre æterno, cui ſatisfecimus per Chriſtum; fuit in pacto, in arca hac qua ſubterfugimus naufragium, diluuiúmque, non receſſit à conſpectu Domini, nulla interpoſita culpa: inter ſolem filium, & Lunam hanc plenam, quibus eclipſis Lunæ venire aliàs ſolet culpę opaci interpoſitione, ideo gratia plena, quæ eſt pulchra, vt Luna plena, cum manna filio alimento cœleſti, in arca fœderis teſtamenti gratiæ, & matris reſeruato. Rubrum mare diuiſit ſanguinis filij, vt ſecuri itarent mortales, diuiſit à filio ſanguinem fluore iugi, in bonum hominum, vt flueret, & mare vltionis noſtræ ruinæ & ſanguinis, diuiſit aquas ab aquis, & confirmauit, (ibidem dicitur,) ne fluerent aquæ, imò vt conſiſterent, muri inſtar, hac diuiſæ; ibi dicitur, ne nos obruerent & abſorberent, hac virga fuere compreſſæ, preſſæ imò, vt ſecuri poſſimus in terram promiſſionis venire. Tum locus ille Pſalmi 73. iis con-
14 ſtat, vbi dicitur: *Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis: tu confregiſti capita*

draco

draconum, dedisti eos escam populis Æthiopum. Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan. Confirmasti virtute tua mare, detinuisti diuisas aquas, sustinuisti, firmasti ne fluerent, & muri instar circumuallasti. Numerorum 20. capite: *Et confregisti capita draconum in aquis*, vbi maior videbatur eorum potentia. Diximus, dracones in aquis expectare Elephantos, quorum pondere solent collidi, animantia illa quæ aures obturare nequeunt, vt de Elephanto diximus; in aquis, in afflictionibus, eos qui audiunt verbum Dei, audientes adhuc, non solùm surdos, eos imò qui aures infarcire nesciunt, in aquis insiliunt, quòd maiorem cognoscant potentiam inibi, maiúsque robur sibi adesse, mole vastissima supportata aquis, velociúsque huc & illuc vertantur, moueantúrque vt fugiant, & prosequantur hostes; hic vbi erant validiores in aquis, in deliciis, & voluptatibus, in vditate vitiorum, affluentia & copia, austeritate, paupertate, pœnitentia promulgata, Christus, asperitatéque, contrà ac leges carnis ferebant, hic vbi concupiscentia æstuabat, mediísque aquis, ea erat ignis potentia, conflagrabat, confregit eorum capita Christus elephas ille, qui nulli tenetur flectere genua, vt non flectit elephas, *æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem*; Elephas tum hic diuinitatis vi, eius virtute confregit capita draconum in aquis baptismatis sancti, confregit peccatum, mortem, draconum capita, quibus feriunt mortales, in aquis vbi dæmon draco potentiam maiorem videbatur exerere, in aquis, in afflictionibus, in laboribus; *intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*; de afflictionibus dicitur: fecit iugum suaue, & amaras aquas deserti potabiles, dulces, salubres, in aquis, in laboribus, quos tulit Chri

Christus in morte. Capita draconũ peccati, inferni voracissimi, & dæmonis fregit, quassauit in aquis: vltrà[;]cõfregit hac virga draconum capita, Virgine deifera, qua primò peccatum desiit, infernus, culpa: in aquis illuuionis vniuersalis diluuij, culpæ effluentis in posteros Adæ origine, qui aut supposito diuino non coëxistunt, aut priuilegio non excipiuntur, epieichia Principis. Ipsa contriuit caput, vt dictum fuerat Geneseos 3. aut ipse contriuit, cùm ipsa contriuerit. Contribulasti primò hæc càpita draconum, promissionibus factis, spe data in lege scripta, confregisti posteà lege gratiæ, promissis acquiescens, plenitudine scripturarum, te hominibus immisso Deo homine. Tum ad literam, Pharaonis & aliorum Principum duces, capita draconum, instrumenta & ministros confregisti, contribulasti in aquis, vbi priùs adhuc contribulasti vt conuerterentur, quos, cùm duritie cordis obsisterent, confregisti posteà. Capita verò draconum confregit mundi, peccati, mortis, vt gemmam Virginis sacræ eliceret, non caudam Draconis, non vltimum, non mortem disiecit, mori enim non recusauit, nec draconis vltimo affligi, sibi nec matri piissimæ inhibuit; nobis datus; vt morte vitam compararet, hominésque vt summo amoris vinculo necteret, omnia in pretium eorum cùm erogasset, vt quantæ essent æstimationis mortales sciscerent, & quæ Deus expetit ab eis, quanti essent, percallerent, Dei amicitiam & amorem vt intelligerent, Dei morte, vitáque digna; matrem verò mori voluit, cùm vt verus homo crederetur, veræ fœminæ proles mortalis, ipsa natura vt reliquæ, tum illi vt maius præmiũ adesset, & si peccato libera, voluit mori. Capite peccato omni immunis, percussitque in aquis dracones, eorúmq;

eorũq; capita ibidem confregit, vt esset draco vtilis suo morsui (patet suprà.) Est memoria peccati vtilis nimis, maceratúsque draco aquis lachrymarum, vulnera persanat quæ infligit ille, *vt de peccato damnaret peccatum*: Paulus ad Romanos 8. capite, dedisti eum escam populis Æthiopum. Diximus, in Æthiopia frequentissimos esse dracones, & vastissimæ molis, inusitatæ magnitudinis, his vtuntur Æthiopes in cibos, capite resecto & cauda, tam è marinis, quàm è terrestribus. Imò & in morsus eorundem, carnibus eorum vesci salubre iudicauit Solinus in Polihistoria capite 33. Galenus 11. de simplicium medicamentorum viribus, capite de dracone marino, & 3. de alimentorum facultatibus capite 4. Edoardus libro 6. capite 118. Bercorius libro 10. capite de Dracone, Oppianus, alij. Solinus, Æthiopas lingua extracta, cauda rescissa, impunè draconibus vesci legit, & in refrigerium æstus, sanguinis potu draconis marini vti, imò bile semota, & felle extracto edere quodcumque animal quod sors obtulerit. Hos vocat Solinus Pamphagos, quos capite 34 docet vesci serpentibus, draconibus, aliísque omnibus animantibus innoxiè, ob conditam eorum ipso opifice peculiarem naturam summo. Miratur ergo vates sacer eo loci summam Dei prouidentiam, Æthiopibus adhuc gentibus ferinis, & barbaris, sine cultu & lege, sine obseruatione, non defecisse, illis imò in alimenta & cibos præparasse dracones, quibus vescantur salubriter. Sunt ea in regione salubria & innoxia, venenata alioqui animantia, aut noxia minùs (eo loci est videre) conquassatis enim, reiectis extremis, medio salubri, inolescunt ibi eo victu reptilium degentium incolæ in aquis, quibus degunt, in illa prouincia, reptantia præcipuè & communiùs

omnia;

omnia,æstu nimio regionis, sese vt temperent illis, remittántque ignem, vt Solinus eo loci vult, diluto veneno,& remisso, loci vditate & refrigerio, quod etsi minimum adsit draconibus omnibus, est ea in parte minus adhuc:vt sit populis Æthiopum esca & alimentum,incultísque illis & Barbaris, quibus nec defecit Deus alimento,aut doctrina, sufficientiáque legis. *Confregisti* ergo *capita draconum in aquis, & dedisti eum escam populis Æthiopum*, ad literam, potentiam Pharaonis, potentiúmque subuertisti imperium, superbiam, capita, dedisti eum escam populis Æthiopum, idololatriæ & apostasiæ,quę iis enutriebantur, fouebantúrque draconibus. Tum in escam hos relegasti populis Æthiopiæ,inferno nigro, obscuro,fœdo, & horrido, vltra Æthiopiæ fœditatem denigratis, fœdatis, quòd essent qui sicut cremium aruerũt, lumine fidei extincto, nigricantes, candore amisso iustitiæ,titiones facti carbonum instar, terra vallati, obducti terrenis, restincta fide, suffumigij & fœtore fidei extinctæ,graueolentis, molestissimo conscientiæ morsu,non experrecti fumo graueolenti luminis obrutæ,denigrati suffumigio fidei sine operibus, dicti esca Æthiopum,fomentúmque idololatriæ, tum peccati capita,mortẽ, culpam, pœnam, escam inferni,& Æthiopiæ dæmonum subegisti. Vocatur Pharao draco magnus ab spiritu Deo Ezechielis 29. c. iis; *In anno decimo,decimo mense,decima die mensis,factum est verbum Domini ad me,dicens:Fili hominis, pone faciem tuam contra Pharaonem regem Ægypti, & prophetabis de eo,& de Ægypto vniuersa,loquere, & dices; hæc dicit Deus Dominus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti,draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,& dicis, meus est fluuius, & ego feci memetipsum, & ponam frænum in maxillis tuis,& agglutinabo pisces fluminum tuorum squammis tuis,*

& extra

& extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squammis tuis adhærebunt, & proiiciam te in desertum, & omnes pisces; super faciem terræ cades. Vocatur Pharao draco magnus, iuxtaque naturam animantis; liquent hæc omnia, qui cubas in medio fluminum tuorum, in deliciis, in voluptatum affluxu, affluentiæ medio, in deliciis, vitiorumque humiditate superflua. Est humidi, termino proprio non circumscribi, legeve morigerari, docuit Aristoteles 2. de ortu & interitu capite 2. solúmque alieno arctari, vi quasi, & violentia, sese excedere, & traiicere continuò tentans, superbiæ draconis imitator, qui dicis, ego feci meme, mea sunt flumina, Lucifer alter, qui sibi adscripsit accepta & gratiosa, propriæque naturæ debitum reputauit; vitiis, squammis excrementorum, copia ex alimento confectis, qui gentes illicis, subditosque inficis vitiorum illecebris & philtris; squammæ in aquis splendent magis, affluentiaque rerum vitia eminent, firmantur. Draco marinus splendore squammarum pisces allicit, inuitatque quos posteà aculeis venenosis transfigit, disiicit & lacerat, quorum quibusdam vtitur in præsentia, in cibúmque acceptat, quosdam in posterum aculeis suspensos reseruat, dolore nimio, & veneno afflictos, atrocissimam inferens mortem, & crudelem, irretitis pulchritudine oculorum & squammarum splendescentia allectis, armatus aculeis, locis adductis colligitur autorum, Pharao vitiis plenus, lege solutus, attrahebat reliquos, vt simul cum illo inquinarentur, inficerenturque, eo capto dracone simul cũ illo pisces aculeis infixi venient, & cum Pharaone populũ trahere in siccum minatur, de aquis affluentiæ rerum, Deus ipse, hosque in superficiem terræ proiicere, in siccam terræ faciem, vt sint aliis exẽplo, terra

adhuc nō occuli, aut abdi ſinet, eſca volatiliū dæmonūq; Æthiopiæ inferni vt ſint, propriis vitiis, opulētia, potentia, terrenis, irritis, inualidatis, quibus occuli & abdi, quominus vltioni pateant, non poterunt, in deſertum, in remotiſſima adhuc, in Æthiopiam, vt ſint omnibus gentibus exemplum, monimētum: eſca, & alimentum virtutis ſunt pœna & præmium. Terreſtris draco & aquas ſubit frequentiſſimè, ibique degit, Elephantas captans, & piſces euorans eiſdem locis, extat ſquammis exornatus, & aculeis quibuſdam, quibus elucentibus piſces cōgregat, ſplendore concitat, & circumuenit. Tum in ſomno Mardochæi intelligitur cur draconum ſymbolo voluerit vti ſpiritus Deus. Eſther 10. & 11. c. vbi hæc cōtinentur. Et ecce duo dracones magni parati contra ſe in præliū. hæc c. 11. 10. verò hæc Mardochæus. Duo autē dracones, Ego ſum, & Aman. Viam ſpiritus intercipere tentat draco nexibus, dum pugnam aggreditur, aut cum dracone bellum inir, aut duellum cū aliis gerit, vt de Elephante diximus, ſuctuque allicere aues ad ſe, aëris tractu, qui eſt ſpiritus reſpiratione tractus, Mardochæus & Aman, non ſecus atque dracones dimicabant de via ſpiritus recludenda ſuſpēſione patibuli. Iuſtè Mardochæus Dei iuſſu & inſpiratu, propter ſcelera Aman, ille iniuſtè propter malitiam, inuidiam, & liuorem inſontis Mardochæi, præualuit innocentia, & in patibulo quod parauerat Aman Mardochæo, ſuſpenſus ille eſt, via ſpiritus concluſa, ſuſpenſus diſceſſit, dracoque Mardochæus draconi Aman, ſpiritus viam intercluſit, tum dracones vocantur, quod quilibet alterum minabatur cauda, morte, & vltimo ſui, ictu caudæ dracones plus multo capite feriunt & ictu, quàm rictu, diximus.

Natura

Naturalia plurima Draconis complectens, sensúsque cùm literales, tum mysticos.

CAPVT III.

DAnielis locus non minùs hac natura animantis 16
consistit c. 14. vbi legimus: *Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij: & dixit Rex Danieli: Ecce non potes dicere, quòd iste non sit Deus viuens; adora ergo eum; dixitque Daniel; Dominum meum adoro: quia ipse est Deus viuens. Tu autem Rex da mihi potestatem, & interficiam draconem, absque gladio, & fuste, & ait rex; do tibi. Tulit ergo Daniel adipem, & picem, & pilos, & coxit pariter, fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco.* Cùm enim glutinosa hæc essent & viscida, obturantia & replentia nimis, adeps glutinosa, & oleosa substantia, qua pollet, rancida præcipuè dum est, instigante, & irritante guttur natura nimis sensile, & ferens minimè eorum quæ viam spiritus obturare valent, & impedire, eius semper sollicita muneris, quod tanti interest ad vitæ tutelam, cordisque refrigerium, collum, inquam, alioqui strictissimum vasti animantis, vnctuoso, aëreo, tenui & viscido opplente, pice viscosa, & tenacis naturæ, cum adipe eliquata semel hærescente, pilis quod humore distentis nimis dilatentur, vt repleant, longitudinéque circumuoluantur adeò, vt deplicari non possint è loco irretitis semel, irritentque nimis, stimulent, dissectis partibus sectionis, acutis factis, dissectu in tenuibus magis, sectisque semel, coniunxit infarcientia nimis, quibus & obturamus ea, quæ tenues liquores tenēt, vt non possint extrà fluere, præcipuè in vasis ligneis, &

& aliis porosæ substantiæ. Obtulitque ideo draconi naturæ voracissimæ, dracones dicti, à quo Tragones eueniunt dicti ingluuiosi homines, idiomate Hispano, è græco τράγω trago, aut Hircus gulosus, vorax; mors, quod omnia deglutiat, illa *trago de la muerte* dicitur, vt & draco inde animans, difficillimi anhelitus, dispneum natura, & respiratus parcissimi, strictissimi oris, fistulæ instar, vt diximus, Enare animal, cui oris & narium loco, plicata foramina adsunt, molis ingentis, vastitatis immensæ, calidissimæ & æstuãtis naturę: (patet superiùs,) cùm hęc solũ habeat, quibus respiret illud, non suffectura animanti tanto, vltráque impedita respirationis via, glutine illo viscido, & crasso, diruptus sit draco, detẽto spiritu, nimio tracto conatu, tanto æstui tussi concitata animantis & lancino, pilis & rancido oleoso stimulantibus gutturis sensibilissimam regionẽ: hinc inde distentis præcordiis, vt aërem traherent in cordis refrigeriũ, non excluso postea infarta via, impedita & obstructa, glutinoso illo; quò crepuit medio corpore, distẽtus spiritus violẽtia, & impetu agitato. Scimus enim detentum flatũ, & terræmotus tremendos excitare, magnos mõtes subuertere, abrũpere animantia medio; id docent tormenta bellica, clauso & impedito exitu, agitato spiritu: coxit verò, vt incrassarentur ampliùs, glutinosaque vt fierent illa magis, incrassat coctio, & viscidiora facit quæ coquuntur semel, docuit Aristoteles 4. meteororum, c. 2. & 3. Galenus 1. aphorismorum aphorismo 7. quæ renuncians Spiritus Deus subdit, *& dedit has massas in os draconis*: nõ in ventrẽ, in os scilicèt solùm, glutinosa enim & viscida non potuere os transcẽdere, in vẽtrémve prolabi, œsophagũ aut pertingere, gutturi imò affixa draconem suffocarũt; ore enim agitur respiratio, naribúsq;

aër

aër in os venit priùs vt in guttur proueniat. Cùm tamen auidè draco hæc deglutiſſet, pinguis & adipoſæ ſubſtantiæ natura cupidus, quòd relaxet, & dilatet illa ſicca & ſtricta, ſtructura innata, complicata, ſaporeque illectus ſibi placido, grato & ſuaui, vnctuoſo, quò iis vtitur cupedia nimia, vt iiſdem locis fertur; hæc traxit ad fauces, caputque laringis, quas cùm concluſiſſet viſcu, orificiis obſtructis glutinoſa rerũ congerie, ſuffocatus obiit, laringis capite infarcto, internecione quantũ iuuari natura rerũ potuit, miraculo tamen obrutũ draconem, ſeſe ipſis his internecioni tardè ſuffectura. Lacheſim narrat Apuleius Cerberũ occupaſſe maſſa viſcida, & tenaci, infernũ ingreſsã, negotia Veneris & Proſerpinæ ſollicitãtem, naturis rerum fabula cõficta, vt veris rerum naturis fabuloſa ſuaderent, effigieve mentita veri, mendacium occuleretur. Eſt auidiſsimus draco ſanguinis, (ſuprà retulimus) adeps verò ex oleoſo ſanguinis fit, ſupernatanti, & pingui, concreſcente frigore, & coctione genito & ſuborto, adeps concretũ ſignificat pingue, & hoc frigore ſiſtit, cùm calore perficiatur priùs, & depuretur liqueſcẽs, poſteà congelato in partibus membranoſis corporis, natura frigidioribus reliquis, oleoſo & pingui concreſcente, docet Galenus 3. de tẽperamentis, & alibi. Hinc adipem expetit, quòd ſit ſanguinis pars prior, & elaboratior, aërea & leuis, ſublimior, ſuperior, aërem non minùs optat, quàm maximè, aëreaſque aues allicere ſuctu ſuperbus ille, natura, & malitia, ſuperiora deprimere obtẽtat, in ſuoſque relegare vſus, in vẽtrem, in propria ſibi, alia verò deglutit ſimul, vt deglutiat adipem, vt illo Danielis, pilos & reſinam: iis ipſis ſuperatus, & victus, ſine fuſte, gladio, vt promiſit Daniel, ſic ſe ſanguine replent multoties dracones,

vt eo ebrij venentur, ex aëreo quem ebiberunt potu ſanguine, flatibus ſpiritibus eleuatis plurimis, capite grauato, & pleno, obſtructis viis, vaporibus illis ſanguineis animantium, vini inſtar, diſtentioneque maxima facta medio corpore, vt dirumpatur flatibus iiſdem. ictu enim, impulſu, & diſtenſione crepant multa, aëre concitato concluſo, impetu & vehementia, vt crepuere qui Paralipomenon 2. capite 15. ad petram collidebantur. Crepuit imò Iudas Iſcariotes plenus ſanguine Chriſti, & pretio ſanguinis, iudicio ſibi manducato & bibito, non diiudicans corpus Domini. Draco ille periit ſuffocatus adipe frumenti, & ſanguinis, picem & fœditatem peccati ſimul deglutiens, pilos vitiorum, longitudinem conſuetudinis & habitus, eiſdemque miſerè obcrepuit, medio corpore, ventre & præcordiis, mollitie, molliori parte, vbi oſſa deſunt, & ſolidum, firmum, & ſtabile deſtitit, fidelitatis; impetu enim facto in pectore & pulmonibus, præcordia abrumpuntur, medium corpus inter inguina & alas, medio trunco & buſto, mollibus præcordiis diruptis, ventriculo & ventre abruptis, hoc corpus dicitur præcipuè in animantibus; docuit Ariſtoteles de communi greſſu animantium capite 2. Non ſecùs dirumpuntur dracones illi, qui rerum affluentia diſtenduntur, laxantur, adeò replentur adipe, & abundantia, vt crepent medio corpore, dirumpanturque ſeſe continere impotentes, quos nequit propria capere pellicula, imò vt molles & humidi, modo & termino carent, pſalmo 21. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* humidus profluxi vltra terminos, aquæ inſtar, vltra legem & rationis proprias hominis metas, & 72. *Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei*: tum pice tenaci & temporalium

rerum

terum glutino, pilisque & rebus extra hominis integritatem & substãtiam, accidentibus extrinsecis, apparentibus rebus detenti, medio crepant corpore, appetitu medio inter rationem & naturam animantium. Christi sanguine diruptus est draco, inebriatus, hausit sanguinem, suxit, vt posteà copia & virtute, abundantia dirumperetur (*vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* Paulus) dæmon, infernus, & mors desiere. Suscepit enim mors vitæ alimentum, quo mors periit, defecit cõmutata in vitã, cùm vitã
edidisset. *Ego sum via, veritas & vita*, Christus: Mors 17
ergo cùm vitam ingessisset Christũ, periit illa, vitæ metamorphosim passa, Deuteronomij 32. sic dicitur, ingratitudinem sæpiùs à Domino castigatã populo repetẽs, referens supplicia, quibus puniuntur beneficij immemores. *Fel draconum vinũ eorũ: & venenum aspidum insanabile.* De veneno aspidis c. de aspide diximus, quod insanabile sit, cuiusque aspidis tale venenum, fel omne epotũ inebriat, sensum remittit, & obscurat, memoriam adimit, & hebetat; quò antiquitùs (suprà diximus) myrrha vino permiscebatur, vt ignea natura, & fumida, simul cum aliis caput replẽtibus, obstrueret caput, repleretque, & apoplexiæ modo sensum partium aboleret, quominùs tormenta sentire possent eo potu parati, potus enim, tũ & modò parãtur morituris quæstionesque passuris, torturas, tormẽta laturis, crucifigendis, suspendẽdis, vt minùs doloribus extorquerentur, tum ne animus distraheretur cruciatibus, superaretque vires patientiæ, & mens minùs integra compungeretur minùs de delicto commisso distracta. Christus verò cùm gustasset vinum felle mistum, Matthæi 27. c. noluit bibere; oblatus, quia ipse voluit, ferreque mortem, & dolores cùm vellet; quæ hæc possunt retardare

respuens, aut imminuere quouis modo; gustauit tamen, vt adhuc molestiam illam non subterfugeret, at non bibit, ne essent impedimento doloribus & cruciatibus. Fel ergo inebriat, memoriam hebetat, qua accepti beneficij recordemur, præcipuè draconis calidissimi animantis fel, quod sanguinem elephantis expetere diximus, quòd sit frigidus elephas, melancholicumque animal, vt colore, actionibus & aliis patet, ingenio & viuendi solertia; bilis fel draconis ingratos reddit ebrios, extra se ducit homines, extra rationem. Fel ergo draconum vinum eorum, vt in pœnā delicti ampliùs obliuiscantur eorū, quæ liberalissima, munificentissimaque largi conditoris manu recepere, vt grati offendere illum recusent; potabunt enim pro vino quod memoriam auget siccitate & calore, docuit Galenus 3. de locis affectis latissimè, à quo posteri, fel draconum quod imminuit ebrietate, & repletione rerum fugacium, Abacuc 2: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius*, fel suæ obliuionis inebrians, vt aspiciat nuditatem, inebrians vt non teneri obligationis vinculo epotantem credat ille, videns nuditatem eius. Ieremias 3. Threni: *Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.* quasi in mea venit, & deprædatus me, ædificauit, & circumdedit me felle suo, sanguinem meum exoptabant, ingratitudine & obliuione acceptorum beneficiorum, & me oblitum laboris & afflictionum rerum fugacium, vorare curabant, sanguinemque exugere dracones ij, felle effuso priùs in me. Inebriat fel, ducitque extra se hominem, tū sitim multò maiorem auget potatum semel, sic siti inextinguibili torquentur ingrati, effræni appetitu, & insatiabili, in pœnam ingratitudinis. Sunt ij declinantes in obli-

gationes

gationes quos adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, permittetque inebriari felle hoc obliuionis beneficij accepti. Eſt fel draconis amariſſimũ inter omnia animantia, quòd calidiſſimus ſit draco animans, calidiorque ſuccus fel, bibent ingrati amariſſima, felque draconum; amittent enim ob ingratitudinem accepta. Eſt verò amarum magis, durius multò, poſſeſsionis amiſsio, quam non habiti actus priuatio, Eccleſiaſtici c.25. ſic: *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* de leone ſerpente locus extat, quòd inſidias paret magis animantibus reliquis, adhuc quiete maiori, & tempore placatiori magis, quando omnia ſilent, & quieſcunt. Hunc inſidiari mõſtrauimus, fraudes parare, inſidias tendere cauteloſum, verſutum ſerpentem. Parat draco animantibus maioribus adhuc Elephantis cæli auibus, aſtutiſsimus, auditus acerrimi & viſus acutiſsimi. Hæc in alia diſsimilis naturæ animantia ſæuiunt, liuent, iraſcuntur, rariſsimè verò in eadem ſpeciei eiuſdem; nunquam quaſi, mulier verò nequam in mari tum ſæuit, ſurgit, iraſcitur, in hominem naturæ eiuſdem, ſpeciei vnius, proprium; manſueſcũt conſuetudine dracones, frænantur maxillis, ſerpenteſque omnes ferè miteſcunt; manſueſcit verò nunquam mulier, in maritum irruit, parat inſidias, iurgia mouet, iras, rixas, non quieſcit, non frænatur, non ſiſtit. Eſt ergo facilius leoni, & draconi ſerpentibus commorari, quàm mulieri nequam. Obediunt hæc multoties homini, parent, cum illo quandoque amicè viuunt, ſiſtunt, quieſcunt, vt non iraſcantur ampliùs, & ſæuiant; non ſiſtit mulier, quieſcit, aut ſatiatur vnquam. Iob 30. hæc continentur, calamitatem, & miſeriam ſuam deplorans. *Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum* : fui pomorum auidiſ-

 ſimus,

ſimus, non ſecus ac draco eſt natura, expetiui pomum in Adamo; quò dicitur *fui. Maledixitque diem ortus*, id eſt, maledixit de die ortũ, culpæ reatu ortus ſum, ac ſi diceret, in reatu acerbiſſimi pomi, quaſi eiuſdem naturæ eſſem, & cupediæ cum draconibus, quibus à primo ortu adeſt pomorum auiditas, ſic ortus & natus ſum in pomi deſiderio Adami, frater draconum originali culpa, appetitu peruerſo, caudæ innitor elatus, ſuperbus, priùs cœleſtia vorare præſumo memetipſo, *eritis ſicut Dij*, Pharao alter, terreniſque, caducis & fugacib. hæreo, ſanguinis auidus, vltionis, vindictæ, paſſionũ, altiora peto, & ſuctu ſuperbio, altiſſima quæque ſuperare tento: vanitatem, vẽtum inſpiro, & ad me allicio ſuctu; acerrimo viſu curioſus, & auditu acutiſſimo draco, alios inficere auditu tento, Elephantes adhuc, & robuſtiſſimos quoſque, qui humeris pondus iuſtitiæ ſuſtinent, in peccato ortus, vt in veneno dracones lento & tenaci recocto igne æſtuantis naturæ, quod omnibus hæreſcit, in veneno viſcerum interno in Deum, & externo in proximum peruerſus, bilis & fellis torridæ intùs recoctæ & mortiferæ. Et ſi enim morſum parum venenoſum iniiciant dracones, intus verò venenoſi magis ſunt animãtibus reliquis, viſceribus & internis: macula enim peccati infectus viſceribus, & interioribus, externis fædus non minùs natura labefactata ortus, frater eorum fui. Et ſocius ſtruthionum deglutibam ſerpentes viuos, nõ mortuos, vt ſtruthio facit, & ibis ſuprà; cùm adhuc Chriſto nõ eſſent ſuperatæ ſerpẽtes, mors, infernus, dæmon, paſſioneſque noſtræ, & venenoſa ingerebam viua hæc; tum ferrum, ignem, non pertimui; ingeſſi verò, nec verſatilem gladium igneum Angeli paradiſi cuſtodis exhorrui, vt me ſubſtraherem à peccato,
com

commutaui imò durissima quæque, mortem ingessi pomi esu, defecit virtus commutandi mortem, & cõficiendi durissimumq́ id alimentum; vt draconi deficit pomis superandis, quibus dum se replet ille, confugit ad lactucas syluestres, iis expurgatur, amaro illo expurgatiuo, vomituque reiicit quę superfluè ingesserat: Deus iussit populo lactucis agrestibus vti, cum agno simul, & panibus azymis, Exodi 12. & Numerorum 9.c. nausea pomorum Adami, Euæque infestato lactucis amaris syluestribus, dracones vitant satietatem pomorum nimiã iis, expurgant enim amara detersiora virtute ventriculum, ventrem, & venas primas, vomituque reiectant succos glutinosos, & crassos infestantes ventriculum, nauseamque inferẽtes, crassitie & glutinosa substantia. Galenus comas absynthij laudat, aloëm & amara quæuis 2. per locos, & metho. 8.c.4. statuit. Dioscorides libro 2. c. 125. à quo & Galenus, & posteri, lactucas syluestres amaras, & detersiuas, purgatiuasque humorum crassorũ, visui aptas constituit, vltráque venereos appetitus coërcere, flatuum ventriculi discussione, vt eo firmato euomere sit facile. Esus pomorum vt recordarentur, lactucis vti pręcipiebat lex, tum quòd agnus crassos generet succos, & glutinosos, ideò azymo pane, sine fermento, detersiua virtute prædito, & exiccandi potentia illustri, celebri, leui & facilè coctili, lactucísque iis expurgantibus, incidentibus vti iussit, quantum ad naturam spectabat, illa præcipiens symbolo, & hæc non omittens natura, quando simul cum iis quæ ad animi culturam attinet, esse possunt; tum agnum in lacte matris decoctum prohibuit edẽdum; Deuteronomij 14. ne frigidius, crassiusque fiat alimentum, viscidius & tenacius, lacte frigido, agnoque viscido, & glutinoso. Septuaginta legunt

legũt Agnum, vt nos legimus; nobis enim est agnus, qui Iudæis hœdus; hœdus enim recens natum significat ouis fœtum, & arietis, immũda sorditie, & mucore plenum. Agnus verò iam patris vestigia insequentem, innocentem, & obsequentem facilè, & si hœdi nomine, capræ fœtus aliàs intelligẽdus veniat, agni verò nomine, ouis mitissimæ, & innocentissimę partus. Quò præcipitur eo loci, & Exodi 23. nõ conquere hœdum in lacte matris. Vltrà sensu spiritali, ne Christum Agnum coquas, dissoluas in lacte matris, suppositúmque illud diuinum, verum Deum, & hominẽ, in lac dissoluas, ne resoluas in lac, in naturã ex lacte, in humanitatem imò, & in diuinitatẽ simul, non in lac solùm; ne sis vitiosus, fretus lacte matris Deiparæ, Christum in lacte matris ne coquas, offendas, & stimules, irrites; nec sit tibi matris piissimę lac, maternitasve, condimentum, occasio, abusu irritans Christum, vorandi legẽ, & præcepta. Nec lac matris sit, in quo agnus coquatur & irritetur, ne qui eo lacte vtebatur amicè in homines, posteà acido illo malitia mortalium, vtatur rigidè irritatus lactis abusu. Iis
21 consistit locus Ieremiæ c.14. miseriam, famem, populíque afflictionem deplorans, ob commissa scelera, & patrata flagitia, inquit: *Onagri steterunt in rupibus, extraxerunt ventum quasi Dracones, & defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Asinos siluestres alimẽti defectu deperiisse docet, cùm tamen ij aliis animãtibus meliùs inediam ferant, & annonæ defectum. Hyperbole quasi miseriam & calamitatem populi ostendens, eorum exemplo, qui & si omnia peragrent, veloces & faciles, pabulo destituti periere, imò æstu defatigati, incendio, terræ squalore, rupes, altissimáque loca subiere, ventúmque traxere sicut dracones, quos monstrauimus suctu aues, volatiliáque quasi amatorio

rio philtro ad ſe allicere , innixos caudæ, rupibus altis, reliquo corpore erecto & celſo in aëre diſtento. Defecerunt oculi, deficiunt primò fame, & corrugãtur, marceſcit viuida eorum ſplendeſcentia, exoluta ſpiritali ſubſtantia ſplendida, & lucida facilè diſſipabili. Viſus deeſt primò eſurientibus, ideò & famelicis alimenti inopia, vt copia, infeſtantur fluxionibus, priùs lachrymis & fluxu; docuit Hippocrates 1. prognoſtici ſect. 3. & Galenus ibidem, Ariſt. 4. problem. ſect. 3. & pabuli defectu, triſtitia infeſtato, corde cõpreſſo, ad ſe euocante mœrore ſanguinem & ſpiritus, vt præſentia alimenti & cupiditate exhilarat; diſtenditur, dilatatur, effundit ſuccos in caput, oculos, & externa animantis, vt oculi creſcãt iis emiſſis, corde extenſo. Hinc, *defecerunt oculi, quia non erat herba*, fame & triſtitia. Cauda magnos ſuperat Elephantes, & terreſtria, cauda dirumpit, nodis, & flexibus, ictu, cœleſtia capite impetit, trahere tentat , rictúque offendere carnales, cauda, & appetitu, concupiſcentia erũpit, ſpiritales capite, ſuperbia, elatione, ſupereminentia animi: quos dũ vicit capite & ſuperbia, ligat cauda, vt in appetitus & carnis paſſiones prolabantur, in ventrémque draconis veniant, volantes aues cœleſtes alioqui , philtro & amatorio paſſionum irretitæ. Hinc draco ille Apocalypſis 12. c. rufus erat; dixi- 22
mus & dracones eſſe natura rufos, habebátque capita ſeptem. Hoc monſtroſum erat , vt & alatos inueniri dracones, & pedeſtres. Decẽ obtinebat cornua, monſtrauimus, eminentias, & tubercula carnea ſupra oculos conſita, cornuum inſtar draconibus adnaſci. Tum diademata retinere ſeptem eo loci dicitur; iubatos dracones, criſtatóſque eſſe attulimus, tot autorum ſcriptis. Inueniuntur hæc in draconibus plurimis natura vitiata, & euerſa. Capita ſeptem vitiorum erant,

erant, diademata septem, vt imperium vniuersale in quouis vitio notaretur. Est diadema signum imperij, & monarchiæ absolutæ in quouis vitio, ac si solùm esset quoduis, monarcha vnus, bellua multorum capitum, decem cornua, quibus ventilauit Syriam & peccatores, præceptis decem decalogi, examinauit illos iis, lusu iudicis ventilauit, vt in ignem reiiciat paleas vstiles, iniustos, exequutione sentẽtiæ agni iudicis iam leonis. Caudáque trahet tandem; priùs capite aggressus cœlestia, superbiæ capite, stellarũ cœli tertiam partem spiritualium hominum doctorum, eorum qui in spiritali vniuerso cœlum exornãt; fulgentissima sydera, astra, lumináque aliorum, trahet cauda, & passionibus carnis, priùs capite & superbia
23 infectos. Quæ omnia iuxta naturam animantis elucescunt; Apoc. 19. sic de dracone hoc: *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, & viui missi sunt ij duo in stagnum ignis ardentis, & sulphuris*, vt pœnæ magnitudo notaretur. Draco enim, vt Galenus refert 9. simplicium. c. de sulphure, odit maximè ignẽ, & sulphur abhorret natura, quòd cùm strictissimæ respirationis sit, extorqueatur nimis calore adaucto, & fumosa sulphuris exhalatione; fumo instigatus, quibus furit, & suffocatur calidissimũ animal, fumo alioqui plenum, & incẽdio flagrans. Non minùs draco hic mõstrosus Dæmon, sulphur odit, fugit, & perrimescit, ignémque. Quò exorcistæ Dæmoniacos priùs sulphure suffumigant, quàm dæmonem pellere tentẽt, Sprenger docet 3. parte mallei maleficarũ, quòd Dæmon cùm solùm agat applicando actiua passiuis, & mediis naturalibus causis, imò non agat ille intrinsecas mutationes rerum, sed quæ agant solùm applicet, vt latè suprà, ignísque sit actiuior omni natura corporea corruptibili, & sulphur actiuius omnibus aliis

aliis mistis substātiis, vtpote quod metalla transmutet, fermentet; possunt hęc sic corpora disponere, parare sic, vt dæmon non possit causas agentes inuenire naturæ, quæ has vincant, & superent actione, quo opere frustratus deserat, discedat. Est enim illum discedere, opere frustrari transeuntis applicitæ causæ, cùm ea loco moueatur causa, qua in loco est, corpora vt fugiat actiua hæc, tum quòd ligetur natura liberrimus; solum hæc duo imperfectissima corpora intelligere, quibus extorquetur eleuata natura horū agentium, & modo adacto quo spiritum crucient, & extorqueant, à naturæ magistro. Hinc hæc fugiunt, pertiment, quòd corruptibilior ignis sit, voracior, corruptiuáque magis causa naturæ totius sulphur, & quòd corrumpat sensus naturæ corporeę omnis perfectior pars, excelsior, supponatúrque materia metallorum omnium, vt fœmina adultera, & meretrix viris variis, quòd sit imperfectius, & quasi naturæ nullius, cùm facilè aliis subiiciatur naturis, his duobus imperfectis adeò cùm alligetur, mente vrgetur, & angitur, quæ habet odio, & respuit ille. Petunt posteà exorcistę precibus sacris iis factis, & gratia data desuper, dæmonium fugare, inepto facto corpore, quo minùs agat ille, causis applicitis: tum ne redeat, vt perfectè liberetur homo, & vt non impediatur opus illud ignis, & sulphuris, vitiis & peccati dęmoniaci, & tandem vt manifestentur opera Dei, sitque aliis exemplo, gratiásque Deo reddat, precantúrque ne hominem, etiam si non possit alterare intrinsecè nisi causis actiuis mediis, motu locali ne perdat se solo, ideò suffumigio facto, precantur, & petunt à Deo perfectum opus, & vt ea quæ natura nequit vltrà, perficiat,

Con

abditissimis syluestribus & semotis morantur, ac si media solitudine degerent, inhabitabũt Babylonem. Imo struthiones serpentibus inimici natura (monstrauimus, & de Ibi struthionis specie, quod gliscant serpentes, eisque vescantur) vt Dei vltionem exequãtur, iustitiamque summam, puniant vt ingratos, & sceleratos homines, amicè excipientur, & viuent cum draconibus simul: vt ij & illi iure hæreditario Ægyptiis succedant legitimi hæredes Babyloniæ, & ex testamento capiant scilicèt, gulæ & luxuriæ Ægypti, dracone enim effingitur luxuria, zelotypia solicitudine amoris, intensione qua deperit amata. Qui vltra naturam adamat, vltra suum genus redamat fœminas mulieres, viros furiis actus libidinis cœco impetu ductus: Struthio verò est gulæ effigies, non enim solùm alimento vitiosè repletur vsque ad nauseam & vomitum vt draco impletur, imò & quæ nullam habent rationem alimenti ingerit, vorat, ignitum ferrum, metalla ignita, vt hinc gula notetur, ideo capite 34. minatur Hebræis, & Babyloniis iis. *Ædes eorum erunt cubile draconum, & pascua struthionum.* Vbi cubile ad dracones refert, luxuriamque, pastum verò ad struthiones, gulam scilicèt: quibus duobus vitiis capitalibus reliqua alia continentur. *Hæredes* ergo legitimi ij *succedent parentibus, & patribus filij* in hæreditatem hanc & bona paterna. Habitant dracones domos libentissimè nostras, vt anteà diximus, fiuntque nobis familiares, & inquilini, superbas habitãtibus, magnificas & regias ædes, & ruinas desertas, quòd homines adament, quos disquirunt, aut sperant venturos; vocatur ab Spiritu Deo Aman dra conotauimus suprà, quòd à latere regis esset domo regali. *Tum pilosi habitabunt ibidem.* Satyri scilicèt natura pilosi, libidinosique illi; Columella:

Inter

Inter lasciuos Satyros, Panasque biformes. Ouidius 1. fastorum, *Panes, & in venerẽ Satyrorũ prona iuuentus.* Codrus. *Illo fortè die Satyri Nymphæq; salaces.* Luxuria Satyri scilicèt, hæreditabunt eos, saltabunt ibi solitudine illa, quam amant aufugientes hominum commercium ob suam deformem fœditatem, zelotypi ob hominum elegantem formam, & venustatem naturæ, psallentes vt Nymphis grati esse possint motibus, si non forma, vt concilient gratiam cum eis. Horatius. *Nympharumq; leues cũ Satyris chori.* Virgilius in Bucolicis, *Saltantes Satyros imitabitur Alphesibeus.* Hos vidit tales Antonius heremita, quã alloquutum cum illis fuisse testatur, lib. vitæ patrum 3. capite 10. Augustinus 3. de Trinitate. c. 90. etiam si adsint mentiti incubi Dæmones ea effigie frequenter, qui semine aliunde asportato coëant cum Lamiis & veneficis fæminis. *Saltabunt ergo & vlulæ respondebunt,* aues scilicet illę nocturnæ, quæ & flere & vlulare videntur, Hispanis, Cuclillo & Antillo, Italis Alocco, ἀγυλωψ, Græcis, tristissimę naturę, Virgilius 8. Eclogarum. *Certent, & Cygnis vlulæ.* sonum tristissimum edunt, formidabile, quo miseria eorum pernotatur, vlulatus afflictionum & miseriæ. Eæ enim aues solitudines non minùs petunt. Addit & *Syrenes in delubris voluptatis*, Augustinus aquatiles has fæmellas lasciuas, & voluptuosas, philtrum hominum, & amatorium perditissimum, affirmat vidisse, inundatione quadam ingenti mediterranei maris, iã emortuas, & vita defunctas. 2. de ciuitate Dei. cap. 30. Poëtæ plurima fabulantur de iis. fingunt eas filias Acheloi & Calliopes, habitantes mare Siculum, sursum versus virginea forma, postremò corporis pisces, cantus dulcedine sopire nautas, & sopitos demergere, aliis

in complices reseruatis, toto corpore quasdam humanam referre effigiem & formam, alij alia: Mantuanus. *Blandis neu des Syrenibus aurem.* Faustus sic. *Qui molles surda Syrenes præterit aure.* Crinitus, Marullus, Ouidius, alij varia; lasciuiæ & voluptatibus deditæ etiam succedent in hæreditatem & in bona eorum, in delubra voluptatis, ædes & templa idololatriæ, expetunt Syrenes inermia loca, & solitaria, aut maris profundum, natantes aut terram inuisentes, nuditate fugientes gentium commercia. Pilosi nomine etiam dracones pilosos intelligere possumus, deteriores, natura veneni cum Satyris adhuc, vt saltare ad Satyros solùm referatur, pilosi ad vtrosque. Sunt natura dra-
27 cones tales, retulit Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 4. c. 53. ingerere tentat Draco rufus natura, virgines, integra substantia illectus, & succosa, dulci succo plena, non vt corruptarum exucca & insipida luxu; quas priùs deperit, veneratur, colit; odio prosequitur corruptos, illarum ossa obseruat & custodit, si ingessit euomit illicò, reiectat, reddit, videre est pictura communi Diui Georgij, vbi ossa plurimarum Virginum quæ supererant, custodit vigilantissimè, carnes solùm virginales, mollemq; substantiã hians, virginibus altus; quas solùm deuorare præsumit, vt fami satisfaciat, plurimisque aliis historiis patet, hoc symbolo naturæ, vt manifestetur draconis fames in Virginem Deiparam, Apocalypsis figura, qua capite citato absorbere tentabat Draco, & matrem, & filium virgines, quorum carnes masticauit, attriuit laboribus, afflictionibus, doloribus, os verò solidũ integrum superstitit, omni labe & culpa immune, carnem afflixit dentibus, pęnalitatibus, tormentis, doloribus, solidum non attigit, ossa, animam, virtutes, dona, diuinitatem filij, *os non comminuetis ex eo,*

inanis

inanis imò morsus extitit, debilis, & eneruis, solidũ corporis, virgineumque Deiferæ matris non tetigit, eius quę permansit integra, vt erat, quæ vorauit, euomuit illicò; Dæmon & mors, dracones maximi, Christi sanguinem euomuerunt, vt euomit draco, si conficere nequit, humanitatem adhuc, Virginisque Deiparæ corpus, conculcato dracone, superato, & victo, inferno Dæmon, buccellam de manu Virginis sumpsit, qui de alia non acciperet draco, Christum sumpsit, vorauitque infernus, datus nobis de Virgine sacra ipsum morti obtulit, & consensit mori, obediens Deo, buccellam dedit draconi, mortique hunc morsum vt dirumperetut draco Daniel. Virgo dedit massam draconi, qua dirumperetur ille, Daniel Hebræis iudicium Dei, & sententia lata nostræ redemptionis, Incarnationis, summo beneficio, & gratia est. posteà & dedit Barbara virgo, draconem ingentissimum vicit aqua benedicta, historiæ sacræ Patrum enarrant. Linteo ergo puritatis amicta, velata pudicitiæ velamine, draconi obtulit filium virgo intacta, vt filij acquiesceret iussis illa, morsumque obtulit inferno, & draconi. Oseas 13.c. *O mors ego ero mors tua, & morsus tuus ero, ô inferne*; euomit draco alimentũ, morsúmque, omneque alimentum quod ingessit, non potuit capere finita potentia alimentum infinitum, nec retinere quæ recepit, hinc eiecit, Complicati medio corpore, capite & cauda liberis, flumina transnatant, & meliora pabula quæritant; dæmon dæmoni plicatur, capite semper libero peccati, & mortis cauda, vt feriant, petant humanum genus mortalium, melioraque pabula iustorum adeant, iis enim, non sufficit vnum vitij genus, vt auertantur, ideo plicantur, irretiunturque dracones, vt subuertãtur, & alterentur, transnatantes flumina lachry-

marum, & voti facti in aqua baptiſmatis ſacri, has aquas tranſnatant, gratiæque auxiliorum aquam, & rorem, flumina hæc copulati, plicati dæmones iniũcti percurrunt; ſciunt enim omne regnum in ſe diuiſum deſolari. Iis conuicit Chriſtus Phariſæos, vt non in Beelzebub dæmonia eiicere cõuinceretur, nõ enim plicarentur, iungerenturque dracones ij iam, vt tranſnatarent flumina aquarum legis gratiæ. Suaderentur enim mortales miraculoſis actis illis Chriſti operibus raris dæmonum expulſione, & abiectu, ſi in Beelzebub eſſet adhuc opus, Chriſti doctrinam ſectari, pręcepta cuſtodire, iuſtitiam, æquitatem, virtutes omnes morales, ſaltem vt omnia ius, nil iniuria foret, pauciora vitia vt eſſent mortalibus, aliorumque exemplo non inquinarentur, quibus aduerſatur dæmon maximè, vt peruertat Dei leges morum adhuc, æquitatis moralis, cùm quòd imitetur homo iis ipſis quodammodo ſupernas virtutes ſupernaturales, tum quòd iis vt decet ſeruatis, impertiat Deus illas, & immittat ſupernè, lege naturæ ſeruata, vt decet, liberalitate ſua. Non ergo plicarentur, diuiderentur imò dæmones vt deſolaretur eorum reſpublica, ſi ſic trãſiicerent legem gratiæ Pſalm. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* At quibus hæc fient, quove brachio, quo robore hæc tanta? dixit Iſaias c. 51. iis; *Conſurge, cõſurge, induere fortitudinẽ, brachium Domini: conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum, nunquid nõ tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem.* Vocat Chriſtum mediatorem, proclamat: Conſurge, conſurge, de ſolio æternitatis Verbũ veni, induere fortitudinem brachium Domini, potentiam & robur, diuinitatem oſtende, & fortitudinẽ manifeſta, indue hæc in bonum hominum ſaluator Deus, ſicut in diebus antiquis

antiquis in generationibus sæculorum, quando omnia per ipsũ te facta sũt Verbum, initio mundi, & in temporis generatione & sæculorum, vbi robur, potentiam commonstrasti. *Ipse dixit, & facta sunt*: sunt omnia per Verbum facta, percussisti superbum serpentem, maledictionibus, & opprobriis, & vulnerasti draconem dæmonem, quòd promisisti saluatorem gentibus, Pharaonisque deuicti exemplo, superbum, & draconem percussisse, vulnerasse liquet prædictis anteà. Aquilam diximus prædam arripere draconi è vnguibus, ipsũ nudare spoliis, & quæstu, occulta attentans lignũ arboris, cõcionatores sacri, cõfessores, trans lignũ crucis spoliãt dracones, dæmonẽ, mundum, passiones deprædãtur, surripiunt; vt Christus fecit arbore crucis; odit Aquilam Draco, quod cùm omnes aues in ventrem alliciat suctu, aquilam tamen quòd volatu petat quasi sublime cœlum, altissiméque peruolet, non valeat in ventrem euocare, tum quòd Solem ipsum intrepidè cùm inspectet, & contempletur facie ad faciem dum cum illo pugnam init, draconẽ voluere cogit Solẽ versus, volatu vario, vt prædã arripiat obcæcato & cæcutiẽti lumine, qui deluditur, idem mali Aquilæ cõtingere posse ratus, cùm hæc Solem intueri possit perspicaci visu, citra id quod lumine offuscetur, Solem inspiciens, hinc aquilã odio prosequitur delusus draco. Iusti qui in cœlum peruolant, solemque iustitiæ inspectãt, & vident, draconem deludunt præda arrepta, Solis intuitu; iis irascitur maximè draco, natura maior dæmõ hominibus, nõ fert Solem, abhorretque maximè, habet natura submissos oculos circũseptos tuberculis, & superciliis; at homo natura minor oculis minutioribus inspectat, & videt, furit draco, in naturã referens quidquid Solis videre potest in se, in naturæ

29

munimenta,& oculorum compagem, Aquila in solem reddit, explorat filios intuitu, ac si quæ sunt sibi, & quæ aquilæ magis videtur conceptus, progenies, soboles, sua credere nolit illa, vsque dum manifestè Sol ipse & declaret, accepta iudicat, non debita data, imò secus dæmon draco omnia citra Solis examen suscipere posse est ratus, sibique deberi existimat, eóque dementiæ venit, vt se factum putet non Deo; credidit Pharao dixit: Ego feci me me, dona non explorat Deo accepta, Sole, sed natura propriæ; hinc Aquilæ inuidet, & æmulatur, quod illa meruerit Solis influxu, quod ipse demeruerit malitia & veneno: reiicit ore plumas draco, & vorat alitem secretus, pronus, vt diximus. Vorant sanguinem proximi auari, sugunt, lingunt, post hæc plumas, inutilia euomunt, domos astruunt pias, hospitia, templa, sanguini pauperum multoties insidias machinantur denuò dracones malitia pleni, & veneno viscerum, vsque dum tandem venit Aquila, Dei iustitia quæ Solem iustitiæ inspectat, & surripit prædam, iustitiæque Dei exequutor mors, pignusque, aufert, hypothecam vitam cui innitebantur hæc omnia, & credebantur, vt capiat & surripiat mors. Draco medio aquarum aurem Elephantis aggreditur, quòd non possit illam promuscide, & nare tutari aut cõtingere, cùm reliqua omnia possit ille. Auditum fidem tentat Dæmon euertere, medio aquarũ baptismatis Christicolarum, medio adhuc, se vertit ad Solem Elephas vt Draco aquarum lumine cæcutiat, aures versus cœlum erigit cum capite simul, vt Draconis irritos faciat ictus Elephas, qui genua flectere nequit, religiosum animal, expers idololatriæ, qui capite submisso cœlum, astra, Solẽ, cœlestia colit. Credere tenentur mortales, quia Deus dixit, in cœlumque aures extollere cũ capite

Christo, viribus enim solius naturæ, hæc tueri nequit, neque audire mysteria, imò audita inficiet Draco, si in cœlum non porrigat aures, & oculos. Draco natura venenosus morsu non est, vt nec natura Dæmon, inficitur verò, esu venenatorum, vt infectus est Angelus superbia, homoq; superbia & pomi esu. Alia iis patent.

Draconis amores continet, naturalia, & mystica.

CAPVT V.

DEperit ardenter pueros, amat & Virgines, carnesque incorruptarũ Draco, quib⁹ vescitur, ossa cooperit & reseruat curiosè nimis, odit corruptas, & cinædos fugit, adamat pueros, quos ingerit tandem, puerum expetebat Virginis, Apocalypsis citato, & Virginem tulit subactus, & victus, cùm ipsam priùs odio prosequeretur, quam matrem cùm nosceret filij pueri, non iudicabat Virginem, naturæ viribus, quòd repugnabat, caudæ innitẽs, capite superbus, impetere nitebatur, peccati notare labe, vsque dum Virginem cognouit coactus & inuitus, omni potentia & præuisione, quibus subditus & frænatus illi obediuit, quòd Virginem cognouisset iam illi dorsum commisit frænatus, mitis. Hic imò illud maximè notetur, quod Ælianus ait libro sexto capite 15. & celebrat antiquorum historia Polycarpi lib. 7. cap. 90. Dracones ictus acerbiores infligere, venenososque magis, euoratis mansisque ranis, quarum sunt auidissimi, quæ capite de Aspide diximus, & eo loci dictis cohærent; tum & iis, quæ dicuntur Apocalypsis 16. iis: *Et vidi de ore Draconis & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ, spiritus tres immundos in modum ranarum.* Vt venenum notaret tetrum

tetrum, & fata Draconis, Spiri tus Deus, qui ranas vſque ad vomitum ingeſſerat, oriſque eiectionem: Tres verò euomit ranas, triplici dentium ſerie dentatus ille, monſtrauimus, quibus ferit, & venenum diffundit venenoſis refertus cibis priùs, ex Homero tradidimus, quo Draco venenoſus extat, natura innocuus alioqui, facilis & eneruis veneni. Sunt homines natura & Dæmones perfecti, malitia verò & alienis deuoratis, venenoſi & virulenti, pomi enim alieni eſu cecidit homo gula, & ſuperbia vt draco alter, Dæmon ſuperbia, & inuidia aliena optante, propria diiudicans malitia, & odio. Sunt enim ranæ venenoſæ plurimæ natura & loco, Rubeta, Bufo natura mutæ, & ſilentes, frigidiſſimique veneni, quæ iniuncta garrulis reliquis non venenatis, illas inficiunt concubitu, venerem dum explent, docet Dioſcorides libro 2. & Galenus docet 6. Simplicium: Paulus, Ætius, Auicenna, reliqui. Lacus, imò lacuna, ſtagnus, aquæ graueolentes, venenatas generant communes, quarum eſu interiere plurimi. Eſt iis cautè vtendum, ſobriè præuiſis adhuc. Tres ſpiritus immundos, reiectauit ore virulentos, & tetros, carnem, mundum, dæmonem, quibus (ſubdit) Reges trahuntur: ſapientes, heroes, nobiles adhuc, trahenturque ante Chriſti aduentum pſeudoprophetæ illius, Draco enim amoris proprij, iis tribus fouetur, ſubcreſcit, ſubuertit homines, non ſolũ vulgares, Doctores imò aliorum iure, Reges: vocauit Ariſtoteles ſapientes Reges iure, qui alios regere & gubernare queunt, alios natura, natu fortuna, & caſu Reges, & quibus non fecimus ipſi. 2. Politicorum cap. 9. iuſtos adhuc, ſapientes, doctos: ſummæ virulentiæ ranas reiectauit beſtia illa, bufones, rubetas natura infectas, & ranã virulentã, infectione aliarũ, fœdoque accubitu natã:

Nulli

Nulli animanti venena aquis non miteſcunt diluta, præter quàm ranis, quibus increſcit aquis, locíſque humentibus malitia, & virus, Behemotque animanti, de quo infrà: ranas pſeudopropheta, beſtia, draco, ore garrulas, loquaces, venenatas, ſūmæ virulaginis. Eiectauit tres immūdos ſpiritus, philtris, garrulitate, & dicterio ſubducentes mortales, tum hypocriſim, ſuperſtitionem, fauorem, quibus omnia ſubuertit draco virulentia ingenti, quibus trahuntur Reges, nobiles, docti. Sapientiæ cap. 16. de iis quæ Dei populo contigerant in deſerto, & fuga Ægypti memoria reuocata, Deique ſummi beneficiorum hiſtoriæ repetita ſic dicitur: *Filios autem tuos, nec draconum venenatorū vicerunt dentes; miſericordia enim tua aduenies ſanabat eos.* Hæc de Draconibus Africæ dictum intelligo, qui ſunt venenati regionis æſtu, incendio, & ſquallore, alimentique calidiſſimi vſu, aquarumque defectu, quibus venenum eluitur, & temperatur, miteſcit. Scimus enim angues aquatiles, & ſi eiuſdē naturæ cū terreſtribus ſui generis, ſecuriores eſſe veneno aquis deluto: increſcit verò re coctum æſtu & igne, imò quæ venenoſa non ſunt natura, recocta, & igne depurata, venenata fiunt, vt argentum viuum, cuius aliqua quantitas accepta, non nocet, eadem ſūpta ipſius recocti, & ſublimati, interficit breuiſſimo ſpatio, & hæc quantitas, portioque aquis diluta non interficeret, aut minùs noxia foret. Non ſecùs Draconibus contingit, quos cùm veneno conſtituant omnes remiſſo, & debili morſu, & dentibus, venenatos dētes africos continere ſciunt regione & ſitu. Ex Africa verò fuiſſe aduectos primo lib. ſuaſimus, præſertim cùm ſunt dimicaturi, virulentos adſtare, quod tunc venenoſis ſe repleant (monſtrauimus) vt venenoſi & virulenti ſuperſint, virentibus, her-
bíſque

bisque venenatis, ranis animantibusve infectis mansis. Erant verò dimicaturi eo loci contra autoris naturæ offensores, flagitiososque homines; vt fuere ibi, qui serpentibus puniebantur: naturale est instinctuque cognoscit animans quod sibi inimicum & hostem, ouis lupum, mus felem, pullus miluum, cognoscuntque animantia, & creaturæ omnes, autoris naturæ aduersarios, & legum transgressores, natura sic ordinata, autore legis vniuersi dum opus est, quo Dracones venenabantur virulentis, vtpote cum inimicis & aduersariis pugnã inituri, natura, naturalique instinctu, Deique iussu & ordine. Hinc signum positum est Cain, & petitum ab eo est. Geneseos 4. cap. Cũ enim iam ille inimicus esset Deo morte Abel iusti patrata, scelere tanto cõmisso dixit. *Ego vagus, & profugus in terra, omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Omnis, inquam, creatura, quò posuit signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. Suspicor piè, crucis signum fuisse illud, quo nos vtimur hodie, super naturam ductu, dum auertere mala paramus, & fugare hostes, hoc signo munimur. Dracones cõnumerat inter serpentes immissos in populum eo loci Sapientiæ. Numerorum 21. capite, & Deuteronomij 8. serpentes immisisse, vbi Dracones in eo genere vrentium contineri, ignitorumque videntur, suntque eo ordine contenti, non quòd ore virus reiectent strictissimo, impotẽtes rictu, imò excrementorum expulsu venenato, monstrauimus suprà; inficiunt, vrunt, obcæcant, non secus ac vulpes canes, illi miserrima animantia, ingentesque Elephantes, & Tauros, biliosis excrementis emissis & propulsatis. Bilem enim veneno atrocissimo pollere eorum ediximus, caustico & exedenti, tanti ictus, vt cauda ignem

gnem generare valeant arboribus alligati; commotione, & attritu, confricationeque eorumdem, vt iis solùm syluas integras conflagrasse constet, non secus ac si salicis ligna vehementer ad inuicem affricemus, ignem generari videmus, lumbosque fellis si attrectemus scintillare, & caput hominis perfricatum loco tenebroso elucere, scintillasque emittere; carnes mortuæ, noctu perlucent, putrescentes magis, igneis exhalationibus ascendentibus, abeuntibusque in ignem, & degenerantibus, motu & attritu in exitu, & poris dum exibant confricatis depuratisque exitu à reliquis, non vstibilibus crassitie, flammula non secus, ac ventilatione eminente, & extenuatis. Hinc poëtæ, Dracones ignem euomere dixere; & quid mirum, quòd vastum hoc animans fortissima respiratione vsus, vehementissima & maxima, strictissimis fistulis respirante, ira & incendio flagrante, agitato, motu defessus, aërem ore strictissimo emissum, attritu, & collisione vehementissima extenuet in ignem, fuliginesque & exhalationes ignitas quasi, quarum est refertus, & anhelitu parcissimo igne, faciat & vrat, vt flagrent incendio. Nec ideo illos eo igne perituros, quòd sufflatione expellant adextra, ore & naribus, vrere vt possint alia ipsi incolumes, non secus ac illi, qui lucernæ flammam imbibunt, citra noxam insufflantes, inspirantesque ad interna in tropeliis & ludis, & natura prouida, quæ struthios ea temperie muniuit tunicarum; & membranarum ventriculi, quibus & os & œsophagus ambiuntur, vt ingerant sine læsione ignem, ignitumque ferrum, Amianthus imò lapis ignem respuit medio incendio, & rogo, incalescens numquam, qui & si igne

si ignescat, non calet, plurimaque alia, vt muscæ volatiles in fornacibus Cypri medio igne diximus, non secùs dracones veri, igne non vruntur, ore & pulmonibus eam temperiem nacta;hæc immunia & libera cùm supersint. Vrentes ergo veri Dracones dici queunt, quòd euomant ignem verum,substantiamque igneã. Solinus in Polyhistoria mediis æstibus, igne medio,gigni & conseruari docuit c. 33. Ieremias c. 51. *Absorbuit me quasi Draco,repleuit ventrem suum teneritudine mea, & eiecit me.* Draco & si à verbo dicto, quod est Græcis acutè cernere, aut à ciuitate Dragos dicta etymologiam trahat suprà:nòn minùs τράγως, Latinis, haustus. Hispanis, trago, & Græcis, quo & tragones vocamus voraces, & edaces homines, idiomate Hispano, diduci potest, Draconesque,dragones,quasi vt euocemus,ob immodicam ingluuiem,qua vsque ad vomitum se replent (elucescit dictis) Hinc tragœdiam dicimus,genus illud grauissimum poëmatis, quo Regum Principumve calamitates,mortes,infausti euentus depingũtur,quòd hircus præmio illis donaretur, aut hircinus vter vino plenus, qui hoc genere poëmatis claruissent. Horatius de arte poëtica: *Carmine qui tragico, vilem certauit ob hircum.* Est enim hircus voracissimum animal. Hircusque Græcis τράγως vocitatur, vt & tragum,haustumque mortis dicamus; qui enim moriuntur, in mortis vltimo deglutiunt quasi, ac si haustu mortem deglutire videantur, quò mortis haustus appellatur,trago, ac si morientes notare velint mortem glutitu,esu pomi acerbi venisse,culpaque mortalium terribile illud spectaculum,& crudele, *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum:* Creauit enim, vt essent omnia, inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum,

Sapientiæ

Sapientiæ 1.& 2.c.deglutiunt ergo dum moriuntur, vt homines mortem deglutiisse cogoscanr inobedientia & malitia, ídque deglutione euenisse. Paulus ad Romanos 5. *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Haustu ergo mortem deglutimus quasi, quia esu mortem deglutiimus: nascimur inspirantes, obimus expirantes, expulso aëre priùs ore reserato, & naribus suscepto & tracto opere, & actione, pulso posteà horum compressione, plicatis musculis, complicatísque laringis & œsophagi, pectorísque & aliorum, eglutimus pressura, & expiramus œsophagi & laringis laxatis & dilatatis, posteà emortuo animanti suo pondere ruentibus, in eum positum quo sunt, dum ingerimus, compressis grauitate. Deglutire videntur expirantes, exhalantésque animam pressu eorundem & casu; inspiratio enim actione fit, & musculorum subleuatione; sustinentur enim instrumenta, & partes quibus inspiramus, opúsque animantis est, renitente instrumento, pondere; viuere verò ab actione incipit, & eleuatio compressionem supponit, vt vitalem actionem præcedat naturalis, violentóque quasi operi saltem contra peculiarem naturam grauium, præter eorum nutum particularem, ascensui elationíque respiratus præit naturale, & animalem actionem actio naturæ; generantur partes ociosæ, agunt posteà actionibus animæ, imperfectius supponitur semper perfectiori. Hinc priùs inspiramus, post ocium & compressionem naturæ semel genitę. Draco ergo à trago Græcis, τράγω, quod est sorbitio, aut haustus, dicitur, ob ingluuiẽ nimiã, quia absorbet sanguinem integrum vnius Elephãtis

MM m vice

vice vna, ſuctu fiſtularũ; veri Dracones dicti, ſanguinẽ exugẽtes, alij dicti cõmunes ore ampliſſimo ingerẽtes, non ſecùs ac Booa ſerpens totũ bouẽ, imò equũ, & equitẽ maxillarum incredibili capacitate, integrũ Elephantum; facillimi vomitus, quòd inſecta ſint animantia, præcordiis ſuccincta, ampliſſimi vẽtris, & œſophagi patentiſſimi; quorum venit intelligendus locus Ieremiæ; qui cùm ingluuie tanta ſatientur, vt vſque ad nauſeam repleantur, ingeſta eiiciunt poſteà integra abſorpta ſolùm. Replet enim ſeſe priùs, ventrémque capacem, adhuc ſine indigentia cibi frequenter, vt reſeruet in poſterum eglutita, & ingeſta, quæ ſine maſticatu deglutit, cùm ea facillimè in os reiiciat è ventre dum licet, ruminétque ventre vno ſolùm, contrà ac ruminantia omnia, greſſibilia, quæ duobus ruminantur ventriculis; vt hinc integra reiectet, & euomat moleſta, & infeſta ventriculo facilè nimis, ſi opus eſt, amplitudine grandi viarum, vſque ad os; quæ egeſſit multoties, non ſecùs ac vaſta alia animantia, & ingentia, alimenti grandi quantitate cùm indigeãt, prouida natura iis muniuit, vt ſeruent indigentiæ tempore ventre ipſo quæ mandant poſtea, vel reiiciant; vt reſeruant alia minora, quòd guloſæ naturæ ſint, varia variis receptaculis eſcam, ſimia buccis, ore, & papulis, ruminantia omnia rumine dicto ventriculo, aues gutture, branchiis piſces, alia aliis. Hinc dixit, *& eiecit me*, teneritudinem ingeſſiſſe renunciat, ſanguinem ſcilicet, cuius draco eſt amiciſſimus, adipem, carnes, alia tenera, teneritudinem ab oſſibus, omnia alia diximus gliſcere, ſolum oſſa relinquere, quę ſi ſunt Virginis, occulit, & humat terra, ſecùs, inſepulta relinquit. Teneritudine ergo mea, carne, ſanguine, repleuit ſe dęmon, molliori noſtra parte, fœminea, & facili ſe replet, reiicit poſteà in ignem

ignem ille, & odio habet; repleuit se iis mollibus & fœmineis in hæc potuit, hæc afflixit, extorsit, dura tamen & solida ossa, non potuit alterare iustorũ, cõmutareve mentis rectitudinem, animum, rationẽ, fidẽ, ossa, quò eiecit me, vt eiiciuntur cruda, & quæ ventriculo sunt incoctilia, insuperabiliaque, talia qualia recipiuntur. Eiecit me integrum cùm absorbuisset, non masticasset. Sunt oris debilissimi dracones, masticatoriis musculis, debilissimisque structi, quò absorbent, & non masticant, gliscunt, & conterunt ore debilissimè, triplici dentium serie dentati, vt cùm debiliter adeò conterant dentibus, quæ ore retinẽt, hos si subterfugit quidpiã, illis vt masticetur, & morsu prehendatur, horum illorumve dentes, imò sese impediunt opere, multitudine, & confusione passim, & cùm nimis deuorare ostentet, debiliter satis ore conterit, quod colligitur oculorum magnitudine, cerebríque superflua humiditate, qua minùs firmiter musculi emouentur, & qua abundat, qua & excrescentiæ carnis pullulãt super oculos, mẽto, barba, adnatísq; capitis aliis id manifestantibus, quibus cristæ iubæ, aliáque insunt longissima, quæ omnia humiditatem nimiam arguunt, & manifestant, quibus motus masticationis debiliter agitur; humor enim nimius motum impedit animantium, cùm non constent sibi partes, quando inflectantur, nec stent motu, hinc pueri molléque fœminæ minùs certò mouẽtur, consistentes verò, & iuuenes firmiùs, quod ficciores: hinc Draco caudam ficciorem capite vehementiùs agitat, sunt potentiores ictu, quàm rictu, suprà diximus. Hinc non mandit, sed absorbet integros boues, & draco maxillis debilibus deglutit. Draco igneus infernus Christum descendit, & ad inferos integrum eglutiuit. Insuperabilis verò cùm esset,

tantúſque ipſe, Deus ſcilicèt, vt omnem capacitatem ſuperexcelleret, dentibus Draconis, ventre potentiáque inferni maior, durum draconi alimentum, integrum, illæſum reddidit deuicto Dracone. Allegoria deplicari poteſt his locus ille Sap. 11. *Sitierunt, & inuenerunt te, data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro.* de Chriſto lapide altiſſimo, *petra autem erat Chriſtus*, qui de monte æternitatis deſcendit, vt ſtatuam Nabuchodonoſor quaſſaret, mundi ignorantiam, inſipientiamque, vt contereret dracones hos, qui abſorbere tentant omne mortaliū genus, ſiti ſacra, fameque appetitus inſatiabili, & dira, ſolùm ea aquá extinguibili, & placabili Chriſto aqua viua. Cōmutare ergo non potuit tantum quod ingeſſerat alimentum, inſuperabile, & durum illi; ex quo duro & inſuperabili lapide aqua fluit, & potus ſalubris, & integrum reiecit. Imò cùm non ſolùm reiectet vomitu, ſtimulatus draco quæ ingeſſit incoctilia; at & cum iis alia retenta, & detenta priùs ingeſta, & vorata, ſic & quæ continebat infernus cum Chriſto ſimul euomuit; patres antiquos qui depoſito tenebantur, carcere illo nobilium, ſic terra dum aquam imbibit ſpiritu elato finditur, & dirumpitur Solis radiis, vt pateat exitus, quà non erat priùs, aut exitit illâc, montes commouentur loco integri, potentia ſpiritus elati Solis tepore. Eſt infernus diruptus, dracoque ingens eglutito Chriſto, gratia noſtra, & angelorum aqua, & refectio, Solis iuſtitiæ radiis, diuinitate, elato ſpiritu aſcendenti in cœlū, & aſtra, reſurrectione mirabili infernum dirupit, draconem & mortē, in ſpiritu diuinitatis, ſpiritus Chriſti. Iratus draco ſaxa abrumpit, Solem obſcurat cauda delato puluere, terram aperit, terræmotus concitat, iratus infernus, draco inſtigatus, morte quòd Chri

Christi via cæli reseraretur, saxa rupit, Solẽ obscurauit, recluso inferno, visceribus terræ commotis, & diruptis, Christus humanitatis escam obtulit, vt auidus deglutiret infernus, hamo diuinitatis illusus, captus, occulto in cruce, morte, & patibulo
Christi, de Dæmone ad literam dicitur psalmo 90. 34
Draco iste quem formasti ad illudendum ei; Draco enim voracissimus cùm sit, omnia indistinctè gliscit, simul cum eo quod iudicat sibi alimentum picem, pilos vorauit cum adipe simul, Danielis citato. Christum cum morte, cum humanitate diuinitatem, cum homine Deũ eglutiit, quæ illusus euomere fuit necessarium, dirumpi imò: aquæ humentia, vdaque loca abyssus dicuntur sacris scriptis, vt videre est Geneseos 1. capite. *Tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas*; & dracones aquis cùm immorentur, terrestres adhuc, longóque tempore ibidem degant, amphibiæ naturæ, dum est illis aquarum copia, sintque, & maiora totius naturæ animantia, vt pote quadringentorum cubitorum magnitudinis, & maiores, vt c. de Leuiathan, & inter aquatilia, cùm nullũ sit æqualis veneni, & virus, psalmo 148. dicitur: *Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyssi.* Omnes ferales draconum specus & habitacula. Numerauit verò inter animantia, hæc primò, quòd sint vastiora reliquis omnibus, potentiæque insuperabilis quasi, naturæ viribus. Animalia enim maioris veneni, & potentiora Deo subdita ipsum venerentur, colant, pertimescant, laudent, natura, actionibus, non secus ac conceptibus, verbis, mortales; sic rebus consistentia esse, opere, actionibus, summam Dei extollant sapientiam, verbũ magnificent, per quod omnia facta sunt, quod omnia vestigio, figura, imagine æmulantur, non aliter ac

prototypus & exemplar, laudatur tranſlatitiis imaginibus, vt iis excitetur homo, & in laudes prorumpat tanti artificis & conditoris.

De Leuiathan ſerpente.

CAPVT VI.

35 ISaiæ 27. cap. ſic: *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt.* Iob. 40. *An extrahere poteris Leuiatan hamo? & fune ligabis linguam eius?* Difficile ſatis intellectu eſt, abſtruſum nimis, qui ſerpens intelligendus veniat Leuithā nomine. Serpentē enim eſſe Scripturę ſacrę locis adductis, aliiſq; colligitur, tortuoſū, tū vectē cùm vocet Iſaias ſerpētē; quis verò ille fuerit, qualiſve Leuiathā dictus, eſt vndique implicitum priſcis, & recētioribus, quæ ſi deplicare poſſimus, hic eſto initiū. Leuiathan nomē לויתן duabus coaleſcit partibus, Leui, & Ethā, He in Aleph, Ethāq; in Athan verſis tēporis tractu, vt vſu vocum experimur quotidie veniſſe. *Leui* Hebræis eſt copulatus, aut hærens ſibi, *Ethan* vomer, aut aratri roſtrum, quo terrā findimus; quò Leuiathan Hebræis, copulatus vomeri, aut ſibi adſtrictus, copulatus ſibi interpretatur; nam vomeri incumbens, fert onus, laborem ſuſtinet, vt ſit vtilis ſibi, vt in ſe cedant quæ molitur, & agit in ſe, impedit opus ruſtici inſtar, contrà ac politici, qui in bonum commune tendit ciuitatis, & politiæ. Geneſeos 29. deſpecta Lia filium primum ſibi conceſſum à Domino, cùm referret in Deum iis: *Vidit Deus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Voluit

Deus

Deus vocari Ruben, ſeu viſionis Dei filium. Tum à Deo ſecundum fuiſſe cùm fateretur ſuſceptum, iis, *quoniam exaudiuit me Dominus* haberi contemptui; dedit etiam & iſtum mihi. dictus eſt *Simeon*, Deive exauditio. Tertium verò in Deum non retulit; ſed præcisè dixit, eo accepto, *nunc quoque copulabitur maritus meus mihi, eo quòd pepererim ei tres filios*, & idcirco appellauit *Leui*; copulatum ſcilicet ſibi, quem in ſe ordinauit, vt ei maritus acquieſceret, non referens gratias Deo, illumve autorem compellans, quæ cùm cognouiſſet quartum appellauit *Iudam*, id eſt, Dei confeſſionem, quem à Deo eſſe his retulit, *modò confitebor Domino*; & ideo vocauit Iudam. Leui ergo ſibi copulatus eſt, Ethan vomeri, terrenis innitens rebus, terræ affixus, illectus amore proprio, ſibi cultor, ex quo Leuiathan venit ſerpens, reptant enim terra ſerpentes, diximus, motu, ſibi innituntur, coſtis, ingreſſu, partes partibus, terræque inſiſtunt, corde, pectore, terris repunt, ſerpunt, ſe colligunt, vt dilatentur, copulantur ſibi, quæ vltra omnes Leuiathan inſunt omnia natura (infrà.) A Leui Leuitæ duxere ortum, copulati, addicti, confæderati inter ſeſe, qui fuere de hac tribu, vt videre eſt Numerorum 1. & 2. cap. quibus datum erat, Tabernaculum ferre, ſtruere, aſtruere, noctis excubias ſeruare, inquirere, exquirere. Significat ergo Leuiathan ſerpentem ſcriptis ſacris, & ſi negotium videatur nobis faceſſere Eſdras libro 4. capite 6. lectionibus illius libri, 36
quem inter apocrypha ſcripta renunciant multi, qui vniuerſi totius Geneſim deſcribens, in hæc verba tandem prorupit: *Et tunc conſeruaſti duas animas, nomen vni vocaſti Enoch, & nomen ſecunda vocaſti Leuiathan, & ſeparaſti ea ab alterutro. Non enim poterat ſeptima pars, vbi erat aqua congregata.*

capere ea, & dedisti Enoch vnam partem, quæ siccata est tertio die, vt habitet in ea, vbi sunt montes mille, Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam, & seruasti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis. Vbi Leuiathan animam vocat hominem, scilicèt partis nomine totum complectens, continentia, & synecdoche. Et si liber hic apocryphiæ quàm plurima obtinere videatur, quartus tamen nec nostra subuertit, nec est minus, quò Leuiathan serpens non sit iis intellectus semel. Dicit ergo: Quando hanc totius vniuersi machinam struxisti, eo sæculo tunc, duas animas, homines duos conseruasti, vltra leges naturæ communes, nomen vni vocasti Enoch, de quo Geneseos 5. dicitur: *Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus;* & *nomen secundi Leuiathan*, id est, Elias, quæ vt elucescant, 4. Regum 2. capite sic extat scripto. *Elias dixit ad Elisæum, postula quod vis, vt faciam tibi antequam tollar à te, dixitque Elisæus: Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus; qui respondit; rem difficilem postulasti, attamẽ si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiisti, si autem non videris, non erit. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Hæc erat secunda anima reseruata, Leuiathan dicta, eo quòd fuit sibi copulata; hæc enim Leuiathan significare diximus; copulata sibi: at in spiritu, quo est Elias Leuiathan dictus, quasi spiritus copulati, & duplicis scriptis sacris, vt dicitur eo cap. fuisse, nexuit enim spiritum spiritui, præstabat spiritu prophetiæ, tum spiritu potentiæ & gratiæ miraculorum. Paulus 1. ad Corinthios capite 12. *Alij quidem in spiritu prophetiæ, alij per spiritum gratiæ, virtutum, sanitatum,*

tum, linguarum genera, sermonum interpretatio, & Matthæi 12. Christus, *in spiritu Dei eiicio Dæmonia*, quod eo loci colligitur planè; cùm enim aquæ percussæ Eliæ pallio, non cederent, percutiente Elisæo, clamauit Elisæus, *vbi est Deus Eliæ?* Quò illico fuere bipartitæ aquæ. Quod cùm vidissent prophetarum filij, fassi sunt, requiescere super Elisæum Eliæ spiritum, prophetiæ, & miraculorum, duplicemque spiritum nactum, ideóque Leuiathan nomine insignitus, sibi in spiritu copulatus: excelluit enim spiritu, quo in Deum, & proximum ferebatur, quibus vniuersa lex continetur. Octo enim, si bene numerentur, fuere Eliæ miracula, decem & sex Elisæi, vt spiritum duplicem obtinuisse constet iis adhuc, hinc *Elias* Hebræis *Deus fortis* interpretatur, fortis spiritus duplicis, copulati, aucti, quasi Leuiathan scilicèt. Subdit Esdras, *& separasti ea ab alterutro, vnũ ab altero* diuersis institutis & officiis, *& dedisti Enoch vnam partem, quæ siccata est tertio die*, vt dicitur Genes. 1. nam & si tota terra tertio die exaruerit, at ea ex parte, qua est consitus paradisus, primò emergere cœpit, & apparere primò; cùm loci dignitate, positione & situ, excellentia, altitudine excelsior, vt nec ventorum procellis disturbaretur, & turbinibus, solùm aura placida perfusa, dicitur Geneseos 3. qualis esse solet post meridiẽ, nec loci imi vditate insalubris constitisset difflata minùs, vt de Olympo monte Græciæ dixere gentes, tum natura dispositionem hanc vtilissimam iure sibi vendicâte, priùs excellentioribus nobilioribusq; plantis. *Vbi sunt montes mille*, nõ terræ deformes tumores, aut protuberationes fædæ, imò montes alti, seu loca digna monstrari digito, mons enim à monstrando dicitur, non à monstrosa, turpi, aut inconcinna natura, terræ amplitudinem mille, excel-

lentiam montibus expressit. Sunt montes & purioris auræ, nobilioris situs, salubrioris sedis, paratiores, commodiores, vt & Sole foueantur ampliùs, & ventilentur meliùs, impedimento liberi, immunes obstaculo, cùm excellant, emineant, quò perfecti in Scriptura sacra dantur passim intelligi viri, montis nomine. subdit, *Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam*, id est, Eliæ Leuiathan dicto, legasti cœlum tertiũ, quod septima situ pars est, post elementa quatuor, turbine rapto, vt & dedisti Paulo 2. ad Corinth. c. 12. vbi Paulus sic: *Scio hominẽ in Christo siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* vbi ante annos quatuordecim cœlum ascendisse refert, à die qua est ortus in Christo, renatus, altus; maior natu erat Paulus, dum peragrauit cœlos, est pars septima positione, & situ, natura humida, mollis, deliciosa, suauis, fæcunda, mitis, fælicissimi astri, nobilissimi sideris, benignæ influentiæ, tepidæ, quo increscunt omnia eius fælicissimo horoscopo, & ascensu vitali, halitu & influentia, viuifica vi, viuunt, reuiuiscunt, creantur cuncta, & erũpunt in esse, vere ascendenti hoc sidere, frænat mare, sistit aërẽ, illustrat ignẽ, terrã fouet, pullulãt omnia, in naturã prorumpunt, stimulata sidere, tertio instigata cœlo, venere acta, hac septima parte, quò est dicta deliciosa, & humida, influxu tepido, septima vniuersi sedes post elementa quatuor, & Lunæ, Mercuriique tribunalia septima. Hinc omnis antiquitas cœlum hoc consecrauit Veneri deliciarum Deæ, corporeæ naturæ tutrici, quæ & naturã fouet, nutrit, auget, instigat, Venus diuina, cœlestis, hoc pulchrum sidus, non turpis, obscœna, infamis, impudica, corrupta, figmentum hominum lasciuiæ, & luxus. Huic sacræ Veneri hanc septimam dicarunt

dicarunt partem, quam pinxere armatam, barbatamque docti, fortem, virilem. Inuenies apud Ægyptios, & Pierius lib. 14. legit, illic sunt rapti Elias, & Paulus, hic degit Elias, viuit anima & corpore, Enoch non secus paradiso assidet, qui est etiam pars septima retrogrado facto computatu, si à tertio computemus cœlo, ad terram vsque, *& separasti ea ab alterutro*, vt cùm eadem gentibus prædicent separati ad inuicem, maius omnibus miraculum afferant, in eodemque spiritu hæc ipsa prædicare conuincantur. Cœlum Eliæ quod spiritus esset duplicis, quo cœlestia petiit, sedem spirituum, æternam, incorruptibilem; hîc anima & corpore insidet, hic agit fæliciter, si eisdem conseruantur omnia, quibus oriuntur, hoc sidere in esse producimur, seruamur hoc sidere: Cuius influxu natura gubernatur, regiturque corporea omnis, genij autor, & ortus naturæ, quo fuere hoc cœlo recepti, non suprà aut infrà, duo sacri Ganymedes Iouis, Dei veri, Elias & Paulus. Quò maior deliciarum copia, & tutela maior, conseruari, viuere, & esse impertiebatur. Nõ minùs paradiso in terrenis Enoch relegatus, omni alia natura corporea perfectior, & altior sedes, excelsior, sublimior, his locis seruantur, vt fiat in deuorationem quibusuis, & quando vis, eorum quilibet, id est, in iudicium vniuersale, quo omnia absumentur, & deuorabit ignis, vt fiant in deuorationem hanc præsentes, & prædicent quibusuis & quando vis. Metaphora ergo est hic Leuiathan dictus, cùm sit ille serpens. Qualis verò fuerit ille, quisve sit, inuium satis, intrusum, & reconditum est, præcipuè cùm Græcorum nullus, Latinorum, aut Arabum, alioqui in enodandis naturæ arcanis diligentissimi, sub hoc nomine huius meminerit animantis. Hebræi verò figmentis & fabulis potiùs

fictitiis

fictitiis lineis, quàm veris, aut viuis coloribus, nobis ipsum depinxerint; adeò vt quæ Scriptura sacra de illo dicuntur, dissentiant magis cum eorum nugis, quàm consentiant, aut hæreant, vt verus Scripturæ
37 sensus iis non possit elici: Caballistæ enim, Talmudistæ, Rabbini mille monstra cõfingunt, præfigurant huius animantis. Videre est ordine 4. tractatu 3. apud Talmudistas, machinantes, Leuiathan nomine duos intelligi pisces, magnæ & interminatæ magnitudinis, molis miræ, fœmellam & marem; fœminam exterminasse Deum, ne sobole suborta, vniuersos ingurgitaret pisces, mareque inuium cõmercio hominum constitueretur, quorum salitis carnibus salsamenta suauissima iustis parasse, vt futurum post mortem retulerunt, masculum reseruare viuum, vt horis successiuis ludicris cum eo luderet, & recrearetur Deus, qui & Esdram authorem vocant loco explicato, & psalmo 102. inuenitur, inquiunt. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Legunt Hebræi; Leuiathan iste, quem creasti, vt cum eo luderes. Iis fabulantur ipsi, iis nugas & fabulosa confingunt, quod quàm ridiculum sit, seipso elucescit, vt nõ alio egeat confutari, ludicra enim voluptatem afferunt nobis, tum eo quòd noua, tum quòd præter spem accidant, & inopinata eueniant. Est nouum ignotum; hinc spectata & nota, iam visa & audita voluptatem non afferunt, extemporanea imò, & ignota, inscitave, & quæ non sperabamus, quasi nostræ inscitiæ & ignorantiæ admiratione casus supposita derideamus. Nihil tamẽ ignotũ Deo, nouum nil, casu nihil, præter eius prouidentiã nihil, quo nihil ludicrum, non expectat, vt accidant aliqua, qui est causa omnium, disponens omnia, gubernans, regens, ordinans omnia. Locum Esdræ iam enodauimus, & psalmi locum c.

de Dracone inuenies abundè explicitum de Dæmone Leuiathan, quod ſerpentis copulati ſibi motu fuerit ingreſſus naturã noſtrã, Geneſeos 3. c. & eius conditiones adhuc verſutiæ, & calliditatis obſeruet, liuoremque vt immortales. Nec, quod rati ſunt alij, Draconem marinum eſſe concinnè dicitur, errant non leuiter iſti, cùm ſit verè ſepens Leuiathan. Iſaias dixit capite 27. citato. Serpens eſt omne terreſtre, reptile, capite 1. monſtrauimus, non reptile aqueum; Eſt draco minimæ molis marinus dictus, minutum animal, quod hamo facilè educitur & ſagena facilè, an extrahere poteris Leuiathan hamo? nequaquam poteris. Iob dicitur citato cap. inflexilis, rigidus eſt marinus draco, non tortuoſus, aut plicatus, innat, non actus orbibus, non teres, vectiſve hirſutus, imò & ſpinis horridus, protenſus, inflexilis, at Leuiathan ſerpens tortuoſus incedit, qui & vectis eo dicitur capite, longiſſimus ſcilicet, vectis modo productus & teres, draco marinus armatus aculeis ſpinis à capite, ad caudam vſque, non teres, æqualis, hirſutus, imò hiſpidus, docet Plinius lib. 9. c. 27. & lib. 32. cap. 11. tum 7. cap. Ælianus 14. lib. cap. 11. Ariſtoteles 8. de hiſtoria cap. 13. Rhodiginus, & alij. Qui verò Cætum eſſe ſunt rati, aut Ballenam piſcem, magnitudine ducti: eſt Ballena vnus ex piſcibus maioribus ortu: eſt Leuiathan maximus viribus, potentia, & mole, vt penè impoſſibile ſit, hamo educi, Iob 40. at hamus illis ſolùm obiicitur, quæ in aquis reſident, quo piſcem indicant, Ballenam, aut Cætum aliud. Diſplicent ſatis tamẽ & hæc cùm ſint terreſtria animantia, ſerpentes omnes, vt ſuprà monſtrauimus, vt piſcem Leuiathan eſſe, diſſonet vndique, quòd ſit verè ſerpẽs anteà retulimus, Iſaiæ 27. Quò ſolùm placet, terreſtrem eſſe dracoñe, ſerpentemq; verum,

cuius

cuius adeò increſcit moles; ſic deniq; extuberat vaſtitas, vt multoties æquetur montibus, & aliquando maior impenſæ amplitudinis. Refert Artemidorus lib. 3. cap. 60. in Arabia fuiſſe dracones trecentorum cubitorum volumine, Oneſicritus Aſtipaleus idem libro 9. cap. 10. & vltra duos tempore Alexandri in Æthiopia fuiſſe dracones interminabilis magnitudinis, hoſque ardenter expetiuiſſe videre, & intrepidè iuuenem, Ælianus lib. 16. c. 36. Plinius lib. 8. c. 11. hos tantos fuiſſe, vt tauros integros, & integros haurirent Elephantes, immaniſſimi & vaſtiſſimi corporis. Nullum in omni natura cognoſcitur animal vaſtioris molis, maioris potentiæ, aut æqualium virium, quorũ in ſumma ea eſt amplitudo, iuxta Edoardum libro 6. Plinium 25. c. 2. vt eorum dorſo, velut montibus adnaſcantur virentia plurima, herbarum & plantarũ varia & diuerſa genera (mirabile dictu) quaſi oblita anima ſui in mole tanta, aliis eroget ſitum, & impertiat locum, qui cùm ſint naturæ ancipitis, dubiæ, & amphibiæ, terras modò, haſque magis incolunt, & inhabitant, quò ſerpentes veri dicuntur, & natura terreſtrium continentur, cùm reptent motu, modò aquas habitant & colũt, vt perſint aquatiles, quò an hamo poſſint educi, cõcinnè quæritur Iob 40. cap. incertæ naturæ, promiſcuæ, inconſtãtis, imò modò terras inuiſentes, modò aquas, molleque elementum, vt ſiccum & aſperum, cùm ij tantæ ſint molis, natura inſita. Leuiathan reor draconem fuiſſe monſtruoſum amplitudine immenſum, vt fuere gigantes in natura hominum, non ſecus increuiſſe illum vltra leges naturæ, vltra terminos, ritum, & ordinem, & fuiſſe giganteum, & immenſum eo genere animans. Huius eſſe naturæ dracones docet Plinius lib. 8. c. 12. & 32. cap. 1. & lib. 8. cap. 13. Solinus c. de Africa,

Africa,& c.de Æthiopia 33. Leuiathan ergo nomine intelligo draconem molis immensæ, genus illud, quod in hanc extuberat magnitudinem, indefinitam,& incertam, quos medio mari insulas iudicare omnes ij autores renunciant (infrà latiùs) neque enim omnes hanc subeunt legem, aut conditionem, sed dracones illi, qui à Solino cap. de Æthiopia 33. veri appellantur, de quibus sic ille Æthiopiam describens: draconũ magna copia est,porrò veris draconibus ora parua, & ad morsus non dehiscentia, sed arctæ fistulæ, per quas & trahunt spiritus,& linguas exerunt. Quippe non in dentibus vim, sed in caudis habent,& verbere potiùs, quàm ictu nocent, vastitatis immensæ, vt multoties insulæ credantur occurrentes subitò illi iuxta litora excubantes, mole protensa, aquis ex parte libera.

Naturalia & mystica Leuiathan retinens plurima.

CAPVT VII.

DIctis assonant, quæ de Leuiathan dicuntur Iob. 40. vbi sic Deus alloquitur Iob, & sciscitatur illum: *Numquid pones circulum in naribus eius? aut armilla perforabis maxillam eius?* Frænantur dracones fistulis narium peruiis, iniecto circulo aureo, argenteo, vel æneo; ea parte reguntur, aut maxilla armilla perforata, vt perforantur aures modò fæminis & viris,& Indi transfigunt genas armillis,& circulis, lapidibusque pretiosis & aliis, quibus in partibus scissis semel & dissectis,induratis posteà callo obducto, ludit circulus,& armilla lubrica,vt in auribus volutatur; Hinc multa animantia in vsus hominum relegantur iis, aliisque circulis,non solùm ori iniectis,

iniectis, imò nouiter & denuò ruptis, seipsisve partibus, quò moderantur & reguntur, vt vtamur eisdem, reducamusque ad humanos vsus. Hinc depingitur vecta Ceres curru draconibus frænatis, armillis, circulis, & orbibus tracto. Hinc Proserpina, Saturnus, & alij: numismate antiquo, armillis frænantur dracones, statuis, figuris, tēplis, imaginibus; regūtur circulis, maxillis adactis, & naribus aptato circulo, quæ cū sint draconibus fistulis peruiæ circulo aptis, patentesque; addidit Deus, *aut armilla perforabis maxillam eius?* quod maius est, gradationis figura vsus, vt Iob summam eius potētiam fateretur, & subditus veneraretur, pertimesceretque Deum factorē suum, tum reliqua, quæ eodē c. à sectione illa, quæ incipit. *An poteris Léuiathan hamo extrahere?* vsque ad finem capitis eiusdem 40. fauent maximè huic nostrę sententiæ, nam quæ præcedunt, & quæ c.41. sequuntur, ad Behemoth animal spectant, de quo infrà dicendū. Iis verò promittitur venturus Christus Iob, victoria & triumphis illustris, frænator Leuiathan, piscator dæmonis, victor, redemptor Angelorum & hominum, quod nulli est concessum alteri, quàm Deo homini Christo. Hinc quæritur homo, exquiritur Iob, an poteris Leuiathā hamo extrahere? arrepta figura vastissimi animantis, hominum potentia insuperabile omnino, artibus & diligentia mortalium, versutius, sagacius, maius omni arte, & ingenio mortali, monstrosum, giganteum, non vulgare, aut tritū, rarum imò & ignotum, dissuetum; quo minùs euinci arte humana & sedulitate daretur intelligi, minori experientia & periculo facto, ob eius rarā & inuisam naturā; hac ideo figura & tropo vsus, vt summum periculum & potentiam exprimeret, vt sensum spiritus reseraret. *An poteris Leuiathan hamo extrahere?*

draconem,

draconem, dæmonem, qui cùm ſerpens eſſet Geneſeos 3. Apocalypſis 20. iam in draconem abiit. Adeò hominum malitia increuit. Vulgari imò vt adagio fertur, & communi dicterio, *Anguis Draco non erit, niſi ſerpentem deuoret.* angues enim proceriſſimæ ſtaturæ, molis ingentis, & vaſtæ ſerpētibus venenatis manſis, venenum recipiunt, & malitiam, quibus inquinantur, vt ſimplices anteà angues in dracones venenatos, eſu virulentorum, & inquinamento commutentur; ſolo veneno ab illis diſſentientes priùs, vt qui angues natura erant, malitia ſerpentes, Dracones conſuetudine fiant, ſic ſerpit vitium, ſic augetur, increſcitque. Draco verò hic Leuiathan potentiſſimus poſtquàm peragrauit terras, pecurritque, exercuit iuſtos, macilentos, aridos, pœnitentia confectos, ſiccos, victus, ſolicitus, vndis immergitur ille, mediæ rerum affluentiæ, famelicus, omnia vorans, draco inſatiabilis, mediis aquis, deliciiſque affluentibus, vdis, mollibus, humentes petit, ocioſos, deſides, quorum vitiis occulitur ſecretus, & abditus conſuetudine, aſſuefactione, occultus, vt venetur incautos, effuſos, humidos, qui non continentur termino proprio rationis, vt humida, imò fluitant vitiis, de quibus Pſalmo 80. Deus: *Et dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum.* vt fluitent vagi, inconſtantes, hinc difficilius multò cùm educi, extrahique draco hic immanis poſſit, de medio mari affluentiæ, & copiæ, quo molles madent, & hamo difficilius adhuc potentia & mole illius nimia, vt hominibus ſit impoſſibile illum educere, quantum viribus mortalium agitur, Iob diſquiritur, vt patienter ferat, & ſuſtineat ſupplex qui futurus erat inpoſterum patientiæ exemplum, ſibi vtile & aliis. Deum maiora paſſurum vt intelligeret, qui educturus erat Leuiathan

crucis hamo, extraxit, vt Christus hamo crucis inuestito humanitatis esca, hamoque affixa crucis. Abacuc. 1. de Christo. *Totum in hamo subleuauit, & traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum.* Protopiscator hic corda diuinitatis, vinculo & neruo, quo hæc hærent & ligantur, vnione sacra, & ineffabili Verbi. Paulus ad Ephesios 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* in Christo scilicèt qui est pacis nostræ vinculum, vnio, & nexus mirabilis, & incomprehensibilis, quo sustinētur omnia. Virgæ appensa Aaron, cordaque & ligata commissa virginis visceribus sacris, quæ inter omnes floruit, & germinauit. Numer. 17. Deiparæ Virginis; hamo crucis, humanitatis esca: iis ergo fultus piscator hic Deus homo, esca, corda, & rectissima, faciléque ductili virga, Virgine sacra, Leuiathan extraxit esca humanitatis illectum. Ratus Christum solum hominem esse, diuinitate illusus, superatus & victus ingessit hamum, crucem, Christum ingessit. Oseæ 13. *morsus tuus ero inferne.* Deitatis inscius, delusus, cruce rupit, & dirupit viscera, superauitque mortem; *Ero mors tua, ô mors*, Oseæ eodem cap. quo Paulus ad Corinthios 1. 15. irridet mortem, & deridet infernum superata Christo, iis, *vbi est mors victoria tua? vbi stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum,* non secus ac Crocodilus, iuxta oras Nili, superueniente ibi aue plausu laterum, & alarum scalptu, cōsopitur, semel aluo grauata, & onusta ciborum copia, hianti ore, & dehiscenti, quo subit Enhydros serpens, mole minimus, & si potentia maximus, vt ventris sarcina in escam vtatur superflua, qui semel cibo plenus erodit viscera, & lancinat, vt discerptis visceribus, erosa exeat aluo incolumis & liber, autore Physologo libro 2. cap. 6. & magistro naturalium,

lium, libro 5. cap. 10. Solinus in Polihiſtoria latiſſimè cap. 35. quod ipſum de Ichneumone refert, quod eſt muris genus natura breuiſſimum; Plinius libro 8. c 25. & alij. Non aliter Chriſtus, reputatus minimus ſerpens (Iſaiæ 53. *Deſpectum & nouiſſimũ virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus; vnde nec reputauimus eum; vermiculus hic opprobrium hominum & abiectio plebis*) deſcendit ad inferos, in ventrẽ mortis diſceſſit. Fuit morſus inferni, & mortis, vt Oſeæ citato dicitur, abſorpto inferno, veterno, & lethargo oppreſſo, aue Maria, aue ibi Maria ſuperuenienti, Virginis Deiparæ matris, plauſu laterum Angelorum conſopitus, ſepultus ſomno, viſcera erupit, & diſcerpſit omnipotens, præda vſus animarum patrum, confoſſo Crocodilo, quo triumpho & victoria illuſtris peragrauit cælos, exaltatus ille ſerpens in deſerto. Hinc patet allatus locus Pſalmi 103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Quò figmẽta, & fabulas, Thalmudiſtas aſtruere diximus. Eſt illuſus Dæmon, & formatus quaſi vt illuderetur, delicto adhuc mortalium, & culpa commiſſa. Tum infrà eodem capite locus ille quo de Leuiathan dicitur Iob, *nunquid illudes ei quaſi aui, & ligabis eum ancillis tuis?* Aucupes enim occulti & abditi, eſcâ arte paratâ, aues inuitant, & ſollicitant, quas antequàm cibum ingerant, multoties interficiunt, conficiuntve ingeſtum, integro gutture immutato, capitibus priuant, detruncant, iis reſciſſis lucrum augentes, ludibrio & ludo; Ea eſt artis potentia, liberrimas natura aues, vagaſque venari & capere tardiſſimos homines. Deus abditus & latens, *formam ſerui accipiens*, ad Philippenſes 2. humanitatis eſca illuſit Dæmoni & morti, ingeſſit mors Chriſtum, immutatũ reddidit, integrũ, il-

læsum, deuicta illa, & superata, delusa, esca allecta, & inuitata mortali Christo oblato, caput mortis, peccatum, stimulus rescinditur, hebetatur, vincitur, Leuiathan deluditur, ligatus committitur ancillis, auium instar elusus; dracones natura terribiles, superbi, indomiti, superati semel & victi, subduntur facilè imperio cuiusuis fæmellarum, præcipuè Virginum, quas ardentissimè deperire diximus; tractabiles, faciles, & mites fiunt. Refert Pausanias in Corinthiis, & Philostratus in vita Apollonij, adeo vt Romam aduecti, sodales in tantum fuisse enarret, & domesticos, vt incendio eorum, semina si non vastarentur edicto publico, fœcunditati terminus non esset, victos semel, & domitos tandem, fœminis magis multò quàm viris subdi, earum amore conflagrantes, Ælianus legit libro 26. capite 29. Rhodiginus; quò Deus sciscitatur Iob; illudes ei quasi aui, poteris illudere illum, esca deglutita, & capere delusum cibo inconfecto, auium more, liberrimum natura, alioqui Dæmonem potentissimum, qui ad nullius mortalium pauet occursum, subditum puerulis, in ludum relegare puerulis, paruulis, martyribus, virginibus mollibus, imbellibus, ligabis eum, ancillis tuis iam facilis, mitis adeò, vt fœminis mollibus, debilibus, eneruis commissus, trahi & contrectari possit, duci & vehi pro libitu, vt carnis ancillæ passiones, subditum, ligatum, non pertimescant iam; rationi imò obtemperent eo inuito? Præscitatur iterum eodem capite, *an fune ligabis linguam eius?* Diximus, armilla, circulo & aliis frænari dracones, tum fune, chamo, fræno, quo dicitur Psalmo 31. *In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Veni Christe Leuiathan, constringe dæmonem, qui non ap-

pro

proximat ad te, diſtantia oppoſitionis culpæ & pec-
cati, maiori & tanta, quanta eſt inter nihil & aliquid,
contradictionis receſſu, mole ingentiſſima; inter-
minabili, diſtanti. Extraxit Chriſtus aculeum lin-
guæ Leuiathan, mortiſque ſtimulum, peccatum,
venenum. Serpentibus omnibus ſtimulus, aculeus,
cuſpis linguæ ineſt, qui ſenio induratus ſpinarum in-
ſtar, calcarium, vnguium, cornuum, roſtrique auium
firmatus, icit, ferit, quo depoſito, detracto, & religa-
to, ſecurè, & impunè tractari & contrectari poſſunt
ſerpentes; qui extirpatur, ſi ex auricula vna triparti-
tæ linguæ excutiatur, euellaturque apprehenſus. His
officiunt ſerpentes, non dentibus, quos aduncos
obtinent, extortos, & diſtortos. Hunc ergo Chri-
ſtus extraxit, & euellit, peccatum: mortis, dæ-
monis, Leuiathan, ſtimulum eruit, & ſpoliauit
mortem, ligauit linguam Leuiathan fune, vinculo,
mirabili vnionis nexu, humanæ & diuinæ naturæ,
quo obmutuit, obſtupuit, ſiluitque hoc vinculo
lingua ligata veneni vincta. Hinc Iob diſquiritur, an
tu fune ligabis linguam eius, vt in iudicium voces
ſapientiam ſummam, & omnipotentiam intermina-
bilem, atq; incomprehenſibilem prouidentiam eo-
rum quæ molitur Deus, & in examen trahere ab-
ſcondita eius abdita, & occulta præſumas, impotens,
ignorans homo, eius qui non ſolùm illuſit, irrriſit,
deluſit imò draconem quem formauit, ad illuden-
dum ei? Omnia quæ acculeis icunt, ſi cadauera fe- 42
riant, non altè, imò leuiter pungunt, ſubiecto ri-
gido indurato, ſtipato frigore, caloris abſentia, mol-
lis & humidæ ſubſtantiæ ſeceſſu, ſpirituum fuga, &
ſanguinis trepidi defectu; at viuentes ſi percu-
tiant, altè nimis, profundè ſatis aculeum immittunt,
molliori ſubiecto, paratiori, & peruio, quò aculeos

relinquunt, & abiiciunt, intereuntque, viſceribus cum aculeis relictis, inſectiliũ plurima, quibus venter imus vdus eſt, blandus & facilis, quòd humida ſoluantur faciliùs & deligentur facili negotio. De apibus idem Ariſtoteles 3. de hiſtoria cap.12. Viuos ſi imperant, vita priuari, aculeis viſceribus & anima relictis, quòd altiùs feriant molliora, mortuos verò ſi impũgant, aculeos exercere, acuere, viuificareque magis, Plinius lib.11.c.21.à quo Ælianus, Cœlius, & alij ſurripiunt placitum. Expoſuit ſe Chriſtus ictibus Leuiathan Draconis; *oblatus eſt quia ipſe voluit, ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Iſaias 53. altè icit mors Deum ipſum, percuſsit, eodem capite; *propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, profundè nimis aculeum commiſit mors, immiſit ſtimulum, ſtimulus mortis peccatum. 2. ad Corinthios 15. Iſaiæ citato 53. *Verè lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. peccata & ſcelera, vt redimeret expurgaretque nos*, in lac verſis (ſuprà,) illuſit draconi, vicit Leuiathan, deluſit mortem, formam ſerui accipiens mortalis ſubditique mortis, ad Philippenſes 2.mortis aculeo commiſſo, rata ſolum mortalem, mortuumque aggredi, inuaſit viuum, imò vitam icit, pupugit & feriit. *Ego ſum via, veritas, & vita*, Ioannis 14. percuſſit Chriſtum naturæ duplicis, immortalis, mortaliſque, viuum Deum, mortalem hominem expugnare aggreſſa, amiſit ſtimulum, luſa & deluſa, viſcera effudit mors, venenum, & virus, *mortem noſtram moriendo deſtruxit, abſorpta eſt mors in victoria.* 2. ad Corinthios 15.c. priuata illo ſtimulo, impotens, eneruis, debilis, Leuiathan draco deuictus, deuinctuſque, vt ei illudere poſſimus, & ſciſcitari mortem, infernum, & dæmonem,

nem, *vbi est mors victoria tua? vbi stimulus tuus?* eodem 43
c. dixerat per Oseam 13. c. *Ero mors tua, ô mors, & morsus tuus, ô inferne.* vicit mortem, superauit dæmonem, draconem irrisit, illusit Leuiathan, peccatum extraxit; iste est draco quem formauit ad illudendum ei: draco Leuiathan dæmon. Ioannis 12. & 20. cap. *Serpens antiquus.* Est apis fur dicta nomine, philosophis omnibus notissima, non sollicita astruendi fauos, destruendi imò, fur nocturnus, apicida latro, coloris tetri, subpallidi, nigri, capacissimi alui, longissimi aculei, noxia, lethalis, ociosa, hispida, largi oris. 9. de historia, c. 11. Ælianus 1. lib. c. 60. Plinius, & alij; expressa mortis imago. ad Thessalonicenses 5. *Sicut fur in nocte veniet; cùm enim dixerint, pax, & securitas, repentinus veniet interitus.* Nigra, hinc dictum, vmbra mortis, mors nigra, & pallida, & Horatius dixit: *Pallida mors æquo pulsat pede Pauperum tabernas, regumque turres.* Iob imò 10. c. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* aculei longissimi, qui ferit ab Adamo, vsque ad nos, amplissimi alui, vt deglutiat, capiat, ingerat mortales, mors latro, apis hæc nigra, quæ altiùs pungit, profundiùs & acriùs, viuum icit, vitam percussit, aggressa est Christum, stimulum liquit, amisit aculeum, viscera effudit cum aculeo simul, mortuum aggredi rata, quo illusa & delusa est mors: hac quasi alimento vsus commutauit Christus. Sunt alitum, & alimentum contraria initiò, fine eadem, nutritione peracta. Aristoteles 2. de animo c. 4. Christus vita erat, commutauit mortem, viuentem effecit illam, absorpta in victoria vitæ, commutata est mors, vitalis iam robore Christi, calore illo potentissimo, charitatis igne, quo rebellem alimoniam con-



fecit,& venenũ,ſuperata; imò immutauit,vt coturnices venenis aluntur, Ibes aues,& pleraque alia,in natura ipſa ob illuſtrem & generoſam potẽtiæ commutatiuæ, & animæ vim. Hinc dicitur immutatio mors, Iob paſsim. Hippocrates medicorũ omnium facilè Princeps 6. Epidem. commentario 5. ſect. 53. in hæc verba prorupit: Mulier,capra,elateriũ edentes,pueris purgatio.In cuius ſectionis commentario Galenus medicos edocet, pueros expurgaturos lactentes, medicamina expurgantia laturos fortia & amara,vt elaterium,cucumer dictus ſylueſtris, amaruſve cocumer, quæ & auertunt pueri,ob ingratum ſaporem, & reſpuunt ob actiuiſsimam naturam, & efficacem,non illis primò medicamenta expurgãtia cathartica dicta exhibere, nutricibus imò hæc ipſa propinanda,vt in lac verſa illæ relegent hæc infantibus,ſpecimine lactis,in ſuccum gratiſſimum commutata; poſſint vt fructus ſuſcipere medicamenti, eiuſque vſus,noxis deuictis,& vitiis ſuperatis,nutricis expenſis,opere & laboribus,quod placitum medici omnes ſurripiunt, præceptumque inuiolabile obſeruant; amariſſima mors dicta 1.Regum c.15. ab Agag Rege Amalech iis: *Siccine ſeparat amariſſima mors?* terribilis formæ & potentiæ inſuperabilis naturæ viribus, *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Paulus ad Hebræos 9.quæ nemini parcet,rigida,& inexorabilis, recrementa omnia noſtra ſuperflua,& vitioſa corrigens, caſtigans,& expurgans,recepta mortis memoria,triſtiſſima, quæ repurgat noſtras ſuperfluitates,& exceſſus,remedium præſentaneum, & cõmodiſſimum nobis debilibus, & eneruis,vitiis inquinati,& corrupti,abundantes malitia, & viru, venenoque ſerpentis diræ,& fatalis,infecti, debiles calore charitatis,illam cõficere, & ſuperare impoten

impotentibus, cùm non possemus, nutrix Christus, Baruch 4. *vt quid contristatis nutricem vestram?* cuius lacte & doctrina alti sumus, & educati, mortem in se recepit, amarissimumque haustum ebibit, vt eam cùm superasset, & vicisset, in lac, alimentũque emutasset, in lac versam, expurgãtem malitiã nostram, & virus redderet, intra limites timoris filialis, eneruẽ, & facilem, quæ vnà & alimentum esset, & medicamẽtum mirabile, tam præcautiuũ futurorum, quàm præsentium curatiuum, correctiuumque. *Absorpta est mors in victoria*, confecit, digessit in se, mutauit in vitam, qua vertitur in substantiam aliti alimentũ omne, mors mortis, & mortis vita, & vita vitæ; sileat imò natura omnis, obstupescat piissimæ matris Deiparæ Virginis, genitricis sacræ, quæ rata, decessurum filium, & si aculeum mortis extraxerit solus Christus, auulseritque, at ipsa in se ipsa priùs hebetauit, & obtudit peccatum, mortis stimulum; *ipsa conteret caput tuum*, Geneseos 3. linguam, stimulumque serpentis, ab aculeo mortis, per Christum libera, immunis peccato. Defecit in ipsa stimulus, obtusus, hebesque factus, vt dum iceret amantissimum filium, pũgeret leuiùs, quasi mortem prepararet filio, mater piissima, mortis aculeum retudit filij sollicita.

Iob literam extricat, literalibus, allegoricisque sensibus serpentis Leuiathan.

CAPVT VIII.

NOn minùs iuxta naturam Leuiathan animantis, Dei spiritus c. eodem 40. disquirit Iob iis: 44
Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? quæ & si sensu figurato de dæmone Chri-

ſtum extimeſcēte intelligantur ad literā, ad naturam animātis nō minùs ſpectare vidētur allegoria; Multiplicauit enim dæmon preces, precans, deprecans Deum hominem, Chriſtum. Marci 5. patet dæmoniaco illo, vbi dæmon, *quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas.* & infrà, *orabat multum, ne ipſum pelleret extra regionem illam.* ipſumque ſummis precibus imprecabantur ſpiritus dicentes, *mitte nos in porcos*, Lucæ 4. vbi dæmon ſic, ſine, *quid tibi, & nobis Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te qui ſis ſanctus Dei*, & 5. citato. Dæmon adorās ſtetit ante eū, & ſæpe alibi, multiplicauit preces mollia loquutus, iā Deum, iam ſanctū Dei adorans, & prædicans Chriſtum; tū metaphora ad naturam animātis ſpectāt non minùs: Leuiathan draco cōditione indomitus, ſuperbus, elatus, domitus ſemel, ſuperatus, inferior blanditur, aſſentatur ſubditus, caudæ adulatur blandimētis, quaſi preces multiplicet, & blāditiis ſupplex, animū reddere tentet facilè mollem, frænatus vt ſemel, ancillis cōmitti poſſit, & debilibus fœminis. Anteà mōſtrauimus ſatis, in Cereris curru, & aliis, exquiritur adhuc Iob: *Nunquid feriet tecum pactum? & accipies eum ſeruū ſempiternum?* quæ & cū natura draconis Leuiathan cohærent, ſeruātque metaphoram, ferietne tecum pactū? vt cum Deo iniuit, cùm potentiam ipſius circumſcripſit naturæ cōditor, exercendi homines, inito fœdere, non vltra præſcriptos terminos illos inuaſurum, conuinctus & ligatus diuinitatis robore, quo ſuperatus ſemel eſt, acceptus in æternum ſeruus inferior, cùm hæc naturæ Leuiathan draconis viribus, cum diſſentiant nimis, & repugnent; nam & ſi ad tempus ſuperati ſemel dracones ſint domiti, mites, tandem malitia pleni, inconſtantes, natura malitioſi,

tiosi, superbi, dum possunt minantur mortem, & tandem inferunt, ore elingentes interim, quod assentantur & blandiuntur, cauda, postremitatibus, vitæ vltimo, ascifcunt mortem Leuiathã, dæmon & draco. Solinus c. de Africa in Polihistoria, Ælianus 45
lib.6.20.c.indagatores vocat,inconstantes,callidos, Nicander in theriacis,Plin.lib.37.c.10.Deo ergo,nõ homini,tanta hæc potentia conceditur, vt conuincatur Iob impotentiæ & ignorantiæ:vltrà secũdùm naturam Leuiathã disquiritur Iob.-*Cõcident eum amici, diuident illum negotiatores?* Cuius loci,cùm diu me extorsisset intelligentia, inueni tandem germanum quantum suspicor intellectum, mentémque ipsius, quò & ad naturam spectat animantis,ex commentariis Iubæ ad Caium Cæsarem filium Augusti,lib.7.c. 19. vbi hæc continentur, & refert: Pliniúsque iis lib.31.c.1. Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis, flumina Arabiæ intrasse,pingueq; eius negotiatores, & omnium piscium adipe, Camelos perungere in eo situ, vt Asellos ab eis fugẽt odore graui.Diximus,dracones naturæ ancipitis,aquis degere & terris adhuc,pernatare flumina, maria, & aquas & cetorum instar, miræ, monstrosæ interminabilísque magnitudinis & molis esse,hos negotiatores,mercatores,& alij diuidebant antiquitùs,vt & alia aquatilia pinguia, locis adductis patet, quãdo dracones, & ceti alij flumina ingrediebantur, & percurrebant,piscium & aquarũ dulciũ cupidi.Concidebant denique,vt oleosa substantia pressu extracta, vt oleum ꝙ adhuc è Balenis, & aliis elicitur,diuisis in frustula priùs & pressis arte, perungerẽtur Cameli,quib.asportabant merces,quo Asellos, vulgò tauanos, peruncti fugarent, aut oleo extracto, aut detracta pinguedine illiniti, nimis

vtile

vtile negotiatoribus,ne Cameli iis molestati,& perterriti,securè minùs onera gestarent,hoc naturæ addito remedio securi,& quieti cùm ducerentur facilè, adipe draconum, & cetorum, quæ transnatabãt flumina muniti, vnde Leuiathan draco, cùm molis vastissimæ esset, nulli superabilis mortali,nullis naturæ viribus, ob eius robur & potentiam summam, vastâque & informem molem,homo quæritur Iob; an concident eũ amici, an diuident eum negotiatores;vt & cetos alios concidunt,& disiiciunt,vt relegent in humanos vsus;an concides Iob, vt concidit Deus,Regũ 1.c.15.*& oblatus est ei Agag pinguissimus, tremens, & dixit Agag, siccine separat amara mors? & ait Samuel,sicut fecisti absque liberis mulieres, mater tua sine filio erit, & in frusta concidit eum,* pinguissimum Agag Amalec Regem.Dæmonem ergo Agag Leuiathan draconem concidit Deus. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum*,psal.128. & diuisit Leuiathã, Ieremiæ Thren. 4.*facies Domini diuisit eos, non addet vt respiciat eos*,psal.54. *diuisi sunt ab ira vultus eius,& appropinquauit cor illius,molliti sunt sermones eius super oleum,& ipsi sunt iacula.* quasi super oleum Leuiathan molliti sermones,verba ociosa & mollia, abundãtia & luxu, oleo expressa, & figurata pinguedine, ocio & desidia suborta,luxu,vita deside,qui priùs asperi, & pœnitẽtes erant, oleo aliter iam & superfluitate, iacula sint,quæ viscera tandem transfigãt venenata, discordes,cõfusi,negotiatores diuidẽt,discordia, & dissidio illis cõmunissima. Quò dicitur eo loci,*concident amici vniti,* quasi pacis vinculo amicitiæ superabunt,deuincẽt,ac diuident illum negotiatores;Est diuisio,rixa,cõtentio,negotiatorum, amicorum virtus,potentia,robur,vnio,quo amicos concidere,interficere scilicet,vt à maiori argumentum conficiat,
negotia

negotiatores diuidere dixit eo loci, Iob dicitur: *Nũquid implebis sagenas pelle eius, aut gurgustium piscium capite illius?* Sagena est genus retis piscatorij, quasi sagulum aut sacculum dicta, rete verticulum appellãt, quo Manilius libro 5. *Excipiunt vasta circumuallata sagena,* quo abraduntur piscinæ, & genus quodlibet trahitur piscium, etiamsi non Ceti propter pondus & molem summam, Matthæi 3. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti:* quò Iob sciscitatur an sagenas debiles nimis, infirmas & faciles, piscibus solùm aptas & destinatas communibus, implere possit vastissimi Leuiathan ceti pelle, Synecdoche parte pro toto accepta, concinnus nimis figuræ vsus: cùm pellis rete solùm contingat, suique vltimo Leuiathan sagenam. idem quod est, ac dicere, an reti poteris Leuiathan piscari, & extrahere, replereque reti pelle eius quæ vltimò cõtingit retis capacitatem & spatium? nequit Iob, potest Christus: extraxit Deus, duxitque, Ezechielis 13. *& extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea,* imò cap. 33. *Dices draconi qui est in mari: Expandam super te rete meum, in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea, & proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te, & habitare faciam super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ, & dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua, & irrigabo terram fœtore sanguinis tui, montes, & valles implebuntur ex te.* quæ omnia cum Leuiathan cõsentiunt quàm maximè dictis Abacuc. 1. cap. *Totum in hamo subleuauit, traxit illum in sagena sua.* in rete scilicet diuinitatis & humanitatis filis contextum, in sagena ex se debili, at sua semel cùm esset diuinitate fulta insuperabilis, iam fortis, insolubilis, firma, humanitas semel sua, potens extrahere Leuiathan, superare,

perare & vincere, filo diuinitatis, hinc dixit, *suam.* supérque addidit *Gurgustium* piscium capite illius. Gurgustium cùm cauernas piscium significat latentes & obscuras cauernas, vt placet Seruio; imò Cicero in Pisonem, *nescio quo è gurgustio te prodire, obuoluto capite*: tum & gutturem paruum consignat non minùs, draconis caput exuccum nimis cùm sit, osseum, ex carne abiicitur, exprimendo oleo inutile, quod ne inficiat sui magnitudine, fœtore putrescens, terram, aëremve, in mare proiicitur, & vt omnia reliqua cetorum capita. Norunt optimè artifices, qui è Cetis Balenisque oleum torcularibus eliciunt, succum, pinguedinem, quibus postea pisces in escam vtuntur capitibus iis, & gurgustia implent, tam domos, cauernasque piscarias, quàm voraces œsophagos, aut famelicos gutturcs, solum ingluuiei inseruientes, nō tractui aëris, cum non respirent pisces, vt gurgustia minori vsu vocentur talia, cetorúmque collatione, quibus hæc pars est amplior protensa, & spatiosa. Nō parum interest, modicúmve, inter porrigere manū, & manum ponere: porrigere enim amicitiæ est signum, liberalitatis, fœderis, apud Maronem Dido: *En dextra fidésque, atque animum præsenti pignore firmat Anchises.* Numismate Iuliæ Piæ insignitur Venus exporrecta manu fauēs partui hac subscriptione. *Genitrix Venus.* at ponere manum, inimicitiā notat, castigare, supplicium. Obstamus manu, & sumus impedimento alicui, ne nos contingat, vitamus ne accedat, adeat, manus oppositæ interpositione & impedimento, quò Iob dicitur eodem cap. *Pone manum tuam super eum.* poterísne illi esse impedimento? obstabísne Leuiathan? memento belli quo es victus & superatus in Adamo, in quo omnes peccauerunt. Geneseos 3. dum serpens solùm erat, non draco ob-
stupendus

ſtupendus malitiæ incremento, & ne vltrà addas loqui: aut iniuſtitiæ Deum arguere, vt capite 19. *detraxiſti iuſtitiæ diuinæ,* & capite 6. Tandem confuſus Iob, mœſtus & afflictus, conſolatur, ſubueniturque Deo. (ſumma bonitas, refugium hominum) reuiuiſcit Iob iis eo loci cõtra Leuiathan promulgatis. *Ecce ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur Leuiathã draco.* Quibus vniuerſæ noſtræ redẽptionis ſpes continetur: vniuerſalis enim iudicij die, cunctis videntibus præcipitabitur: priùs Chriſti morte. Apocalypſis 20. *Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum.* Iob. 3. capite: *Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna, maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan:* præcipitatum ſemel, concluſum, & extinctum, in nocte paſſioneque Chriſti, qua eſt concluſus ille, excitare vitiis & flagitiis denuò, de nocte illa horrida quæ contigit, ſole iuſtitiæ obſcurato, ſoleque diei autore offuſcato, quibus noctem vocauit, non ſolùm ſolis abſentia, luminoſis imò, confuſione & horrore, quibus nox obſcurior, caliginoſior aliis omnibus extitit illa, defectu lucis in ſuo proprio principio, non ſolum in medio, vt communi ineſt nocti continuò, ſine laude, infamis imò, in qua ipſe patiebatur autor naturæ, Deuſque ipſe, ab iis quos ipſe ex nihilo efformauerat, infamis, & obſcura victoria hominum, qui mortem ipſimet naturæ opifici intulerunt; *oblatus quia ipſe voluit*, nulla vi illata, illi verò decantabant laudem, & victoriam partam, decepti & obſcuri, exiſtimantes ſe adeptos triumphos, & glorioſas palmas, ac ſi gloriam & honorem eſſent nacti proditores, traditoréſque infames, & ſi poſt hæc Sol effulſerit, reſurgens, refulgénſque radiis diuinitatis, illuſtris, tenebris,

&

& nebulis discissis, exolutis; fulgoribus omnipotentiæ, vt nox illa, & nebula, vtilissima extiterint mortalibus, Solis accessu in rorem, pluuiámque gratiæ tandem discedentibus: maledicant ei, abutantur, id est, passione & nocte Christi, qui maledicunt diei, & abutuntur eius resurrectione vitali spiritu & die, parati sceleribus, si possent, suscitare Leuiathan, vt millies Christus horum voto & sententia, operis, crucifigeretur, extincto iam semel Christi victoria, & potentia immensa. Xanthus historiarum author historia 1. Herophilus, Iuba commẽtario 1. de rebus Arabiæ, ad Caium Cæsarem, Democritus lib. 6. cap. 9. Plinius libro 25. 1. cap. consentiunt, dracones defunctos vita, vbi nullum superest signum, aut indicium animæ, restitui saluti, suscitaríque, Balin herbæ floribus suauissimi odoris, inebriantisque naturæ, & fumidæ fultis semel & conspersis; quæ & si plurimis accidere videatur gentium vulgarium, tamen vera resurrectio non est, emortuis semel iterum animã restitui, alio quàm infinita potentia apud quam nil præterit impossibile, vt idem sit numero, necessarium tamen nil præteriisse eorum quæ fuere eo facto, at specie eadem redeunt, imperfectis multoties, plurimísque viuẽtibus, dispositione facili relicta, sufficiẽtiq; ortus similis in eadem materia, cœlóque operãti, accidit emortuis chimicibus hyeme exsiccatis, puluerulentis, iam vere redire, specie hæc vna, passerculis illis Indis, qui hyeme, rostro arboribus affiguntur, in puluerem redactis vsque ad vernum æquinoctium, notissimi nouæ Hispaniæ regionis Americæ, quorum plumis variis coloribus varia effingunt & imaginantur, pœna capitis imposita occisoribus, quo tempore semel ac affiguntur decidunt, vtiles plumæ mortalibus, iis & aliis emortuis; forma alia anima venit na-

turæ

turę vnius, numeri alterius, nō secùs draconibus imperfectis, natura diuisibilibus, forma, id accidit, ea aptata materia dispositione, ea herba suscepta, naturę eorū sufficiēti, & propria, modo dicto, nosque vt lasciuia & luxu suscitare iterū Leuiathā intēdimus, temulētia rerū fugaciū, tum & noctē in qua natus est homo originalis culpæ, inuitat Iob maledicere eos, qui diei maledicūt, paratos suscitare Leuiatham, peccatores adhuc corruptos, & fœdos, vt maledicāt, vocat, tristissimæ huic nocti, cuius fuit calamitas tanta, & miseria, vt adhuc vitiis impliciti, turpésque, temerarij, impudētes, eam exhorrescant, pertimescantque omnino, qui maledicunt diei, & luci quòd malè agāt; qui possunt putredine, & corruptela vitiorum, inquinamento & infectione suscitare Leuiathan, & reproducere operibus & malitia, oriūtur deteriores serpentes omnes, spurcitia & putredine maiores, vastiores, ac oriūtur naturæ propagatione, & ritu; voluit Auicenna 6. naturalium, quo Pithon Ouidij ortus, diluuij putredine est ratus ille. Hinc locus ille Isaiæ innotescit, capite 17. qui huic nostro dedit initium, quo Christus promittitur iis: *In die illa visitabit Dominus misericors* morte filij, & placatus *in gladio suo*, in potentia & iustitia, nam satisfactum est illi, per Christum de iustitiæ rigore *in gladio suo duro*, quia superari nequit, dura enim resistunt tangenti. 2. de ortu Aristoteles, *& forti*, omnia superans, hoc enim fortis est, superare & vincere, *super Leuiatham serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum.* Vectis est corpus longum, & teres, ex ferro aut ligno, aliave materia efformatum, quo eludente armillis ostium recludimus, manu vectum manubrium quasi, & ideo vectis. Virgilius 7. Æneidos: *Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri*

Robora:nec custos obsistit limine Ianus; Hic teres, regularis, rectus, facilè extrahitur, tortuosus verò, vitiosus, obliquus, impossibile omnino educitur, non ludit armillis, sese impedit, quominùs percurrat per illas, eásque deserat. Tum *vectis* nomen significat oblõga corpora, ferrea, aut lignea, quibus euoluuntur onera, vehuntur & gestantur, Græcis hypomachlia dicta. Dracones diximus longissima obtinere corpora, teretia, densa; complicata tamen, acta orbibus, & plicaturis, nodísque, tortuosa & obliqua, plicata nimis, quia rigentur frigore, natura frigida, circumuoluunturque ideo, Ouidius, Phaëtontis commisso errore, Draconem enodari dixit, solis accessu, plicatum priùs, obuolutum, & confusum, imò senio frigidiores magis plicari, & contrahi dracones, veteres, seniores, annuos: dilucet dictis; quò vectem tortuosum hunc Isaias vocat, hoc vecte tortuoso, obliquo obserabatur cœlũ ante Christi victoriam, portæque cæli, ianua, & fores concludebantur illo, erroribus nostris, ferreo, ligneo, esu ligni; Leuiathan dracone serpente, dæmove vecte, peccato, tortuoso, obliquo; non erat aditus, hoc vecte cœlo concluso aperuit Christus, reserauit, patefecit, confregit vectes, dirupit, psal. 106. *Confiteantur Domino misericordiæ eius; & mirabilia eius filiis hominum, quia contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit.* Isaias 45. *Gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur, Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Stabilitur pœna Deuteronomij 28. iis qui à lege deficiunt: *Sit cœlum quod supra te est æneum, & terra quam calcas ferrea.* Christus ergo Samson hic portas ciuitatis adduxit secum, lignum, clauos, vectes, seras, quibus

bus portæ fulciuntur. Claues elargitur ille clauium autor, non petit, imò aperit ille, alij aperiunt, quia ille aperuit; lignũ, crucem secum tulit, clauos traxit, eduxit & elisit, quibus affigebatur, vectibus fractis, diruptis seris, tortuosum Leuiatham vectem contriuit, quassauit, clauis, vectis, & portarum seris eruptis, transfixus manibus, vt sit nobis maniruptus Deus, manu facilis, liberalis, qui manibus retinere nescit, perforatis & ruptis, diruptus pectore, vt omnia elargiatur, cor adhuc, imò sese ipsum, sanguinem, vitam.

De Leuiathan robustißima structura, mysticis, literalibúsque intellectibus.

CAPVT IX.

PRosequitur c.41. Iob. adhuc reliqua, quæ ad naturam Leuiathan spectare videntur, quæ vt nil desideretur naturæ huius animantis, percurro modò. Inquit Deus: *Non quasi crudelis suscitabo eum, quis enim resistere potest vultui meo? præcipitatum semel non suscitabo,* Leuiathan scilicet, vt draco crudeliter filium suscitat, (*Balin* herba, retulimus anteà, *Belis* nobis, aut Consolida dicta, de qua Discor. lib. 3. c. 150. Plinius loco citato, Theophrastus, alij) vt ambo simul irascantur, sæuiãt, irruãntq; in dracocidã eius filij interemptorem (est draco memoratissimũ animal, tam beneficij accepti, quàm offensæ & noxæ, vt latissimè docet Ælianus lib. 10. c. 49. Pindi exemplo, quem à scelestis & sicariis vindicauit hominibus, ob beneficia accepta, alios verò discerpsit, anteà multò commisso delicto, & offensa illata antiquitus, idem Rhodiginus Cælius lib. 25. c. 29.) Nõ ergo quasi crudelis 46

tyrannus, qui minatur mortem, ruinam, & excidium reipublicæ, priuato bono consulens, auarus, & cupidus, cum Rex cōmuni vtilitati prospiciat; suscitabo hoc monstrum immane, vastum, & horrendū, vt genus hominum deuastet, & deglutiat, nec est mihi adminiculo, omnipotens cùm sim, Leuiathan, nec illo vtar in vltionem hominum. Quis poterit resistere vultui meo, cur illum suscitabo, quis dedit mihi vt illi reddam potentiam qua pollet creatus semel? omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt, non ab altero accepi, Leuiathan potest, quia possum ego. Non ergo illo est mihi opus, solùm vt exerceat homines, reputetúrque illius hoc ad iustitiam, Leuiathan viuit, & suscitatur; imò exhorrescens illū suscitaui, & odio habens dæmonem, culpa emortuum. Subditur eo loci. *Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis;* vt non pepercit Christus locis adductis, quando filium Dei viui compellabat, filiumque altissimi, sanctum Dei, filium Dauid regalis prosapiæ versutus dæmon & draco Leuiathan callidus, ne pelleretur ab iis, quos vexabat ille: subdit; *Quis reuelabit faciem indumenti eius? & medium oris eius quis intrabit?* Draconem hunc verum, quem Leuiathan monstrauimus nomine intelligi, supercilia longissima obtinere, hirsutaque & hispida, aurata fulgoribus variis, refulgentia, & distincta, docet Nicander in theriacis iis: *Tuque virescentem cognosce, nigrumque draconem: Hic splendet forma, mentumque armatus vtrimque: Surgentes triplici discurrunt ordine dentes. Pinguia sub ciliis sunt lumina, barbáque subter Mento strata graui, bilis suffusa colore.* Ælianus idem libro 11. c. 16. Rhodiginus libro 10. capite 3. quos esse acutissimi visus narrat, ideoque Palladi consecratos, vt pudicitiæ præsint; hæcque veris draconibus inesse magis,

è

è quorum genere Leuiathan esse constat, iam anteà dictis, quibus iuba adest longissima, densissimum mentum, barba crista producta nimis, excrescentiæ quædam cutis, & carnis, protuberationes crassæ, è quibus oriuntur cilia, quæ obscurant oculos, & circumuallant, quibus cancellorum instar cernunt, toruè & occultè, vt iis sint acerrimi visus. Sic Ælianus citato loco, Rhodiginus, & alij. Cùm ergo tot tantisque velaminibus, indumentis, cooperimentisque variis, adeo facies eorum veletur & occultetur, disquiritur Iob iuxta huius animantis naturam iis: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Vltraque quis faciem peccati reuelabit, mille modis occultam, abditam velaminibus mille, fucatã boni specie, forma & pulchritudine? quo Regius vates Ps. 18. *ab occultis meis munda me Domine.* Paulus 2. ad Corinth. 11. *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis,* sic splendet Leuiathan Draco, qui cùm strictissimi oris sit, docuit Solinus c. 33. vt illud dehiscere non possit, aut aperire, linguam solam ore, hãcque tenuissimã exerat, subdit Deus: *Et medium oris eius quis intrabit?* Huius immanissimi animantis os arctissimum quis subibit, vt quæ semel deuorauit, ingessit, extrahat; & cogat reddere; prædam auertat, deprædeturque? Qui tantum hoc est suscepturus opus, tantãq; prouinciam, duobus eget, & viribus omni natura maioribus, nam 41. c. de hoc dicitur; *non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret,* in natura scilicet, tum qui ingressurus est, sit molis minimæ, pusillus & paruus, vt os strictissimum possit ingredi vastissimi amantis. Hæc soli Christo insunt, *æquali Patri, secundùm diuinitatem, minori patre secundùm humanitatem,* ex symbolo Athanasij. Matth. 18. *& qui susceperit vnum paruulum in nomine meo, me suscipit* Quicumque humi-

liauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum, paruulum, & se ostendens, quem amplexatum obtinebat tunc, vt Marci dicitur. Isaias 9. c. *paruulus enim natus est nobis, puer datus est nobis.* 11. *puer paruulus minabit eos*, Leuiathan scilicet & Dæmonem. Medio ore huius draconis & Leuiathā continebātur patres; neque enim dentibus discerpserat, nec digesserat, aut alterauerat ventre, vt in se cōmutaret; extraxit Christus, os Draconis subintrauit, iniit, prædā tulit hic verus Sāsom, fauum de ore fortissimi animantis, cuius os diruperat, traxit; quò & Iob dicitur eodē: *Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido.* portas vocat oris maxillas, genis & buccis conclusas, deformes tamen, magnitudinis miræ, occultę, & abditæ intra buccas latentis, solo hiatu patentes, & ore paruissimo, quæ vt pateant, ruptione est opus, vt rupit Christus, vt vteretur præda animarum patrū, quæ cùm magnitudine polleant, portæ dicuntur, & cùm triplici dentium serie sint insignitæ, vt eisdem locis Nicander & Solinus referunt, incutiūt formidinem, metumque per gyptum; caput enim mouent in gyrum serpentes plus omnibus animantibus aliis; docuit Aristoteles 9. de historia animalium, capite quarto, & quinto, à quo Plinius, & reliqui. Formido adest, non noxa, dentibus Leuiathan draconis, non ore, non rictu, imò, verbere nocent, cauda, & vltimo; Solinus in Polihistoria 33. Plinius, reliqui, morte, nocet vltimo & cauda, quam vicit Christus, discussit formidinem, os aperuit, reserauit, & discerpsit, mortem nostram moriendo destruxit, absorpta est mors in victoria, mors mortis & inferni morsus, ex Osea & Paulo; amputauit caudam, rescidit, mortémque Draconis, qua pollebat ille disiecit, ligauit huius vulpis, vulpini & calidissimi animantis

mantis caudã, Samson hic noster, vt regnũ Philistim vastaret, Iudicum 15. dicitur. Subditur eò loci: *Corpus illius quasi scuta fusilia squãmis sese prementibus compactũ, vna vni coniungitur; & ne spiraculum quidem incedit per eas, vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Seruat naturam animantis non minùs iis, scutum vocat corpus eius. Sunt armorum duo genera, & quibus tuemur, deffensiua vocata, & quibus in hostes irruimus, offensiua dicta. Draco munitus est armatura vtraque; corpus eius quasi scuta fusilia, quæ fusione efformantur, metallo fuso & liquato, liquata enim solidiora fiunt metalla, cohærent magis tenuioribus factis partibus, subsident fæces & crassa substantia sedet, exoluitur flatuosum igne, miscella depuratur, metallum magis perficitur, miscentur meliùs quæ supersunt, fæcibus semotis flatulentis exolutis, quæ alia subleuabant quominùs hærescerent, similiora magis, symbola, eadem; quò sunt fortiora fusilia, ductis malleolo. Est corpus draconis instar scuti fusilis compactum, densum, aduersariorum telis resistens, retundens, hebetans eorum arma; quo Iob eodem c. dicitur. *Reputabit quasi paleas, ferrum, & quasi lignum putridum, æs, non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ, quasi stipulam æstimauit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Armantur dracones densissima cute, fortissima, & solida; quo Plinius libro 8. capite 14. expugnatum refert draconem in bellis Punicis sub Diuo Claudio Imperatore, quingentorum cubitorum qui erat, in cuius exterminium fuit opus ciuitatis instar oppugnandæ, ballistis, tormentis bellicis, sagittis, hastis, gladiis, lapidibus, reliquisque bellicis artibus, quibus adhuc Leuiathan non cedit, nec iis expugnatur, monstrosum animãs, Giganteumque, draco,

quod factum est, vt nullum timeret; non est super terram potestas quæ comparetur ei, nullum timet super terram, saltem ille solùm ab illo qui venit de cœlo superatus, & victus. Lucanus lib. 9. de bello. *Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris Serpitis aurato nitidi fulgore dracones Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum Aëra cum pennis, armentaque tota sequuti, Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros. Nec tutus spatio est Elephas, datis omnia letho. Nec vobis opus est ad noxia facta veneno.* Non est potestas quæ comparetur illis, tum armis quibus noxam inferant, muniuntur fortissimis, rictu & ictu, capite & cauda collidunt Elephantes, tauros ingentes, docet Solinus citato loco, Plinius, Lucanus, Iob eodem c. sic; *In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas.* Iubam cùm erigunt ceruicis & colli, caputque extollunt, cristas exerunt, formido inest animantis vastissimi, Iuba nomine dictus, antiquissimus ille, docet cristatos esse in commentariis rerum Arabiæ lib. 6. cap. 20. ad Caium Cæsarem, Nicander imò adductis suprà locis, Ælianus, Plinius lib. 28. c. 4. primam colli Draconis vertebram, spondilium primum, tanti esse roboris, virtutis sustinent, tantæ potentiæ, vt eo læso, omnes vires animantis cessent, exoluanturque, eo læso, nil vltra quàm pondus iners, rudisve aut indigesta superest moles. Ingentissimos tauros, Elephantos occidimus facilè, ea læsa vertebra colli prima, occipitis ictu præcipitamus, occipitamusque nõ secùs: Fortitudo ergo in collo eius; idem Solinus in polihistoria c. 33. tum Edoardus lib. 6. c. 118. Ælianus lib. 2. c. 21. autores historiæ rerum Frisiæ volumine 2. lib. 7. c. 40. referunt, in Frisia Dracones montes ascendere, hianti ore, gutturéque laxato, velut philtro quodam amatorio aues ad se suctu

ctu allicere potentissimè, allectas in ventrē proiicere captato aëre, post hæc insidiari gregibus, quibus maximam inferunt perniciem, pastoribusque egestatē; faciem ergo eius præcedit egestas, cùm ore hianti, famelica, facie occurrat primò absumēti & deuastāti, terra, aqua, & aëre, vniuersa anima constantia, animantiaque cuncta, escas omnes, tum halitu expirāti igneo, & vrenti virentia & viuentia exurit, & succendit, tam circa eius cauernas adnata, & adstantia, quàm casu inuenta; squallidus vt sit locus domicilij eius, vt præcedat egestas eius faciem, cognoscaturque ex ferali antequàm conspiciatur & appareat ille, quo eodem c. dicitur: *Omne sublime videt*, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. Cùm incredibili mole montes adhuc eminētiores subeat, & profundum maris disquirat, vt sit auibus superior. reptile ille easdemque venetur, & alliciat, quò & omne sublime videt, & vt videat ascendit, nimis indagatricis naturæ, & curiosæ, piscesque omnes, & profunda quæuis, iustos, doctos, peccatores, ignaros, docet Ælianus suprà, Solinus 33. c. citato, ideò Ouidius Thesaurorū custodes effinxit, hortorumque custodibus præesse, acerrimi visus, & auditus potentissimi, Plinius lib. 17. c. 13. Ælianus lib. 10. c. 49. idem. Subditur Iob eo loci: *Feruescere faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum vnguenta bulliunt.* aquis immergitur, abditissima & profundissima quæritans, & scrutans, examinans omnia, postquàm omne sublime vidit, vt dixerat anteà, vndis immersum; Elephantibus insidiari, Nicander docuit in theriacis, tum Solinus 33. c. tum Plinius lib. 8. cap. 12. quos naturæ ancipitis vocat, aquæ & terræ indigenas, imò & aëris. Sunt testes aues, sic concutit mare, sic agitat & euertit, vt quasi ollam efferuescere faciat; excitatis bullis, leuatis

flatibus aquæ, permiſtis ſummo concuſſu & agitatione aëre ſuccedenti aquæ diuiſioni, & ſeceſſui, qui vt erumpat poſteà, & in naturalem locum ordinemque redigatur, rumpit aquam dum poteſt, & hoc eſt ebullire, eleuari aëre incluſo, vt rumpatur, & abeat. Feruere faciunt aquas caudæ commotione, ſpumoſamque adaugent ſubſtantiam, ſuperbiæ flatibus, & feruorem excitat, & ponit quaſi cùm vnguenta bulliunt dum parantur vnguenta, aquæ liquidæ & perſpicuæ, oleaque clara eluceſcentia feruent priùs, vt iis perſpicuis efferueſcentibus pulueres craſſæ, fæculentæ & obſcuræ ſubſtantiæ immiſceantur, ebullitione ipſa omnia vt turbentur, volutẽtur, voluũturq; ſpatula, vt ſuperiora imis, & ima ſupernis, *mollia cum duris*, *ſine pondere habentia pondus* commiſceantur, vt decẽt, quo obſcurantur clara, & turbantur quieta, tranquilla, funditùſque euertuntur; ille agitat mare, eo impetu commouet, vt perſpicuas aquas & limpidas vligini & limo inquinet, & fædet, vniuerſique rempublicam euertat, ſubuertit, turbat, ira feruere facit, ſuperbia inflat, ſeducit, confundit omnia, què ſubdit: *Sub ipſo erunt radij Solis, & iuſti, & ſternet aurum quaſi lutum confuſione, & opprobrio.* Radios Solis iuſtitiæ ſanctos, aurum virtutum ſternet, charitatem puritatem exercebit tentationibus, contumeliis, opprobriis, ſanctos, hac maris commotione, vſque dum præcipitetur videntibus cunctis, vltimo iudicio & vniuerſali illo ſpectaculo, vt anteà dictum, mors eſt draconibus communiſſima præcipitium, docet Plinius libro 8. capite 12. Ælianus ſuprà, & Solinus adhuc. Elephantes adoriri rupis altiſſimis, quos dum ſuperare nequeunt, eiſdem plicari, & circumuolui, arctiſſimè vt præcipitio ſe, & eos collidant, quò rumpitur vaſtiſſimum, & immane monſtrum. Sub ipſo

ipſo erunt radij Solis,ſeruata adhuc natura animantis; lucet enim & fulget totus quaſi auri fulgoribus eniteret. Nicander ſuprà in theriacis, *hic ſplendet forma totus*, idem Ælianus, & alij, quò refulget Solis radiis,aquis, & terra,ſeſe illuminat, præcipuè in aquis, vt Solis radij & ſplendeſcentiæ ſint ſub illo, reflectione cutis, quo ſuperbus ratus eſt,ſe ſolo lucere,ſplendeſcereque, & ſeſe illuminare poſſe ratus Lucifer,ſe ſolo videre poſſe,ſuo tantùm lumine,non ſolis egere radiis, ſe ſibi eſſe ſatis. Iſaiæ 14. *Conſcendam in cœlum, & exaltabo ſolium meum, ego feci meme.* Pharao Lucifer,ſternit aurum, quaſi lutum commouens aquas, citra diſtinctionem iuſtæ æſtimationis rerum,euertit funditus, promiſcuè arenas, & aurum arenis contentum, vt aurum occulat, inuoluat, areniſque occultet auarum animal, theſaurorum cuſtodiis præeſſe docuit antiquitas. latè antea.

De Leuiathan æſtibus tropiſque eius conflagratione eliſis.

CAPVT X.

IOb eodem loci: *Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem:* lucet ſemita mucore lucido argentato, relicto è plurimis animantibus ex his quæ repunt.In cruſtraceis patet præcipuè,& nõ cruſtraceis plurimis, dum reptant. In limacibus eſt videre, vermibuſque multis, colubris,& aliis: tum & in draconibus veris dictis de quibus eſt ſermo, cùm ſit verus draco Leuiathã dictus nomine,vt latè ſuprà: Fulgent ipſi,& ſemita fulget, poſt eum perlucet, & ſplendet. Nicander dixit pręſcripto loco;Cùm ergo 47

mare

mare concitat, & feruere facit commotum, ſpuma increſcit, albiſſimæ naturæ aëre perſpicuo aquis immiſto, albicãti in aquis, lucis cãdido, ſuſcepto in aëre, nimis perſpicuo, ipſe ſuperbiens ſuperato mari. Tumet albicantem ſpumam proſpiciens candidiſſimam & albam, debile iudicans, inferiuſque & ſubditum mare commotum illo, albicantem, quaſi ſeneſcẽtem candore, ſine viribus, ſenio eneruatum deridet, deſpicitque abyſſum, viribus debile, & ſpuma quaſi caneſcentem. Corpus ſquammis compactum eſt vndique, vt eo loci videmus 41. Tegitur ſquammis piſcis, & ſerpens adhuc, de piſcibus nullus ambigit inter aquatilia, de ſerpentibus Virgilius 2. Æneidos. *Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat: Arrectiſque horret ſquammis & ſibilat ore.* compactum eſt corpus draconis ſquammis, eſt verus ſerpẽs. 2. Georgicorũ: *Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.* Imo Georgicorum 4. *Squammoſuſque draco & fulua ceruice leæna,* vbi ſquammoſos dracones vocat, ſquammiſque compactos: piſces enim ſquammas obtinent, ſeiunctas, diuiſas, ſuperpoſitas, & perſpirabiles: ſerpentes conſtipatas, iniunctas, hærentes ſibi, plurimis viſcido & tenaci mucore ſubortas, in partibus deumbratas ſolùm, delineatas, non perfectas. Plinius 11. libro 33. capite vocat piſces ſquammiferos, corticatos verò ſerpentes. Idem Ariſtoteles quarto de partibus, capite 11. non quòd non tegantur ſquammis, quod imò confuſas habeant; quæ expreſſit Spiritus Dei iis: *Compactum ſquammis ſe prementibus; vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas, vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur.* Imò cutis ſquammoſa priùs, fit cortex ſenio, cortex tandem teſta duriſſima, oſſea, conchis diuiſa,

diuiſa, ſerpentibus & draconibus: quibus conchæ & ſquammæ figuram ſcuti repræſentant & reddũt: hinc ſcatis referuntur fuſilibus ſquammæ eorũ, fortiſſimæ ictibus: at ſi decidant, manibuſque elabantur, debilia & leuia, frangibilia, proprio ſi decidant pondere, Leuiathan lapſus oſtendit, & dæmonis caſus, quo diruptus, quaſſatus, tritus eſt ſerpens. Superfluo ſquãmæ excremento conſiſtũt, terreo & aqueo, vt plumæ, aqueo & aëreo, docet Ariſtoteles 4. de partibus c.13. & 1. de hiſtoria c.11.6. de hiſtoria c.13. quo iis & illis veſica deeſt; piſcibus, auibus, ſerpentibus, in ſquammas & plumas conuerſo excremẽto aqueo, eiiſdem locis Ariſtoteles ſenſit. Piſcibus & ſerpentibus terreo & aqueo excremento fiunt, & oriuntur ſquammæ, at craſſiori ſerpentibus, impuriori, denſiori, viſcidiori: limpido & puro piſcibus, piſces continuo lotu extergunt, depurãt ſquammas abluuntque & perficiunt. Lucent ſquammæ piſcium, Ariſtoteles 2. de animo cap.7. quarum fulgore illuminant aquas, eſcas quæritant, capiunt, trahunt, & illiciunt maiores minores, puſilli aliorum lumine victum quæritant, lucent argentati piſces limpida aquea, Angelorum ordinum, illuminationiſque eorum, iuſtum hieroglyphicon, Maiorumque & ſubditorum veriſſima icon, baptiſmatis ſacri figura aptiſſima: impura ſecundùm ſe lucent, ſplendeſcunt aquis, illuminationeque maiorum minores & ſuperiorum inferi. Serpentium ſquammæ terreſtri, impuro, craſſo excremento conſtant, terra repunt, imò limo & humentibus meliùs, obſcœniſque locis aſſeruantur, quibus ſic Leuiathan ſerpens fædatur, torpeſcit, vt ſquammæ in teſtas commutatæ, nec depurentur, nec lumen ſuſcipiant, aut fulgeant: aues & piſces ventilantur vndique, perflantur, ſpirãt cute,

vt rariores corpore, ſubit aër eorum poros, quo diſflatur calor, & reuiuiſcit, ventilatus afflatu & perflatu. Eget flammula noſtra natiuus calor, ventilatione perpetua, & iugi tranſpiratione cutis, arteriarum motu circumſtantis aëris. Docuit Galenus de cauſis pulſuum lib. 1. c. 3. Ariſtoteles lib. de pulſu c. 2. Spiritum ergo admittunt, & ſpiritus aëriſque motus aues & piſces: ſquammoſi ſecùs ſerpentes: lumen illa ſuſcipiunt, ferunt, & ſuſtinent, vtuntur lumine, depurant excrementa vitioſa aues, & piſces aëre, ſpiritu, & aqua: figura aptiſſima ſacri baptiſmatis, quo viuit homo & oritur, ſpirituque & influentiis cœleſtibus viuificatur, reuiuiſcit ventilatione calor, increſcitque charitas, emicat ignis noſter, ardet, creſcit. Quò piſces ſquammatos ſolùm edere præcipit Deus Deuteronomij 14. & alibi ſæpè, aueſque volaces, ſerpentes & immunda omnia reſpuit & interdixit. Serpentes enim ſtipata cute, conſtipata, & denſa, non admittunt ſpiritum, imò ſquammæ hærent ſquammis, vitia vitiis, vitioſo excremẽto & terreſtri impuro ſubortæ, vitioſo ſuccorum halitu, viſcido coaleſcentes, ſpiritum impedientes, motuſque, & aquæ exterſionem recuſantes terreſtri & reptili natura. Ezechielis 29. hæc dicit Dominus: *Ecce ego ad te, Pharao, rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius; & ego feci memetipſum, & ponam frænum in maxillis tuis, & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquammis tuis, & extraham te de medio flumiuum tuorum, & vniuerſi piſces tui ſquammis tuis adhærebunt, & proiiciã te in deſertum, & omnes piſces fluminis tui: ſuper faciem terræ cades, non colligeris, neq; cõgregaberis; beſtiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad deuorandũ.* Diximus & dracones terreſtres conſuetudine fieri aquatiles, in tantũ vt aſſuefacti aquis, ſi in

terram

terram reuocentur, citò intereant, & vltrà, eorum ſquammis fulgentibus trahi piſces, illectos fulgore, vorarique fallaci lumine refulgenti, non proprio, & innato, Solis imò, tum & piſces transfigere aculeis dorſi, & iubæ, draconis marini & terreſtris, ſquammis illectos, ſeruaréque crudeliter infixos, in futurum victum, ſemel ſaturi, vltrà & volatilia auidiſſima eſſe reptilium, eorumque vti in eſcam ſubſtantia. Quibus ad literam & ſpiritum minatur hic Pharao, draco ocioſus medio affluentiæ aquarum delicioſus & vdus. Vltrà, vocat ſquammas vitia & peccata quibus hærent piſces, & ſubditi maioribus. Alliciebat Pharao populum apparentibus bonis, & ſubditos vitiis & impietatibus trahebat. Subdit Iob 41. huius animantis perſcribés naturam, eademque mores hominum inſtruens & temperans: *Sternutatio eius ſplendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi, de ore eius lampades procedunt, ſicut tedæ ignis accenſæ, de naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentis: halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Anhelare potiùs quàm ſpirare, aut inſpirare dracones veros diximus, oris ſtrictiſſimo hiatu, arctiſſimo orificio, narium foraminibus aërem alliciunt, & eliciunt, ore ipſo magis. 33. cap. Polihiſtoriæ ex Solino, Æliano, Rhodigino, & aliis: locis allatis antea, iis vaſtiſſimum animal frænatur de reſpiratione anxium & ſolicitum nimis, aliàs ſi liberè reſpiraret, furioſum, ſuperbũ, vaſtaret regiones integras, abſorberet & deglutiter ciuitates & regna, vt fecit apud plurimos, & hiſtoriis comprobauimus anteà. Moleſtiſſimè reſpirat, vt fiſtulis narium tractus aër, pulſus, & expulſus, eo impetu feratur, adeò concutiatur & atteratur motu, vt miſtus ſimul, cum magna copia fuliginum

ignitarum

ignitarum & fere ardentium, anhelatione vastissimi animantis impetu facto, spiritibus cordis, pulmonumque & capitis immistis, multoties sufflet ea vehementia & conatu illo, vt ignitus aër inflametur attritu, inflãmatusque spiret crassissimis fuliginibus mistus fumo, vapori tetro, denso, nigro, fuliginoso, & obscuro: quo ignem euomere dixere antiqui immensos Dracones; aut exhalationes igni simillimas, potentia & officio vrentes, tetras, obscuras, fumosas, igneas, opacas, Virgilius 2. Æneidos ignem vomentes effinxit Dracones, Homerus, Ouidius, Lucanus de Chelidro serpente fumum mittere iis dixit lib. 9. non solùm de Draconibus, *Tractique via fumante Chelidri.* Solinus imò in Polihistoria sic capite 33. de Æthiopia à meridiana parte mons editus mari imminet, ingenuo igne, per æternum feruidus: & in quiete iugis flagrantibus, inter quæ incendia iugis æstus, draconum magna copia est. Quò nil mirum erit, cùm inter incendia viuant, fumidisque vtantur exhalationibus, igneis, flagrantibus, cerebro irritato & onusto, concusso & lancinato, vt noxia pellat, & quæ molestiam inferunt vehementissimo motu concussionis, per loca tristissima attritu vehementi sternutamenti opere, quò vniuersa animantium compages excutitur, lãcinatur tanto impetu, & commotione tanta, ignem vt expirét, leuemque flammam subortam motu immensi animantis, impetu facto, qua non vruntur aut inflammantur, cùm euanescat subitò, instar bellici instrumenti, subitò explosa & exoluta: quo splendor ignis Iob dicitur, non ignis vrés. Multoties imò ignei splendores, dum sternutamus, impetu ante oculos facto, obuersantur, mouenturque & lucent, vt in ictibus oculorum, fulgores resiliunt, experientia notissimum, & apertũ. Quo argumento

mento ductus Plato, instrumentum visus igneum credidit, refert Aristoteles de sensu & sensili 2.c. Vt ergo spiritus ictu concitati valido, concussione cerebri, dum sternutamus motu facto, impensè ignescunt & fulgent, leui incendio & flamma excitati, quò splendores oriuntur, rarefactis cõcussione, succẽsisque cõtinuo attritu, non secus draconibus flãma vera, splendor ignis contingit & accidit, dum sternutãt deformi natura, vasta, & superba, vt de multis serpentibus & animantibus suprà retulimus sermone adducto serpentium ignitorum; iis Leuiathan ignẽ, flamam spirare constat, ore & naribus, ore lampades, quasi tædæ accensæ & feruentis. Ore ex corde & pectore respiramus, & expiramus apertò, & hianti; est os cordi vicinius, naribus, pectoriq; & pulmonibus, quò calidius spirat os naribus. Quæ enim calefacere enitimur, halitu oris, anhelatione, non narium, ore aperto, non semiaperto, aut plicato anhelamus, exhalamusve inflantes, aërem frigidũ reddimus, quem naribus traximus, oreque retinuimus, obserato orificio laringis, ne in pectus descẽdat, & prolabatur, eo replentes buccas, autoris cauum, quo frigidum pellimus, quod interna non attigerit: quod enim attigit, retinemus, vt exufflemus alterum, naribus & ore tractum, antequàm interna petat, at dũ exhalamus apertis omnibus, calidum internè aërem iam emittimus, & ab internis reiicimus. Hinc alto pectore insufflamus, compresso verò exhalamus, detento recepto iam in visceribus insufflatione, excusso verò adhalatione interno, vt externum exufflemus naribus, succedentemque, adhalemus verò internum intra conditum, semiaperto ore, at laringe obserata efflemus; ore ergo patenti absolutè dicto ignea expirat horrendum animans. Ore ergo

Ore ergo calidiùs ſpirat, flammas tædæ quaſi accẽſæ Leuiathan, non lucidæ, aut depuratæ flammæ; imò tenebroſæ, obſcuræ, plurimis fumoſis exhalationibus miſtæ, non limpidæ aut puræ tædæ, imò inſtar quæ flãmam ſpirat tetrã, fuliginoſam, impurã: quod etſi flãmam ſpiret tandem, oréque euomat, euaneſcẽtẽ ſubitò naribus, tamen fumũ, non ignẽ reiectat iratus. Eſt flamma fumus ardens, at fumus ſolus nec ignis, nec flãma eſt, ſed materia & ſubiectum huius, illiuſque, docuit 1. de ortu Ariſt. & 2. adhuc. Naribus ergo fumũ ſpirat ollæ ſuccenſæ, quę recoquitur intus, & occultat flammam, fumum naribus reiicit, vritur pectore, & incendio flagrat; flammiſque quando naribus expirat, vt iratis accidit, iis potiùs quàm ore ſufflare, quòd calorem obſeruant intus, ne ore aperto deferueſcat ira, refrigerato pectoreque, gaudẽt tunc appetitu vindictæ, & ſi iis non exuratur pectus igne genito, quod ſubitò abeat. Vrgetur maximè æſtibus, tãto animãti impedito anhelitu, reſpiratione, & halitu, ferueẽtis ollæ modo ſpirat ſuccẽſæ, fumo vaporibus miſto, vt olla expirat, fiſtulis, immẽſum animal, foraminibus narium, concluſum quaſi, paruiſſimo ore. *Cuius oculi, vt palpebræ diluculi*, vt crepuſculi, & antelucanum tempus, non clari, perſpicui, patentes, imò obſcuri, lucis incertæ & timidæ. Summa ſapientia palpebras vocat diluculi (altiſſima metaphora) primas lucis lineas, ante Solis ortum: aut vltimas poſt Solis occaſum, dubias, incertas, quibus nondum oculus mundi certò conſtat Sol, refulgenſque aſtrũ: ſolùm imò palpebræ elucent diluculi: palpebræ dictæ, luminaque incerta, nondum tamen viſitur oculus mundi: palpebræ diluculi conniuere incipiunt, & nictitare quaſi, & elucere, non aliter Leuiathan oculi Draconis, mediis longiſſimis dictis ſupercili-

liis,

liis, & dependentiis cartilaginosis, fulgentibus, coloris aurati, variis fulgoribus, incerto lumine emicant, abditæ & demissæ: ex Nicandro, Æliano, Rhodigino, & aliis anteà adduximus: Ea est vis, ille impetus sufflationis fistularum eius, follium instar, vt non solùm spirantem fumum igniat, accendat prunas imò ipsas flammæ ineptas, crassitie non spirantes, vt in flammam commutentur, ardere faciat: vt facit validissima sufflatio exardere, quæ alioqui citra flamã, silentio cõcremarẽtur. Quibus huius animãtis potentia & astutia exprimitur, & depingitur satis. Pollet lumine fuliginoso & tetro, tædæ modo fœdo, & obscuro, vitiosis fuliginibus referto, misto & confuso, ore euomit flãmam, spirat naribus, & pellit fumũ detẽta flãma in visceribus, in pectus tractis fuliginibus ira, ex arteriis, & corde, antequàm succẽdantur, impatiẽtia animãtis, dũ naribus sufflat. Supersit naturale Dæmoni adhuc, tetrum tamẽ, obscurum, & fædum, inefficax, non illuminat, obscurat imò, vrit & vorat, non illustrat oculos, quibus lumen natura & iure impertitur. Nares imò alimenti viam, os, naturalia, principium alimenti, os, nares, guttur, pulmo, aëre inspirato quo resarciuntur spiritus vitæ, quibus & alimur, cum sanguine simul immistis, vt partes halituosæ & viuidæ adstent. Hippoc. lib. de alimento sect. 1. comm. 30. Inseruit solùm pectori, & ventris digestioni, non capiti: non vt videat draco hic immensus, eminet lumine, imò vt crescat mole, & veneno, calore nimio vt æstuet, vt malitia increscat, voretque omnia, gliscat, ingerat, non capiti Deo lumen subdit superbus ille, imò satisfactum sibi esse putat, se solo per se videre posse putat, non gratiosa visione, natura imò Deum, ipseque sibi sufficere suasus, superbus Leuiathan

 lumen

lumen naribus & ori obtulit, capitis & cerebri recrementorum viis: excrementa cerebri illuminauit, errorem, malitiam, ignorantiam in hæc ſolùm lumine vſus, ſuperbus, & tumidus, ſe ſolum voluit ſectari, noluit vltrà videre animal, acutiſſimi, vt mõſtrauimus, viſus & diſertiſſimi alioqui: ſe ſolum, naturalia tantùm inſpectat, hæc adhuc mille obſtaculis ſuperbiæ aſpicit, velaminibus mille, potentiſſimi natura luminis, viſus acerrimi, hoc lumine extimeſcendus dæmone, ne illuminet, ſuggerat, ne fulgeant ea luce colores apparentes rerum, opaco & lucido permiſtis apparentia, & fraude, lucidis interuallis, eluceſcentibus, ſuperbiæ fumo ne nos inquinet, polluat, fædet vapore tepido, leniat, oblectet, vt decipiat, & circumueniat mortales. Hinc dicitur Iſaiæ 10. Deo impios execrante: *Et erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus eius in flamma, & ſuccendetur & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna*. Monimenta & limites vaſtabuntur, hocque lumine quo illuminabantur cuſtodiebanturque, vigiliis noctium & tenebrarum ardebunt, ſuccẽdentur, lumine in ignem conuerſo Leuiathan: quò vitiorum viam ſectabuntur, legibus ſoluti, & vepribus, ſpinis, & munimentis deſtituti, quibus tuebantur: igne abſumentur ſimul; ea erit malitia, potentia, & incrementum, vt vna die deſinant hæc & illa, & flamma deuorabit ea immiſta fumo ſuperbiæ, & vaporibus ſuperfluæ humiditatis vitiorum, quaſi lumen tædæ & ollæ ſuccenſæ, quæ per interualla elucent igne iræ, concupiſcentiæque flamma; deficient iuſti & Doctores, non illuminabunt; in flamma imò concupiſcentiæ, & affectuum æſtus edocebunt, vrentur quaſi olla efferueſcens, quæ ore tandem euomit ignem, feruore nimio cum ſuccenſa concremaretur abditè priùs, vt conſumitur

tur testa secretò & occultè, tandem exemplo alios inquinabunt & conspurcabunt palàm, & in propatulo, æstuantes ob populi vitia & fœditates.

De Leuiathan lapidea compage, eiusque symbolis.

CAPVT IX.

IOb tandem concludit, huius animantis naturam describens: *Membra carnium eius cohærentia sibi, mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur: cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur tanquam malleatoris incus: cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Densissimum esse, & compactum animal diximus, quo hærent membra carnium eius, vinculis & ligamentis firmis vincta: & carnales hærent huic monstro, membra & partes, corporis mystici Draconis Leuiathan vniuntur membra carnium eius, non secus ac membra densissimi animãtis concrescunt mole, tenaci vinculo detenta, vsque dum iratus Deus, percitus ira, fulmina vibret, coruscet, fulguretq; in Leuiathan & sceleratos sequaces, membraque illius diuidat: non ferentur in locũ aliũ, imò ea est eius moles & vastitas, vt etsi in gyrũ fulmen descendat, orbiculatimque irruat, non rectà, in obliquum imò, & per transuersum, non minùs Leuiathan disiiciet & percutiet, figet, & transfiget, ac si recta veniret: nec in locum alium feretur fulgur concussum: docuit Aristoteles, fulmen in gyrum descẽdere 2. meteororum cap. 8. à quo Plinius & reliqui: Imò docet experientia ipsa, figit metam, terminum transfigit, ab scopo nec latum vnguem discedit, excutiens fulmina Deus: flagella excutiens, & 49

mens vindictam,& ſi in gyrum fulminet, modò honorem,bona modò,amicos,coniunctos,tandem impium peccatorem ipſum, proprio in capite caſtigat, & punit,expectando defeſſus:adeò increſcit impius, dilatatur in tantum, cumulat ſic vitia vitiis, & coaceruat,vt,& ſi obliquè deſcendat fulmen, cùm omnia ille vitiis, & ſceleribus oppleat,omnibus ſit præſens deformitatum generibus, malitia & dolo, vt fulmē nō fugiat,aut excuſet vbiq; præſens ſceleribus, & abominationibus, moléque vitiorum vaſta, imò tandem illo percitus,diſiectus obeat, vt non feratur in locum alium,ſe omnia occupante,amore proprio, fœdus vitiis, & obſcænus. Iſaias 5. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam,& aperuit os ſuum, abſque vllo termino,& deſcendent fortes eius,& populus eius, & ſublimes, glorioſiſque eius ad eum.* In infernum & ignem deſcendent dilatati, & glorioſi, potentia & affluentia rerum, honoribus & dignitatibus cumulati: dilatat infernus os ſuum, vt eos capiat in ſe & ingerat; quòd adeò malitia increuerint, vt vix eos capere poſſit,ſuperantes malitia, inferni malitiam, & virulaginē:quò dilatat os ſuum ille, vt eos ſuſcipiat, imò ſic dilatantur,increſcūt & abundāt vitiis, vt fulmen errare,aut aberrare à ſigno,meta, & ſcopo non poſſit, vbicumque decidat, & ceciderit: communes vitiis, & abominationibus vbique præſentes. Iſaiæ 33. ſic dicitur iis: *Laxati ſunt funiculi tui, ſed non præualebunt, ſic erit malus tua, vt dilatare ſignum non queas.* Signum & ſcopum fulminis iam non vltrà poteris dilatare,increuiſti adeò malitia,& vitio, ſic erit malus tua, & fructus vetitus adeò increuit, malus & pomi eſus malitia, & culpa hominum, vt ſignum fulminis non dilatent, ſed quoquò verſus adſit ſignum fulminis, meta, & terminus ſupplicij; funi-

culis

culis rationis ſolutis, termino & meta legis laxatis. Amos 1. *Hæc dicit Dominus; ſuper tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quod diſſecuerit prægnātes Galaad, ad dilatādum terminū ſuum, & ſuccēdam ignē in muro Rabba.* Dilatat terminum ſuum impius, vt fulgure percutiatur, & ſi in gyrū piiſſimus Deus emittat, vibretque priùs, quàm eiaculetur è directo, vt cauere & præcauere poſſit ictū & fulmina priùs. Elatiora ideò, altiora, ſuperbaque petit fulmen, impetitque fulgur in gyrū cū veniat, cōtingit ſublimiora, cùm ea parte excellāt, emineāt ſola, qua ſupereminēt, vt ibi priùs impetu facto reſtinguatur, & ceſſet, quò facto impetu, vel ſiſtit, vel ea ſolùm ferit, aut illa primò. Non ergo fulmina fallit Leuiathā, altus, elatus, ſuperbus, & productus, molis immenſæ, omnibus miſtus; cor eius indurabitur tanquam lapis, ex ſe indurabitur, vt induratur lapis, & in pœnam peccati & ſceleris ſtringetur, quaſi malleatoris incus ab altero tandem. Senio & vetuſtate corda animantium lapides, oſſa, durities denſiſſimaſque cartilagines obtinere, & ſeruare, norunt omnes qui rei anatomicæ prima limina ſalutarunt. Nouit de boum corde Ariſtoteles 5. de generatione animalium cap. 8. de oſſe cordis ceruini, & equorum Galenus, Plinius, Dioſcorides: lapidem imò dictum Bezoar, id eſt, contra venenum, Arabicè, cordibus eorum animantium (ſpecie Caprarum ſylueſtrium) adnaſci, & ventri nouimus, epati, renibus, veſicæ, capiti, pulmonibus, lapides ſuboriri ſcimus, experimentoque quotidiano commonſtramus: rubetæ capitis lapis vulgaris, & tritus palàm oſtendit, capiti draconum dracontiam dictam gemmam oriri pretio inæſtimabilem, docet Plinius lib. 37. c. 10. imò Solinus in Polihiſtoria c. 35. Rho-

diginus lib.6.c.11. Philoſtratus, Pauſanias, Ælianus, huncque lapidem euaneſcere, ſi præuiſus draco ſuæ mortis, diſcedat, liquarique illicò incendio cordis, & in cor fluere, liquidum tandem: ſi ſubitò non amputetur monſtroſum caput; vel inſcius, ſi non interficiatur. Quò ſubſtantia illa, petrifica qualitate, illicò ac cor attingit, lapideſcere facit cor, eaque induratur liquata priùs, incendio cerebri calidiſſimi, & æſtuantis, refrigerio mortis ſuccedenti frigore, extinctioneque caloris concreſcente cum corde ſimul: quò duriſſimum lapideum illud conſtituit rebelle, durumque reddit, rigidum, & inflexile, ſubſtãtia lapidea perfuſo, craſſa & denſa, quæ cor denſum & compactũ natura magis multò aliis reliquis omnibus animãtis membris denſat, lapidefacitque omninò; vt & motus ceſſent, deficiantque ſpiritus, impediatur eorum fluxus in caput, eo indurato: ſpiritus Dei, impulſus, impediuntur corde lapideſcenti, & motus ſpiritus ceſſant, qui in caput & rationẽ aſcendant ex corde. via ſpiritus intercluditur, non dilatatur cor in bonum, nec cõſtringitur vt fugiat malum, tono imò quodam obſtinatum, durum, & rigidum ſupereſt, vitales actiones non exercet, non exerit, calore reſtincto charitatis. iis tribus cor eget, calore, ſpiritu, & motu, vt vitalia opera exerceat. Docuit Ariſtoteles de pulſu lib. cap.2. Galenus 1. de cauſis pulſuum c.2. lib. de pulſibus ad tyrones: calore vt cõfirmet alia, foueat, viuificet; motu dilatationis, vt aërem alliciat ex pulmonibus, & capiat, cuius temperetur refrigerio: conſtrictionis motione, vt excremẽta, fuligines, alteratum aërem pellat, & excludat: ſpiritu, vt viuificetur, præſitque ſibi & aliis, capiti inſeruiat, ſpiritus vitales vt releget, ex quibus animales in cerebro generentur, ex corde genitis vitalibus.

libus. tracto aëre,alterato priùs respiratione, pulsu, tránspirationeque iugi & indefessa,vbi tropologicè multa emergunt. Quasi malleatoris incus stingitur duritie,obstinatione,& contumacia. Durum, inflexile est cor draconis (monstrauimus) à se & ab externis , durum vt lapis à se , & vt incus rigidum ab aliis, in pœnam delicti. Hinc Deus Pharaonem increpans cordis duritiem repetens , vocauit draconem iis Ezechielis 29.*Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti,draco magne;qui cubas in medio fluminum tuorum.* Exodi c.4.& 7.*Induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos,sicut præceperat Dominus.* Non audiuit Mosen & Aaron. Exodi 4.Mosi dicitur,*vide, vt omnia ostenta,quæ posui in manu tua facias coram Pharaone, ego indurabo cor eius, & non dimittet populum.* Draco ergo hic corde induratus est tanquam lapis, à se induratum est cor Pharaonis. Ezechiel, *cubans in medio fluminum dicens:Ego feci memetipsum,* vt eo loci dicitur. & tanquam incus ab altero constrictum est cor eius à Deo in pœnam delicti:*Ego indurabo cor eius.* Isaias 63. *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis,indurasti cor nostrum,ne timeremus te?*Paulus ad Romanos 9. *Ergo cui vult miseretur,& quem vult indurat.* Concludit ergo huius animantis naturam. *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli & territi purgabuntur.* Cùm animal tantum & hoc immane naturæ monstrum,horrendum, & vastum abstulerit Deus , ne noxium sit gentibus,populis,nationibus,recluseritque in vastissima deserta inferno aut gurgite magno occluserit, miseriæ mortalium , prouidentiæ rerum consulens, misertus hominum , hunc compescuerit,frænauerit draconem,& ora eius intercluserit, ne rictu noceat, immensum animans;timebunt Angeli timore filiali venerationis & reuerentiæ humiliabuntur;hâc sum-

mam prouidentiam, & potestatem admirantes, colentes omnipotentiam summam, territi, & admirati, obstupefacti, purgabuntur inscitiæ priuationis scilicèt. In hac enim admiratione & reuerentia, hoc terrore sancto discent plurima, reuelabuntur illis magnalia, quò doctiores euadent, expurgata inscitia, illuminati, illustriores multò, puriores, depuratiores: tum dæmone incluso, potentia superata, victo Leuiathan. Apocalyp. 20. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Sathanas, & ligauit eum, & misit eum in abyssum, & ligauit, clausit*, signauit super illud, vt nō seducat ampliùs gentes. Timebunt Angeli reuerentia, & terrore dicto; & purgabuntur, segregabuntur scilicèt à dæmone ligato, vincto, casu & lapsu eius, dū de cœlo cecidit, abysso reclusus, tū non ampliùs exercet post iudiciū cōmune iustos, solumque cum Angelis lucis cōuersabuntur sancti. Purgabūtur ergo Angeli hoc recremento immundo, contrario naturæ Angelicæ Leuiathan dracone serpente, belligerantes, præliantesque cū Leuiathan prælia Domini.

De Behemoth serpente.

CAPVT XII.

49 IOb 40. c. *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet.* Huius animantis Behemoth naturam diuersam esse, & aliam, essentia, forma, esse, à Leuiathan serpente, plurimis datur intelligi in Scriptura sacra, vbi de illo sermo incidit; cùm quòd diuersis insigniatur nominibus, varia & diuersa significantibus, vt infrà elucescet: tùm quòd fortitudo

Behe

Behemoth lumbis & vmbilico adſcribatur Iob 40. Leuiathan verò collo & capiti 41. Si .n. eiuſdẽ animantis eſſent hæ partes, priùs de capite, ſeruato ordine, de quo multa dixerat 40. dicto, quàm de vmbilico, & lumbis, vt iterũ rediret capitis historia, vt redit, ſermonem texeret ſpiritus Deus: tum eadem bis & iterum referrẽtur, ſi non differrẽt: quod quantum fieri poſſit, vitari debet, ſi concinnitas, ratioque dicendi ordinata, & diſerta ſeruari poteſt, & debet in ſacris ſcriptis, non minùs, magis imò, cùm ſint omnia ab ipſa norma, dicendique ratione ordinata. Suadetur Iob 40. dicto de ſummi Dei immenſa potentia, conuincitur ipſe de ignorantia, & inſcitia, de omnipotentia, de ineffabili ſapientia Dei arguitur, & euincitur iis: *Et in ſudibus perforauit nares eius.* Deus ſcilicèt, in ſicco perforauit nares Behemoth, in ſudibus locis, & ſiccis, extracto illo de locis humentibus, quæ natura inhabitat: de voluptatum ſede, & deliciarum loco, eo inuito, & reluctante; infrà verò ſermone iam inito de Leuiathan ſubdit: *Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillas eius?* Quibus diſquiritur Iob ibi; quæ ſi eiuſdem animantis eſſent, bis eadem dicerẽtur, non ſemel. 40. enim c. Behemoth humentia loca colere, madentia, humida, iis dicitur. *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus.* 41. de Leuiathan ſicca, excelſa, ſublimia, peruia, habitare iis. *Sub ipſo erunt radij Solis, omne ſublime videt.* Non humentia, vda, & madida inferna, ſublimia imò, excelſa, alta, ſicca, & difflata. Leuiathan adſtrictum ſibi, hærens, vnitum, Hebræis eſt, ſimplex & vnũ. Behemoth ſerpentium multitudinẽ, terreſtrium animantium nexum & vinculum deſcribit illis, cõgeriem plicatam, cõpoſitum cumulum. Sunt nulla in natura animãtia

terre

terrestria adeò, ac sunt serpentes, nulla sic hærent sibi, & plicantur, terra reptant corpore toto, terra vtũtur in alimentum (latè anteà) displicétq; Behemoth Elephantem esse animal, cùm quòd cauda non polleat rigida Elephas nimis, imò debili, breui, & facili, cùm sit Behemoth quasi Cedrus inflexilis, dura, rigida, & protensa, eodem 40. dicitur iis. *Stringit caudam suam quasi Cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt.* Vltrà, fortitudo Behemoth cùm insit lumbis, vmbilico, eodem c. Elephantes verò languidi nimis, debiles ventre sint, & vmbilico, docuit Aristoteles 8. de historia cap. 22. & 26. iis. Debilissimi ventre Elephantes viuunt, aquatus periculo procliues; Plinius lib. 8. cap. 10. quos non adstringere caudam, mouereve asseuerarunt, ideoque cancellari muscis, & exenterari edocuere, ibidem. cùm Behemoth adstringat, non habet nares exertas, submissas imò, adeò vt perforari & trãsfigi possint circulo Behemoth, ibidẽ dicitur. obtinet elephãtus altam & superbã parabosciden & narem protentissimã vltra omnia naturæ animantia, circulo ineptam ductorio, fræno, chamove omni inconcinnam. Obscæna, & immunda loca Elephas fugit, docet Plinius lib. citato, Ælianus, Solinus, delectari floribus, fragrantia odorũ, legeréq; flores, eisdem vesci, manu & tuba naris, tetros odores fugere, & graueolentia: ille verò humentia loca, spurca, fœtida, vmbrosa, vda, eodem c. colligitur habitare, hæc natura quærit, & amat: hinc cùm Behemoth serpentium animantiúmque terrestrium multitudinem, syndromen & cumulum notet Hebreis, monstrosum potiùs iudico animal, turpe, deforme, in serpentium genere, quàm aliud quoduis specierũ
50 naturæ. Quod facilè suaderi potest, semel animaduerso omni literæ contextu, toto eo capite, vbi de illo ini

lo initur ſermo.Cùm enim variæ partium aliarũ numerentur paſſiones,oris, lumborum, vmbilici, ventris,caudæ,teſticulorum, oſſium, cartilaginum,oculorum, narium, quæ omnia adeſſe poſſunt ſerpentibus,adſúntq; neceſſariò, brachiorum verò,crurum, manuum,pedum,nũquam incidit ſermo,quibus ſolos ſerpẽtes deſtitui,cùm reptent toto,& non incedant,aut gradiantur, palã eſt;ſerpentes natura & reptantes,ſicut & de Leuiathan ſerpente hęc ipſa ſubticentur c. 41. eiuſdem loci, quòd verè ſit ſerpens, & ipſi has partes deſiderent, prorſus orbati eiſdem,& deſtituti.Eſt ergo multitudo,monſtrum ſerpentium,reptiliúmque congeries,monſtroſa,obſcœna,turpis, variis membris, artubúſq; diuerſorũ ſtructus ille,quod patet clariùs 40.c.vbi ſic dicitur:*Fortitudo eius in lumbis eius,& virtus illius in vmbilico ventris eius.* Cùm enim fœmellis omnibus vires inſint vmbilico, vt lumbis maribus, huic monſtro, vmbilico ſimul,& lũbis adſunt, quaſi hermaphrodita ſit,ambiguum, & anceps natura, animans promiſcuum & cõfuſum,vterus quo ſexus fœmellis adſcribitur fundum habet,ceruicem,& os, quibus ſtruitur ille partibus.Ariſtot.1.de hiſtoria.cap.19. Galenus 14.de vſu partium.c.4.& 4.c.lib.de diſſectione vuluæ.5.aphoriſmorum ſententia 46.Veſalius lib.5.cap.15.Valuerde lib.3. c.14.os vteri impudendum occurrit, ad os ſinus pudoris,cunnus dictum,hiatuſve à κυννὸς græcis ſeu acuta diſſectio & fiſſura.Ceruix altior eſt, ſupernè annexa ſub oſſe pubis, amor dicta anathomicis. Hinc ſe erigunt fœmellæ in coitu, dixit Ariſtoteles, vt partem illam voluptatis autorem ſcalpant,confricent, fundántque vt ex ea ſemen in qua vaſa ſeminaria deſinunt, deſiſtúntque ſtructura; fundus ſub vmbilico fœminæ aſſidet, dum arrigitur coitu flati-

bus

tibus ſeminis elatus,& altus,quibus erigitur fœmellis,vt coëant, vterus ceruice & collo diſtentus, non ſecùs ac pręgnãtibus fœtu ampliatur ſic arrectis fœmellis,vtero extenſo & turgido. Nec oportet philoſophos occupari naturæ rebus & arcanis,enodãdiſq; illius myſteriis, aut tædio habere illius ordinem, ritum,inſtrumenta,opera,actus, & vt videantur verecũdi,inſcij eſſe,inertes,ignari arcanorum notitiæ, & ſciẽtiæ. Sunt enim hæc pudica, & iuſtus eorum vſus, dum decet,& quãdo,abuſus ſolùm taxatus eorundẽ, nõ naturæ proceſſus, rectáq; inſtitutio. Ariſt. dixit 2. rhetoric.ad Theodectẽ,flatus vmbilicũ pellũt, propellúntq; ad externa,moleſtato vẽtre, pulſóq; ad externa,& diſtento eiſdẽ,lãcinato ſurſum versùs,& ad latera,ideò cõprimi expetũt, premíq; deſiderãt,maris onere,vmbilico adacto,ventríque & aluo aptato, & ſuſcepto, vt compreſſo ſupernè fundo vteri flatus in ceruicem prorumpant, in os vſque vteri, quò extrudant,& eiaculentur ſemen, flatuum adminiculo, vt quibus hæc poſitio adeſt vteri, vt fœmellis,ſerpẽtibus, aliiſque, non contrà, non ventre maris dorſo applicito coëant,imò ventrẽ ventri plicent & aptẽt, quòd fundum vteri ampliorem ſuſtineant. Hinc fœminæ & viri ſe versùs venerem explent, ſerpentéſque omnes,piſcéſque ouipari, viuipari ſecùs;ſic docuit Ariſtoteles 1.de generatione animalium c.7. vbi eos complexu mutuo coire ſtatuit. Plinius idẽ,Ælianus,& alij. Sic ſerpentium ſtabiliunt coitum;quò vires ſuſtinendi onus vmbilico adſcribunt fœmellis,facie coëuntibus, quorum vterus ad anteriora vergit, vmbilicum versùs, aliter quibus ſpinam aſpicit, & poſteriora viſit animantibus. Eſt Behemoth ſerpens monſtroſus, deformis, hermaphrodita, ſexus vtriuſque, quod plurimis ſerpentibus ineſt, ſexu duplici

efformari, tam mares, quàm fœmellæ, gestare vtero. De lepusculis diximus anteà, omnibus maribus & fœmellis, háncque conditionem subire: de Ichneumone, muribus, & plerisque aliis per vices mares & fœminas esse, ideo vires vmbilico adscripsit commisitque spiritus Dei, vt serpentem, immundúmque animal, obscœnum, turpe commonstraret, & depingeret, vt hinc duarum solùm actionum huius meminerit, voracitatis, & luxuriæ, eo c. vt videre est ad literam. Coitus solùm instrumenta retulit, & gulæ modum; gula & luxuria insigniuit, notauítque animal, quibus duobus capitalibus vitiis serpentes omnibus aliis animantibus effrænationes esse, docuit Aristoteles 8. de historia, cap. 8. & 4. cap. 2. de partibus c.17.1. de generatione citato c.7. vbi lentiùs absolui à coitu, omni animanti, tum magis cupediæ deditos reliquis omnibus pronunciauit ipse: à quo posteà Plinius suscepit; & surripiunt omnes. Lumbis fortitudinem retulit inesse, vt notaret luxuriam, & vmbilico vires adscripsit, ventríque, vt simul obscœnum, voráxque constaret animans: hæc turpia vitia non posse hominem frænare, superare, & vincere, se solo; vt edocet posteà, nec minora adhuc; Ióbq; intelligeret, & suaderetur, sensibilioribus & maioribus vitiis conuictus, magis inter alia quibus homo fœdatur. Vmbilico innato fœtui, illíque inserto, alitur & viuit ille, locis adductis patet, eò sugit alimentum fœtus, sibi ex vtero matris, hoc est, adstrictus, colligatus, gestatur vtero simul cum aliis secundinis inuolucris, at lucem expertus, qui ex vtero alliciebat alimentum, traxítque vmbilicus, radice implantata iecori sobolis, & fœturæ, cui annexus inseruiebat visceri, posteà fœtus expertus auram, è matre discissus, virtute tractrice, qua pollet hæc radix consita

in epa

in epate,relicta ventriculum exugit,iecoris pręcipua tractio alimenti,& chili,fœtus nutritur, alitur,viuit. Est vmbilicus alimenti manus, via, & cōductus primò ex vtero,colligato fœtu è ventriculo posteà,fœtu iam edito ad externa è vẽtre matris, orificio sugit, radicéque ex ventriculo fœtus implantata iecori ipsius,hac iecur trahit,ventris,stomachi dicti vulgò, & in se ducit alimentum,vocat, & allicit, vt tractio omnis alimenti adscribatur vmbilico , ex matre anteà,pòst ex ventriculo,quo exinanito, alimẽtum expetit,& fame laborat alimenti anxius, iecoris suctu, vmbilici radice trahente,poris,meatibus, canalibúsque conspicuis, & abditis, communione naturæ, ea vt ex radice sugant mesaraicæ venæ, & aliæ vehemẽter , tractiua parte vmbilici relicta ea sede, qua implantatur iecori fœtus,excusso ab vtero illo,non minùs quàm alia discissa iam trahebat è visceribus matris, ventre & vtero. Hinc gula vmbilico adstipulatur,eiúsque est soboles.Hinc & Iob c.dicitur, *vmbilico ventris eius*.Non solùm vmbilico, nō est ille ventris minister,vsque est è matre seiunctus,vt proprium vitium notaret animantis,non matris labem,*in vmbilico vẽtris eius fortitudo*,in gula propria,in lumbis eius, in luxuria; iis enim duobus vitiis impetimur magis, iis aliis impensiùs vrgemur natura, dæmone , nobis ipsis,docuit Plato 3. de legibus dialogo ; iis trahi,iis fœdari magis multò,effrænariq; homines, tractu, & gustu,luxuria,& gula;sensus substantiæ hos vocat, & notitię alimenti:accidentium sensus reliquos,in substantiam naturæ hos,in indiuiduum gula, luxuria in speciẽ;vexamur,angimur, gula substãtiam allicimus, alimentū, luxuria impendimus semen;quò voluptas iis adest maior , quò est opus vtilius;ideò solùm hæc duo referuntur vitia , instrumenta, & partes eorum

dum

dũtaxat, vt moneremur periculi, & malitiæ maioris, natura huius mõſtri perſpecta, & potẽtia effręni, quã nequit homo ſuperare ſe ſolo, & vincere. Hinc Iob percontatur, arguiturque de ignorantia, & impotẽtia. Ezechiel. 16. abiectiſſimę Ieruſalem, & poſtea mirum in modum exaltatæ, cùm ingratitudinem execraretur Deus, inquit: *Et quando nata es, non eſt præciſus vmbilicus tuus.* Sic trahere, ſic omnia allicere, ad te, & ſuperbire cœpiſti, & in te referre, vt nata vmbilico trahere, cum orificio ab alienis, tum radice ex propriis, ruptis legibus, violatis præceptis, omiſſis conſiliis, fueris rata. Pollet vmbilicus præciſus adhuc virtute tractrice, non præciſus maiori multò etiã ſemoto à matre fœtu. Hinc prægnantibus aſſas carnes, alimentáque alia, vmbilico applicamus fœtu debili, vt ille reficiatur, ipſæque ſuctu ſpiritibus alimenti tractis, & ſucco per poros illecto, velut radice quadam, & ſecundo ore, ſecunda quaſi nutritione reficiantur, & firmentur. Imò ægrorũ vmbilico hæc ipſa adaptamus multoties, debilibus exiſtentibus, vt & ſede inferiori alimenta ſubmittimus languidiſſimis, vt ſugat iecur, vmbilici radice. Hinc vmbilicus potentiam & vires ſignificabat antiquitùs, vt vmbilici effigie ſummus Iupiter exprimeretur, docet Curtius lib. 4. & antiquũ numiſma cũ inſcriptione Iouis, vulgari, Iupiter vmbilicarius: potẽtiſſimus ſcilicèt. Lumbi verò, quibus renes adiacent, potentiſſimi viris ſunt, laſciuiæ ſedes, luxuriæ, & libidinis. Oriũtur è renibus paraſtatę, & ſeminaria vaſa, infrà paulò, vt ſit via conſpicua, & patens, peruiáque ex eiſdem in ſpermatica hęc dicta vaſa, quæ implãtãtur in teſtes vltimò. Hinc lumbis laſciuia ineſt, ſub quibus initium vaſorum ſeminis, & origo ortus adeſt conſpicua ſatis. Ariſtoteles 1. de hiſtoria Animalium, capite 18. Galenus 1. de

vſu partium, cap. 7. & 1. de ſemine, cap. 5. & 2. de ſemine paſſim, Veſalius, reliqui, norúntque omnes peritiæ Anatomicæ magiſtri. patet re ipſa. Maribus ergo vires inſunt lumbis, potentia, officium, energia, actiuitas, fæminis vmbilico, ceruis vtero, ſub oſſe pubis; quò pruriunt ea parte magis, & flatibus dictis vrgentur acriùs. Cùm ergo Behemoth fortitudo lumbis & vmbilico locetur, impertiaturque, fœminæ & maris natura pollere viſitur, vt iis monſtroſum eſſe, concedere recuſet nullus. Eſt ergo ſerpentium monſtrum, deforme & turpe, potens vmbilico fæmellæ, & lumbis maris. Hinc Galenus fœminis febrium rigores è lumbis incipere, ea parte debilibus, infirmis, edocuit 6. de morbis vulgaribus, commentario 3. & 5. aphoriſmorum, aphoriſ. 69. vbi fortiores eſſe, calidiores, conſtantiores ventre, vmbilico, & anterioribus viris edixit, viros verò remotioribus partibus, femoribus, pedibus, cruribus, brachiis, ventre ſuperno rigere aſſeuerauit; quod docent pili, inquit eo loci Hippocrates. quæ exhorreſcunt priùs; tum 6. de locis affectis, capite vltimo flatuoſa calida, admota lumbis virorum, ſemen efficere, fæminis verò vmbilico applicita, excitare venerem; quò cerota vmbilico admouent vexatis vtero, hiſtericis ſcilicèt, non renibus, viris contrà, ſi calefacere eſt opus, lumbis aptamus, reficereve, confirmare, confortaréque genium. Cuius verò ſpeciei, formæque ſerpentium ſit monſtrum, accingor reſerare iam.

De

De Behemoth monstrosa natura, ritu & parabolis.

CAPVT XIII.

COntingunt rariùs monstra serpentium generi, eo quòd longissimam sint nacti vuluam, & si putredine satis, genitísque secus; euariant enim nimis forma, & cōpage. Vulua prælonga; non coëunt semina, & confunduntur, non vitiantur, vt monstra confingant, Aristoteles 4. de generatione animaliū cap. 4. Si verò semel cōtigerint, maiora multò, deformiora, vastiora omni alio animantium ordine veniūt, & accidunt, qui cū putredine oriantur omnes, nō secus ac propagantur natura, Auicenna dixit 6. naturaliū. Plinius, alij, suprà latè subscripsimus; nil mirum, si ea oriantur varij, deformes. Ecclesiastici 10. putrore oriri patet iis: *Cùm enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes*, & cap. 19. *putredo, & vermes hæreditabunt illum.* Docuit serpentes putredine venire. Plinius libro 8. cap. 59. Ouidius 1. Metamorphoseon sic: *Ergo vbi diluuio tellus luculenta recenti Solibus æthereis, altóque recanduit æstu, Edidit innumeras species, partimque figuras Reddidit antiquas, partim noua monstra creauit. Illa quidem nollet, sed te quoque maxima Python Tum genuit, populísque nouis incognite serpens, Terror eras, tantum spatij de monte tenebas.* Monstrosos denique, varios, deformes serpentes, terra, & aqua procreant, & gignunt. Plurimi enim serpētes incredibilis molis, tetri veneni, obscæna incoluere loca, vda, & humentia, lacus, paludes, ripas, stagna fœtida, immunda. Apocalypsis c. 12. dum monemur de draconis periculo dicitur: *Væ terræ & mari,*

quia descendit draco ad vos. Terræ & aquæ vbi meminit solùm; aqua & terra oritur genus hoc animantium, ideo his seruatur, hæc colit, iis assidet. Isaiæ 35. *Hæc in cubilibus, & in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.* Virentia hæc in locis humentibus oriuntur, vbi priùs draconum pondere impediebantur, onere animantium discissa & oppressa, semel orta, vt debitam nunquam adipiscerentur magnitudinem, draconisque excremẽtis exusta. Accepere Christi aduentu (inquit Isaias) lege incrementi, & gratiæ homines formam, & esse, quos squallore & veneno draconum, excrementitioque viru, & superfluo serpens deturparat, calami, & iunci, leues arundines vento agitatæ & vanæ, iuncique, inanes & vacui internè: continuo indigentes gratiæ influxu, vt virescant, instar calami & iunci aquarum, rorísque cœlestium. Ezechiel. 29. *Draco magne qui habitas in medio fluminum tuorum*, psalmo 70. *Contribulasti capita draconum in aquis.* Esdras 2. lib. c. 2. *Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Hierusalem dissipatum, & portas eius absumptas igne.* Fontis aquis irriguus erat, humidúsque locus ille, draconis stercore obscœnus; spurca loca habitabat Draco. Cæciliæ meritis diruptus virginis itidem, dracoque Georgij percitus hasta. Daniel draconem immundũ interfecit. 14. c. Ælianus lib. 16. c. 39. monstrosum refert draconem procreatum, opaca & humida valle Pelæi montis, incredibilis magnitudinis. Terra, & aqua commistis, & putridis, oriri refert Plinius lib. 8. cap. 59. citato. Putredine ergo cùm hæc animantia oriantur, mille monstra configurant, & exprimunt, inopinata & noua, varias confingunt effigies & deformia corpora, materia facilè formabili

&

& putrilagine obſcœna ſuborta, mõſtroſum adhuc eſſe Behemoth animans,iis quæ eodem 40.c.Iob dicuntur conſtat. Deus ſic eo loci: *Ecce Behemoth quem feci tecum,fænum quaſi bos comedet:* Quando enim Deus Iob efformauit, monſtrum hoc horrendum aſtruxit,vt vaſtiſſimo, deformi, immenſóque animanti, Iob ſummam, immenſam opificis admiraretur ſapientiam,coleretque Iob & venenaretur,propriamque ignorantiam, & impotentiam ſuam vt fateretur,ne ſciſcitaretur Deum,& percontaretur, ac ſi occulta iudicia & incomprehenſibilia arcana ignorans homo excutere poſſet,& capere,rationéſque & cauſas examinare,quibus Deus exercebat Iob, nec diſquireret.Patet capitibus antè latè 40. & 39.Fecit cũ illo Behemoth. *Tecum* dicitur ideo,huic fœnũ fecit comedere quaſi Bos.*Fænũ quaſi Bos comedet.*Fænũ à fęnore dicitur, quia fænus cõmune erat ruſticis,& eſt modò regionibus plurimis,colligitur hĩc facilis quęſtus,& ſeruatur fænariis vt fænerętur & lucrẽtur,poſteà vulgares homines emptionis & venditionis tẽpore.Colligitur antequam areſcat,vt ſit vtile animãtibus,aliàs inutile omninò;imò noctibus roſcidis ſecari iubet Cato de re ruſtica,& Plinius libro 18.cap. 28. circa Calendas Iunij, Columella idem libro 11. cap.17.18.& 19.Varro libro 1. cap. 19. Euellitur ergo,aut falcibus fæniſecis reſecatur longiſſimis. Fænum enim & dicitur herba omnis quæ ſeruari poteſt in vſum armentorum, vt iis ipſis inuenies locis à fænore dicta,& fœnum propriè aquaticum in vdis excreſcens locis humentibus,& madidis, dictum tipha ab omnibus autoribus, hoc nomine compellatur.Eſt apud Dioſcoridem videre libro 3. cap.127. à quo Galenus,& alij,quod dulce eſſe,ſi euellatur antequàm areſcat,docet ille 4. de ſimplicium, cap. 15.

aliter inſipidum, & gregi inutile, hinc fœnum, paleas notat herbæ cuiuſlibet, partes inutiles ſementi & ſationi, beſtiis ſolùm vtiles & proficuas, & vltra fœnũ propriè dictum palea totum quod eſt ſine fructu, aut ſemine vtili, vt ſeratur, terra imò exortum, terra pullulat aquis commiſta, non ſemine ſatum; imò vt animantia plurima putredine oriuntur, terra & aqua, vt & alia pleraque virentia, non ſata ſemine terræ commiſſo aliquo, ſic fœnum abiectum commune permiſtis ſuboritur, quod cùm mediis aquis oriatur, areſcit citiùs, marceſcit anteà virentibus cunctis, in medio aquarum locis irriguis, & madidis. Inutile hominibus, cuius flores floccorum inſtar, vento ducuntur, illico ac floret, euaneſcunt, & abeunt, vt non
51 ampliùs conſtent. In tipha & ſpica illius eſt videre, quæ euaneſcit tota ſubitò concuſſa leuiter, dicta Hiſpanis tinna à tipha græcorum, Pſalm. 128. iis maledixit peccatores vates propheticus: *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod prius quàm euellatur, exaruit.* Sicut herbæ debiles radicibus tectorum, quæ antequàm euellantur, exarent, inutiles beſtiis adhuc, fœnum enim euelli debere, antequàm exareſcat, diximus; gratum vt ſit beſtiis adhuc. Auellitur fœnum tectorum ad Calendas Octobris, vt Vitruuius docet libro 2. cap. 9. vt parentur pluuiis venturis tempore hyemis tecta, areſcit verò fœnum, herbæque tectorum, vt omnes aliæ æſtiuo tempore, quo antequàm euellantur, exareſcunt tectorum herbæ, & fœnum dictum hoc ſignificatu. Omni modo inutile tectorum fœnum, cùm ante Octobris Calendas euellatur inutiliter, repullulat enim euulſum antè, vt ſit tectis impedimẽto, aquarum canalibus, & tegulis conſtipatis illo, vt aqua non dilabatur, & fluat, & auulſum eo tempore, ſiccum & aridum, ingrati ſaporis, reſpuant armenta.

Are

Arescunt peccatores antequàm morte euellantur peccato, vt fœnum tectorum, in sublimiore parte, de elatis superbia, hiantibus sublimia, maiora, altiora, debilissimis radicibus immissis, arescunt culpa, rore gratiæ destituti, malitia marcescunt, antequàm euellantur morte, aridæ herbæ, demortuæ, antequàm auelli contingat, dum eradicantur arefacti, priùs quàm igni committantur, solum illi vtiles; bestiis enim adhuc inutiles, aliisque peccatoribus, & dæmonibus; solùm igni apti nutriendo fouendoque, bestiis imò noxij & lethales; igni committuntur tandem solùm eo digni; hinc *caro omnis fœnum*, in Scriptura sacra est, sine fructu vtili, caro omnis vana, decidua, & leuis, quæ vento ducitur & mouetur facilè. Isaias 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo.* Flos agri quòd inutilis, illo ortus, illi relinquitur, vt flos fœni inter alios sic compellatus flores agri, ducitur vento, flos fœni arescit, & siccatur facilè, exsiccantur flores, & passiones carnis, viror, vigor, vbi spirat, & sufflat spiritus Dei, præualet spiritus, extinguũtur & arescunt illæ, vbi diuino spiritu efflantur, virore passionum extincto; confusio, opprobrium solum supersunt. Cùm ergo genus omne serpentium, suctu solùm, succo herbarum, animantiumque alantur, ipsisque ingestis solo vtantur humore, reliquis secessu reiectis, iuxta Aristotelem 8. de historia capite 4. serpens hic solus (mirabile satis serpentium naturæ) non succo contentus, non solo sanguine, non satur humore, fœnum quasi bos comedet; vt hinc monstrosa, deformis, & varia illius natura innotescat ampliùs, quasi bos, non solùm succo, solida imò conficiet alimenti, & dura. Fœniculo vti serpentes, vesci & ali, docuit

Aristoteles 8. de historia, capite 17. Plinius libro 19. capite 9. at fœno solùm armenta & gregalia animantia; serpentium nullus, quò esus monstrosus huic serpenti, vsus fœni. Boues herbas non dentibus præcipuè resecant, lingua imò, aspera, falcis modo, & serræ instar aspera, retrogradi & retrocedentes continuò, disiiciunt fœnum, herbasque alias dum pascuntur, quo irrepsit vulgò adagium tritum satis, *Bos in linguam ambulat.* Sic Iulius Pollux libro 9. de rerum vocabulis, Philostratus idem in vita Apollonij, Æschylus in Agamemnone, qui vires linguæ bonis adscribunt, non dentibus, supernè enim dentibus mulctatur bos; lingua conterit cibos & infernis dentibus simul. Quod inest & serpentibus, qui dentes exertos cùm obtineant, lingua conterunt maxillis adacta, icuntque, vt sugant ore, & faucibus. Sic Aristoteles 3. de historia c. 12. à quo Plinius, Ælianus posteà. *Vt bos ergo fœnum comedet*, lingua conteret Behemoth fœnum; Ælianus lib. 16. c. 31. Plinius libro 9. c. 45. idem plurimis aliis locis, boues retrò versùs depascere, non antè, affirmant ij autores, docuit experientia; non secùs Behemoth retrò versùs pascitur, peccati origine, & commissa culpa, radix nostræ ruinæ & lapsus: quasi bos fœnum edit, carnem scilicèt filiorum Adami. Est caro fœnum, diximus; vt adagio imò dicitur, communi & noto, *habet fœnum in cornu.* Antiquitùs fœnum alligabatur furiosis tauris cornu, refert Plutarchus in problematibus, copia enim nimia pabuli feroces, insolentes, indomitos reddit animantes, hinc vt cauerent à feroci tauro, signum erat sæuitiæ fœni gestatio. Quò Sophocles in ferocem & tumidum dicterium transtulit; Tu, inquit, ferues, quasi pullus, pabuli copia. Solon, vt Laërtius refert, *ex opulentia satietas, ex satietate ferocia*: quò vt

mon

monſtraretur animantis ferocitas, vt ſibi conſulerent, qui fortè occurriſſent, fœnum alligabant, hinc Horatius ſermonibus: *Fœnum habet in cornu, longè fuge.* Eſu fœni Behemoth elatio depingitur. Ecce ergo Behemoth quem feci tecum; multitudo denique ſerpentium hæc corpore in vno monſtroſa, bellua hæc multorum capitum, dæmon antiquus hic ſerpens; beſtia hæc, maledictus inter beſtias terræ, Geneſeos 3. capite, hic quem feci tecum, vt te exerceret, erperiretur, hic quem feci tecum ſimul ac es ortus, exercitorem tui, feci tecum, vt examen ſubires, vt cap. 2. Iob dicitur, hic fœnum quaſi bos comedet, carnem abſumet, diſſipabit, depaſcet, Pſalmo 91. *Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſæculum ſæculi; Omnis caro fœnum.* Iſaię 40. Abſumet ergo peccatores, qui ſunt *fœnum, quod priuſquam euellatur, exaruit*, priuſquàm morte auellantur, areſcunt peccato, ſine rore gratiæ: boues verò fœnum, vt diximus, mandunt vtiliter, quod priùs quàm areſcat, diſſecatur, euellitur ve. Euelluntur peccatores, quòd nec radix eorum ſuperſit in terra viuentium, tandem malitiæ incremēta, fides auellitur; *exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea:* Pſalmo citato. Pſal. 36. *iniuſti autem diſperibunt ſimul, & reliquiæ impiorum peribunt.* Ezechielis 17. ſic minatur impios: *Nonne radices eius euellet, & fructus eius diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis eius, & areſcet?* vt euellat eam radicitùs Behemoth, lingua vt bos reſecauit fœnum, peccatores ſecauit primos parentes, Euam lingua, & Adamum lingua, ſermone, quibus icit, & feriit: ſtimulus & aculeus ſerpentibus ineſt ad linguæ radicem, *ſtimulus autem mortis peccatum.* Icit ergo lingua, ſuperbia, & gula icit, fænumque depaſcit, peccatores,

carnem, retrocessu, cedens retrò bouis instar, in origine culpæ primæ, fœnum quasi bos comedet monstrum hoc serpens, fœnum virescens hoc ociosum sine fructu, quod in medio aquarum citiùs aliis omnibus arescit, in medio legis gratiæ consitos, qui arent, vtiles solùm igni.

De rigidissima Behemoth cauda, & allegoria.

CAPVT XIV.

52 SVbdit monstrosam huius animantis naturam perscribens spiritus Dei: *Stringit caudam suam quasi cedrum, nerui testiculorum eius perplexi sunt.* Nil monstrosius vlli animanti accidit, naturæ vniuersæ. Ecclesiastici 45. *fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis.* Sapientiæ 17. *aliquando monstrorum exagitabantur timore*; vt & Iob hic: cauda à caudice arborum dicitur. Cauda verò, & codam notat animantium, vltimum dorsi, quod prosilit ad extrà, qua obscænæ secessus occultantur partes. Vltrà, & virile membrum, mentulamve animantium; virgam, aculeum dictum, Horatius sermone 1. Satyra 3. & 9. *Accidit vt quidam testes, caudamque salacem Demeteret ferro.* refert hoc significatum Marius Nizolius, dictione, *cauda*, Ambrosius, & plurimi alij poëtæ, & rhetores: hic accipi est apertissimum hoc significatu præcipuè, simul enim cum testibus cauda computatur, vt cauda & testes integram conficiant animantis mentulam; tum eo quòd mētulæ insunt testes ad podicem, qui posteà nectuntur, nō caudæ, codæ imò, virilique dicto, stringit eam quasi cedrum, cedrus incorruptibilis fere naturæ est, oleosæ nimis, crassissimi olei, densissima, tū fructu,

fructu, tum ligno, oleo si inungantur chartæ, tineis nunquam infestantur, putrescuntve: hinc *cedro digna*, dicuntur prouerbio, quæ sunt æternitatis digna. Arbor semper virescens, Horatius in arte poëtica: *Speramus carmina fingi posse linienda cedro.* Persius: *Et cedro digna loquutus.* Vitruuius lib. 2. incorruptibilia vocat, illinita oleo cedrino. Plinius lib. 13. c. 5. Virgilius 2. Georgicorũ, Persius satyra 1. Ouidius 1. tristium. *Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.* Plinius lib. 13. c. 13. & libros cedratos fuisse; propterea arbitrarier tineas non tetigisse; hoc oleo defunctorum corpora illinita, incorrupta seruari sustinet lib. 16. cap. 11. Dioscorides lib. 1. c. 85. Hoc oleo cedrus natura madet, oleoso hoc sustinetur immunis putredinis, perpetua & integra, vt oleo seruantur liquores superinfuso, vt seruentur diutiùs, tum oleosæ arbores longiùs seruantur, ampliùs multò perdurant reliquis, & cedrus vltrà. Est olei crassioris, quo obturat, infarcitque poros, impensiùs obstruit, & oblinit, vt aër alteret circunstans minùs subire cùm non possit intima infarcta, tardiùs vt putrescãt eo linita, quo virgulta, rami, nouellaq; illius, oleoso illo densantur, cõdensantur magis, stipantur, & coalescunt, vt porosa omnia oleo immersa solidantur, stringuntur, in seque vocantur, patet in cucumere irrigato oleo, cõcrescit, cõtrahitur, arrigitur, qui anteà laxus, deciduus, mollis erat, spongiæ idem, & plurima eiusdem ordinis meatuũ conspicua, oleo adstringuntur, subeunte penitissima quæque, tenuitate partium, versùs latera, dilatante poros longasque fibras, quo ex longo cõtrahuntur talia, densanturque successu partiũ cedentium in partes, laterum tractu & distensione. Ideo riget quod laxũ anteà vagabatur, & molle. Hinc caudam, quasi cedrum stringit (dictu mirabile) erigitur,

dum

dum ſtringitur cauda,huic animanti, vt riget cucumis,dum cõſtringitur oleo, vt & reliqua monſtrauimus anteà ſtricta rigere. Behemoth cauda ſtricta riget quaſi cedrus,arrigitur,& ſtat oleoſo ſucco,quo abundat pinguis Behemoth ſuccoſus, hanc ſtringit,quæ ſtrictione erigitur, retractioneque in latera diſtenta riget mentula,coda, caudáque hæc,& leuatur in altum ſemine abundante; immundum animans, oleoſo viſcido, compactum penem ſtringit, quaſi cedrum,dẽſat ſtrictu, & erigit.Eſt ſemen oleoſum natura, docuit Galenus 1. de ſemine capite 7. Ariſtoteles principia vitæ calorem & humorem ſtatuit, humorem oleoſum, non aqueum, quo alitur ignis;de vita, & morte, ſecundo capite.2.de iuuentute,& ſenectute 3. & pluries alibi. *Sunt nerui teſticulorum eius perplexi*, hoc etiam monſtroſum, & præter naturam animantium accidit neruorum confuſio, præcipuè teſticulorum, cùm in teſtes nerui diſtincti ſatis,diſcreti, & conſpicui implantentur, qui interdum à ſexto pari neruorum cerebri deſcendunt, interdum à vigeſimo primo complexu ſpinalis medullæ, ab vtriſque interim; ideo venere quibuſdam caput langueſcit plus aliis, quibus nerui teſtium è cerebro diſſeminantur. Veſalius libro 5. capite 13. Valuerde,Realdus.Huic animali perplexi ſunt adeò, vt vnde propagentur, impertianturve non liqueat. Cùm Ariſtoteles imò ſerpentes omnes, teſtes non figura tales poſſidere audiat, ſed ſolùm officio & munere tales, meatuſque ſeminales prolificos vice teſtiũ poſſidere ſolùm aſſeueret 3. de hiſtoria c.1.4. de partibus 13.c. Hunc ſerpentem teſtium neruos complicare perplexos,& confuſos habere,tum teſticulis integrari Iob ſubdicit,ſatis mõſtroſum.Stringit Behemoth caudã ſuam quaſi cedrum olei blanditie.

Blan

Blanditur nobis mollitie, lasciuia vrgemur, esca, illecebris, philtris, blanditiis olei, cauda obscæna carnis, potentia dæmonis instigata, testiculorum robore, passionibus scilicèt carnis, & legis membrorum pugnantis cum spiritu, instigatuque dæmonis, perplexitatibus neruorum, occasionum, quas nec fugere, nec non fugere audemus, desides, molles, & debiles; nullo enim in alios robur ostenditur maius, quàm testiculis destinatis in speciei & naturæ vsus, in alios scilicèt. Stat imperiũ, & tyrannis Behemoth iis, vt imbellis homo impotens se solo hæc vincula abrumpere non valeat perplexus, egeatque Deo homine qui hæc ipsa discindat. Vltrà dicitur, *ossa eius, velut fistulæ æris, cartilago illius, quasi laminæ ferreæ.* Ossa fistulis contulit, cartilagines laminis fistulæ, quia flantur, dicuntur, & flatu armoniam reddunt, docuit Plinius libro septimo cap. 56. Virgilius 2. Eclogorum. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.* Est hæc corpus oblongum, cauum, teres, cuius caput ligula adstringitur, vltimũ verò pũctis quæ ex ossibus ipsis confici solent animantiũ, vulgò *piphani*, ex ferro etiam, ligno, & metallis, aliisque sunt ossa corpora longa, teretia, & caua, brachiorum, crurum, dorsique, clauiculæ, & si reliqua structuræ alia, densa & opplena. Huic monstro non solùm hæc instar erãt æneæ fistulæ, brachiis, cruribus, toti imò, costis, spatulæ, pectori, reliquisque eius conformationis, vltrà, caua & teretia concaua omnia, & si serpentes mulctentur cruribus, brachiisque natura, monstrosè iis visos vltrà & alatos anteà monstrauimus, quæ Behemoth portento contigere natura deformi; fistulæ æreæ contorquentur arte, vt refracto aëre anfractibus altiùs resonent, aliter ferè inutiles sonitui, & signo. Hinc cùm ossa huius animantis æneis fistu-

lis

53 lis referat, distortis contulit, obliquisq; tubis, quàles sunt costæ, dorsum, clauicula, formiense os, & alia, quæ adhuc monstrosam arguunt eius structuram, & scheleton, omnia contorta ossa & fistulata omnia. Ossa ergo eius velut fistulæ æris, distorta, lõga, teretia, caua, exucca tamen, & medullis expertia, sicca, vt fistula ænea, & ærea. Medulla enim nõ omnibus impertitur animantibus, non ossibus omnibus, quibus ipsa inest naturæ iure adhuc, non omnibus adest, nõ omniũ est ossium, vult Aristot. 2. de partibus c. 6. vbi leonum ossibus medullam denegari sustinet, & suibus minimam adesse refert, aues plurimas medulla destitui tenet; hanc solum brachiorum & tibiarum ossibus dorsi, & cranei impertiri perdicit 3. de historia, cap. 2. iis quibus datur; quid ergo monstrosum magis, quàm tot caua Behemoth ossa astruere, medullæ expertia, quasi fistulæ æris? ideo sine meditullio aliquo, quò petit Deus, *holocausta medullata offeram tibi.* Isaias 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc; conuiuium pinguium medullatorum. Cartilagines illius, vt laminæ ferreæ*: nectitur eo loci. Inseruiunt cartilagines cùm firmitudini membrorum mollium partium, tum articulis quos humectant mucore insito, vt ludant, & lubricent motu, iuxta Galenum 12. de vsu partium c. 2. imbibunt glutinosum humorem illæ, suctu solùm, poris & cauitatibus plenæ, non venis, non arteriis impertito, non fluxu totius, cùm iis careant, imò se solis gubernantur, dixit Galenus lib. artis medicæ, c. 4. nõ sentiunt, ideò non dolent, carent neruis motus & sensus, solum mucorem generant, & alliciunt natura simili, sunt productæ & extensæ natura, planæ omnes, plusve aut minus. Vt verò siccas esse, & inutiles dissimiles natura vt monstraret, monstrosas

Behemoth

Behemoth cartilagines ferreis laminis comparauit, exſuccis, inflexibilibus,pondere grauibus,contrà ac Galenus 12. de vſu partium , leues ſtabilit,ne oneri eſſent membris mouentibus,labori,& defatigationi, in motu circumrotantibus:ferreas ideò mõſtrum illud obtinere edocuit, duritie, & ſiccitate,grauitate, & aſperitate exſuccæ, aliter multo ac animantibus adeſſe nouimus, rigidas , inflexiles : potentiam , robur , conſtantiam Behemoth dæmonis vt obtinere iis partibus, quæ à ſe reguntur oſtenderet,non corde,capite,influxuve capitis Chriſti,Dei,cordiſve iuſtitiæ,imò cartilaginibus ferreis inniti motu, duritie obſtinationis, quibus deſtituti articuli , & humore debito,mouentur pigrè,lentè, pedetentim. Gubernatur ſe ipſa Behemoth ſoboles , non corde, aut influxu capitis , non gratiæ rore, Ieremias 50. *Siccitas ſuper aquas eius erit , & areſcent , quia terra ſculptilium eſt , & in portentis gloriantur.* in monſtro Behemoth ſuper aquas cæleſtis roris , cartilaginum,quibus madefacti articuli , mouebantur anteà , exſiccabuntur vitiis,vt poſteà velut laminæ ferreæ renitātur motui ſpiritus Dei;ſubdit Ieremias, *Et oſſa arida non ſurgent,* exſucca, deſtituta medullis. Fundantur oſſibus animantia, ſunt oſſa fundamenta , baſes , ſtructuræque omni ſedes, origo;ſuſtinent , alunt, fundant carnoſas partes,firmant,conſeruãt : Caro,medulla oſſium, velut muſcus pullulat poris , veſtiri incipiunt primò natura carne , oſſa ; Vulneribus detectis eſt videre, nudis & conſpicuis oſſibus , medullis reproducitur caro,increſcit,& oritur,oſſa quaſi,vt carnẽ alãt ſupponuntur,dum muneri deſunt,officio,& operi, caro deficit,marceſcit illicò , in vulneribus patet , oſſibus alteratis,& corruptis.Oſſa Behemoth æquiuocè quaſi oſſa ſunt,non oſſa vera,deficit illis officium,actio,

potentia,

potentia, caro eius ex se pullulat, non caro fundata ossium circũscripta basi, libera imò, soluta termino, lege, & modo, vt increscit caro termino cutis destitùta in vulneribus, medullis destitutis ossibus; decidua est, & facilis, ob oleosæ medullæ substantiæ, qua hæret, & vincitur tenaci vinculo defectũ. Sunt vitia ossa, & vitiosi, qui alios firmant & fundant sceleribus, facinoris carnales alunt huius monstri partes, alij ossa vitiorum, huius mystici monstri membra Behemoth dæmonis sustinent, fouent, viuificant, peccatores ossa, non medullis, non oleo gratiæ, & pinguedine frugiferi, vt fistulæ, imò æris exucci, vacui, tubæ solùm, aduocantes vitiorum signa in flagitia & scelera, carnales alias partes Behemoth, flexiles, obliqui, solidi peccatores, stabiles vitiis, fundamenta aliorum, exemplis, scandalo, magistri, & doctores vitiorum in cathedra pestilentiæ, ossa Behemoth exucca, & vitiorum solidum, arida, Iob. 20. eiusdem. *Ossa eius implebantur vitiis*; medullarum loco, de impio verba agens, Psalmo verò 33. de iusto sic: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex iis non conteretur.* de iustis subdit post hæc. *Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent:* de iis ossibus & impiis solidis Behemoth. Ecclesiastic. 49. *Ossa illius visitata sunt.* ossa hæc arida, ficta sunt ossa, neque enim fouent carneas alias deciduas, medullis destituta, & vitiata compage, structa, obliqua, deficienti à recto quo tenebantur contineri. Isaias 66. *Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Carnem scilicèt virentem, & viuidam, vt vita fruamini longissima, temporanea & tandem æterna. Ezechielis 37. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus iis: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & succrescere faciam super vos carnes.* Quasi muscus caro

pullulat

pullulat ossibus, germinat, & succrescit, *non sic impiis, non sic*, quia, vt dicitur Ezechielis 32. *fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum*, loco medullæ, ectici iam vitiorum febre, ossibus arefactis.

De Behemoth ingluuie insatiabili, & obumbratis sensibus Scripturæ sacræ.

Capvt XV.

SVbdit Iob huius deformis animantis naturam exprimens, depingensq; adhuc: *Ipse est principium viarum Dei qui fecit eum, applicauit gladium eius.* Est animal hoc varium adeo, hoc portentũ naturæ, mõstrũ & quasi miraculum, orbis obstupor, & vastitas, *principium viarum Dei*, eius scilicèt potentiæ, & sapiẽtiæ: quæ enim monstra eueniunt, ad naturã inferiorem relata talia succedunt; nã præter intentionem illius contingunt, & accidunt; ad rerum verò vniuersalem autorem collata fine, non mõstra; aut deformia naturæ, intenta imò, perfecta, & integra perstant, cùm nil præter eius intentionem, & modum euenire possit, aut esse; quibus interminabilis, & eius potentia, sapientiaque incomprehensibilis splendet, & eminet. Paulus ad Romanos 1. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Denique intellectio visibilium, & admiratio, principium est viarum Dei, qui fecit Behemoth, vt effectibus causas intelligimus, Behemoth maximè Deum: eius miram naturam, monstrosam, & variam admirantes, admiratione venerantes, veneratione reuerentes filiali timore. *Sapientiæ initium timor Domini*, principiumque via-

54

viarum Dei, ideo tum Behemoth principium est viarum Dei, primaque creatura Lucifer: natura illustris, quantum culpa & lapsu deformis. Sunt Dei viæ lineæ creaturarum, quas ex se centro omnium, vsque ad ipsas produxit, & lineauit, vt ex illa circumferentia rerum, in ipsum omnium centrum veniamus iterum: viis & lineis diductis manu suæ sapientiæ, penicillo voluntatis diductas in esse, quos eas depinxit, quia voluit: pòst fuit principium Dei iustitiæ, viarumque Dei, qua eos præcipitauit à cœlesti sede, proturbauitque iustus, vt resipiscant mortales, periculo facto in natura Angelorum. Creaturæ sunt viæ quibus in Deum ducimur; sunt hæc visibilia Pauli. Est ergo Behemoth principium viarum Dei, creaturarum scilicèt, tum tentationum principium est, & Iob, & naturæ vniuersæ. Sunt viæ Dei tentationes & exercitia, quæ non aliter ac via, in Deum terminantur & veniunt, iis Deum consequimur, fruimur, potimur. Est Behemoth timor, stupor, flagellũ peccatorum: quibus principium est viarum Dei, præceptorum, consiliorum, iustitiæ, & virtutis, *initium sapientiæ timor Domini*. Ecclesiastici 1. cap. Behemoth timor, flagellum, initium est viarum Dei qui fecit illum: *Applicauit gladium eius*, nectitur. Behemoth ipse sibi & nobis exequutor iustitiæ Dei, sibique malitia sua, & culpa applicuit gladium iustitiæ Dei; nam cùm sit timor ille, & principium viarum Dei, non solùm timorem incutit nobis, & ideò initium sapientiæ, sed pertimescit ille, estque nobis sapientiæ initium nostræ, nostrique timoris exemplum, & principium suo seruili timore, filiali nostro suborto, Dei auxilio desuper illato, cùm ferocissimum, & monstrosum animal, factum vt nullum timeret, ibidem dicatur, tremat, pertimeat corã

Deo

Deo autore, applicet gladium, potentiamque suam detineat, plicet arma, retrahat ad se, compescat, inuaginetque gladium suum pertimescens, & tremens. Est animantibus pectore insitum os dictum, *gladius*, cui costæ, & clauicula nectuntur, dictum os pectoris, ensiforme, & gladius compellatus, cuius vltimū, patella ventriculi vocitatur; hoc dum extimemus, plicamus nobis, constrictis lateribus, & plicatis inuicem, & ad interna recludimus quasi aufugientes, & contrahentes nos à causa inferente metum, illamque vitantes quantum possumus nos ab illa distrahere, retrahereque nos ipsos. Os istud sic vocauit antiquitas, quòd sit forma ensi persimile, instar gladij ancipitis vulgaris, cuius cuspis est mucronata dicta cartilago, scutum, & patella ventriculi. Vesalius libro 1. figura vltima *Scheleton*, quod Hebræis, Græcis, Arabibus, ensis, gladiusque patet nominibus, quibus notatur idē, Valuerde eodē Scheleto. Galenus de ossibus locis plurimis. Applicauit ergo hunc gladiū timore lateribus inuicē adstrictis, naturæ positu timore peracto dæmon Behemoth animanti figura allata, tum gladium applicauit dæmon peccatum, quo omnes perimus in Adam, applicauit & Iob Behemoth gladium rigoris, vt si posset, deficeret patientia & iustitia. Est gladius eius peccatum, eo primo creatura est facta deformis, vitiosa, & impia. Amauit Deus primò Behemoth, & primò odio habuit, Amos 9. *In gladio morientur omnes peccatores, populi mei* in peccato scilicet, neque enim omnes gladio interiere, quò Isaias). cap. *Gladius Domini deuorabit eos*, peccatum scilicet, neque enim deuorare gladij est metaphora adhuc, sed peccati voracis ore veneni. *Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi, sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis*

humẽtibus.eodẽ 40.c.Omnia percurrit,perſcrutaturque monſtrum hoc ſerpentinæ naturæ, vt hinc ſuſpicer Behemoth luciferum ſerpentis effigie ab antiquis demonſtrari, indagatricis naturæ ſerpentium, hocque animanti præfigurari illum, ſublimes montes, & humiles valles, excelſa, & ima loca, alatiora & inferna diſquirit. Sunt ſerpentes indagatricis naturæ, curioſæ nimis, & diligentis; docet Ælianus lib.10. c.49. Cælius Rhodiginus lib.10. c.3. Plinius,& alij omnes,quo Deorum cuſtodes,& hortorum præſides conſtitui dicebamus;de dracone diximus, tum Palladi Deæ ſacrabantur, eius pudicitiam vt tuerentur vigiles, viſu & auditu accerrimo, quibus natura pollent, eiſdem deſcripſimus locis, *Huic montes herbas ferunt*,eſt tantæ molis eius magnitudo,vt montes herbas illi quaſi ferant,in eóque ſolùm videantur occupari, cùm abſumat ſolus montium virentia germina,& plantas, quaſi in ſuum vſum, non in aliorum animantium commoditatemve producerent. *Omnes beſtiæ agri ludent ibi*; Beſtia vario ſignifi-
54 catu inueniri diximus, tum apud gentes, tum ſcriptis ſacris; modò omnia animalia rationis expertia, terreſtria,aquatilia,& aërea depromit,Cicero 5.Tuſculanarum,namque alias beſtias nantes,aquarum incolas eſſe voluit,alias volucres, cæloque frui libero, quaſdam eſſe gradientes,Geneſeos 2.ſic dicitur, *appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ*; cunctа animantia,vt & aquatilia complecteretur ſermone hoc,beſtiæ & nomine ferocia animantia intelligimus ſolùm, carniuora, indomita, Deuteronomij 32. *dentes beſtiarum immittã in eos*, carniuororum animantium: tandem ſerpentes eo notantur nomine Eccleſiaſt. 10. *Hæreditabit homo ſerpentes & beſtias.* vbi

ſer

ſerpentes ſynonymo beſtiarum appellantur,nam ex putredine & corruptione hominis, de qua eſt ibi ſermo, eæ ſolùm beſtiæ oriuntur, & animantia, ſub quibus & vermes cõtinentur,quos nomine ſynonymo ſerpentium infrà contineri eliquet. Serpentes verò ſubnaſci corrupto homine,& experientia edocet,& norunt omnes priſci, Plinius, Ælianus, Rhodiginus,plurimique alij quos citauimus ſuprà; Ludent ergo ibi beſtiæ agri,id eſt, ſerpẽtes omnes cum hoc mõſtroſo;ſerpentiũ cumulus. Cum Behemoth ſerpente,familiari,communi, & cõcinna natura beſtiarum ſerpentium, cum Behemoth animanti, ſunt ludicri,ioculares ſerpentes,qui mille nodis plicãtur, voluuntur orbibus, cauda blandiuntur ſibi, & animantibus cæteris,circumuoluuntur, deplicãtur hac parte,plicantur illa,lingunt,verberant alia, diximus 1.c.ideò dæmonẽ vſum hoc animãti fuiſſe, vt blanditiis Eua non fugeret eius cõmercia,callidiſſimum animal, aſtutum, cautum; montium herbas vorat, ſubdicitur ibidẽ, ſalubriores natura, ſecuriores,Sole, aëre excuſſas libero, influentiis cæleſtibus, aſtris fœlicibus,nõ imis vallibus ſubortas,humida & putreſcẽti ſede,vda,& madida, ventis inuia,auræ imò, Solique expoſitas legit, nõ vbi intercluditur aditus vaporibus elatis, à Sole paſcitur, vbi putreſcunt facilè ſorditie & limo,quibus oriuntur inſecta virentia. Hinc Dioſcorides mõtanas herbas laudat 1.lib. c.2.Plinius paſſim,Rambertus,Dodeneus,Galenus, Auicenna; in ſumma omnes taxant vmbroſas vallium,obſcænas, & tetras iudicant,altiores petit Behemoth,victui paratiores,aptiores, proficuas magis, eminentiores:quærit montes virtutum,ſanctos,electos,qui & ſi fructus Deo ferãt,& afferãt, plãtaſque ſalubres,herbas,huic quãdoq; relegãt venialia ſaltẽ,

& hos impetere magis curat. Est mons integer vitæ, scelerisq; purus, iustus, constans. Hic templũ viuum, fundamenta habet in monte, cultus, religionis, pietatis, hic Salomon, sapientia ipsa, Verbum Christus templum adstruxit. Paralipomenon 2. lib. cap. 33. *in monte domus Domini & in Ierusalem.* Psalmo 86. *fundamenta eius in montibus sanctis.* montes adhuc herbas afferunt huic, cùm sint homines, & nil humani à se alienum putent; egent, vt *cuncta oratio & operatio à Deo semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur*, alias herbas ferent huic, ne & fructus huic elargiantur astutissimo serpenti. Subdit de Behemoth Iob eo loci. *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus.* Dum inuisit montes vt cibum quæritet, & ascendit anxius & solicitus de alimento & victu, valles humidas visitat, vt dormiat, quiescat, deponat curas, quasi sui iuris, infimi peccatores valles obscuri, & infames sint. Non anxius, non solicitus, somno imò placido tranquillus, & securus, humentibus, spurcis, & obscœnis locis, vani calcami: in secreto calcami, in corde, in penitioribus cordis dormit, & quiescit: quò & si in Scriptura sacra cum montibus colles enumerentur, nunquam tamen valles eisdem annectuntur. Sunt colles medium inter montes & valles, quasi montium ascensus, & planities, iuga dicta, psalmo 113. *Montes exultauerunt sicut*
56 *arietes, & colles sicut agni ouium.* Fortiter montes exultant vt arietes, subuertunt capite Christo omnia, impetu facto quassant, conterunt, arietum instar, capitis robore; colles agni saltu, occasiones transiliunt, non conterunt, vitant tamẽ saltu: custodit illos Deus, vt imbelles concidant agni, quassentur, & conterãtur, arietes fortes occasiones sufferunt, quibus vires capitis ostentent Christi, valles verò non exultant,
nec

nec numerantur iis, ibi imò somnus Behemoth lethargus, & caraphora: cõciliatur somnus vaporibus humidis caput replẽtibus, elatis calore viscerum, ex suscepto alimẽto, dum cõficitur interim, quibus leuiter obstructis viis, capitis cessat influxus, illuminatio, & spirituũ descensus, quibus munia obimus, & perficimus opera sensus, & motus, vt iis læsis, & reliqua naturæ opera cessent, vigilantes posteà, adhucque & experrecti. Aristoteles lib. de somno, & vigilia c. 2. de insomniis lib. ex eo Galenus, & reliqui. Hinc medicamenta soporifera, aut somnũ cõciliantia frigida sunt, & humida natura (mirabile dictu) vallibus, ripis solùm adnata, vt quæ peruigiliũ inducunt, calida, & sicca mõtibus suborta, situ edocẽte natura remedia quasi. 3. de locis affectis Galenus c. 4. & 2. lib. latè. Hinc Behemoth humentia petit, vda, & madida, vmbrosa, quòd frigida & humida, qua pollent natura, inducãt somnum, tẽperatis animãtis æstibus, incẽdio, & igne, quibus flagrat veneno atro & caustico hic vastus serpens; hinc humentia, & temperatas incolit sedes, vt cessent ignes, tẽperẽtur incẽdia, mitigentur empyreumata, refrigerio loci, somnus vt obrepat, & alliciatur. Hinc poëtæ dormientes sub vmbra effingũt ad fontiũ decursus, rati iis somnũ oriri ocyùs, & euenire citiùs, Ouidius, Virgilius, Horatius, Hesiodus alij. Tũ somnus repit sono leui, & susurro murmure, spiritibus motis, cõcentu, & armonia agitatis, caput opplẽtibus natura leui, qua pollẽt, sursum elatis, vt hinc musica conciliet somnum graui tono, & sermones summissi, susurra cantilenę nouellæ soporent, & sopiãt, non alta voce, ne expergefaciant impetu, & repulsus violentia, vt concitatio & motus, soluũt soporem, motis & commotis dormientibus, pulsis spiritibus impulsu è loco anteà

illis obstructo, quo somnus cessat. Tractis verò musica in caput, vbi auditus residet, impulsu leui non distractis, dissipatisve, sopiũtur altè animãtia, vt qui à cibo student iis ipsis de causis sopore vexẽtur, capite pleno ex actu & opere, Aristoteles sectione 10. problematum, sententia 1. & aliquando lectione sola, longè adhuc à cibo, leuatis spiritibus sursum attentione, aut sono, problemate imò 11. sectionis 16. sic quærit: Cur locis palustribus effici somnolentiores solemus? subdit; an quia magis in iis ipsis refrigeramus, refrigeratio autẽ & requies cùm sit, somnum conciliat, qui quiete accidit; frigore torpescimus, vt operari nõ possimus, ideo somnus, cùm in actionum priuatione consistat quies, ex refrigeratione suborta precedẽti, & obstuctione pręgressa, aliisque, & aliis, iisque locis obducitur, iis narcotica medicamenta dicta, somnumve conciliantia sunt frigida in 4. Aristoteles 2. de partibus c. 7. docet, frigus externum & calorem internum ventriculi, frigus verò internum cerebri, somnum inducere, si alimento frigido est animal vsum; melius verò si frigido & humido. Externum frigus torporem infert, externa comprimit, ne exhalet calor, quò increscit calidæ substãtiæ cumulo densatis poris, quominùs diffluat, calor vapores leuat interior, vẽtriculi, cerebri frigus densat, & constipat, vapores incrassat, vt obstruãt vias, quibus somnus adsit. Hinc humentia loca quærit callidissimus Behemoth, vmbrosa, & madida, tum sonora leuiter, susurrantia, & quasi murmur edẽtia inuisit, vt deciduis decurrẽtibusque aquis, sono & strepitu leui cõmotis, arundinibus, aura placida, & suaui agitatis, & cõcussis, excitetur somnus concentu, murmure, & susurro leui, personant vacui, vanique calami vẽto excussi, aquarũque vndis peracti. Hinc somno

conso

consopitur Behemoth, & soporatur altè; sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus, vt conciliet somnū, vigilantissimū natura animal, quæ Deorum tēplis cōsecrabantur, vt adessent excubiis, & vigiliis peruigiles custodes. Sic Rhodiginus l. 10. c. 3. Socrates in Phædone, Hesiodus. Ouidius hesperidum hortorum accerrimum præsidem fuisse refert draconem. Cùm ergo vigilantissimus sit, peruigilióque angatur, eget ob distemperiem calidam capitis & discratiam, qua pollet, siccamque nimis, locis frigidis, & humidis, quibus corrigantur excessus.

De Behemoth Hydra, sensibusque figuratis.

CAPVT XVI.

NEque est mirum, monstrum hoc immane, & ferum, vastum, cumulus serpentium, & syndromes dictum, vasta congeries, terror & vastitas gentium, & animantium, palustria habitare loca, stagnosa, lacus humentes, obscænas, spurcas, cænosasque obtinere sedes: vt de Hydra retulit, maiori omnium animantium monstro, Pausanias in Corinthiis, quam sub pulcherrima platano euixisse narrat, irrigua, cōpiosissimo fonte, quam fabulis dedisse occasionem (inquit ille) mille figmentorum: hancque Herculem exterminasse dixere, quòd horrenda, immanis, robustissima fera Behemoth serpentium cumulatio varia, vna, & congeries, horrenda Hydra, mille serpentes simul, septem capitibus, quibus mōstrosè vigebat, oribus septem, & si aliis pluribus, paucioribus aliis, deuastabat omnia, & subuertebat, inuia reddens loca, nationes, prouincias, igneo halitu, fætidoque anhelitu, tetro ore, spirante, inqui-

nans & exurens cuncta caustica,& exedenti natura, vſque dum illuſtris Alcides trucidauit belluam, diſcerpſit inclyta illa ſua,& heroica virtute,vt ad mores poſteà cùm referrent Sophi ; in Sophiſta Plato dialogo dicto, ſeptem pullulaſſe capita vno reciſſo enarrent, vſque tandem igne ſuperatum eſt monſtrum, vulnere quouis exuſto, capite ſemel vno reciſſo, Thelemonis ope. Quæ quidam ad inuidiam referunt, capitibus nobis pullulante cõtinuò virtutis heroicæ communis teredinem ad labores alij, & mortalium miſerias,vitæ incõmoda;alij ad pericula, quouis ſuperato, cùm renaſcãtur alia & alia, ad alià alij veræ hiſtoriæ adnectentes fabulas,figuras, ſymbola. Hinc Ouidius inuidiam imis conſtituit vallibus,obuolutam ſerpentibus,eroſam, & inſtigatam, Erycthonem monſtrum pedum anguinorum illius cuſtodiæ præeſſe ſcribit, ſerpẽteſque alios,vdiſque, humentibus, & vitioſis locis degere liuorem, ſerpentium ſeruata natura : inuidiam vt enotaret, infimos obtinere homines, obſcuros, humileſque valles,non eminentes montes,viroſque claros. Eadem de Hydra Piſander Camireus per multa capita retulit, lacus habitaſſe humidos, obſcænas valles,ſtagna,paludes,Alceus idẽ lib.3.c.7.Heſiodus, Aratus, Horatius lib. 2. epiſtola 1. & Oda 11. Virgilius; qui omnes paludem Læernam inhabitaſſe volũt lacu facto,fonte Amymone. Lacus enim & ſtagnoſa loca expetere diximus Behemoth hydram mõſtrum immane.docet imò pietas noſtra fatalem draconem ex vrbi ſubiecto lacu proſilire quotidie, veneno ſum, turgidum,qualibet die Virginem vnã vt deuoraret, secùs, mortẽ lethũque minãri omnibus,& exitium, vſque dum Heros ille cæleſtis, Georgius martyr exterminauit immanem belluam, iuxta ciuitatem Beriti,

Beriti, refert Simeon Metaphraſt. lib. 7. c. 9. enarrat famulus amantiſſimus huius equitis diui, Paſicrates, hiſtoria huius cœleſtis Ducis, martyriſque Chriſti lib. 1. cap. 12. Hæc denique monſtra lacus expetunt, & cænoſa loca, Georgius depingitur belluam monſtroſam haſta perfodiens, virgine exorante ſupplici, afflicta; idem Danieli contigit 14. cap. vbi magnum Draconem interfeciſſe audimus, qui in loco degebat humido, paluſtri, & obſcœno, Nili inundationibus vdo & madido, quo dicitur; *Et erat draco in loco illo magnus, iuxta Babylonem, circa Nilum.* Neque enim in Babylone. His omnibus conſtat Behemoth hy- 57
dræ fuiſſe genus, ſerpentium cumulum corpore in vno hydræ inſtar monſtroſum forma partium, ſitu, mole, & membrorum numero. Putreſcunt magis humentibus locis omnia, quò monſtra vaſtiora & maiora ſubueniunt iis quæ putredine naſcuntur, vt multoties citra principium aliud naturæ ſerpentes oriantur. Ideo locis humentibus, vmbroſis, madidis, Behemoth aſſidere dicitur Iob. 40. Huius generis animantis eſſe beſtiam illam Apocal. 13. patet contextu, Behemoth hydram. multitudinem ſerpentiū, ſeptem capitum, beſtiam horrendam, ſerpentium cumulum, terræ & aquæ monſtrum deforme, immane, & terribile, quod reuera fuiſſe Behemoth & hydram reor, huiúſque naturæ, conditionis, & ordinis, neque hæc differre inter ſe, diſſentireve aliquo, ineptè imò depingi cum pedibus. Eſt verus ſerpens, latè iam ſuprà monſtrauimus. Imò Apocal. 12. beſtiæ draconis hiſtoria perſcribitur, pedum nulla memoria ſubacta. Eſt ſerpens draco, caudam verò retulit iis. *Et ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.* At c. 13. beſtiæ alij, quæ erat ſimilis leopardo, pedes

anne

annectit sermonis historia iis Dei spiritus: *Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & pedes eius, sicut vrsi, & os eius, sicut os leonis.* Cùm ergo Behemoth multitudóque serpentium hæc corpore in vno, monstrosam obtineat naturam, dictis iudico, hydram fuisse septem capitum, & Apocalypsis Draconem eundem, vt fuit illa antiqua Herculis, Lernæ paludis, speciem hydræ serpentis, & serpentis dictæ hydræ; monstra hæc, cui humida incolenti, maiora accidunt putredine obscœna, monstra, & vastiora. Sunt hydræ serpentes aquatiles quædã quæ in aquis degunt, pulcherrimum anguium genus, nulli alij veneno inferius, aut malitia tardius, atro & potẽtissimo, viru diro, & caustico, efficaces mediis vndis, ignei, & exurentes, ideò hydræ dictæ; Hydros Græcis est aqua, quam incolunt præcipuè, & si inuisant terras non raró. Nicander in Theriacis hos vocat Chersydros, quod & terra & aquis degant, Chersos Græcis terra, hydros aqua est. Ij primò muscosa cùm habitent, stagnosaque loca, cùm semel æstiuis æstibus exsiccantur & arescunt cubilia, puluere cõspersi, exeũt torridi, hiãtes, flatu adurentes semẽta, & segetes. Nicander eo loci. Vt tunc dictus Chersydros, fagorum latebras quærens, & quercum, Drynus compelletur serpens, quòd Drynos græcis sit quercus, cuius habitaculo gaudet, succo allecto, suctu animantis in alimoniã. Hydrus ipse veneno est acrior, dum visit terras, siccitate & calore, feruida & torrida virulentia, anteà aquis diluta, & temperata, quasi alius natura à seipso Hydro incolenti aquas, potentia veneni; quò & diuersa inducit accidẽtia morsu, immane animãs, aspidi figura non absimilis, Cherseæ saltem, qui & Chelydri insigniuntur nomine multoties, quorum albo esse quosdam capite testatur eo loci Nicander,

eorúmque varia morſus accidentia pronunciat, pro maiori veneni, aut minori vſtione, cùm idem natura ſit ſerpens hydrus, Drynus, Cherſydrus, Chelydrus, quos inueniri affirmat longitudinis vicenum cubitorum Plinius lib. 7. c. 23. iis: Organa inſula tantùm habitatur, aquoſa. Iam in ſinu ante Perſida, & circa has hydri marini vicenum cubitorum, adnatantes terruere claſſem, lib. 28. c. 4. hæc; In orbe terrarũ pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua viuit, Hydri vocantur; nullis ſerpẽtium inferiores veneno, quos alij colubros, alij Enydros vocitãt, varietate colorum inſignes, fulgorum auratorũ ſpecimine refulgidi, belliſſimis oculis, perpulchro capite, criſtato, albo, & coronato diademate inſigni. Anteà de his lib. 1. dictum abundè ſatis. De colubris Plin. l. 32. c. 5. ſic: Coluber eſt in aqua viuens, huius adipem, & fel habentes qui Crocodilos venentur, mirè adiuuari dicunt, nil contrà bellua audente; efficacius etiã nunc, ſi herba potamogethon miſceatur. Iis ergo inſigniuntur nominibus. Ariſt. 9. de hiſtoria. c. 37. ſerpens marina, colore & corpore cõgro proxima eſt, ſed obſcurior, atq; acrior; Hæc ſi capta dimittatur foris, in arenam roſtro quàm primùm adacto, terebrat, ſubítque tota; hęc hydra & aquatilis Ariſt. ſerpens; eſt idem Dioſcor. l. 6. c. 49. Ælian. l. 4. c. 57. Rhodiginus, Paulus, Ætius, Galenus de Theriaca ad Piſonem c. 3. lib. Sanctorum hiſtoriæ & facinorum memorabilium 7. c. de Virgine Martha Chriſti hoſpite referũt patres: Virginem hanc immaniſſimam hydram, belluam deformem, cõuinctam & ligatam vinculis, cingulo pudicitiæ, quo veſtes complicabat, incolis relegaſſe, vt gladiis, haſtis, & tormentis bellicis, monſtrum hoc victum iam, illius precibus interficere poſſent, cauſa lapſus & ruinæ ciuitatis cùm extitiſſet vaſtum animans

mans anteà. Hunc verò vicit illa circa flumen Rhois, inter Auenionem & Arelatum, quod sobolē Leuiathan animantis, scriptores omnes, & sancti patres testantur, verúmq; natura Behemoth, aut Bonachioth, reptile natura (ibidem dicitur) hoc appellabant Tarascon inquilini, nos Tarasca, quovsque modo Tarascones dicuntur dracones, qui ludis festiuis effinguntur ludicrè, præcipuè die sacrosanctæ Eucharistiæ festo corporis Christi, quasi iam victum, & subactum draconem Christi conuiuio prædicemus, corporis & sanguinis alimonia & potu, venenum restinctum hoc vndis immersum ad tempus prosilire, tumens & turgidum, túncque omnia excidio tradere tetro halitu, igneo, & fœtido, quē expirabat; stercoréque secessu extruso; segetes vrere, animantia & homines, conflagrare flammis cuncta, vt videretur, referebant: ira percitum, rabiéq; venenata. Cùm ergo hydræ sint aqueæ serpentes, & iis mōstra contingāt deformia, magis maiora, & vastiora materia vda & facilè ductili, formabiliq; quouis facilè, quæ mare, flumina, stagna, paludes, lacus, humentia inhabitant, incolúntque loca. Behemoth verò mōstrosus sit serpens, tum nomine, tum natura, vt patet, & aquas, locáque humentia, & vmbrosa petat, torrentes, flumina, lacus; iudicamus hydræ esse monstrosam naturā, sobolem, & fœtum, multitudinem serpētium, & cumulum, hydræ & aquatilis serpentis speciem dragónteæ magnitudinis & vastitatis, Leuiathánque immēsæ & grandis, conditiones draconis in multis referentem, æmulantémque illos pluribus, præcipuè hydram veneno & noxa monstrosæ & variæ indolis, & formæ. Huius tamen hydræ deformitatem, quòd illam præcipuis imitetur & prosequatur, quò Ecclesiastici 45. dicitur, *fecit illis monstra.* & de iusto eodem c.

simi

similem eum fecit in gloria Sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit, de Iob intelligo, analogia, & si de Mose ad literam. ibidem Sapientiæ 19. capite. *Nubes castra eorum obumbrat, & ex aqua quæ antea erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via, sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quæ omnis natio transiit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia, & monstra.* Quibus, & aliis, vt 17. eiusdem inuenitur, mõstris perturbasse nationes, Iudæos & gentes scimus; adeò enim increuit malitia hominum, vt non assuetis, non rebus ipsis, non natura, aut creaturis vniuersi ordinẽ obseruantibus exhortentur, monstris imò, portentis, ominibus, rerum imò miraculis excitati deficiunt, vt defecit Pharao: induratum imò est ampliùs cor illius mõstris, prodigiis, & signis, in pœnam delicti, & sceleris, adeò vt Deus induraret posteà cor eius pœnam facinori constituens, quam expetebat ille, & statuebat sibi obstinatus, & incredulus. Nil differre monstrum hoc, significatu & allegoria, à multitudine illa & congerie serpentium, immundorúmque animalium oblata in linteo illo Petro Actuum Apostolorum c. 10. elucescit dictis. Vitia omnia deformia, immunda monstra, hydras Hercules alter, qui superauit, & vicit, quæ cùm ipse ter respueret & prohiberet, tentationes immundas obscœnorum non anteà excessit, quàm illa in cœlum conscenderet, vt fautore Deo, cœlíq; spiritu suscepto, Centurionẽ emũdaret, immũdáq; eius occideret, & voraret, ignis instar edacis spiritu, & ascensu in cœlum, reuersis semel: nõ Iob, non homine euinci potest, aut ligari Behemoth, Syndromes illa vitiorum, peccata & monstra, vsque dum in cœlũ ascendant oratione, & petitione illa, ne tentationibus inducamur, & euincamur, iniquitates
nostras

nostras ipse tulit, qui in cœlis est, vt ascendere in cœlum deceat, ferátque ille ipse Christus, immundorúmque obtundat venenum nostrum. Isaias citato. Est onus ideo leue, ipse quòd peccata sustineat, ferátque nostra & subleuet, vt ascendere nobis detur, subleuatis ipso, hinc si ascendant immunda mortalium, ascendimus: si ruant, prolabimur,ponderéq; nutamus. Ascendant ergo in Christo qui priùs descẽdit humiliauítque sese, quàm ascenderet in cœlum, vt nos humiles descendamus in nos priùs, vt cum illo ascendamus; *nemo enim ascendit in cœlum nisi qui descendit*: humilis in se priùs, *imperium eius super humeros eius*, in cruce scilicet, vicit in ligno, imperauit, diuinitatis antidoto retundens malitiam, & virus tetrum, & dirum nostrum. Delectatur maximè serpens calami strepitu, quassati, & vani, arundinis imò ictu torpescit, detinetur, delectatur, & sistit, colligitur illicò, plicatur, reuoluitur, facto sono, quassato calamo orbes plicat, quo percussus iterum spiras deplicat, exerit, orbes minatur, obsistit, docet Cœlius Rhodiginus, Ælianus, Plinius, & alij, vt latè lib. 1. aliásq; monstrauimus. Hinc serpens Behemoth dormit in secreto calami, in vanis, ociosis, & sine fructu hominibus, apparentibus, vacuis, & diuisis, coaceruatis sibi, vitiorum congerie, vt similia sibi expetat Behemoth, qui serpentium cumulus consistit. Calamus non vnus, multiplex imò est, quasi cannuli cannulis inhærentibus, fistulæque fistulis plicatis per segmenta, vt quilibet cannulus calamus integer sit, cùm nil amplius in omni arundine, quàm in eius vna parte quauis resideat, cùm iniungantur partibus partes, nodis diuisæ, seiunctæ ad inuicem, Behemoth alter in genere arundinum calamus vt sit natura, hærent sibi arundinis calami, illúdque referat, & æmuletur,

sectio

ſectiones, vitia nectuntur vitiis; eſt facinus facinoris ſedes, eſt origo, initium, fundant ſcelus & culpa culpam, abyſſus vt abyſſum inuocet, & nox nocti vt indicet ſcientiã; vana omnia, leuia, fugacia, mutationi ſubiecta, fallacia, nõ virga recta, vna, indiuiſa, calamus imò hinc Chriſto nõ virga, iniuſtè imò arúndine obtulerũt acetũ, corruptionẽ vitiorum, & amaritudinem, non virga, non iuſtitia, iniuſtè imò, & impiè, non vero, non vno, non virga, calamo imò diuiſo, multiplici, vario errorum, & defectuũ, vt hinc dormiat in ſecreto calami Behemoth ſerpens, cùm arundines imò obſcœnis locis germinent, otianturque, Dioſcorides lib. 1. cap. 94. à quo Galenus, Plinius, & reliqui. Pullulant arundines aceruatim ex vno plures ceſpite, cumulatæ, latibula, & latebras condunt ſecretas, & abditas, vmbroſas, humidas, quas Behemoth quæritat, frigida & humida cùm expetat loca, ob ſiccam & æſtuantem naturam, & diſcraſiam, qua vrgetur impensè nimis, in locis humentibus dormit 40. eodem c. humidos, molles occupat, qui in ſe cedunt ſolùm, vt cedunt humida, iuxta Ariſt. 2. de ortu cap. 4. meteororum, cap. 1. non reſiſtunt tangenti, dæmoni, paſſionibus. Prouerbiorum 18. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Humida non ſe continent, mollia in ſe cedunt, mollis ergo, & diſſolutus humidus, eſt frater diſſipantis ſua opera, ignis ſcilicèt Dæmonis qui, & diſſipat quæ igniuit, & inflammauit, quæ adſtruxit, miſta reſoluit, ſuccéditque. Eſt frater ignis confraternitatis, ignis confrater inferni & dæmonis.

* * *

De vmbra delicioſiſſima Behemoth, Tropíſque calami.

CAPVT XVII.

60 SVbdit Iob: *Protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum ſalices torrẽtis.* Serpentiũ conditio eſt, aſtutia, & prudẽtia, vt quoties caput periculũ ſubit, aut in diſcrimen venit, cauda illud præmuniant, & tutentur, totum imò periculo exponant in tutelam, & cuſtodiam capitis. 1. lib. huius tomi latè ſatis monſtrauimus. Hinc cauda, & toto caput obtegit, & circumuallat, ſoli expoſitus, caudæque orbibus munit protegitque, vt æſtus vitet, capite alioqui debiliſſimo. Ariſtoteles 2. de hiſtoria, c. 17. & experientia vltrà communis ſuadent. Vmbra Behemoth, cauda eſt, defenſa, vmbraculumque ipſius qua à ſolis æſtu protegitur, nomine effectus cauſam compellans, hac protegitur, & tuetur, à ſoliſque ardoribus munitur, ideo dicitur, *vmbræ protegunt vmbram eius*, id eſt, arundinum vmbræ vmbram eius, caudam vmbraculumve obtegunt: vmbræ maximè ſolicitus, vt duplicata vmbra æſtus vitet, & impediat, ſic odit lucem vt & vmbrã eius, peccatum, vmbræ protegant ignorãtiæ, & malitiæ, ſic quærit occulta & denſa, complicataque loca, vt vmbra vmbram protegat triplicata, quadruplicata, ſi poteſt, opaci ad opacum: hæ verò vmbram eius occultant, & abdunt. annectitur eo loci; *Salices torrentium*: amæniſſimæ vmbræ eſſe, delicioſæ, placidæ & ſuauis. temperatæ ſalices plurimis conſtant, ripas, irriguaque loca natura occupant, ortu iis vigent, aquis immerſæ innantes placidiſſimæ, & delicioſæ vmbræ, odorem vdum vligine ſimul ſpirantes,

tes, quo inſpiratu, qui & arteriis it lecto, ſqualor & æſtus temperantur noſtri vligine vda tracta, vt ſitis madore, halituque reſtinguatur totius, madeat totũ, quo minùs ſitiat ex parte eo poſitu, vmbraque ſalitum temperata illa. Cicero de diuinatione 73. *Nam me viſus homo pulcher per amæna ſalicta*, Virgilius Eclogorum 17. *lenta ſalix.* 2. Georgicorum, *fœcundæ ſalices.* 10. Eclogorum. *Mecum inter ſalices lenta ſub vite iaceret*; paſtorum vmbra amæniſſima, & placida. Sunt verò eius naturæ ſalices, vt cùm fructum generent, antequàm perficiatur in floccos exoluant, vt peruolet facilè; quò Homerus eam vocauit ὠλεσίκαρπον, id eſt, perdefructus, quod ipſum amittat, & perdat ſemel ac generauit, floſculis ſolùm contenta, apparentia rerum fugaci, & vana, luxurians arbor, quæ torrentibus, quietis & tranquillis, fœcunda magis ibidem, terra & aqua permiſtis, vapore limoſo, & impuro alta, quàm fluuiis effluentibus rapido affluxu, aquæ copia, terræ inopia, fluxu concitato aſportata amnium, ſole inalterante materiam miſtam, exſiccante, radicibus detectis, effluxione vehementi, vt minùs aptè enutrita increſcat minùs, & alatur parciùs, quàm inſita torrenti & commiſſa, lociſque minùs aquoſis & quietioribus conſita. Dioſcorides l. 1. c. 115. Plinius l. 16. c. 16. Circundabunt Behemoth ſalices torrentis, quæ locis tepentibus inſidẽt: putridis, vitioſis, impuris, cænoſis, minùs difflatis ſpiritu illuſtri, & viuifico halitui expoſitis. Paluſtria expetunt. Ouidius 2. metamorphoſeon, *denſis ſalictis obſeſſa palus*; hi, inquã, vitioſi, obſcœni, ſine fructu, fructuſve acerbi, immaturi, & vani, vanitatis vento ductiles, & ſubiecti, qui copia intentionum abundant, & conceptuum fructus, vanæque prolis, exequuntur verò nunquam iuſta quæ concepere, ij qui

 facil

facillimè concipiunt, in medio aquarum ſcientiæ, & affluentiæ rerum, Eccleſiæ medio ſapientiæ & doctrinæ, illuminati ſolis copioſiſſimis radiis, auxiliis, dotibus illuſtres, ſalices tamẽ ſe ipſis vitioſæ, qui quæ concipiunt abortiũt, non parturiũt, fructuſve in lucẽ edũt, ſemine imò ſeminatoris onuſti, eoq; concepto, monſtra effingunt, quòd corrumpant onera potiùs, quàm partus gerant, ſemina, vt molas generent flatus ſuperflua, & deformia, vitioſa, monſtra, ſemina ſemiformata, deformatave, vt diſcedant ſimul cum floccis vanitatis, ſalicum inſtar, vt iuſta peruolent, & euaneſcant. Danielis 4. *Succidite arborem & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius, fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius, verumtamen germen radicum eius in terra ſinite.* Contumaces, obſtinatos, lapidei cordis omittite. Salicis fructus diſpergantur vanitate, ros gratiæ è foliis excutiatur, fugiant beſtiæ, & peccatores qui inde alebantur, ij qui priùs eo tuebantur: volucres Doctores aues ſonori cantus, qui officio ſuperiores, è ramis lociſque Eccleſiæ verbis Chriſti edocebant, quibus fructus afferebant, arbores illæ conſilio & doctrina volucrum illis inſidentium, præſcindantur rami, ceſſet officium verborum Dei, & doctrina, radices tamen ſuperſint, fides, auxilia vniuerſalia, & concurſus, ſumma benignitas; his ſi velint, redeant, pullulent, renaſcantur iterum quaſi, ſuperſunt vt ſalicibus ſemine amiſſo illæ. Circumdabunt Behemoth ſalices vani, aſſentantur illi, & cultu proſequuntur, qui ſine fructu ſunt, fallaci & vano rerum affectu, qui hiant detenti, ſecus non vireſcent, aut pullulabunt, niſi quæſtus cauſa, amoris proprij æſtibus acti, Matthæi 7. c. de iis: *ex fructibus eorũ cognoſcetis eos,* quod dixit Daniel, *iis diſperguntur,* peruolant vanitate ducti.

Sa

Sapientiæ 3. *fructus eorum inutiles, spes illis, & labores sine fructu*, & 4. *ad nihilum valent fructus eius.* Apti ad nihilum, ij concipiunt seminibus fugacibus, monstra effingunt fugacia, & deformia, vt salices fœcundissimæ naturæ, vanos, leues, inconstantes fructus edunt, qui suammet perditionē emoliuntur, adnatis flocculis humiditate nimia, luxu, ocio, vt peruolent incertè & vagè, qui cùm concipiant immundi, pleni vitiorum, excrementisque monstra pariunt. Esdras 5. *Menstruatæ concipiunt, & monstra pariunt.* Magnitudinem huius animantis, molemque immensam, vt perscriberet sapientia summa, ea est vsus arte, non secus ac qui linteo in breuissimo gigantem depingere ratus, vastum & deformem, digito vno obumbrato solùm, molem, interminabilem, iudicio inspectantium committeret, relinqueret, ob subiecti defectum, quo totum non licuit oculis subiicere, & exprimere breuissimo orbe. Bibendi modum expressit Deus Behemoth, vt hinc suspicemur soliciti, reliqua cũ nostra nõ ferat vltrà capacitas, & naturæ modus. Ideo subdit, *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius.* Ingentissimè bibere animantia, nimisque quædam scimus, docuit Aristoteles 8. de historia c. 9. Elephantum vno haustu quatuordecim amphoras aquæ exsiccare, & communiter octo, Chamelos plus multò vltrà ebibere, dum enim siccissimas Lybiæ arenas, æstuantiaque loca peragrant, largè priùs potatos liberali potu, ducunt, vbi siti verò vrgentur ingenti, & molesta, ne illa deficiant omnes hiucula siti, inopia aquarũ, locis squallentibus eius regionis, vnum exanimant, qui ventre eam aquæ copiam gerit, vt bibant reliqui, & extinguant incompescibilem sitim interim, ac copiosiores inuisunt aquas sodalitio potu satis facti

illius qui bono communi consulens, quasi priuato cessit, quadraginta amphoris communiter pleni; dracones, cetus, fluuios absorbere vna vice circa exortum fontium ebibentes haustu vno scimus, fereque exsiccasse, vsque dum denuò fluant & dilabantur vndæ iterum, quid mirum, si hoc monstrum immane, & vastum absorbeat fluuiũ? hyperbole, & metaphora absorbeat & exsiccet? Sunt huius generis animantia sexcentorum passuum longitudinis, & trecentorum latitudinis, quorum lingua quadraginta mulis sola asportari solita est, Cetus apparuit Micinæ tantæ molis anno 1559. Lisbonæ 1550. docet Glossa ordinaria hoc eodem Iob. 40. c. Valentinis apparuit alter miræ huius magnitudinis anno 1556. quantum hæc ebibissent incredulis datur intelligi, exsiccarẽt torrentes vna vice fluuios, & non mirarẽtur tantam aquæ quantitatem ebibisse; ab assuetis enim nõ miramur. Sunt hi illis haustus communes: cum magnitudine imò, vltrà, inter hæc Behemoth, sit monstrum hydra, molis immensæ, non fluuios cõmunes, Iordanis imò fontes sperat exsiccare haustu, ibidem extãt scripto, dixit hæc Iob in prouincia Iudææ ea parte, vbi à Peræa hoc fluuio seiũgitur ad Libani radices, ibi ex duobus fontibus, Ior, & Dã, fluuius Iordã coalescit, scaturit & elabitur, quo est vsus eo exẽplo, Iordanis non solùm aquas ebibet, absumetque illiberales, & parcas. Sacramentis veteris legis homines excultos, nõ solùm sacrificia lota aquis illis insufficientibus sine lege gratiæ roris, sed fiduciã habuit Dæmon absumendi Iordanem, Iordanisque ostia influere in os eius, sacramento Baptismatis lotos, & tersos adhuc fiduciam habet ingurgitandi & quòd influat Iordanis in os eius. Fuit ibi institutum Christo sacramentum Baptismatis; spectat Christicolas

colas bibere aquæ instar, facilè adeò, & si in Iordane gratiæ copiosissimè lotos sacramentorũ riuulis, fontibusque coëuntibus in flumen vnum gratiæ copiosum, & largum hunc fluuiũ tentat absorbere; absorbet imò, & bibit, ne fluat & dilabatur in Christicolas plurimos, impediente Behemoth culpa & reatu, ne in ipsos veniat, & prolabatur, vt de plurimis experimur, hæresi infidelitateque corruptis, & exsiccatis, gratię rore destitutis. Cõcludit vltimo eo c. his; *In oculis eius, quasi hamo, capiet eum, & in sudibus perforabit nares eius.* Non hamo, sed quasi hamo dicitur in oculis eius: monstra capi, & venari speculis, inspectu, & admiratione, nouit Perseus caput Medusæ rescindere anxius, scuto Palladis deterso, & lucido quando eam occupauit admiratione detentã, interim captã oculis, attentaque inspectione horrendo inspectu cõfusam, quasi hamo esca portenti, & nouitatis illecta. Visu animantia plurima captãtur: sunt exemplo Elephãtes, docet Ælianus l. 10. c. 10. & 18. Rhodiginus, & Plinius, venari pulchræ fæminæ inspectu, l. 6. c. 39. & l. 7. c. 38. quas vltrà docet venari percutiẽte aliquo animal primò, pòst altero iniuriam vindicante: vltorem enim sequitur illicò domesticus, & mitis elephans, gratias quasi referens beneficij accepti, itque in obsequiũ, esca illa allectus, & quasi hamo captus in oculis eius: molestia affecti Elephãtes, nunquam patriæ dulcissimæ obliti, mæsti, & tristes capti semel, tandem lachrymarum copia effusa, visu priuantur, & cæcutiunt, vt visu destituti, in oculis eorum capiantur, Ælianus l. 10. c. 18. quasi hamo exsiccatis oculis planctu largo. Hamus inter alia & aciculam contortam designat, qua perforamus oculos, his qui cataractas patiuntur, quibus si ritè & diligenter nimis, vt decet, non tractentur, perforato

oculo, profundiùs quãtiſper medici ignauia, & incuria, pluſquã licèt ſi pũgatur, effuit humor vitreus oculi, & aqueus diffluit, vt exſiccetur oculus, humore deliteſcente detracto, qui vuea tunica cõtinebatur, & aranea in oculis, vt quaſi homo capiatur. Lachrymantur adeo, vt exſiccẽtur oculi, inſtar eorũ qui hamo cõfodiuntur, oculis perforatis ſiniſtrè Elephantes, nõ ſecùs Behemoth in oculis capitur. Elephas fletu doloris exilij patriæ dulciſſimæ pœna, mõſtroſam ſui pertimeſcẽs naturã, deformẽ, fædam cutem, efformem narẽ, deturbatas & prolixas aures dũ intuetur, diſturbat aquas ante potũ, obſcurat, reformidat claras, & limpidas. Ælianus l. 17. c. 7. Ariſt. 8. de hiſtoria c. 8. Sic monſtrum hoc Behemoth dũ ſe inſpectat, & contemplatur puriſſimis in vndis, capitur quaſi hamo in oculis eius, cõfuſus adeò iniecto obſtuporis hamo, deformitatẽ ſuã admiratus, abſorptus, tãtæ fæditatis incredulus ille, qui pulchritudine excellebat tãta, Lucifer dictus, lumine illuſtri & claro ortus, vt venari poſſit, capique hamo, quaſi vndis detentus, vt piſces hamo vndis capiuntur, ſic ille deceptus, poteſt & ligari & trahi, qui moleſtia affectus, percitus rabie, naturæ deformis, obſcænæ, & deformidabilis, lachrymatur; adeò furioſus, incredulus, vt obcæcetur ampliùs, effuſo humore oculis cõtento, quaſi hamo & acicula pũgeretur incautè animal, vt effudit ille auxilia ſuſcepta roris, oculis mẽtis, & luminibus contenta, in Deũ ipſum virus euomens, vt eiecit Lucifer, Behemoth. Dracones imò, Elephãtes, notos leones, arreptis catulis detineri, & deludi, ſpeculis obiectis, in oculis illudi, hamo quaſi capi, paratis artibus, laqueis, retibuſque protẽſis ad ſpecula: norunt Ælianus, Plinius, Ariſtot. locis aduectis. Extractus ſemel, ligatus, in ſudibus locis & ſiccis, tra-

ctus

ctus de aquis,& locis humẽtibus in ſudibus,in terra ſicca;perforãtur nares eius circulo iniecto, quo frænabantur dracones antiquitùs, vt latè c. de Leuiathan diximus:frænabiturque monſtrũ Behemoth de genere ſerpentiũ,& draconum modo explicito iam Hydri ſoboles monſtroſa,naribus circulo adacto,in ſicco,extra affluẽtiã,& copiã. Ouid. metamorph. 4. *Nec vulnere lædunt.* Quidquam priùs fuerint *placidi meminere dracones.* ſemel victis & frænatis ſemel.Plinius idẽ loco ſuperiùs adducto, myſticè verò Chriſtus hoc monſtrũ quaſi hamo obcæcauit,Behemoth excæcauit.Gratię lumine mulctato,naturęque;& lumina obtudit, neq; enim naturalis dæmonis cognitio adhuc perſiſtit perfecta, & excellens adeò vt anteà.Ordinabatur hæc in lumẽ gratiæ ab ipſo Deo;in tãtum verò eſt integrũ quoduis,in quãtum ſubditur, & dirigitur in id quod perfectius ſibi eſt; naturaliũ adhuc rerũ ſuo eſſe, vt in aliud eſſe poteſt ſuper naturam adhuc pẽſata ordinari. Culpa ſic amiſit præcipuè ordinẽ,& gratiam,qua & naturæ eſſe perficiebatur omnino,non diſciſſa nec diſſecta natura,offuſcata tamẽ,& cõfuſa,obtenebrata,& caliginoſa.Cognitio dæmoni altior eſſet gratiæ lumine formata, naturæque intuitus perficeretur : iis ille excelleret. Luminibus ergo oculiſque priuauit Behemoth, in oculis eius cepit eum, videre enitentẽ ſe Deũ poſſe ratũ ſuis oculis,ſuis viribus,natura, nõ gratia;altiſſimo ſimilis,qui ſe natura inſpectat,debitoque illius. Iſai.14.c. *In cœlum cõſcẽdam,& exaltabo ſolium meũ,& ſimilis ero altiſſimo.* In oculis ergo, in viſione capiet eũ,quaſi hamo,illum qui hamo trahebat piſces,trahet,& alliciet,vt illicò aquis priuetur, & deficiat in aëre,in ſpiritu Abacuc.1.c.*mundi ſunt oculi tui*,totum in hamo ſubleuauit,de Chriſto, *mundi ſunt oculi tui*,

quo decipi nequis, vides omnia. Behemoth oculi immundi, locis obſcænis, & cœnoſis fœdati, vt in oculis eius lippientibus, limo fœdis capiatur obcæcatus limo illo quo euoluitur,& circũuoluitur. Totum hoc monſtrum hamo ſubleuauit ad ſe, in ſe vicit mortem,dæmonem,traxit illud(ſubdit)*in ſagena ſua,& congregauit in rete ſuum*; ad ſe traxit, vt hamo trahit ad ſe captos piſces piſcator, vt Alcides gigantes terræ filios ſobolemque terrenam à terra ſeiunxit, ſubleuauit in altum aëré, vt fortiſſimis brachiis deanhelaret, matris fauore deſtitutos,ad ſe traxit,vt terræ potẽtia deſtituerẽtur ceſſarẽtque terræ hiatus, Chriſtus Behemoth,*imperium eius ſuper humeros eius, iniquitates noſtras ipſe portauit in ſe.* Iſaias 13.& 46.*Ego ſaluabo,& portabo*,ipſe traxit dæmonem hamo crucis captum, mortem vicit, in aërem traxit, vt piſcator appẽſus cruci,à terra elatus, perforauit nares eius in ſicco, circulo iniecto armillæ inferni naribus: caret naribus formatis ſerpens,docet Ariſtoteles 2.de partibus cap.16.infernus nares quibus effumat, ſtrictiſſimas habet,& ſi os ingentiſſimum,vt & ſerpentes, quò hians ingerit orbem, aperuit, perforauit Chriſtus nares ſtrictas inferni, perforauit Deitatiscirculo, vt redderet quæ ingeſſerat victus, & ſuperatus ore ille ampliſſimo, qui naribus effumat ſolùm, vt minùs caueant mortales, occultat fumum; ore tamen ampliſſimo gliſcit,& hiat.

Omnium reptilium terreſtrium ſeriem ſubiiciens.

CAPVT XVIII.

GEneſeos 1. ſic: *Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile ſuper terram ſub firmamento*

mentocœli. Producat terra animam viuentem in genere ſuo. Iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm ſpecies ſuas. Vbi duo genera reptilium notantur, aquea, & terreſtria. Sunt piſces omnes reptiles, apedéſque, vt monſtrauimus, & qui pedes obtinent, marinus vitulus, & alia quæuis, repunt adhuc corpore, ſe vt nec poſſint ſuſtinere pedibus, vt & terreſtriũ plurima ſunt, quæ & ſi pedes obtineant, eis non poſſunt attolli ingreſſu, repunt imò, vt lacerti, ſtelliones, crocodili, chameleontes, alia; quæ & repere dicimus, & ſi pedes contineant illa, at minutos adeò, vt repant, aquatiliúmque aliquot. Súntque & terreſtria reptilia, quò iuſſit aquis reptilia producere, & terris iuſſit non minùs terreſtria exerere. Geneſeos 7. c. ſic vniuerſi inundationem deſcribens ſpiritus Deus: *Conſumptáque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum animantium, beſtiarum, omniúmque reptilium quæ reptant ſuper terram.* Paulò infrà hæc continentur: *Et deleuit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli.* Vbi reptile terreſtre ſolùm ſerpens depromit, apede quod repit motu, piſces enim tunc non deleuit, nec iuſſit Noë hæc animantia arca occludi, vt de volatilibus & terreſtribus impoſuit præceptum, & non de quibuſuis, ſed de illis qui putredine non oriuntur. Sunt ſerpentia quæ putrida ſuſcitantur vligine, imperfecta animãtia: illa imò ſolùm ſeruari decreuit, quæ vera propagatione oriuntur, alia naſcitura poſteà, putredine ſata, custode non egebant, nec ſeruato parentum ſemine; quò piſces arca cuſtodiri non præcepit, aquis cùm non eſſent interituri; ſolùm enim animantia perfecta, terreſtria, & volatilia muniens in poſterum. Propriori ergo ſignificatu, quæ ſerpunt ter-

restria significat, reptile, & si terrestria & aquea priori communiorique connotentur. Leuitici 5. *Anima quæ tetigerit aliquid immundum, siue quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile, & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit.* Vbi de omni rèptili, & serpenti animanti sermo agitur. Actuum Apostolorum 10. cap. *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam, & cùm esuriret, voluit gustare, parãtibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, & facta est vox ad eum, surge Petre, occide, & manduca.* His ergo aliisque locis, reptilium, serpentiumque omnium sermo incidit, de veris serpentibus, terrestribusque apedibus natura, generis nomine complectens plurimos, vltra illos veros adhuc, quos non propriis nominibus, communi imò appellauit Spiritus sanctus, qui quot sint, qualesque serpentes, dicendum hoc cap. de aliis enim iam anteà in specie diximus veris reptantibus. 3. Regum c. 4. vbi Salomonis sapientiam summam depinxit, sic dicitur: *disseruit inter alia de volatilibus, reptilibus, & piscibus.* vbi reptilia distinxit, & ab aquatilibus, idem psal. 68. & 103. alibique multoties in Scriptura sacra. Quorum est ea natura, vt & si ortu sint infima, & obscura animantia putredine orta ignobilium elementorum, infernorumque primò, terræ & aquæ, vdaque putrilagine nata, quæ si quid nobilitatis, aut perfectionis possidẽt, à sole suscipiunt, alterante, viuificanteque corruptam materiam, illa tamen cùm terram lingãt omnia, terramque corde & viscenibus premant, reptantia motu, solẽ fugiunt, odioque habẽt, superba

& ve

& venenoſa, monſtroſæ variæque inter ſeſe naturæ, inconſtantis, inuidæ, nullum vt ſic ſuperbiat animal, eleuetur, & tumeat nullum, ac ſerpens intumeſcit, & extollitur, infamis ortu, rege, duce, principe ignarus. Eſt rex in reptilibus quilibet; non ſunt gregalia animantia, Ariſtoteles 2. de hiſtoria, c. 7. in alium irruit quiuis tyrannus, prædator, timet aquilam, alitéſque omnes veneratur ſeruili timore quodam, machinantes malum latè anteà in hæc ipſa quæ venerãtur, inſidias tendentes. Aquila enim dum poteſt veſci terrenis aliis, alites non oppugnat, reptilia imò, neceſſitate compulſa, aues aggreditur inter quas, ignobiliores priùs, regina alitum; vt Leo terreſtribus pręſidet pedeſtribus, perfectis, greſſibilibus animãtibus, iis aſſidet, hæc gubernat, quo præſente lites ceſſant, diſſenſiones, rixæ. Reptilia tam aquarum, quàm quæ terras inuiſunt, principe carent, rege & gubernatore, gregalia pauciſſima. Thynni, Thunnive dicti piſces, quos ducit alter, enſe capitatus, Biſuci, ſardine grege innant, ſine duce aliquo, ſine rectore, aut capite cui pareant, & proſequantur, ſunt omnes capita. Thynnus verò præit ante alios, quem ſequuntur enſiformem reliqui, at non ducit ille, cùm timidus adeò ſit, pauidus adeò, vt cedat obſtaculo leuiſſimo cuiuis, detineátque alios leuiſſimo reti, vt perdat omnes, quò non ducit, deducit imò, officióque abutitur eo quod communiter accidit reptilibus, exemplo adducto ducis defectus. Abacuc dixit capite 1. *Populum minans propter ſcelera, & flagitia maiorum. Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem,* quaſi reptilia non habentia ducem. Adeſt tyrannus iis, non Rex, adeſt qui proprio bono conſulat, non communi; quo Rex, & tyrannus diſſident & diſcrepant: piſces enim piſces deglutiunt, ingerunt, vorant,

vorant, quilibet quoslibet, quos possunt capere, sine discrimine aliquo, oua deglutiunt ab omnibus omnes, vt & serpentes ipsi, propria imò, filios proprios, reptilia, & pisces, si ore capiunt, ingurgitant, volatilia, & terrestria gressibilia secus; oua edunt quando plus, non pullos alites, terrestria gradientia raró coacta fame, non communi alimento, quãdo est opus, vrgétque necessitas, præceptum, consilium, quando licuit, voraret Abraham Isaac filium, obtulisset; æternus Pater in salutem hominum Christum libauit sibi, in salutem populi & vitam mortalium, vorátque sacerdos, reptilia temerè & sine causa, tyrannide, malitia venenosa, odio plena, & superbia tumida, gula & inuidia instigata, ne crescant filij, & possint illa quæ ipsa possunt, vorant, huiusce naturæ malitiosæ, & tetræ, non secus ac vitiosi parentes generant filios corruptos & fœdos, veneno vitiorum parentum inquinatos, quos odio habent, mirantúrque & exaggerant illa, quibus & ipsi tenentur scelera, cùm ipsi genuerint malitia & viru exemplo infectos, ac si ex serpente serpens non oriretur, & ex serpentibus venenata non euenirent, demirantur quæritantes causam malitiæ filiorum. Punit ergo Deus hoc maximo flagello & durissimo populum, quòd Principes, Reges, Duces auferet, qui vel nõ sint, vel non sint officio tales, tyrannos imò immittet crudeles, ignorantes, vitiosos, qui nec se, nec alios corrigere, castigare, regereve possint, aut valeant, indoctos imò, cœcos, stupidos; erroribus, veneno, & malitia plenos, qui sint aliis, & sibi excidio & ruinæ. Huic naturæ animantium, quod nulli alteri contigit duo capita inesse cernimus, vt de Amphisbæna serpente docuimus anteà. Cuius species lumbrici extant, qui duobus semper insigniun

gniuntur capitibus,æqualiter ex quolibet ſalientes, videre eſt noſtris communibus lumbricis putredine ortis,imbrium, caloris tepore, præcipuè flante Africo,qui ex ea regione, vt monſtrauimus, ſpiritus trahit generationi ſerpentium aptiſſimos, quod veneno polleat clima illud, cœlíque influentiis, ſerpentibus familiariſſimis, quibus notatur in Scriptura vulgus ineptum,beſtiæ nomine multorum capitum, genere reptili, imò & ſi beſtiæ nomen irrationalia omnia ſignificet primò, vt docuit Cicero Tuſculanarum quæſtionum 5. iis: *Namque alias beſtias natantes aquarum incolas eſſe voluit, alias volucres cœlo frui libero,terreſtres alias*; poſt hæc beſtia,aut bellua,propriúſque,terreſtria notat præcisè,non volatilia, nõ aquatilia animantia,patet Geneſ. 1. vbi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſaque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.* vbi terreſtria irrationalia beſtiæ nomine complectuntur, non omnia,ſed quæ non repunt, cùm addat poſt hæc, quod præeſſe beſtiis terræ dixerat, omnique reptili terræ. At tertiò ſerpentes compellat venenoſos, & tetros, genuſque reptilium terreſtrium, patet Sapientiæ 16. vbi ſupplicium referens populo immiſſum ſerpentium, vt Numerorum 21. dicitur;beſtias vocat ſerpentes qui ſolùm,vt ibidem patet, irruere in populum ingratum. dicit enim Sapientiæ citato. *Etenim cum illis ſuperuenit ſæua beſtiarum ira, morſibus exterminabantur peruerſorum colubrorum.* Vbi beſtiæ nomine ſolũ ſerpẽtia amplectuntur. Beſtia adhuc draco appellatur apocalypſis 13. Hæc verò animantia venenoſa & ſæua, virulentæ & ſubdolæ naturæ ſunt,variæ nimis inter ſeſe, tã quæ vna ſpecie cõtinentur,quã quæ genere,cũ tamẽ nõ diſſideant,

deant; cùm enim imperfectissimo ortu, & putredine quasi pullulent, materia & ouis putridis magis quàm coctis, malitia & veneno inquinatis, adhuc quando sua propagatione veniunt, facilè cùm oriantur indigesta, quasi & quouis modo alterata materia, varia supersunt accidentia, colorum figura, veneni, magnitudinis multoties, vt quæ non differunt natura, videantur differre, & quæ dissident, conuenire, quo Isidorus 2. etymologiarum c. 4. Tot sunt serpentium dolores, quot colores; tot colores, quot genera; tot genera, quot venena. Cùm enim malum & pessimũ quouis defectu eueniat, euariant quasi in infinitum hæc animantia, cùm malum priuatiuúmque amplissimam rationem obtineant, omníque positiuo opponantur, deficientia cuius euariant illa, Ecclesiastici 43. *Varia bestiarum genera immisisti:* serpentium scilicet natura & veneno dissidentium, quæ vt possimus ad certa capita reuocare, & quot sint certo numero continere, locáque Scripturæ sacræ, vbi de reptilibus incidit sermo enodare, autorúmque naturæ scripta interpretari, necessum est, quæ natura, quæ nomine, virtutibus, figura, accidentibus aliis discrepent, in medium afferre, vt quæ essentia differant, quæ accidenti, aut passionibus deplicemus, quæ hoc ordine veniunt intelligenda; quæ enim simul coëunt parte huius seriei, eiusdem naturæ esse iudicamus, nomine solùm communibusve accidentibus seiuncta, vt infrà monstrabitur ex actionibus naturæ diuersis, & proprietatibus, naturas succindentes, & euariantes rerum.

Ser

Serpentium omnium series.

AMphiſbæna,Chalcida,Lũbricus,Scytalis, Sta- 1
phiurus, idẽ ſeu Spathiurus, Anguis,Booa,Coluber,Cucumis, Ælaps, Elops, Hirundo,Niliacus, Pareas,Parias,Parous,Pelias, Parias, Phareas,quòd Regno Pharaonum oriatur Ægypto ſerpens,eadem ſpecies.

Aſpis,Chelidonia,Cherſea,Hypnalis,Ptyas, Pſi- 2
tatius;natura vna.

Baſiliſcus,Regulus,Catoblepas,Drynus,Harme- 3
ne,Porphirius,Seps, Salpinga, Serpens paruus Ariſtotelis,Sepedon,Cyniphia.

Behemoth,Andrius,Hydrus,Hydra,Natrix. 4

Ceraſtes,Cœcus,Cœcilia,Cophias,Molurus, Ty- 5
philina,Typhlopes,Zygnides,Enhydrus,Chelydrus, Cherſydrus.

Draco,Albediſſinon, Draco Æſculapius, Draco 6
Epidaurius,Draconcópedes,Dracomarinus,Carmẽ, Leuiathan,Amiudutus Chucarus,Triſcalis,Amidutus,Hæmidutus,Triſcalos,Triſcos.

Hæmorrhois,Hæmorrhoa,Hæmorrhous,Æmor- 7
rhous, Æmorrhois, Æmorrhoa, Dipſas, Cauſos, Centris, Centrine, Melanurus, Præſter, idem, Anobatéſque.

Leo ſerpens,Cenchris. 8

Vipera,Acontias,Echios,Echis,Echidna, Iaculus, 9
Hauden venenoſus, Iaculus,Cenchris,Cenchrines, Cenchrias,Cenchrites,Cenchrios, Cerchias, Amotides,Amotydes,Ophites,Obites.

Reptilium in genere continens icones.

CAPVT XIX.

63 REptilium omnium animantiũ, quotquot in natura extant, quædam in Scriptura ſacra ſpeciei nomine compellantur, quædam generis voce veniũt intelligenda reptilium, immundorumque animantium, beſtiæue nomenclatura, tum & vrentium ſerpentium ignitorum, vt ſuprà latè ſuperque diximus. Seriem verò hanc, & ordinem ſerpentium, rectè eſſe conſtitutam, inductione facta per ſingulas huius diſpoſitionis lineas conſtabit. Cur hæc hac ſerie, illaque alia contineantur, ſuppoſito prius, quòd nullius alterius ſerpentis authores meminere dictorum præter, videre eſt diſcurrenti per omnes animantium reptilium hiſtorias, quotquot extant. Amphisbænam cum reliquis ſui ordinis vnius ſpeciei fecimus, Amphisbæna enim idem eſt, quod ſerpens duorum capitum (diximus) apud Græcos enim ἀμφίσβαινις, quod eſt, Amphisbænis, & Latini Amphisbæna dicunt ab ἄμφις amphis: accentu in penultima, quod eſt vtrimque Latinis, & βαίνω, quod eſt incedere noſtris, quaſi Amphisbæna, id eſt, vtrimque incedens animal, ſaliens ex vtraque parte. Cùm enim duplici ex parte capitatus ſit, ſic incedit motu, vt modò ex hac, ex illa modò parte vacillet; & quæ modò cauda, capitis poſteà officio fungatur, trahaturque ex alia parte, quæ capitis rationem ſubit, cauda priùs, vt ſi ne hoc caput, cauda illa, nullo poſſis cognoſcere modo; in hoc animanti confuſo & ambiguo. Gracilis, pariterque puſilla Am

Amphisbæna eſt; non excedit magnitudinem lumbrici terreſtris quandoque. Nicander cecinit in theriacis iis : *Præterea occurit gracilis, pariterque puſilla Amphisbæna biceps, ſemper cui lumina nube Caligant denſa, nam palpebra nutat vtrumque Ad caput, obtuſior verùm color æquus arenæ, Robuſto in corio variato ſtigmata multo. Amphisbæna tamen ſimilis eſt vermibus vda, Quos genuit terra, eiuſque inteſtina vocantur.* quaſi lumbricus magnus. quò cùm lumbrici bicipites non minùs ſint Amphisbæna, vltrò citróque volubiles, meritò cum Nicandro ad Amphisbænam reduximus, eſſeque veros ſerpentes aſſeuerauimus, cùm omnino apedes ſint, & ſerpant toto factis orbibus, vt ſerpentes veri, terraque veſcantur, non minùs ac reliqua putredine orta, qui ſuctu potiùs, quàm morſu alimento vtuntur; ſic de Amphisbæna cecinit Mantuanus: *Amphisbæna biceps, & formidabilis ictu.* Lucanus lib. 9. citato: *Et ſurgens in geminum grauis caput Amphisbæna.* Cuius ſenectam maximè calefacere manus diximus ſuprà, illa inueſtito oleaſtri baculo, frigus omne expellere lignatorũ, dum bruma rigida impedit manuum vſum lignandi, in huncque vſum eandem obſeruare, qua manus confricant impensè, his incaleſcentibus eius attritu, & cõfrictione, vt neruis, artubúſq; calor exolutis conſueta munia abſoluant, nudarique hyeme media, non vere, vt reliqui ſerpentes, docet Nicander eo loci, docet Lucanus, Auicenna, Paulus, Ælianus, Galenus de theriaca ad Piſonem, cap. 4. Dioſcorides, Plinius, Ariſtoteles locis ſuprà adductis. Cecinit Lucanus de hac ſic adducto loco: *Et Scytale ſparſis etiam nunc ſola pruinis Exuuias poſitura ſuas.* Eo enim tempore deponit ſenectam, quo vtilius eſt de-

ponat illam aliis; nam cùm frigus pellat potentissimè, hyeme media qua frigus vrget plus multò, vt sit vtilis, deponit, prudenter quasi, ne impendat opus, & laborem: *Estote* enim *prudentes* (dicitur) *sicut serpentes*, Matthæi 10. capite quod ad prudentiam animantis referri potest. Huius speciem Amphisbænæ Scytalam constituimus serpentem dictam, quòd omnibus conueniat cum illa; differat verò solùm, quòd crassior sit, & caudæ procerioris, adeò vt non ex crasso in tenuem desinat, vt serpentes reliqui, & Amphisbęna adhuc aliquantisper: at hęc omni ex parte æqualis, crassa æquè est, biceps & ambigua motu, quam vocant græci σκύταλη à similitudine scuticæ, flagellive leuis puerorum, Græcis dicta σκύταλη, nobis verò Scutica, Hispanis *Scurribanda*. Hæc cùm locis plurimis sit communis, deterior omnium est, quæ in Chalcide regione Ætholiæ Acheloo irrigata flumine oritur; quò Chalcidicā quidam appellant serpentem hunc, solùm regionis cognomine dissidens ab Amphisbæna dicta, & malitia ob regionis inclementiā, vt accidētia plurima morsus viperę, huius morsum sequantur, cùm tamen dissideant plurimis. Amphisbæna enim leuissimi morsus est nimis, parumque venenosi; non enim apparet insigne vulnus aliquod, quales imò sunt muscarum puncturæ, locus vitiatur, non secùs ac in vesparum ictibus. Facessit tamē multū negocij, & si nō enecet, quo Dioscorides lib. 5. c. 45. & 62. eadē accidentia sequi vtriusq; morsum tenet, eisdēq; remediis mederi, ac morsus viperarū, Scytalis puncturæ, & Amphisbænæ quoad plurima, leuioribus tamen auxiliis, & aliis plurimis diuersis. Auicenna & Galenus idē cum reliquis locis adductis. Cum verò serpentes omnes

fæni

fæniculo vtantur, vt visum acuāt, & sese poliāt, spolientque se senecta antiqua, renascantur, vt ferè iterum, spoliis adéptis vitiosis & putridis; docet Aristoteles 8. de historia c.17. & Plinius lib. 19. c.19. Ælianus, Dioscorides, alij; hæc tamen fœniculum fugit, & odio habet quàm maximè; Veris imò tempore latitat terra abdita, contrà ac genus omne serpentium; hyeme erigitur, orbes exerit, spoliaturque brumæ tempore, & medio, quando opus esset senecta altera ob frigoris rigorem propriam abiicit, quæ dum latet, tanta æstus tempore vrgetur siti, vt furiis agatur, tarda verò & ignaua natura, non valet impedita confugere ad aquas, vt sitim restinguat, vt ferè rabie percita, infecta furat eo tempore, cuius sic cecinit Nicander: *Hæc linquit cùm lustra, aut fissam fragmine petram, Vere nouo quando tellus vasta agmina pandit, Serpentum haud vnquam carpit fenicla vorando, Dum spoliata nouæ exultet splendore iuuentæ.* Desunt enim, dum spoliatur, fœniculi ramuli media hyeme, Lucanus lib. 9. dixit: *Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis Exuuias positura suas.* Subdit Nicander: *Sed requiescit iners montis radice sepulta. Somno pressa graui, tenuique vligine terræ Pasta; sitim nunquam potuit vitare molestam.* Quidam hanc vocarunt Cæciliam, & Cæculam, & Typhlinam, & Typhlopem, inertè tamen, cùm non sit hic cæcus serpens, infrà dicetur. Est ille species Moluri infrà, Scytalis enim est oculorum caligantium, at manifestorum nimis, & apparentium est, cùm Cæcus serpens iis careat, vt infrà. Vocatur etiam serpens hic Spathiurus, Staphiurúsque Latinis. Staphis græcis σαφὶς est vua passa Latinis, & ὦρος quasi oros, & tractu temporis ὦρος vros, temporalis scilicèt, antiquā

quòd referat vuam passam, colore macularum cutis, Spathiurusve, ab spatha græcis σπάθα seu spatha, quòd forma ensem referat, & figura, plana & æquali, enses antiquos æquales omni ex parte imitãte; vnde Hispanis, *espada* & *espatula*, quòd plana sit. Sunt iidem serpentes, & si distinguantur ab aliquibus, capitibus propriis, cùm solum modo dicto discrepent tales serpentes, accidentibus aliquibus, non natura, cùm & eadem symptomata inferant morsu, malaque eadem, actionesque easdem obeant, eisdemque remediis, & auxiliis specie veneno fiat satis earum morsibus; quibus eandem continere naturam patet, eodemque tempore cùm nudentur, & vna lege, communique viuendi forma conueniant. Exuuię quorum manus quòd calfaciant, æqualiter laudant maximè autores omnes, ipsummet serpentem cõtusum, cũ sale & anetho, vulneri applicitũ proprio, cũ id de vipera non probẽt, ob cerebri summum discrimen cũ reliquo corporis, vt similitudine nõ vocet ad se virus sufficiẽter sola, sed aliis parata rebus theriacę antidoto, alia verò sola. De dissidio & potentia cerebri viperini latè anteà; vt & vespas suis morsibus eodem paratas modo vtilissimas indicant, experiẽtiaque inuenit & ratio, cùm virus trahãt suum similius quælibet succu naturali partium, quod trahere, & allicere sunt apta, vt membra alia quælibet alimentũ sibi familiare & proprium innata virtute interim dum viuunt, carnes imò feræ cuiusuis præter vipereas, vtilissimas esse hoc modo actas suis morsibus patet. Horũ verò dictorum serpentium est quælibet morsui alterius vtilis, vt hinc vltrà easdem vnius esse naturæ cõstet. Carnes vstæ sale, anetho, & fœniculo, testa recenti, vsque dum in cinerem desinant, pondere

dere duarum drachmarum, cum vino albo aqua diluto epotæ, ægrotos pristinæ saluti mirificè reuocant. Quod arcanum maximum & remedium mirabile iudico nimis, in omnium serpentium morsibus, intus enim accepta hæc alliciunt ad se venenum, & virus, quod cor impetebat tractu naturali harũ partium, assuetis iam illud allicere viuo animanti, præterquàm in vipera potentissima capite, quod posteà simul cum illis ventre ducitur, expurgaturque sudore, aut alio, simul cum medicamine accepto, nobis dissimili natura, vt cum illo simile pellatur simul virus, eiiciaturque in vipera inefficacius auxilium, & insufficiens, & si quidpiam prosit. Hinc alimẽta cùm trahantur à corde, & reliquis, vitanda eo tempore, & minima quantitate sunt exhibenda, ne veneno infecta animantia, inquinata, & læsa iam, simul cum cibis assumptis venenum alliciant in cor, & viscera, infecta imò expellant, & propulsent. Secundo ordine veniunt Anguis vulgaris & communis noster dictus, quòd in angulos cedat. Isidorus docuit 12. etymologiarum cap. 4. Latinis ergo anguis dicitur, & Græcis ὄφις, thãnin Hebræis, qui amplectitur colubrum, nomine solùm diuersum, quia colit anguis vmbras, loca humentia & vmbrosa, vt suprà, cucumeremque anguem amplectitur nomen hoc, quòd anguis vulgaris noster cucumerem forma & figura æmuletur, tum Boam anguẽ amplectitur, eximiæ molis, qua solum ab angue seiungitur, tantæ vt bouem integrum capiat, equumque & equitem simul deglutiat. Dixit Plinius sub Diuo Claudio contigisse suprà. Cuius generis fuit Python ille Ouidij Metamorphoseon primo libro, quẽ superauit Apollo sagittis, medicisve remediis, medicinæ Deus, serpens Latinis, Græcis

ἑρπετον. Hunc ipsum anguem notat dum ſine addito imponitur, etiam ſi coluber Græcis ὄφις, vt anguis dictus, nomen generale ſit ad omnia reptilia verè apedia, & non minùs ſerpens ſubſtantiuè ſumptus. In ſpecie verò anguem notant, dum ſine addito aſſeruntur. Natrix non minùs anguem communem noſtrum, qui aquis degit, exprimit, plurimos enim experimur viuere in fluuiis, à quibus differt anguilla diminutiuè dicta piſcis notus, quod aliculis natet, non reſpiret pulmone, orbata collo & gutture, at illa toto ſine aliculis omninò natrix dicta, quòd innet aquis, quæ dum fontes, ſtagna, paludes, aquas inhabitant ſtantes & compreſſas, impetu non dilabeſcentes, & eas inficiunt, & ſeſe putrida vligine, loci non peruij. Dixit Lucanus libro 9. *Et natrix violator aquæ.* Cicero 4. Academicorum. *Cur omnia noſtri cauſa, cùm faceret tantam vim Natricum, viperarumque fecerit. Cur mortifera tam multa paſſim diſperſerit.* Priſcianus libro 5. *Natrix cùm ſpeciem anguis ſignificat maſculinum inuenitur.* Mantuanus; *Et natrix inimicus aquis.* Lucillus libro 2. *Si natibus natricem impreſſit craſſam & capitatam.* Hæc ab hydra eſt diuerſa ſatis, infrà. Plinius, Ætius, Ælianus, & reliqui, nil diuerſum de hoc ſerpente ab Angue communi referunt, vt latè ſuprà edocuimus multis. Niliacus à Nilo nomen trahit loco ſolùm à natrice diſſidens angue, Pareas, Parous, Parias, idem cum angue vulgari noſtro, tritoque ſerpente, tum Pelias, Pharias, loci nomine Ægypti, à Pharaone dicta, φάρϛας Græcis, vnde pharias; idem omnino cum angue. Quorum ſunt duæ ſpecies nigræ, & coloris æris, vt Ælianus libro 8. capite 11. enarrat. Sic dictæ quòd muribus veſcantur, quæ ædes incolunt locis plurimis, nigri

nigricantes colore, Hiſpaniæ Toleto communiſſimæ, domorumque inquilinæ, à φάρω etiam aut φάρυγξις, quod eſt, edacitas, ſeu ingluuies, aut cum edacitate, quòd murium voraciſſimæ ſint. Suſpicor tamen dici à φάρθν, quod eſt, renouare, aut arare, quod priùs aliis ſpoliis nudentur, & motu ſurculos notatu dignos terræ imprimant arando terram, corporis mole, à quo Pharias dicuntur, vt à πάρωκρος, Latinis Pallidus, parous dicatur, quòd ventre pallorem obtineant, dorſo nigri, vt quaſi cum pallore miſtum colorem poſſideant, vt tergora hirundinum obtinent, quò & Hirundines diximus appellari, non minùs; Tum Elopes ab Ἔλλωψ, vt quidam autumant, quod eſt, imbecille nobis, quòd ſint debiles morſu. Norunt Sparti, quibus ſunt communes, imò ab Ἔλλωψ, quaſi mutus, non ſibilantes, dici reor. Ἔλλωψ enim mutum ſignificat; quò dicitur de iis Eccleſiaſtes 10. capite. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minus habet, qui occultè detrahit.* Tacitùm enim venenum eſt horum virus, mutum, morſu debiles extant, conatur verò fortiter emordere. Fugiunt viſum, fœniculumque ſceleſti homines, ſolem ipſum, vernum tempus vitæ, & cœleſtis influxus auxiliorum gratiæ, legemque pietatis gratiæ, vt media hyeme ſpolientur non ad Solem iuſtitiæ æquinoctio verno, imò rigidiſſimo mortis tempore, & hyemis, ſiti crudeliſſima vitiorum extorſi, conſuetudine & aſſuefactione larga, aquas deliciarum impotentes iam adire ſenio & ætate confecti, inertes, appetunt tamen bibere adhuc, ex vtroque capite malitiæ & affectuum, ſalientes lentè & moroſè, ſerpentes duorum capitum appetitus, & rationis, & ſi appetitus non propriè caput,

vt alterũ ſerpentis huius infami loco ſeceſſum iuxta conſtitutum ſit infrà, legumque pugnantium, vt Paulus dixit, incedunt multoties, appetitu magis progrediuntur, vt eo capite ducatur ratio, caputque trahatur in obſequium ſenſuum; mouentur enim amphisbænæ ſerpentes meliùs ex cauda, quàm ex capite; exit enim ex capite animantis illo melius, aguntur que, quod vicinius eſt excrementorum ſeceſſui, & ſi maius ſit aliud apparentia, & mole, dignitate, ſitu, vt ex appetitu, quàm ex ratione meliùs ducatur, euerſis his, & monſtroſa republica euerſa, & confuſa. Ezechielis 21. capite, vbi Ægypti Regis prædicitur formidabilis ruina ſic: *Stetit enim Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum diuinationem quærens.* Conſuluit ſerpentem, & Dæmonem Amphisbænam, capitis duplicis, duarum viarum, inceſſus duplicis, qui dubiè & amphibologicè reſpondet quæſitis, duplici capite, vt eo modo contingant, eodem prænunciaſſe renunciet, ſi alio alia dubij extricetur parte reſponſi, vt Dei hoc habere, quòd falli non poſſit, nec fallere ſuadeat; quò verus Deus iudicetur idolus & fictitius dæmon, ſummi dei æmulus, inuidia & ſuperbia percitus. Sic reſpondit Æacidæ amphibologicè Oraculum, dum conſuleretur, an cum Romanis bellum iniret. *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe,* quæ tam de Æacida victo, quàm de Romanis interpretari poſſent verè, vtrum contingeret. Aio te Æacida poſſe vincere Romanos, & aio Romanos poſſe vincere te Æacida. Caput duarum viarum, & illud: Cato iniuſtè criminatur, quod poteſt intelligi, criminari alium, aut ab alio, communi verbo *criminor* vſus. *Stetit* ergo *in capite duarum viarum, conſuluitque Dæmones & Pythones*, ariolos,

les,& Magos, vt eo capite dicitur; *ac si non esset Deus in Israël.*

Literalia, allegoria, naturalia plurima afferens.

CAPVT XX.

ASpidem diximus proprio capite ptyam, quod venenum expuat continere, cherseam seu terrestrem Hypnalim & somniferam, Chelidoniamque aspidam, à ptya psytathion venire constat forma, natura, nomine solum deformato quantulum. Basiliscus, Regulus idem Catobletas, suprà est videre, serpens eiusdem naturæ cum Basilisco, quod Græcis κατόκνεα, κατόχαιω, idem est quod pigresco, torpeo, & βλέμματα, aut βλετὰ, aspectus, acies, visus; quòd torpidus visu Catobletás sit, quòd cùm visu enecet non minùs ac Basiliscus, natura pergrande adeo illi substituit caput, vt illud erigere non valeat, tanto oneri non suffecturus, excidio ne esset mortalibus pestis tanta, animantibusque. Est caput continuò terram versus pigrissimum motu, fugiendi vt sit locus, & vitandi aspectus; hinc Catobletas dictus, pigri visus quasi serpens. Harmene Arabicè dicta, vnde Auicenna libro 4. fen. 6. tractatu 3. capite 23. sic de hoc scripsit animanti. Harmene Regulo est proximus, quod & visu, & auditu interficiat; non secus ac Basiliscus, & si sit eo quantitate maior; Est enim quantitas eius ab vno cubito ad cubitum vnum, & semissem; cuius morsui si confert quid, est semen papaueris, & castoreum, masticata aut ebibita iure gallinæ. Drynos etiã ad Basiliscũ reduximus, quòd vrat

64

quæ

quæ contingit ignis more, vulnus illatum ad oſſa vſque, quæ enim circa cauernam animantis huius extant, ſic ſunt vſta & ſquallida, vt hoc ſolo ſigno vbi latet noſcatur, ſecretus, & abditus dum viuit. De iis latè ex Æliano, Ætio, Galeno & reliquis. Dypſas Hæmorrhoum complectitur, Hæmorrhoam fœminam, & Hæmorrhoin, eadem, capite de Hæmorrhoo diximus, Arabicè Cucharus, & Amyuduthus, & Triſcalis, non ſecùs ac Hæmorrhous ſanguinem fundunt non ſolùm vulnere, toto imò corpore emanat. Cauſas adduximus capite de Hæmorrhæoo. Qui omnes ſerpentes Hæmorrhoës ſunt, id eſt græcis, ſanguinis effuſiui, Dypſas verò ſanguinem fluere facit iis minus, at aliquatenus & hoc inducit ſymptoma, vt de his dixit Auicenna loco citato. Nec quod Ceraſtes titubet motu & dorſi ſit quaſi perfracti, vt ſuo c. manifeſtauimus, ex Nicandro & reliquis, ideo ad Hæmorrhoum reduximus, vt videre eſt capitibus propriis horum animantium ſuprà cùm ſanguinem non reiectet aliis, aliiſque diſſentiat & diſcrepet. Draco, vt ſuiſmet capitibus patet, plures nomine diuerſos ambit. Leuiathan de quo ſuprà c. proprio, vt & c. de Behemoth Hydriam, & hydros ad ipſum reuocauimus, ibidem dicitur, Hydros enim Græcis ὕδρα, aqua Latinis, quòd aquas colat, ad Draconem Albediſſimon ſerpentem adduximus, quod Auicenna retulit c. 54. Draconem eſſe, ſolùm ab eis diuerſum, quòd carnes fœtidas reddat morſu, putridaſque, quod aliorum morſibus non contingit. Hunc vocat Albediſſimon, Perſin Arabicè, quaſi ventris albiſſimi, Dypſas Cauſos, Præſter, idem, capite de Dypſade patefecimus, Centris, Cētrine dicitur, hæc ipſa à figura, quæ quaſi à capite amplo

amplo in caudam ſtrictiſſimam deſinat in centrum, Centrum enim Latinis, Græcis eſt κέντρον. Hinc Centrine, & Centris. Tū Melanurus, Græcis Μελάνυρος, ab ὕρα, quod eſt cauda Græcis, & μέλας, Latinis niger, quaſi nigercauda ſerpens, Ælianus libro, & loco citato, Cœlius Rhodiginus lib. 1. capite 33. Habet enim, vt capite de Dypſade continetur, caudam duabus lineis nigris diſtinctam, ſitimque infert maximam ictu, oritur Lybia & Arabia eiſdem locis. Cæcus ſerpens Cæcilia dictus, quòd viſu careat, à Τύφλος, quod eſt cæcus Latinis, quò & Typhlopes & typhlina dicitur, cæcus ſcilicèt idem quod ſerpens cæculus, & Cophias, quaſi ſurdus à græco nomine κώφος, id eſt, ſurdus Latinis; ij enim ſunt cæci & ſurdi natura, quò nec ſtrepitu, ſonove fugantur, nec viſu fugiunt, aut ſuadentur iis deſtituti ſerpentes. Dictus Molurus, quòd ſit nigræ caudæ, non lineis diuiſæ, vt molanuri dicti, imò tota quòd inſit illis cauda nigra, Zygnides græcis à Ζυγὸς, quod eſt librile tranſuerſum, ex quo lances pendent, quòd ſint medio corpore craſſiores capite, & cauda. Habent eæ rimulam quandam ſub imo ventre, qua oua excubant, cùm obtineant reliqui ſerpentes ad caudam quaſi, iuxta locum ſeceſſus excrementorum. Hos vocat Nicander in theriacis Typhlopas, vt diximus, quorum ſic cecinit: *Atque etiam immunes noxa Typhlopes ab omni.* Hos moluros vocant alij, quòd cauda incedant, corpore erecto toto, vt plurimos diximus ſerpentes eo modo cedere. Quos vocarunt myagros coronatos, & πολυστεφεῖς, id eſt, multis lituris, coronarum inſtar, diſtinctos, vocauit Nicander coronatos Myagros ibidem. Sunt adeò duræ pellis, vt vix tandem ſecari

cari possit, docet Hermolaus, quorum meminit Aristoteles 9. de historia, cap. 6. & Plinius libro 9. cap. 9. Cœcilias appellat, alij Baseres, ob figuram, & spondilos, quæ in Scriptura sacra nominibus generalibus vocantur reptilium nomine, & immundorum animantium. Enydri sub se continent Chersydros & Chelydros; nam & si Behemoth, Hydra, Andria, Enydros, Chersydros, Chelydros, Natrix, Anguis fluuiatiles, tales dicantur quòd aquas incolant Græcis dictæ ὕδρος, à quo nomen traxere; tamen Behemoth, Hydria, Andria, monstra sunt Draconis naturæ, aquas habitantia, vt capite de Behemoth constat; quò & antiqui Hydram lacunam læcennam habitare dixere, septemque capitum esse monstrum, vt Pausanias in Corinthiis tenet, Homerus, Virgilius 6. Æneidos: *Ac bellua Lernæ, Horrendum stridens. Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra,* Martialis 5. *Improba Niliacis quid facit Hydra feris?* Codrus: *Diffudit cristas Argolis Hydra nouas.* Augurellus: *Nec feruens refugit tundere viuidum Hydræ multiplicis caput,* plurimi alij. Enhydros verò, græcis ἔνυδρος, & ἔνυδρις, Chersydrus, Chelydros etiam aquis degunt, non monstra, imò serpentium species, Enhydros enim, quod in ὕδρῳ, aquis scilicèt sit, dicitur serpens albus, vt Plinius retulit libro 30. capite 3. & Herodotus in Melpomene, dixere Chersydros à χέρσονκα, id est, terra Græcis, & ὕδρος, hydros, id est, aqua, quasi terræ aqueus serpens, vt suprà diximus, quòd aquis ortus terras inuisat, & habitet, posteà truculentior factus siccitate, & squallore terræ, cuius Nicander meminit loco allegato iis: *Nunc age Chersydri, qui par est Aspidi, formam Discito, sed plagam symptomata sæua sequuntur.*

Nam

Nam quæ membra cutis conuestit carnea circum; Funditus vda scatens sanioso humore fatiscit, Laxa putredinibus, victusque laboribus æger Succumbit multis fauentibus, atque per artus Erumpunt scabies, hinc inde ingente tumultu; subdit: *Hic primùm in stagnis furiosa percitus ira Insequitur ranas: verùm cùm Syrius ardens Humore exhausto fæcem combusserit omnem, Tunc salit in terram squallens, & puluere plenus, Sole fouens corpus truculentum, ac inter eundũ Sufflando, in lingua sitientes vastat aristas.* Hæc eadem Chelydros à χέλυδρος Græcis, χέλυς, testudo est, quòd eam capite referat, & ὕδρος, hydros, aqua, quasi aquatilis testudo, quorum suprà satis diximus serpentium. Sunt eæ albæ serpentes, & medio aquarum veneno plenæ, & cùm vrgentissima angantur siti, illicò aquas sugunt ac possunt, magnitudinis Aspidis, & si forma dissideant. Sunt albidæ, prægrandis capitis & latissimi, igniti, & caustici, vrentesque, vt suprà diximus, ab Scriptura sacra nomine serpentium ignitorum apprehensæ, quando ignitos in populum immisit serpentes Dominus locis allatis, quò linguæ sufflatione aristas vastare dixit Nicander, incendio aëris sufflati tanto impetu, vt impetu facto in plurimis aërem accendi videmus & ignescere, Ideo Lucanus libro 9. *Natus, & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros, tractique via fumante, Chelydri; Et semper recto lapsurus limite Cencris*, vt iam suprà de iis omnibus latè. Idem Aristoteles, Ælianus, & reliqui. Seps vrens est serpens, antea monstrauimus, Lucanus lib. 9. *Ossaque dissoluens cũ corpore tabificus seps.* Ausonius: *An Lybica vox: Sit ferale malum seps.* idẽ Plinius c. 29. c. 5. reliqui quos c. de serpentibus ignitis adduximus. Græcis, σήψ, seps à verbo σήπω *sepo*, hoc est, putrefacio, quia putrescunt membra

bra veneno, & decidunt; alij ſepam vocant eadem etymologia vſi, ſepedon alij, Ariſtoteles ſerpentem patuulum, quòd ſit talis re vera, Iſidorus Salpinga à σάλπα, ſalpa piſce, quòd ſit ei ſimilis capite, & ſi minutiſſimus ſerpens hic ſit; tū & Cynipha, quòd oculis & rabie canem referat, Græcis κύων, morſuque inferat rabiem. Sepedonis ſic cecinit Nicander, *Sepedonis formam cognoſces, corpore namque Hæmorrhoo ſimilis graditur veſtigia firmans Recta, haud vlla tamen geſtat hic cornua fronte; Sed color eſt varius, qualiſque tapetis amœni: Et grauitate caput nutans, extremaque cauda Pumila dum graditur, non nihil reflexa ſub imo Fœmina, ſed vulnus dirum ciet, atque moleſtum; Ac teneros ſtatim virus depaſcitur artus: Exutoque humore pilus dilabitur omnis. Non ſecus ac pappi vento perflante fatiſcunt, Nam capite ex ſummo, ciliiſque reuulſus Iulus Diffluit, ac omnis nudatur palpebra crine, Membrorumque teres compago candicat alphis; Et leucis etiam, quas mox comitatur ephelis.* Cùm ergo actionibus & accidentibus formæ conueniant, veneno & aliis, remediáque eadem expoſcant, & eiſdem curentur auxiliis, quæ ſunt vnius ordinis, meritò in eandem ſpeciem reuocamus. Implicat enim, figuram actionis adeſſe vni animanti vnius ſpeciei, & animam alterius, vt docet Ariſtoteles 1. de Phyſiognomia c.2. Porphyrius ſerpens eſt capite albiſſimo, & ruber toto corpore, viſu pulcherrimus, veneno terribilis, vrens & cauſticus. Edoardus lib. 1. c. 181. Ælianus lib. 9. c. 57. ſic dictus à Πύρφυρα, id eſt, purpura Græcis, quòd purpureus toto ſit. Caret dentibus hic ſerpens omninò, at euomit teterrimum virus. Locis Indiæ oritur, quidquid contingit, vritur, & extabeſcit illico, vt eo loci narrat Ælianus, ad ignitos referen

ferenda in Scriptura ſacra. Cuius lacrymæ, inquit Ælianus libro 4.c.35. quas elicit, fluereque facit, apprehenſus ſemel ſerpens, pernicioſiſſimum ſunt totius naturæ venenum, & lethale, magis eo teterrimo adhuc, quod ore euomit. Fictitiæ lachrymæ, hypocriſis icon certiſſima, hieroglyphicon aptiſſimum ſimulationis, & fallaciæ. Latet lachrymis, & pietatis effigie, mors teterrima, & dira, vt hypocritis adeſt, & fœminarum lachrymis fallacia & dolus. De vipera ſerpente vltimo plura iam diximus proprio c. ſuprà, Græcis ἔχις, & ἔχινα, & ἔχιος dicta, Arabibus *Hauden*. Cuius ſpecies eſt *Iaculus* ſerpens dictus Græcis ἀκόντιον, à ſimilitudine Iaculi quod eſt haſtile illud quod vibratur & manibus eiaculari poteſt, nobis dictus *Azcona*, & Cantabris præcipuè, ab acontia Græcis, quòd hic ſerpens, vt latè anteà, vibret ſe ex arborum ramis, & transfigat animantia, more iaculi emiſſi bellici, ſuprà retulimus; qui à vipera non eſt diuerſus veneno; & accidentibus, forma, & figura, vt ex autoribus tradidimus anteà: & ſi ſint iaculi ferè non venenoſi, terræ & regionis diſpoſitione. Dicuntur tales Cenchrides etiam, & Cenchrites, quod maculis coloris milij varientur, Græcis dicti κέγχριος. Tum ophites & obites, quod quaſi Thebanus ophites Græcis, ὀφίτης marmor, & ὀβίτης maculentur, tum Ammotides, Græcis ἀμμοτίδες, Ammotides viperarum ſpecies conſtituit Ætius libro 13. cap. 25. quos Cenchridas appellat, quod inſtar milij grani, cauda ſit dura. Leo Cenchriſve ſerpens, quod colore milium referat cæruleum, obſcurumque, viride, vt iam ſuprà. Nullum ergo ſerpentium animantium omiſſum eſt in Scriptura ſacra; monemur omnibus, hortamur, exhortamur, excitamur omni natura rerum; animantia enim, & animæ expertia, naturæ ſolùm

lùm habent vſum, nos verò vſum & imitationem, noſtri & aliorum, dominium imò noſtrarum actionum. Vt ergo naturalium ordinem, conſonantiam imitemur, vt venenum, malitiam, odium vitemus, proponuntur nobis naturalia, ſerpentéſque omnes præter ſurdos, cæcos; ſerpentes rationibus dictis. Hinc naturalia omnia inanimata, animata inuitat Pſalmographus ſacer, laudare Dominum, illi iubilare & plaudere, irrationalia adhuc, & inanimata; hæc enim natura Deum extollunt laudibus, eſſe, eſſentia, operibus; nos iis, & vltrà, ratione, voluntatiſque affectu, religionis, & pietatis vinculo.

FINIS LIBRI QVARTI.

IOAN

IOANNIS BVSTAMANTINI CAMÆRENSIS, APVD Complutenſes Philoſophiæ & Medicinæ primariæ moderatoris publici,

DE ANIMANTIBVS Scripturæ ſacræ reptilibus terreſtribus communiter dictis,

LIBER QVINTVS.



PRÆFATIO.

ANIMANTIA omnia quotquot extant naturæ, diuisimus in terrestria, aquatilia, & aërea, volatiliave dicta 1. cap. lib. 1. Aristotelem insequuti 1. de historia animalium c. 1. & 2. suoque ordine de iis dicere cœpimus; de terrestribus primò, situ, ordine, quòd terra prior locetur serie inter elementa, sitque aliorum basis, fundamentum, & quasi pauimentum vniuersi totius, huiusque vniuersalis machinę, cuius superba tecta cœli; hinc eius animantia prius ordine loci prima sumus aggressi, inter quę ab imperfectioribus auspicati, ad perfecta naturæ, de reptilibus apedibus prius instituimus sermonem, veréque serpentibus, tum quòd in scriptis sacris, de serpente, priùs aliis in specie incidat sermo, cuius occasione, & reliqua sumus persequuti reptilia apedia & venenata, vt posteà ad alia progrederemur. Cùm verò reptilia quædam sint verè talia, (monstrauimus) apedia scilicèt,

cèt, quædam verò reptilia & serpentia dicantur, etiamsi in pedes porrigantur quosdam, non suffecturos tamen tantæ moli sustinendæ, corporisque longitudini porrectæ nimis ferendæ; cùm de prioribus libros quatuor adstruxerimus, de iis hos duos edere paramus. Sunt hæc animantia pedestria, at repunt, & serpunt nihilominùs reptantque corpore oblõgo, quorum quædam venenum retinent; secùs alia, quædam bipeda duorum pedum existunt, quadrupeda quædam, alia multipeda. Vocauit serpentes, quòd terris reptent lacertos Plinius, & Salamandram, natura pedestrem; serpentem vocitat libro 10. capite 67. Celsus non minùs Scorpionem, Araneum, Phalangium serpentes compellat libro 5. à capite 25. ad finem libri passim, ὑρπετὸν enim Græcis, idem est, quod repens, reptansve Latinis, quod propriè de apedibus dicitur, quæ signum sensile totius molis exhibent motu, non solùm pedum, vt pedestria quæ sustinentur alta, illis, aut quæ signum sensile, manifestumque non linquunt, vt vermes, & minuta animalcula, quæ excludit nomen, impropriè verò, minusque rigido eius significatu, pedestria includit, quibus pedes non sufficiunt, quo minùs reptent, & si plures possideant simul, & vltra animantia minuta, quouis modo serpant, pedestriave,

ſignum quòd nullum ſui relegent motu, Gręcis βαδίκοντα, ſummiſſa, humilia, prolixa in motu, vt ſunt vermes plurimi, erucæ, & alia. Baſilius imò ἕρπετα vocauit piſces, quòd ſint ſerpentes, id eſt, non pedibus gradiantur, reptiliaque aquea omnia vocamus, quod idem eſt, ac ſerpentes; eo ſenſu, quòd non ſe attollant in motu, toto imò vacillent & ſpatium percurrant, tranſnatent, diſtinxit Galenus ἕρπετα à βαδίκοντα, vt notat Theocritus. De iis ergo modo quintus eſt liber ſerpentibus Scriprurę ſacrę, ſuperatis iam Hydra, Vipera, Dypſade, reliquiſque ſerpentibus, deuictis virulentis, fatalibus.



LIBER QVINTVS.

De Formica.

CAPVT I.



PROVERB.6.c.ſic dicitur:*Vade ad formicã,ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem,nec principem,parat in æſtate cibum ſibi,& congregat in meſſe quod comedat.Vſque quò piger dormies? quando conſurges ex ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias,& veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus;ſi verò impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.*Cap.verò 30.ſic: *Quatuor ſunt minima terræ,& ipſa ſapientiora ſapientibus;formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: Lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum: Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Formica minutiſſimum mole animal, exiguum, puſillum,officio, actionibus maximum, exemplo, viuendique ratione prægrande, celebre, ſtructura & conformatione mirabile, Græcis Μύρμηξ, à Μύρια, quod mille ſignificat, & Μυχὸς, quod ſubterraneum denotat locum, & penetralia conſignat: quaſi formica multitudinem ſubterraneam animantium notet, milliariaque abdita, ordine & inſtitutis viuentia,politia,legibus,vltra conclaue,Μυχὸς Græcis,de- 1

promit,occultam,abditamque rempublicam nobis: formica compellatur, quasi ferens micam. Est nullum in natura animal, quod gestet onera frequentiùs, nec si cum mole corporis conferatur, maiora vehat, æqualiave aggrediatur reportare, animosa cordis irascibili qua pollet atomus ille, vt Boues, chamelos integros, leones, tygrides, elephātos afferre tentet, non mordet, non ore tenet, non iniicit morsum, vt animantia reliqua contenta portione, rerumque parte, non discerpit, discindit, aut dilacerat animalque morsu impetit, fert imò secum, affert integrum, totum si potest, quale erat anteà, si hæc nequit, in frustula concidit, dissecat, non vt animantia reliqua figit morsum, vt sibi satisfaciat primò, vt reipublicæ imò, communique viuendi rationi consulat; quò fert, vehitque semper quæ premit dentibus ad ciues priùs, ad communem populum, vt posteà dispendio facto, sibi prospiciat, & in se cedat labor & opus: à ferēdo ergo, & mica traxit nomen, quæ & si puluisculum illum aureum, qui in arenis splendet significet, priùs mica nomen, panis frustula reique omnis particulas, quæ decidunt, nobis tractantibus res ipsas, non minùs notat: dixit Catulus. *Nulla in tam magno est corpore mica salis*, id est, particula, Horatius 3. Carminum Ode 22. *Molliuit auersos Penates farre pio, & saliente mica.* Ouidius 1. fastorum: *Antè Deos homini quod conciliare valeret, Far erat, & puri lucida mica salis.* Formica ergo quòd ferat frustula, & micas rerum: vnde formica quasi ferens micam. Est formica de genere insectorum animantium, Græcis ἔντομα exanguium natura, ἄναιμα & ἄνειμα, id est sine αἷμα, Græcis sanguis est, docuit Arist. anæma esse 5. de historia cap. 24. 2. de partibus animalium c. 4. toto, exanguis,

exanguis, corde præter, sua mole plus cunctis aliis sanguine abundans illo; hinc timidum est animal, faciléque à motu desistens, etiam si leuiter contrectetur, sanguinis feruor irascibilem fouet, metum excutit, ira & incendio, membris calore solutis, agilibus, actiuis, turbulentia excitata spirituum, & humorum, quibus disturbantur animantia, vt furient, non extimescant malum, vt futurum præuideant, aut cōcilientur perturbata, vt hinc docti paueant, quæ insipientes aggrediuntur intrepidè; ideo philosophi timidi, cùm quòd vigiliis melancholici, & frigidi exāguesque extiterint, tum quòd considerent, deliberēt de malo futuro, quæ furentes subuertunt, & turbulentia commota, non speculantur: hinc timida sunt exanguia, multò magis concupiscibilis, quàm irascibilis virtutis; hinc iuuenes irascibilis sunt magis, senes verò concupiscibilis partis, quantum agitur sanguinis lege. Exanguia animantia excrementa eiicere dixit eo loci Arist. quouis contrectata modo, & moueri desinere, aut colligi in sesè, natura timida, vocauit timidam formicam Virgilius 1. Georgicorum iis. *Gurgulio atque inopi metuens formica senectæ.* Non irritata formica animosa est virtute insita, ferox, morsusque tenacis, instigata mitescit, corrigitur, arcet iram, motus cohibet, blanda & facilis, timorata, & tractabilis. 3
Hæc & si oua excubet, non est ouiparum animans, viuiparum imò, docet Arist. de historia animalium loco adducto vbi sic: *Coëunt & formicæ, & vermiculum pariunt nulli annexum, qui accrescens ex minutulo & rotundo, longiusculus fit, formamque accipit debitam, ortus eorum verno tempore agitur. Videmus enim coëuntes formicas ligatas posterioribus passim, non secus ac videmus canes, vnamque aliam trahere secum reptantem*: refert Plinius ex Arist. hæc lib. 11. c. 30. Facessit verò nobis negotiū

ipſe lib. 29. c. 6. vbi Plinius ſic ſcripſit: *Aures purgat fel pecudis cum melle, grauitatem auditus adeps cum abſynthio & oleo vetere inſtillatis vtimur, & per ſe ouis formicarum, namque & huic animali ineſt medicina, conſtatque vrſos ægros hoc cibo ſanari.* lib. verò 30. c. 15. ſic. *Ouis formicarum ſupercilia denigrari, cum muſcis tritis tradunt,* & alibi, *eiſdem inuari pueris in genis hirſutiem pilorum.* Alia alibi, quò videtur ouiparas conſtituere formicas, nonque viuiparas, vt ipſe priùs cum Ariſt. ſenſerat. Difficilia ſatis loca, & abſtruſa. Ouorũ vſus formicæ probatur plurimis, diuerſiſque affectibus, quòd natura frigida, & ſicca conſiſtant, inſtar formicarũ, conſtituatque Galen. 1. de temperam. c. 6. vt videatur non vermiculũ nulli annexũ eniti, vt recenſuit Ariſt. imò ouo implicitum excutere, cõtra ac aſſeuerarat priùs, noſque videmus, & experimur paſſim, oua formicarũ alba, & rotunda ſimilia granis margaritarũ minutiſſimarum (domiciliis earũ effoſſis) emergere, pluuiarũ imò tempore madefacta pluuiis, ad Solemque ſimul cum ſeminibus, & frugibus, circa domicilia exſiccare, ne putreſcãt. Abſtulit hoc dubium Plinius lib. 11. c. 3. iis: *Plurima inſectorum animaniũ vermiculũ gignunt,* plurima dixit, nõ omnia, excepit enim Ariſt. 5. de hiſtoria c. 19. papiliones, qui durum quoddã ſimile carthami ſemini excubant priùs quiddã continentia, intùs fluidum, ſubdit Plinius. *Formicæ vermiculũ ſimilem ouis excubant veris tẽpore.* Ea enim quæ pariunt vermiculum, non formant fœtum ex vna parte eius quod repoſuere oui, alia ſeruata in alimentum fœtui, vt in ouis impertiuntur hæc duo, omnibuſque in ouiparis: Vermiculus imò ipſe increſcit totus, nullo relicto aliquo, vt relinquunt putamina, & ſuccos, quæ ex ouis eminẽt, maiorque fit, exoleſcitq; ſe toto, nõ formatus albugine, & vitello relicto in alimoniã altus.

Eo

Eo loci narrat Arist. quod cùm formicis contingat vermiculos parere, vt eo loci tenet, viuiparas constituit, cùm tamen earum vermiculi, & fœtura, vt dixit Plinius, sit ouis similis colore albo, figura, & quodammodo duritie & consistentia. Ideo oua ex similitudine vocantur, quæ sunt vermiculi & fœtus viui, non oua; quæ eorum figura, si rectè attẽdas, comprobat planè. Non rotunda, nec absoluta omninò sunt oua illa, similitudine talia, oblonga imò, & quasi hærentia sibi, vt ouum maius minori, ac si copularetur, in quouis vno velut duo oua maius alterum, aliud minus coniuncta si essent, oblõgioribus partibus, insectum ac si esset ouum vnum sui medio, quod increscit calore fotum temporis verni, & incubantis animantis tempore aliquo non nimio, nec multo tẽporis, cùm non cubet oua vera, solúmque vermiculos alteret, nulloq; relicto illius oui, quod reuera vermiculus est, formatur, & increscit formica, eius formæ qualis est ouum, duarum sphærarũ cohærentium, ex crassiori corpus retrouersus formato, ex tenuiori reliquum, quod ad caput spectat, & ante versus, vsque dum ex candicanti rubescit, ex rubescenti nigrescit, debitũque est nacta colorem, formã, & motum; qui moueri cùm incipit vermiculus priùs, desistit à motu tertia die, dormitq; trium dierũ spetio, posteà agilis, valida, intrepida formica, fructuosa, & sollicita, frugifera, prouida, consurgit, triduo peracto, vt Christus resurrexit, plenus triumphis, robustus, & validus. Aristot. docuit locis adductis, & Ælianus, Plinius, reliqui, cibos colligit in tristissimam hyemem, in opportunumque tempus, annonam præsentiscit, ab apibusq; eo discrepat inter reliqua, quòd cibos apes coquinent, formicæ condant, & seruent, efficiant factos. Est pedestre animal, at repens, sex pedibus

plures

plures incedunt, quatuor aliæ plures, & pauciores
5 aliis inſunt. Ea eſt varietas earundem, vt hinc verè eſſe reptiles cognoſcantur, pedes cùm non certo ordine recipiant, quaſi pars illis non neceſſe nimis impertita verè reptantibus, & apedibus, ornatus imò cauſa numerus varius, vt & alas experimur, rariùs tamen eis erogari; tenet Apuleius lib.6.aſini, vbi reptiles vocat. Plinius lib.37.cap.11.ſic: Myrmecites lapis ſic dictus eſt; quòd reptantis formicæ effigiem habet; pedes enim non ſecus ac alas obtinet inordinatè. Formica pedeſtre eſt animal alatum multoties; at ſine ordine certo pedum, & alarum, ideo eſt reptilis ordinis, ſerpitque & volat, præter naturæ ritum, vitio & morbo adnatæ ſubſtantiæ, vitiato membro partiũ naturæ, non ſecùs ac ſerpentibus alas adnaſci attulimus cap. de vipera, vitioſo humore luxurianti, vdo, glutino & viſcido; non ſecus ac fungi erumpunt arboribus, ſupercreſcitque caro nutritione vitiata, locis plurimis, & ſine naturæ ordine pullulant plurima animãtibus, plantis, miſtis aliis, & aliis: Hinc imbribus ſuperuenientibus, tepidoque cœli ſtatu, & vdo, flante Africo, tepenti & humido, viſcidis vaporibus, & glutinoſis abrũpunt alæ è præcordiis, ea ex parte qua præcinguntur hæc animantia, detento ibi humore impedito tranſitu ad inferna, loci preſſura, vt hinc inſecta omnia cruribus gracileſcant, eius defectu, vt per potos humor dirumpat, extendaturque ad extrà, abeatque in alas, membranulaſque, folliculorum inſtar, quibus peruolant illæ, & ſi regionibus plurimis humiditate loci ſemper alatæ plurimæ viſantur, raró ſine alis, vt apud alios, cùm illis raró regionibus ſiccis. Sic Ariſtoteles locis adductis, Plinius, Ælianus & reliqui. Ariſtoteles formicas dictas equites communes, æſtiuo tempore

pore locis plurimis, quòd posteriora earum leuentur in altum, & dirigantur, non secùs ac si equitem corporis medio ferrent, supráque aliud medium gestarent, negat inueniri in Scylia lib. 9. de historia c. 28. cui regioni adesse pennatas negat Plinius. Vocāt Græci equites has, hippomyrmeces, seu equites formicæ. Sunt & formicæ venenatæ, quas Italia non nouit; has Cicero appellat Solifugas, quòd sileant diu, cessentque ab opere, & Solem fugiāt. Bætici vocant salpugas. Telephus Cretensis mortiferas compellat, & vocat Laërtas, & non secus ac vespas quasdā lethiferas eo nomine comprehendit. Solinus refert in Polihistoria c. 20. Sunt nigræ vulgares, & maiusculæ, nigræ vulgaribus formicones dicti, sunt rubræ, flauæ, minutissimę quę sunt, & albæ. Vltrà Ælianus lib. 4. cap. 5. in Phenæo monte. Plinius lib. 30. c. 4. vbi Herculaneas appellat, & robustas formicas albas, quasi Herculem potentes affligere, & quòd pulsu formicanti multoties afficeretur, Epilepsiaque dicta Alcides, ideò morbus Herculeus, Celsus, Paulus, Ætius, c. de Epilepsa. Imò lib. 29. cap. 4. sic extat scripto apud Plinium. Est & formicarum genus venenatum non ferè in Italia, Solifugas Cicero appellat, Salpugas Bætica, iis cor vespertilionis contrarium, omnibusque formicis est, odore eas fugat; hæc Plinius. Maiora onera gestant formicæ omnes auersæ postremis pedibus innitētes, obnixè, humeris, & scapulis baiulant onustæ, aut reptu trahunt onera, quæ si maiora sint, quàm vt ostium domicilij ea capere possit, ad introitum diuidunt & in frusta concidunt, non anteà. Semina arrosa condunt, ne rursus in fruges erumpant, & pullulent, subtus terram ne renascantur, ex subterraneis vbi reponuntur locis, formicarum industria eroduntur, ea parte qua germinant

minant ſemina, quæ condunt caulice ipſo ſurſumve dicto ſeminis eroſo,hinc ſemina recondita ſemel, ſi ſuſcipantur, ſeranturque, germinabunt numquam quæ ſemel repoſuit illa. Cùm verò locis humidis ſicciſſimæ formicæ,& calidis degant, temperamento frigidæ,vt corrigantur contrariis earum exceſſus, vitaque in calido & humido conſiſtat; docuit Ariſtoteles,de vita & morte,c.2. de iuuentute, & ſenectute, cap.1.Galenus 1.de temperamentis, lociſque ſubterraneis, ideo calidis & humidis prudenter inhabitent, præcipuè hyeme tota, hinc neceſſarium fuit, ſemina, frugeſque, capite & caule erodere, ne germinarent, cibo in annum integrum ſagacitate, prouidentia repoſito,& reſeruato,vna vice alimonia & cibo,eſcaque debita ne priuarentur, fameq; interiret ordinata reſpublica, quando deſunt vnde alimenta labore adhuc, & ſumptibus,induſtria & diligentia comparari poſſint, media rigidiſſima hyeme, ſterili,& triſti. Ælianus lib.2. c. 25. Plinius lib. 11.c. 30. Cicero de natura Deorum, Ariſtoteles 9.de hiſtoria cap.38.vbi inquit, inſectorum officioſiſſimum præ cæteris omnibus aliis generibus animalium formica eſt; eadem ſemita ſemper ambulat, nec declinat à ſecuriori faciliorique via,aut à communi reipublicæ itinere, it via communi reipublicæ, illi conſulit,nō ſibi,& cum minutiſſimū animal ſit, continuo itinere,ſilices duriſſimos earum curſu & recurſu attritos videmus, quod Plinius notauit eo loci c.30. vbi ſic:Eſt formicis reipublicæ ratio,memoria, cura, ingeniū.Cicero loco adducto ſic:In formica nō modo ſenſum, verùm etiam mentem, rationem, atque memoriā eſſe ſuſtinemus, metaphora hæc ad rationem & mentē de imaginatione & cogitatiuo ſermone facto,quas Ariſtoteles rationem vocauit, ob allegoriam

goriam & similitudinem ad intellectum, 3. de animo c. 13. Ælianus idem lib. 6. cap. 49. vbi in hæc verba prorupit: Cleanthem hæc de formica historia coëgit concedere, bestias non esse rationis expertes. Nam cum aliquando otiosus esset, ferunt, formicas plurimas circa cauernã quãdam contemplantẽ, quæ hinc & illinc ad consueta opera confluebãt, vidisse quasdam, emortuam formicam ex aliarum republica, hancque in proprium domicilium earundem iuxta formicarij ora reportasse, vbi emortuæ cõtubernales prodiere continuò, & corpus afferentes, cadauerque frigidum, conspexisse, quasi cum ipsis quicquã contraherent, iterum & sæpiùs, vltrò citróque cõmeasse, vsque dum tandem lumbricum emortuum, tamquam redemptionis pretiũ attulere iis quæ cadauer reportauerant, quibus proprio domicilio ciuem, suęque ciuitati restituerunt, pretio accepto, reliquas abiisse, emortuam verò iure sodalitio alias recepisse, intra propriasque cauernas collocasse, & honorificè sepelisse agmine facto, vrna parata ex folliculo, & vagina grani frumenti, quo condere emortuas est illis vsus, sarcophagi, & feretri loco, Ælianus lib. 6. capite 24. Clemens lib. 6. capite 60. Prudenter enim agit formica, quæ exercet, non vera prudentia, metaphorica tamen, sic enim diriguntur ab ipso naturæ autore, sic earum opera reguntur, vt in iis prouidentia eluceat, mens, ratio, sapientiaque conditoris summi, magis multò quàm in grandibus animantibus, & vastis plurimis aliis naturæ. Neque enim rationales constituunt formicas, Elephantosve autores, qui eisdem ingenium adesse fatentur, rationem & mentem, sapientiam, prudentiam. rationem illis adscribunt, id est, imaginationem, æstimatiuamque potentiam vocauit Aristoteles 3. de anima, cap. 13.

dicto,

dicto, imaginationem, rationẽ, animantiaque moueri ex ratione & appetitu localiter dixit, si quis, inquit, imaginationem rationem quandam esse dixerit. Habent hanc formicæ facilem, perfectam, siccitate temperamenti qua pollent, tum memoriam fœcundam, absolutam, existimatiuam, quam vocant medici omnes rationem, philosophique. Galenus 2. de causis symptomatum, c. vltimo, & 3. de locis affectis, cap. 5. Ducuntur enim illo naturæ instinctu, vt quasi prudentia gubernẽtur, regique videantur, non quòd rationales proportiones medij cognoscãt in finẽ, cũ rationis hoc sit, media imò apponant naturæ instinctu, ad quæ sequatur finis meliùs reliquis, ac si proportiones cognoscerent. Quò Ælianus lib. 6. c. 42. Plinius lib. 11. c. 30. & lib. 9. c. 30. Arist. loco citato, Cicero, alij, ingenium, industriam, laborem, opus formicarum summis laudibus extollunt. Sic de iis legit Ælianus: Ægyptias fossas, & Creticos labyrinthos historici literarum memoria celebrant, & poëtarum natio versibus decantat, verùm fossionum quas formicæ efficiunt, diuerticula varia, flexiones, anfractus nondum sciunt, enimuerò eæ mirabili sapientia subterraneas ædificatiunculas tortuosissimè construunt, vt vel difficilem inuentu aditum, vel omnino inuium, insidias sibi molientibus efficiãt; terram enim quam effodiunt, aggerãt tanquam muros quosdã, vt nec cœlo profluenti aqua, aut ex alia parte inundẽtur. Hæc ille. Non enim secus ac prudentes œconomici domos adstruunt tripartitas ordine, vt maribus pars vna relegetur, fœminis alia, tertia verò supellectili, rebusque domesticis, sic illæ tripartitas domos ædificant, magnificasque ædes, quarum partem vnam mares ocupant, alia fæmellis committitur habitanda, tertia frumento, victui.

Aristo

Aristoteles 9. de historia c. 38. vbi promptuarias cellulas efficere formicas testatur subtus terram. Mirabile est quod de hoc minutissimo animanti circumfertur, nullum aliud mortuas sepelire præter hoc, piissima humatione, feretro funerali adacto, mortuas alterius consortij remittit in proprios ciues, & vsque ad fauces formicarij, & ora vehit, vt sepeliãtur à contubernalibus, & consortibus. Ælianus lib. 6. cap. 49. Aristoteles vbi suprà, Plinius. Humanis laboribus fruuntur, spicas abscindunt, distrahunt aristas, grana expurgant citra ventilationem, aut instrumentum aliud, id verò sine eo quòd imperio alicuius subdantur, quod iis dixit Aristoteles 1. de historia cap. 1. Hominis naturam ancipitem, societatis ac solitudinis esse apertum est. Ciuilia appello animantia, quæ labori communicant eidem, quorum opus cõmuni efficitur opera, munusque idem omni est, quod non omnibus gregalibus competit: ciuilis generis est homo, apes, formica, grus, vespa: quorum aliæ sub duce degunt, vt grues & apes, aliæ nulli imperio subditæ sunt, vt formicæ. Cohærent hæc maximè cum iis quæ dixit spiritus Deus Prouerbiorum citato cap. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem*, & cætera. hoc est, quod Aristoteles dicit, nulli imperio subiici, quæ & si gregalis sit, non tamen ciuilis, metaphora adhuc ducta ad rationis expertia animantia.

De formicæ sagacitate.

Caput II.

8 Mirabile & illud est huius animantis, quòd mẽsis cuiuslibet nono die intra cauernam contineatur, quietoque admodum tecto se teneat. Ælianus lib. 1. c. 23. sic: rerum cœlestium notionem habere, cursum syderum tenere, atque vim intelligere, sapereque Babylonios & Chaldæos testantur historici, formicæ verò neque cœlum suspiciunt, neque digitis mensis dies numerare sciunt, hoc tamen eis natura donauit admirabile, vt mensis nono quoque die non pedem ex cauerna egredientes, admodum quietæ tecto se teneant. Arist. 9. de historia c. 38. formicæ non interdiu solùm opus exercent, sed etiam noctibus plena luna, nemo est qui non videat. Ælianus lib. 4. c. 42. Formicæ in primis sedula atque operosa animalia tanto laborandi studio tenentur, vt ne noctes quidẽ in suo opere cessent, modò sit pleca luna, nec verò quemadmodum homines inertiæ, fugæque laborandi excusationes prætẽdunt. Plinius lib. 11. c. 30. Operantur noctu plena luna, eædem interlunio cessant, iã in opere qui labor? quę sedulitas? & quoniã ex diuerso conuehunt semina, & trahunt, altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam suorum ciuium quietis dantur, nundinísque: quanta est tũc earum concursatio & quæ? quàm diligens cum obuiis quædam quasi colloquutio, ac percontatio, capitibus altis, eo solùm die? Subdit, silices atterunt semita, abrumpunt, ne quis dubitet, qualibet in re quid possit quantulacumque assiduitas Sepeliuntur solæ præter hominem, à viuentibus

con

conciuibus. hæc Plinius. Vocauit officiosissimas Aristoteles 9. de historia c. 37. hoc est in hoc minimo animanti maximum, sic præsentit temporum euentus, sic callet tempestates, vt nunquam imbrem fluxisse videas, cùm earum fruges pluuio aut alio madefactas soli exponunt exsiccandas: sentiunt, cognoscũt, & præsentiunt temporum mutationes certissimas, innata astrologia; quo pluuiam venturam denunciant, frequentia operis, vehementia, & conatu, tempestates, aëris mutationes: cuius illud est opus, diligẽtia illa, vt abditissima quæque, & recondita nimis adeant, & deprehendant, aquas innantes percurrũt, reptant in altum, securè decidunt, priùs cũ supra optata quæuis ascenderint, suspensa imò contingũt adhuc, repunt, subreptant, chorda, aut quo tenẽtur vinculo appensa, vt quasi ineuitabilis sit omnino hæc astuta animans, quæ arceri nequit alio, quàm minutissimo cinere circumsepta, & circumuallata, vase in quo continetur munito cineribus subtilissimè cribratis, iis solùm suffocantur illæ, cinere obrutis, obcęcatis, circumseptis, submissis, hinc Soli sacrificabatur formica immolabaturque in Isthmo regione, quòd omnia occultissima adhuc inuisat, vt Sol visit, visitetque illa: imò curiositatis Ægyptiis erat hieroglyphicon, & summæ inuestigationis. Prouidentiæ prudentiæque signum, vt in Ægyptiorum literis est videre. Labor indefessus eisdem significabatur, formica enim summa diligentia eadem semper itat via, nunquam aberrat à loco quo quidquam reposuit, nimio nixu, semina quæ præ pondere nequit gestare ore, pedibus protrudit, officiosè satis aliis defessis in opere aliæ succedunt, opemque afferunt. Est meritò magnum nobis exemplum formica laboris, societatis, sodalitiæ fidei. Iustissimè derisit cicadam

garrulam,& dicacem,ociosam & vacuam,quæ cùm hyeme rigida & sterili expetiisset, illi opem ferret propè fame interituræ: Æstate, dixit,quæ cantaueris, hyeme salta, quòd sine menda iudicaret animal garrulum,& luxuriosum. Euxitheus lib.9.c.70. eorum opinionem insequutus, qui defunctorum animas migrare sensere in ea animantia quorum opera dum in humanis erant imitabantur: ad diligentissimam hanc inuestigationem formicæ meminit, Vlyssem ratus in illam commutatum,qui ab Homero laboris,diligentiæ, prudentiæque exemplar constitutus est,reliquisque ab omnibus poëtis, & rhetoribus Pythagoreis.Plato imò in Phædone eorũ animas, qui popularem, ciuilemque virtutem, absque philosophia,consuetudine freti,exercitióq;exercuissent,post obitum in formicas mutari tenet: quæ nõ tenus cortice sunt recipienda, cùm philosophiæ ipsi rebúsque naturæ repugnet adhuc,fideiq; aduersetur metamorphosis hęc metépsychoseosve transmigratio, Græcis Μετεμψυχώσεως, in formicas imò abire, imitatione & exemplo, quas imitari tenentur sapiẽtes,cùm sit illis sapientior,& præsentiat quæ illi nesciunt,moliaturque quę tenentur ęmulari.Imò cùm mors & exitus acta probet, & ante mortem nullus possit beari,laudibúsve affici verè, iustè: qui vt formicæ vixere, in formicas abire obitu nunciabant, opinione & creditu, formicásque eosdem prudẽtissimas vocabãt,transisse in formicas nomine & fama. Leonis regij quæ obtinent caput,vt humiles leones, magnanimos configurassent,alioqui regales, & grãdes. Myrmidones .n. fuere antiquitùs formicariive homines dicti, Pindaricus tenet libro 4. c. 13. interpres Æginæ, qui subterranea loca habitabant, fructusque arborum recondebant, ex quo fabula

Theo

Theogenis locum habuit,vt nunquam desinant fabulari Græci,Iouem officiosissimum, humilem tanquam vnum ex nobis , iam humanum & fratrem hominũ.Veritatẽ sapiunt hæc, olfaciebant gentes à lõge legẽ gratiæ traditionibus populi Dei. In formicam mutatam Eurymedusam Archelai filiam, vnde Myrmidon Formiconve genitus caput Myrmidonum gentium extitit, à quo posteà Myrmidones dicti referunt ij.Christi humilisverbi breuiati,exinaniti,vermiculi, formicæque effigie , & Ecclesiæ redolentia verba,pietatis hieroglyphicon formicam constituebãt Ægyptij,quòd mortuorum fuerit sollicita, ipsosque sepeliat diligentissimè,(mõstrauimus(Græcis hoc adagium cõmune est dum inæqualitatẽ duorum ostẽdere parãt, Μύρμηξ χάμελος, formica & camelus,quod mole & moribus euarient maximè,formica sedula , & chamelus iners & desidiosus. Sunt formicæ auri auidissimæ,ipsum custodiunt, condũt, & quæritant, grana inuenta in arena splendescentia gestant,recondũt propriis domiciliis, nõ minùs quã alimenta,formicaria effodiunt auri cupidi,vt thesauris recõditis formicarum opere fruantur ociosi: subtus terram aurũ abditum detegunt, l.3.c.4. Ælianus scripsit sic:Formicæ Indicæ aurumcustodientes, nũ- 10
quam transeunt fluuium nuncupatum Campylimũ, cum iis formicis habitant populi Isedones. Plinius l.37.c.10.Atizoës l.1.Historiæ rerum Indicarum c.7. formicas aurum eruere,& seruare docẽt, nonq; solum aurum, imò & lapidem Augitem recondere coloris auri,quadratæ figuræ,qui non secùs ac magnes trahit ferrum:hic aurũ ad se allicit lapillus. Ægyptiis hieroglyphicõ opulẽtiæ formica extitit. Apud aruspices, & augures omen & augurium opulentiæ, &

diuitiarum. Contigit ditissimo illi Midæ regi Phrygiæ, cùm puer esset, formicas in os grana tritici, micasque auri, & grana congessisse. Mortē prędicunt, & denunciant formicæ si in ægros irrepserint, odore quasi quòd in cadauer iā iā it, detexerint. Viua enim nunquā animantia trahere tentant, mortua imò, aut moritura, docuit Arist. 9. de hist. c. 11. vbi dixit, formicas nil venari, sed aliorum facta colligere. Est venatio captio viuorum animantium aut prosequutio, hinc aruspices prædixere Neroni somnianti multitudinē pennatarum formicarū in ipsum irruentium, mortē plebis rebellione, & eorum, qui maiorum autoritate & patrocinio, alas susceperant, animumq; interficiēdi principem. Fuere & ferales Tyberio, quæ serpentē ab eo in deliciis habitum consumpsere morsibus viuum, vt resipisceret facto nouissimo, & dissono naturæ animantium, portētoque mirabili, Principes & Reges, populo egere grato conciliata republica, aliàs formicas minutissimas potentissimos vastare serpentes.
11 Est hoc maximū dum gestant cadauer, mortuāve formicam conciues vt sepeliant, funeralibus vestibus nigræ natura eam comitari; quas si rubra formica, aut fulua, albave sequatur dilacerant, morsibusque impetunt, quam ob dedecus commissum insepultam relinquunt, quod sine veste funerali tristi, in aliarum contubernio, emortuam dehonestauerit. Atizoës loco adducto. Interitus signum reponebatur antiquis. Onirochritæ auditorum frequentiam significabant multitudine formicarum in aures obambulantium. Hinc Martialis deridens grammaticū ait, *Sic te frequentes audiant capillati*; nam placida est auditorum copia præceptoribus, & concursus placidissimus. Depingebant ideò Onirochritæ formicas in aurem irrepsisse. Inanis gloria, Græcis κενοδοξία,
formica

formica notabatur, & Ægyptiis, quòd depopulentur virentia omnia, pulcherrimasque arbores, folia, fructus, flores, non secùs ac Cenodoxia & laus propria acta, egregiasque virtutes, gesta alioqui magnifica & illustria, vt formica pestis est procerarum arborum virentium; pulcherrimarum morbus, & vitium arboribus frugiferis communis, terræ, cœlique inclementia subnascens, sterilitatis annonæ indicium maximum, hinc hoias ormigo Hispanè vocamus quæ disparuere & abiere, aut subitò aut infrugifera, inutilia, quòd hoc morbo folia & fructus exoluantur frugum, arborumque, multoties sterilitate inducta prolixa. Depopulatio etiam & vastitas formicæ icone describitur, cui fasciculus origani coniungatur, formicas enim proprias sedes domiciliaque relinquere origani puluere insperso itinere, aut ad cauernæ fauces suffumigio adacto scimus, eóque vti in earundem exterminium, docuit Sotion Agriculturæ lib. 1. c. 10. Columella lib. 3. c. 2. Cato de re rustica lib. 3. cap. 9. Plinius lib. 19. c. 10. Aristoteles lib. 5. de historia animalium, cap. 8. vbi sic: Sulphuris quidem odore insectorum plurima intereunt. adhęc formicæ origani, sulphurisque puluisculo insperso, suas relinquunt cauernas, alióque migrant: Cornu prætereà ceruini facto incensu plurima insectorum pars fugit, & præcipuè Styracis suffitu, cinere insperso suffocari & fugari quouis, tenet Plinius lib. 19. citato cap. vbi sic: Contra formicas, non minimum hortorum exitium, si nõ sint irrigui, limum marinũ, aut cinerem consulo, iis obturatis earum cauernis & foraminibus, efficacissimè Heliotropio herba necantur, suffumigato: tum aqua inspersa in qua later dilutus fuerit crudus, lotusque eadem. retulit Apuleius suprà, Sabinus Tyro libro 1. Cepuri-

con ad Mæcenatem cap. 10. Ælianus locis adductis, Aristoteles, Nearchus apud Strabonem lib. 15. cap. 7. Strabo lib. 15. c. 6. Pausanias Syrus in Laconicis, Plinius lib. 11. c. 31. docent, Indicas formicas esse cornutas, maximasque, miræ magnitudinis pennatas & albas plurimas: fuisseque cornua formicæ Indicæ miraculo & admirationi, suspensa in templo Herculis Herytris. Scribit Nearchus lib. 9. cap. 7. vidisse pellem cuiusdam similem magnitudine & coloribus variis pelli Pardi. Plinius aliique omnes eisdem locis enũciant, colorem felium ex iis alias habere testantur, magnitudinem luporum regionis Ægyptiacæ Indicæ communium continere, alatas quasdam, variegatas, albas, Indosque illius regionis, quos vocant Dardas, ad plagam Septentrionalem habitantes, erutum aurum ab eisdem tempore hyberno, furari æstiuo, tetro fumo rerum dictarum ipsis fugatis priùs, quarum multoties dilacerantur morsibus immanibus, si præueloces Camelis incursantes non liberentur, tanta pernicitas, feritasque est hominibus & bestiis cum auri cupiditate. Dentes habent formicæ, docuit Aristoteles 4. de partibus animalium cap. 6. fortissimos, quibus minutissimũ animal durissima quæque erodit & lacerat, iis inesse ore aculeum, vt apibus acre; gustusque organum in aculeo retinere principaliter & intus in palato. Non cessant erodere dẽtibus aculeo iniecto, masticantur, vt saporem suscipiant, contrà ac muscæ, quæ aculeo delectantur solùm, quo nõ mordent, sugunt imò: Aristoteles 2. de partibus c. vltimo. Mirabitur verò non iniuria quispiam, cùm tot tantaque de formicæ natura mirabili & rara illustria & magna dixerimus, cur api & formicæ imaginationem adesse negauerit Aristoteles, vermibusque omnibus 3. de anima c. 3. cùm illis ingenium, studium,

mentem, rationem, imò æstimatiuam potentiam sensitiuas perfectissimas ascripserint omnes, ipseque philosophus (suprà monstrauimus,) earumque opera artificiosa, & rara, mirabilia id comprobent, tum politia, tum œconomia, tũ ethica. idem imò Aristoteles 1. metaphysicorum cap. 1. hæc animalia habere prudentiam tenet, imaginationeque viuere omnia quæ sentiunt, sustinet 2. de animo textu 20. Desinet verò mirari semel si intellexerit Aristotelem eo loci non imaginationem negasse vermibus nidificantibus mirè, Apibus officiosissimis, formicis laboriosissimis: solúmque negasse, disciplinabilia hæc esse animantia, imaginationemque obtinere disciplinabilem, vt assuescere possint impositis alio, sic enim instinctu ducuntur, hærentque naturæ præceptis, forti imaginatione, qua nunquam errare contingit ab opere per latumve vnguẽ discedere, alienis legibus præceptisve impositis, vt non obtemperent, vt animantium plurima non obtemperant, assuescuntve aliis. Quis apem, vermem, formicam mansuefecit? & ritui imposito aptauit? vt equos, leones, tygrides, serpentes aliquos, aues, piscium plurimos cibo & aliis assuefecit, impositisque parere docuit. Assuescit nunquam formica, apis, vermis, aliis præterquàm à natura impositis, quod adeò naturales sint opere. Imaginationem eo significatu non esse sensum, ibidem probat, sensus enim omni inest animanti, hæc verò imaginatio non omni, cùm iis non insit, etsi sit aliis; disciplina enim adhuc impropria, quæ assuefactione fit, & assiduitate sensus memoriæ. Circa singularia obiecta non inest iis imaginatio, quæ oritur cum memoria eius quod multoties factum est: scimus enim picam, psittacum, turdum, motui loquendi assuescere, & sono, equum, elephantem, simiam incessui,

ſui, ſaltui equos, & rebus aliis aſſuefieri; canem, vrſum pſallere, & alia rebus aliis. Hæc verò animantia nullis: imò pulices aſſuefacimus morſui ligatas, iis ſecùs contingit. Sic eſt intelligendus Solinus dum formicis diſciplinam aſcribit in Polihiſtoria, capite 20. quod metaphoricè diſciplinam poſſideant, paſſiuéque diſciplinatæ ſint inſtinctu dato, non quòd aſſueſcant ipſæ: quo ſenſu Cicero & reliqui mentem illis adeſſe dixere, id eſt, quaſi mente viuere, mentéque ordinari autoris vniuerſi hæc artificioſa, & induſtria. Herculaneas dictas formicas, tritas ſimul cũ ſale, impoſitaſque omni generi macularum mirificè illas extirpare, docet Plinius libro 30. capite 4. Imò & formicas communes noſtras eodem modo paratas, faciei maculas abſtergere fœdas cognouimus, vitiaque deformia, & cum melle potentiùs.

De formicæ ſedulitate, myſticiſque plurimis, & literalibus Scripturæ ſacræ.

CAPVT III.

12 NIl fugat formicas validiùs, quàm cinis earundem foraminibus inſperſus, concrematarum cum Heliotropio; experientia palàm fecit & autores dicti. Sunt mellis auidiſſimæ, quo ligantur illicò & ſuffocantur, flatibuſque excitatis inſecta hæc præcordiis cincta dirumpuntur detentis, oleo inſecta arceri, & ſuffocari omnia diximus, quòd ſtrictiſſima earum præcordia repleat (quo inſecta vocantur) reſpirationemque impediat; ſicciſſimis locis formicæ ſiccæ natura, vt Galenus 1. de temperamentis edocuit, veniunt, quæ ceſſant illicò

at irrigui fiunt, docuit Plinius lib. 19. cap. 10. Columella, & reliqui ſuprà. Ineptè quidam formicã hieroglyphicon aſtruxere latrocinij, quòd non vt apes cibos cõponat, reponat imò & furetur; hieroglyphicon potiùs diligentiæ & liberalitatis; neque enim illa aliud quàm omiſſa & relicta ab aliis colligit, & recondit: Arguit imò nos negligẽtiæ eorum quæ relinquimus, & omiſimus; ea legit quæ auaritia retinemus, extrahit, in liberalitatẽ excitans mortales, quęq; nobis ſuperfluunt & abũdant expoſcit. Eleemoſynã commendat quaſi, & conſulit pauperum ſpecimine, exquirit tacita, egenorũ expreſſus iconiſmus: dũ prodigalitatis, aut auaritiæ ſuſtinemus effigiem, ſi formica arceatur, impediaturque motu & via debita, iraſcitur, bilem illicò effundit, non minimè vrentem, ſi in manus imò incidat, vbi contigerit excoriantem; Solinus loco adducto retulit, & experientia comprobat, quo adagium formicæ oritur, *Eſt & ſua formicis bilis*, vt nullum ſit contrarium contemnendum adhuc puſillum. Eſt imò monſtroſum animal, formidabile, & ferox formica, corpus ſerpentis ablongum, prolixum, pedum multitudine nimium, araneæ horridæ inſtar, os leonis amplum, forte, rugoſum, hians, diſtentum ad latera, obſcurum, nigrum, armatum infectiſſimo aculeo, dentibus fortiſſimis, veneno, bile acri & mordaci, dolorem inferens morſu, corroſiuoſque cruciatus, color fuſcus, ater, motus moleſtiſſimus, trepidus, redit medij corporis ſenſus, poſtremi medio, iam motu priori tranſacto propter corporis partitionem; Eſt illa corporis monſtroſi, & quaſi duplicati duabus medietatibus, duabus ſphærulis coaleſcens, orbibus duobus, ac ſi conflaretur corpus vnum, ſerpentis inſtar mouetur, & ſi pedibus cedat, orbibus factis & ſpiris vndarum more, cuius

ſimili

ſimilitudine, pulſum formicantem lethalem dicimus, vndoſi pulſus ſpeciem. Docuit Galenus 1. de differentia pulſuum c. 27. & lib. ad Tyrones c. 16. 2. de dignoſcendis pulſibus, alibi paſſim, quem pulſum paruum, debilem, creberrimum imò, minorem omnibus aliis conſtituit loco adducto, periculoſiſſimũ omniumque, ideò vndoſum, ad modum motus formicæ, quibus formicantem pulſum appellauere hũc, quòd imitetur formicam motu; mouetur enim cor motu ſimili; idẽ ſenſit Plinius lib. 7. c. 51. Tactum habet acerrimum, nimiſque eſt ſenſilis, inediam, ſitimque patitur maximè, æſtus, annonæ, famem, ſiccitatem notat prouentus, annumque ſterilem, ſi plures minutæ & ſqualidæ rubræ adfuerint; nigræ & craſſiores fertilitatem, feracitatemque & copiam. Seruãt maximè diem primum Caniculæ, dum coit cum ſole, vt vel tectis quieſcant, vel ſi cogantur exire, intereant facilè. Nonum à congreſſu lunæ obſeruant diem, cauerna detentæ, qui eſt ſeptimus illuminationis lunæ, quartaque prima, ſeptenuſque dies: quieſcunt ab opere die ſeptimo menſis cuiuſuis, illuminationis Lunæ, ab eo enim die à quo lux eſt primò Lunæ, vſque ad ſeptimum officioſiſſimæ, laborioſiſ-
13 ſimæ, aſſiduæ, ſeptima quieſcunt, Geneſim quaſi memoria repetentes c. 2. vbi dicitur: *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.* vbi & à luce ſeptimus numeratur dies, vt & modò à die lunæ ſeptimum Dominici diem colimus. Sic inſtruimur hoc animanti, docemur obſeruare dies ſeptimos, à congreſſu nonos. Seruat verò illa ſeptimos

à lu

à luce dies,naturam insequens,instinctumque naturæ; septenus enim dies faustus est plurimis, multis verò inauspicatus, & infœlix, tunc enim viget Lunæ humiditas,& calor luminis,primo septenario fortiùs,& prima quarta mensis cuiusuis, quod & si minora sint hæc,debilioraque per initia cùm sint, quã secunda mensis septimana,& vsque ad plenilunium, tamen vt dissueta magis, quod præcesserit siccitas, & frigus interlunij immediatius, resque sint sicciores & frigidiores; iuuat maximè tunc calida & humida constitutio,& natura.Calidas & humidas temperies similes,frigidas verò & siccas temperie formicas lædit, vt dissimilis temperie temperamentoque earum propriæque naturæ absimilis talis cõstitutio, & cũ præcesserit interlunij tempestas similis, disturbantur hac septimana primaq,uòd ibi aspectus incidat septenarij,fortissimus in opere,quòd sit aspectus tetragonus quadratusve, fortissimus in agendo primæ quartæ circuli Lunæ motus, duabus qualitatibus semper oppositus ei à quo recessit puncto. Ea est signorum circuli dispositio Zodiaci perpetua. Hinc seruant septimum diem à lumine Astri ipsis temperie dissidentem. Plin.lib.11.c.37. sic de formicis legit. Ranarum rubetarum altera fibra à formicis non attingitur propter venenum,mirabilis animantis instinctus. His ergo meritò excitamur exemplo formicæ ab spiritu Deo: *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita Pater,quoniam sic fuit placitum apud te.*Formicis instruimur paruulis, nõ magna- 14
tibus mundi, non potentatibus, gigantibus, Dauid minimo,non Goliath,non sapientibus, prudentibus sæculi,iudicio,hominumque censura, paruulis imò formicis,despectis, vilibus,ignorantibus, hominum

ſentẽtia & opinione; naturalia enim omnia omniſq; rerum naturalium conditio illud iubet, & ſe amare, ſeruareque, amore proprio ſe proſequi, cõtraria reſpuere, odio habere, inimica, aduerſa fugere. Supernaturalis verò lex & doctrina ſuper hæc docet, odio habere ſeſe ipſum, ſeſe & perdere, abiicere, vincere. Eſt enim in nobis lex ſenſus, repugnans, inimica, & diſſentiens cũ lege mentis, & rationis lege, ſuperioris animi ſedis, Paulus dixit, vt inde noſtra victoria conſiſtat in diſſidio, huiuſque legis moderamine, & morigeratione. Matth. 10. *Qui inuenit animam ſuã, perdit illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eã.* Tú inimica & contraria diligere, proſequique amore edocet vltra gratiæ lex, Mat. 5. c. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: diliges proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuum*, lege gentium ideo audiſtis ab eis, neque enim legiſtis in lege ſcripta, nec infanda hæc continentur, quò audiſtis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, & benefacite iis qui oderunt vos.* ſupernaturalis doctrina: *ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum*, ignorantes mundi, abiecti, viles, deſpecti, obſcuri, paruuli, formicæ ſunt Dei, ſapientes, docti, prudentes, magnique vocantur in regno cœlorum, & *niſi efficiamini ſicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Hæc ergo reuelauit paruulis, hæc abſcondit à ſapientibus. Neque enim hæc ſapientia humana, & prudentia attigit; reuelata ſunt imò hæc in Deum finem ſupernaturalem. Docuit Seneca diligere inimicos, Stoici docuere, Plutarchus laudat, contrarios vtiliſſimos iudicat, quòd patientiæ vires manifeſtent, & exerant. Hæc propter auram popularem & propter virtutes morales ipſa; at propter Deũ finem ſupernaturalẽ ſũmè dilectũ hæc efficere, & implere hæc timore ſancto legis, deſuper venit, ſuper captũ hominis, hoc medium eſſe in Deum finẽ vltimũ,

hæcque probari ipsomet Deo,& imperari. Reuelasti paruulis,non sapientibus,ne naturæ lumini,viribusque adscriberentur mortalium , paruulis imò ignorantibus reuelata , supra hominis captum,abscondit à sapientibus , non quòd saperent , nec quòd prudentes essent , ideò imò tumidi & superbi, vt conuincerentur de ignorātia & inscitia, insipientiū doctrina,& formicarum exemplo , vt confunderet sapientiam sapientiū,& prudentiam prudentiū sæculi (Paulus.) Solū credere assuefacti demōstrationibus, discursibus hominū,tū vt Dei esse opus totū,cęlestisque doctrina intelligeretur. Paruulis ergo docemur formicis,abiectis, reptātibus,egenis,mēdicātibus;iis instruimur,non principibus,non magnatibus , potētibus,quorum sunt corruptiora ossa potentia , & imperio,minimis imò,subditis,humilibus.Quò Mat.11. cùm hæc dixisset, inquit; *Discite à me quoniā mitis sum & humilis corde.* Amicos diligere docet formica;consortio enim & grege aliarū viuit, in bonumque reipublicæ vitam dispendit assiduo labore , inimicos amare,& benefacere iis qui eā odio habēt,admonet, vltra quæ si formicā alterius domicilij rixantē prius super prædā defessam videat,iuuat illam, suppetiasq; fert , onus congestat , oblita contentionis,& dissidij immemor;mortuā si offēderit, in propriū domiciliū gestat,humetur vt à cōciuibus,etiāsi quæ est alterius cōtubernij,alimentū surripuerit, offensasq; intulerit inimica & contraria. Imiteris ergo formicas exiles, minimas,imbecilles,inermes,reptātes , Christi discipulos,Apostolos,piscatores humiles, mundi opprobriū & abiectionem plebis. Imitemur sāctos, & paruulos Christi,illos æmulemur,qui antequā viuere discerēt,mori sciuerunt sapiēter , totius Ecclesiæ natu minores martyres,Iustū & Pastorē Cōplutēses(glo-

ria

riæ & honor Eccleſiæ) Chriſti teſtimonio ſanguinis teſtamentũ Chriſti conſignantes, Cõplutenſium tutelares & Patronos, quorũ Iuſtus annum agebat ſeptimum, nonum verò Paſtor. Has minutiſſimas imitemur formicas, hos ſequamur paauulos, Cõplutenſem Didacum Franciſcanum, paruulum Chriſti, deſpectum, ordinis Minorum, ſæcularẽ, minorẽ paruulum, formicam, qui granum frumenti, ab aliis deſpectum & quaſi nullius valoris, & pretij iudicatum, in meſſem collegit virtutum, & fructum ſpiritus, illius imò caudicem & partem qua turgere ſolet, inflari & tumeſcere, eroſerunt ambitionem, ſuperbiam, inanẽ gloriam, opinionemq; hominum, quibus euaneſcit, ſuperbitque opus, & non fructificat, alioſque & alios Eccleſiæ ſanctæ minimos, grandes, formicæ eæ humiles, terra reptantes granum collegere, Chriſtum granum fruméti emortuum, vt fructum afferret, veniens de cœlis in terram frugiferæ Virginis multum fructum afferens. Dicitur ergo co loci Prouerbiorum 6. *O Piger vade ad formicam, & conſidera vias eius,*
15 *& diſce ſapientiam.* Vocat pigros in virtute & religione, deſides illos, qui more coruorum, (dixit Auguſt. 6. de Ciuitate Dei) ganniunt, craniuntque cras, cras, nunquam hodie, aut modo; ſunt ij pigri, & deſides, quos cùm priùs in religionẽ vocaſſet Spiritus Deus, in conſortium vitamque communem, formicarum inſtar, nunc excitat ad opera & conſueta munia exercenda, ex religione impoſita, pigri, cùm opus efficere queant medio fontium ſalutis, & gratiæ Religionis frugiferæ, & remiſsè velint. Remiſſi & tepidi, ij hominẽ non habent, intellectum qui cum volũtate matrimonium ineat, & cõſentiat, vt fructus, fætuſque debiti filij & legitimi oriantur; contrahens imò cum appetitu, ſpuria innaſcitur proles, & cum

ſerua

ſerua Agar ſucceſſio illegitima & nota. Pigri, deſides, molles, præſentibus rebus detenti, & occupati, non expectantes in futurum, ſicut gentes imò, quæ ſpem non habent, Paulus dixit; hos vocat pigros, formicæque redarguit exemplo, quæ in futuram hyemem expendit opus, negatq; ſibi grano vti præſenti, appetitum negat, vſque dum licet, quando & quomodo licet, reponit in poſterum fruges, in futurum ſperat, denegat ſibi vſum rerum, vſque dum theſaurizet, priùs recondat, ſufferens famem, paſſiones deuincens, vt nec extra cauernam huic animanti comedere liceat, extra regulam & ordinem: poſtquàm imò reſeruauit, cuſtodiuit, repoſuitque in poſterum, regula, & ordine, ſedula, diligens, vigilans, & ſolicita in futurum, ſpe fructus, non quaſi gentes quæ ſpem non habent (Paulus.) Vade ergo piger. Vocatur piger adhuc dum mittitur ad formicam, vt confundatur erubeſcatque brutorum exemplo; inuitat pſalmographus ſacer cœlos, inanimata, laudare Deũ, vt confuſione obtupeſcant, & verecundia homines qui Deum cognoſcentes, non ſicut Deum glorificauerunt, pigri, & lenti. Vocatur, remittitur (ſumma Dei bonitas) mittitur ad formicam, & qui mittitur vt vadat, vocatur vt audiat, ſed ſi piger, quomodo ibit ad formicam? nonne deſidioſus ſtabit, & obſtupeſcet? piger non ibit, & tardus reſtabit, ſe ipſo deſide, vinculis ligatus amoris proprij, ſe infectis ipſo appetitu & malitia, in eo mittitur tamen, impulſu eius qui ſtat ad oſtium, & pulſat: (ſi liceret imò vi impelleretur, vt iret, vocatur tamen, vt non reluctãs trahatur, eat imò, vt præmia & palmas afferat referatque ille,) eoq; excitatur conamine, vt ſoluta crapula, voce, prigritieq; excuſſa, ſeſe excuſare nõ poſſit, quò neget aditũ; iam non piger, ſedulus imò, liber

omni impedimẽto,& immunis vocatur, & mittitur. Vocatur priùs, *ô piger*, mitttur, *vade ad formicã*, iã excitatus, exſoluta pigritie, contumax aliàs & rebellis; nõ mittitur ad feroces tygrides, nec ad ingẽtes elephantos, non ad horrẽdos, hirſutos, & crudeles leones, ad formicas imò, ad paruulos; *niſi efficiamini ſicut paruulus iſte*, & renaſcamini iterũ paruuli, *non intrabitis in regnũ cœlorum*. Ad formicas, ad ea quæ ſubtus pedes habemus. Vbiq; docemur omnibus, *vbiq; Deus*, Plato edixit in Phædone. ad humilia, abiecta, facilia; eſt facile iugũ Dei & leue onus. Geſtat ipſe nobiſcum, *ſcelera noſtra ipſe portauit, tulitque iniquitates noſtras*, vt iam ſuprà, non ad aues immiſit vanitatis vento ductiles, colligentes paleas multoties, non ad ſapientes & prudentes ſæculi, ad formicas imò, quæ grana congerunt, & fruges vtiles condunt, erodunt imò, ne intumeſcant ſuperbia, & vanitate; recondunt, ne inani gloria putreſcant, vireſcantque iterum, abditos, occultos ſuſtinentes labores, ſemel quæ ac granum collegere occulunt, & abdunt, palàm facientes quando eſt opus, hypocriſim fugientes, & vitantes omninò, exemplum laboris hominibus vectione ſubſtituentes, repru humiles, ne germinet gloria inanis, quod erodunt & occultant (diximus ſuprà.) Vade ergo ad formicam, & conſidera vias illius qualiter it & redit eadem ſemita qua exiuit, qua reuertitur, nõ alia. Hac duriſſimos atterit & ſulcat ſilices; faciliùs imò multò per ſilices & duriſſimos lapides grana ducit, onera geſtat, quòd reſiliat per hæc, reptet, & relabatur, quàm terra & puluere, qua arcetur cùm inniti non poſſit mollibus, & cedentibus facilè terræ partibus, iterque obſcuretur anteà multò, & ſemita qua ducitur, puluere renaſcentibus virentibus herbis & germinibus, quàm ſilicibus, lapidibus,

bus, petrificiſque locis: quæ & ſi ſignentur & formentur tardiùs, diutiùs tamen veſtigia obſeruant, & tenent clariora. Conſidera ergo vias eius, & eadem via qua renatus es, & veniſti in lucé, vt granũ frumenti Chriſtum colligeres, hac redi in Chriſtum, renatus ſemel ex aqua & ſpiritu, non ſecùs ac oriuntur formicæ ex aqua conformata luto, terraque immiſtis, & ſpiritu flante Africo tepido ſub æquinoctio veris tempore, vt oriuntur hæc ſerpentium inſtar (diximus ſuprà,) & ſi vltrà propagatione vera oriantur & veniant. Hoc modo ortus terra, & aqua commiſtis, ſpirante Africo, Fauonio grato viues, qui fæcundat hæc ipſa, & fertilicat ſpiritus Dei, quo germinant omnia, lege veris, & gratiæ tempore. Puluis ergo erat homo, non ſolùm peccati labe, ortu imò & origine ſua, ſeque nihil, & puluis vento facilè ductilis, inconſiſtens, nil vt conſiſtat reatu culpæ in puluerem actus, formeris, renaſcatis iterum, aqua & ſpiritu, vt puluis ſtet, & firmetur inconſtans, fiatque limus ex quo venit primò formatus homo, aquiſque baptiſmatis ſacri viuificeris, fertiliceris ſpiritu tepido gratiæque & rore puluere irrorato, homineque ſicco peccati fomitibus, igneaq; concupiſcẽtia ſquallenti, & exuſto, vt eo rore viuificeris, & igne charitatis viuas; ſpiritu aqua opus erat pulueri illi, culpæ reatu ſquallido & ſicco, vt reintegraretur iterũ; non aliter calore, & humore, quibus vita conſiſtit principiis, docuit Ariſt. de vita & morte cap. 11. & latè ex Platone, & aliis ſuprà retulimus; quemadmodum formatus fuit primo ortu homo, ex luto ſufflante Deo in nares eius ſpiraculum vitæ, Geneſeos 2. cap. puluere commiſto aquæ, & luto, limoque facto iterum; ſic eodem autore, per idem verbum cuius eſt facere omnia, ſtructa ſemel & dicta iã cõſeruare,

& reficere ad imaginem & similitudinem eius, iterum aqua, & spiritu, vt reformetur puluis, iterumque integretur, euanescens se facilè, aquis, spiritu flante. Eadem ergo via, qua existi, & venisti in lucem per Christum, qui est via, & veritas, vitaque, redi in Christum per Christum viam & mediatorem, via hac qua progredi cœpisti, i fœliciter, per viamque lapideam formica per petram. Petra autem erat Christus, per petram Christum, non terræ pulueri innitens, certo imò tramiti, securo, patenti, communi, vniuersali, id est, Catholico, *ne declines à mandatis eius*, & ab A. egressus ad O. festina, ad æternitatem, ad circulum. Est enim ipse ἄλφα & ὠμέγα, α & ω, extrema, & cùm dixerit viam esse quæ inter extrema continetur, est omnia, nam est principium & finis & medium. Alpha, omega, & via. Testatur ipse qui est veritas: nam est vita, non solùm viuens; Vita verò est primum esse à quo omne viuere & esse est; quò est veritas: esse enim ab illo est omne, veritas verò est cuiusuis rei esse. Qui ergo est vita, est veritas omnis: & cùm veritas via est, est via in Deum illi conformari, in esse legis & præcepti, ipse dixit, quo est via, fideique nostræ ratio. Ab A. figura, imò trium linearum vna ex Deo ipso trino vnoque, venimus omnes, & proficiscimur opere Trinitatis indiuiso ad extra, & in O. circulum æternitatis, per viam Christum imus. *Nemo* enim *cognouit Patrem, nisi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare.* Vias ergo formicæ considera, Christi, & qua existi redi via, Christo renatus in Christum, vt formica illa redit eadem via lapidea, redi Christo lapide & petra (loca adduximus suprà) fide. Vocat ergo pigros desides spectantes & expectantes legis scripturæ & gratiæ, vt per Christum mediatorem redeant in ipsum, à quo exiere. Est enim ipse

via,

via, formicæ exemplo eosdem instruit, & excitat: considera vias eius, motus vltrà, & modum mouendi huius animantis, quæ dum maiora onera gestat, eisdem non suffectura, humilis, & repens continua in opere, lumine præsente, quod expectat vt operetur, si nequit capite illa vehere, anterioribusque inniti, retrò vertitur, retroque cedens, onera maiora gestat, & ducit, motu retrogrado innnixa pedibus, vltimisque corporis partibus, postremitatibus sui. Formica homo vermiculus, exilis, ne proprio capiti innitatur, vt gestet onera, onusque vehat, Christo imò capiti instet, cuius virtute & potentia onus est leue, & suaue iugum, retrocedat in puluerem ex quo est; onus crucemque cum illo gestet, & Christo petra via ducat, fructus in hyemem reseruet, vltimo sui innixus, morti & vltimo onus sustineat, & ferat, in vltimum sui, in appetitum facto impetu, in posteriora & vltima, hunc euince, supera, retrocede, si calcitrat, si non iuuat capitis rationisq; motum, in puluerem de quo es, redi, vt humilieris formicæ exemplo, quæ vires deponit, propriamq; imbecillitatem cognoscit, puluerem si attingit, petram quærit, illam vestigat, vt impleat opus, capite pellit, innixa vltimis, adacto tibi capite Christo, nō propriis fretus, retrocessu, via petræ granū duces impetu in appetitū facto:, superato illo, & victo: substinebis onus crucis, crucē feres cū ipso, rationis lineæ rectitudini, & regulæ, contrà posita linea appetitus, legumque carnis oppositione, & repugnantia, vt crucis lineæ transuersentur, & contraponantur. Iis crucem efformabis lineis transuersis, sustinebisque. Vias ergo eius considera, disce sapientiam, Christum patris sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei: has formicæ vias considera, hos paruulos, & formicas has contemple-

ris. Est Christus formica vermiculus, paruulusque factus pro nobis. Paulus ad Rom. 9. c. *Quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram*, paruulum effecit Christum, æternum Verbum, infinitum breuiauit, arctauit humanitatis termino, & miseriis hominum oppressit, compressitque. Isaias 60. de Christo, *minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam, ego Dominus in tempore eius subito faciam istud.* Christus paruulus minimus in mille erit, & mille instar, potentia infinitus in gentem fortissimam, in mortem, infernum, peccatum, dæmonem contra hæc erit, pugnabit, vincet.

De formicæ exemplo, & magisterio.

CAPVT IV.

16 DIsce sapientiam ex formica. Est enim vna ex conditionibus doctrinæ eximiæ, & absolutæ sapientiæ, magistri breuitas compendiosa, & concisa; ideo sapientia Patris breuiata est, Verbumque nobis nil superfluum, diminutum nil, in quo erat: ideo ad formicam mittimur vt illa instruamur. Omnia continet Christus. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Matth. 11. cap. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Ioan. 1. cap. Genes. 1. *Ipse dixit, & facta sunt*; dixit Filius omnia ad extrà opere illo indiuisæ substantiæ, indiuisóq; actu ad extrà Trinitatis totius, Verbum Patris creaturas dixit (appropriatione illi dicatum opus facere) dixit in esse extra, cuius dicere, vélleque est illis esse, facere, & consistere, hac dictione creaturæ omnes constitere. Est ergo omnia Deus quòd Deus: est omnia quòd homo: omnis naturæ est homo, imaginē & similitudinē

Dei

Deitatis obtinet, naturamque communem cum ſpiritalibus, cum corporeis ſenſibilibus ſenſitiuam portionem, cũ plantis vegetabilẽ, cũ inanimatis corporeã, cũ aliis alia. Hinc dicebatur antiquis μικρόκοσμος Græcis, Latinis mundus paruus, intelligibili & ſenſibili compoſitus vniuerſo. Vade ergo ad formicã, diſce ex Chriſto formica, & paruulo, omnia, ideò imò formica conflatur duobus orbibus, ſphærulis duabus inſtruitur coaleſcentibus ſibi, medio animãtis, vt quælibet medietas ſit orbis vnus, quorum alter non ſerpit, terramve cõtingit ſuperior, imò cum capite vehitur, alter reptat, abradit terram, vniuersũ vtrumque deſignans, intelligibile & ſenſile; quorum vnum terreſtre eſt inferius, ſuperius aliud, ſuprà terreſtria conſitum. Diſce ergo ex formica, in qua omnia continentur, puſilla alioqui. Doctrina eſt breuiata, breuis, facilis, compendioſa, & veridica, *Breuiatum verbum faciet Dominus ſuper terram.* diſce ſapientiam. Subditur eo loci; *quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem; parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat:* formicam diximus animal eſſe gregale, in conſortioque aliarum ſui generis viuere, eſſeque ciuile, Ariſtoteles 1. de hiſtoria c.1. diximus anteà, vbi hęc ſunt ſcripto. Animalium alia ſunt gregalia, alia ſolitaria, alia dubiæ naturæ, vt ad tempus gregalia, & ad tempus ſolitaria viuãt. Gregalia alia ciuilia, alia ſecùs, ciuilia alia ſubdita imperio alterius, alia aliter: formicas, *ſubdit*, appello gregales, quia in conſortio aliarũ commorãtur: tũ vltrà ciuiles, quòd labori eidẽ communicent, in bonum communitatis. Nulli tamen imperio ſubditæ ſunt, vt ſunt apes ciuiles, ſubditæ imperio, quæ rege vno ducuntur, & gubernantur, aliáque aliqua: quò nec ducem, nec præceptorẽ, principẽ ve

obtinent, neque enim ducem in hostes habent, nec præceptorem in se,& familiam,nec principem in ciuitatem, denique nec dux est illis, quo tueantur ciuitatem,ne disturbetur temporum iniuriis, animantiumque aliorum generibus variis; cùm tamen munitissimam constituant,inexpugnabiléque sine duce arcẽ,vt diximus,labyrinthi instar cauerna parata,imbribus,& tẽpestatibus, vallatã vndique & securam, nec principẽ à quo politiam ediscãt, administrationemve reipublicæ,nec præceptorem,qui easdem instruat sibi,& domi,magistrum gnarũ ethicæ & œconomicæ artis:politiam tamen ethicam,& œconomicam exercẽt,custodiunt exactissimè,omnique modo explent. Formica Christus, cùm Deus nec ducem, nec præceptorẽ,nec principem habet,quà est Deus, nec Christus ab alio supposito edidicit, supposito, Deus qui erat naturæ diuinæ, à se imò, quà Deus sciuit,& quà homo,non alio supposito, aut persona doctus, se imò Deo ipso, qui etiam si Deus, voluit legibus obedire, *factus obediens vsque ad mortem*, & *sicut agnus coram tondente ductus est ad occisionem; oblatus quia ipse voluit.* latè suprà, nulli pepercit labori, sedulus,& diligens vsque ad mortẽ crucis.Imò cùm formica quæ non habet principes,benefactores,duces,ductores,doctores,pręceptores,custodiat legem naturæ impositam illis naturali instinctu, iusque naturale primæuum custodiat, & seruet, sine duce, ac si duceretur sine præceptore,ac si præceptis instituetur, sine principe, ac si illi præciperetur custodire quæ obseruat, Christusque nullis addictus, oblatus, quia ipse voluit, obseruauerit legem & præcepta; *non veni soluere legem, sed adimplere*, parauitque sibi cibum & gloriam in æstate laborum, vt parat formica tempore messis, & fructus legis, vt intraret in gloriam

gloriam ſuam hyeme paſſionis rigida & triſti, terribili tempeſtuoſa bruma. Lucæ 24. *Nónne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Vſquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo?* Cum formica animantium minima laboret meſſis tempore, & æſtate ſolem non fugiat, æſtum, patiens pulueris, atque Solis; tum minimi, debiles, imbecilles, inermes pueri, puellæ, formicæ Chriſti, cùm ſuſtinuerint labores vigilanter, & diligẽter, martyres, teſtes teſtamenti Chriſti quod ſanguine conſignarunt proprio chirographo ſanguinis. *Vſquequò piger dormies?* Nõne iis excitaris, admoneriſque? non formicæ diu noctuque vigilantes, conſueta quæ moliũtur opera, ſomnum tuum excutiunt? (dicitur) & eo tempore, noctu adhuc dũ lumẽ adeſt, tenebris legis veteris dictum ibi, præſente Luna emolire opera, diuque præſentia Solis iam lege, gratiæ modo dictum nobis, cùm ſit idem lumen quod Luna retinet, ac Sol ipſe fulget præſente lumine Chriſti; exciteris formica, expergeſias noctu, operantis formicæ exẽplis lumine Lunæ, maiorũ patrum ſanctorum & veteris legis, & nouæ, Solis, ſtellarumque ſanctorum iuſtorum laborantiũ in Chriſto, iuſtitiæ Solis, Lunæque Virginis Deiparæ matris in lege gratiæ, ne dormias piger, te excita formicæ exemplo, quæ diu noctuque lumine adſtanti munia ſua exercet, exẽplo paruulorum Chriſti, te vocat in opera, excitatque Deus ipſe imitatione, ſuppetiis, auxiliis, vocibus, ſomnum, pigritiem abſolue, feſtina, age, quãdo conſurges à ſomno tuo? Eſt vita ſomnus; dũ enim expergiſcimur, excitamur ex ebrietate, potiùs ex crapula & ſomno, mortis tempore quam è vita diſcedamus, ſopore ſoluto, omnia figmenta noſcimus, ſenſuum illuſiones, ſomnia, inſomnia vana. Eſt plus minuſve in ſomno, eo om-

nes tenemur, siue experrecti, siue dormiẽtes, nec res quales sunt habemus, imò vt sensus effingunt, è quibus cognitio nostra procedit simulatè & fictè, apparentes, & vt sunt aliter, quando consurges è somno? quando expergisceris? somnum excuties, grauemque cataphoram? subdit. *Paululum dormies.* est vita somnus, breuis tamen, semper patimur. Galenus docuit 1. de sanitate tuenda, c. 7. Hippocrates de natura humana, continuò morimur, dum continuò viuimus, idem enim calor qui nos fecit, nos conficit iugiter, Isidorus super Amos lib. 3. *Nil fugacius sæculo, rebusque sæculi, quas dum tenemus, amittimus.* Gregorius in moralibus; *quot dies vitæ peragimus, tot passibus morti propinquamus.* Hippocrates 1. aph. aph. 1. *Vita breuis*; Paululum ergo dormies, quando toto vitæ tempore quiescas, & requiescere tibi in somnis videatur, vltrà nectitur, paululùm dormitabis, quando è somno exciteris, etiam si somnolentus & grauis, sensu renitenti, ad debita opera tete accingas, vita enim breuis est, labor breuis, præmium immensum, Deus ipse, paululùm dormitabis, & molestè feres labores, & vigilias, paululùm conseres manus, vt dormias, eo loci (dicitur) manus conserunt qui dormire intentant, eas plicant, vt calor increscat coniunctis manibus, & iniunctis, colligunt se, vt calore tracto & adaucto manibus, edormiant, vacantes ab opere, manus supra manum, vt vulgò dicitur: hinc dicitur eo loci, requiesces paululùm cùm vita sit breuis, labora ergo formicæ exemplo in rigidissimam hyemem, & mortis tempus, infrà ibidem hæc: *Veniet tibi quasi viator egestas, si piger dormis*; eo conatu quo vinitor defessus quietem quærit, & in requiem venit, eoque prolixè adeptam sedem tuetur, & tenet, requiescitque post longissimos factos progressus, conamine eo egestas

veniet,

veniet, requiescet, te quæret, & inueniet te. Vltrà nectitur eo loci: *Et pauperies, quasi vir armatus.* nescies quà possis pellere, aut superare potentissimam paupertatem, quà propellere, & propulsare; quà diuellere & offendere armatam vndique. Infrà: *Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua*, scaturiet messis; pullulabit quasi, vt non sit cum satione proportio; non secus ac fontium vndæ, & flumina fontes excedunt, è quibus emanant locis, oraque quibus erumpunt proportionem vltra, egestas longè fugiet à te, solùm supererit, vt te exerceas egestate, eruntque egeni, vt illis subuenire possis; longè tamen à te, nec tibi nocebit, aut molestabit dira pauperies, solùm adstabit, vtilis, & fœnerosa, diuesque paupertas spiritus, subditur: *non peribit egestas*, permanebit imò iis vsibus, formica, iam officiosissima in æstate, vt hyeme sit tibi reposita in reliquum corona iustitiæ, Paulus dixit, & alimentum. Quibus locus alter intelligitur capitis 30. libri eiusdem Prouerbiorum, dicitur: *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus, formicæ, populus infirmus qui præparat in messe cibum sibi: Lepusculus, plebs inualida quæ collocat in petra cubile suum: Regem locusta non habet, egreditur vniuersa per turmas, & stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Vbi vocauit populum formicarum congeriem, plebem lepusculorum multitudinem Spiritus Dei, persistens adhuc in exemplo paruulorum, quibus nos instituere parat, non secùs ac Matthæi 18. dicitur, cùm de primatu, & prælatura esset inter Apostolos contentio. *Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum; Quicumque ergo humiliauerit* 19

ſe ſicut paruulus iſte , hic eſt maior in regno cœlorum. Vbi Ieſus paruulos vocauit, in medioque Apoſtolorum, ipſiúſque Dei collocauit in medio, in centro, vt omnes lineas circumferentiæ orbis tenere creaturarum omnium intelligeretur, omniáque poſſidere in medio, in centro Deo ipſo, ſuúmque locum centrum illis relegaſſe, qui centrum creaturarum eſt, ex quo omnes illarum lineæ veniunt in eſſe, paruulos innocentes veredicos, vnius cordis, non duplicatos, verſutós, hóſque vocauit maiores in regno Dei. Paruulis ergo inſtruimur, vt conuincamur, ſi enim paruuli hæc poſſunt, & grandes non valent attingere, cur non parui & humiles erimus? imò cùm grandes ſimus per Chriſtum, membráque illius gigantis, qui exultauit vt gigas ad currendam viam ſalutis & redemptionis noſtræ pſalmo 18. cur non aggrediemur infernum, mortem, vitia expugnabimus, oppugnabimúſque hæc paruuli, gigantis membra in toto, in Chriſto, iniuncti, concordes, non diuiſi, diſcordes, iuncti imò, paruuli in Chriſto, magni gigantis partes? *Simile eſt regnum cœlorum grano ſynapis minimo,* paruulo, coloris tamen rubri, & ſanguinei, & albi, Chriſti ſanguinis, doctrinæque lactis albicantis intus, virtutis maximæ & vigoris, in caput, in Chriſto angelorum & hominum capite, eſt lex paruulorum & minimorum humilium gratiæ. Sunt magni ſæculi principes ſuperbi, ficulnea, & ſycomorus Zachęi, qui paruulis ſupponuntur, Chriſtum vt videant, & noſcant patiẽtia, cùm ficulnea non videat, ſunt magnatum conditiones elatio animi, deſpectus, iniuria, Ariſtoteles 2. rhetoricorum, *depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles;* radices committunt terrenis ſuperbi, caput ad aſtra ferunt; plantarum modo immobiles, terrenis affixi, ſoluta verò formica omnium, paucis contenta reptat,

raptat, & serpens cacumina eorum percurrit, sublimia & excelsa, passu lento, & pigro naturæ, despecta formica, paruula tandem caput eorum, & cacumina sub pedibus constituit, & tenet, minimum alioqui, & humile animal, paruulum. Iis mirabile conficitur argumentum in desidiam nostrã. Populus & plebs multis differunt inter se, populaiésque & plebeij homines. Populus enim officiosam notat rempublicam, legibus instructam, ciuilem, politicam, quæ communem habet viuendi rationem, instituta, & præcepta. In populo ordo erat antiquitùs, ibi enim omnis ciuitatis ordines continebantur, equites, patricij, nobiles, notat Liuius tertio ab vrbe condita. Est enim populus, multitudo, iuris consensu, & concordi communione sociata. Budæus docet, Aristot. 4. politicorum c. 4. vbi constituens differentiam inter hæc, inquit, populus est congregatio proborum hominum. Plebs verò est communitas, quæ gubernatur à populo, populares enim sapientes nobiles vocat, plebem, vulgus, ignobiles, ignotos homines. Populus præmio ducitur, plebs pœna; *Oderunt peccare boni virtutis amore: Oderunt peccare mali formidine pœna.* Horatius; vbi bonos etiam nobiles vocat, & intelligit, malos obscuros etiam & ignotos, non solùm vitiosos. Gellius l. 10. c. 20. & li. 5. c. 27. Plinius li. 13. c. 4. formicas quas ciuiles & ciues Aristot. vocauit, populũ vocat spiritus Deus. Diximus enim ex Aristotele suprà 1. c. 1. de historia animalium, ciues vocasse easdem. Columella lib. 9. c. 13. populum vocat apum, & formicarum respublicas. Plinius locis adductis, Ælianus, Plato, & reliqui quos adduximus suprà, ciuitatem, & politiam vocitant formicarum communitates. Infima verò plebs appellatur lepusculorum, quod sine principe viuant & capite, sine

ſine rege, & duce, faciléq; vulgus, monſtrauimus anteà, vbi caput deficit, robur, firmitas, vires deficiunt, deſunt. Ideóque infirma communitas, populi continentes nihil, nec communis eſt labor, in bonumve omnium ciuium cedit opus, plebs imò rebellata, non populo ſubdita, & morigerata, grex; qua nil quod in bonum commune cedat, perficitur. Matthæi 8. *Erat autem non longè ab illis, grex multorum porcorum paſcens, dæmones autem rogabant Chriſtum, dicentes, ſi eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis; ite, & illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare.* Et ſi per metaphoram, & grex hominum compelletur. Ezechielis 36. cap. dicitur promittente Deo præmia populo obſeruanti mandata: *Hæc dicit Dominus Deus, adhuc in hoc inuenient me domus Iſraël, vt faciam eis, multiplicabo eos ſicut gregem hominum, vt gregem ſanctum, vt gregem Ieruſalem, in ſolemnitatibus eius, ſic erunt ciuitates deſertæ, plenæ gregibus hominum, & ſcient, quia ego Dominus.* Similitudine enim paſtoris & gregis ouilis vocat hominum conſortium gregem; dicitur enim Ezechielis 34. *Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis.* Suprà verò de Chriſto eodem capite: *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtorem vnum.* Hac ergo ſimilitudine grex hominum vocitatur. Formicarum ergo populus infirmus ſapientia excellit, quòd paret in meſſe cibum ſibi, quod multi ſapientes non parant, nec præparant prouidentiæ defectu; tunc imò præparare incipiunt ſapientes ſæculi, cùm deſinunt eſſe ſapientes, & fiunt paruuli, minimæque formicæ, quæ ſine duce, & rectore, capitéque proprio ſui ordinis gubernantur ſolùm, naturæ conditore Deo capite, proſequentibus vt par eſt illis. Non ſecus ij, quando propriam ſapientiam abdicauerint, ſine proprióque

capite

capite vixerint, capiti Christo subditi, non ducibus sui generis addicti solùm, hominibus imò, vt ius habent, legem, potentiam, clauésque imperij acceptas, gladios, vt non formicis formicæ subsunt imperio, non hominibus placentes, dixit Christus, tunc præparabunt cibum in messe, fructus tempore, frugémque copiosam, aliter ieiuni, fame & egestate oppressi discedent dira inopia. Est sapientibus sapientior formica, quæ proprio capite non gubernatur, iusti & humiles non reguntur capite proprio, Christo imò capite, vero Deo & homine, cuius caput Deus est. Paulus 1. ad Corinthios 6. c. *Caput Christi Deus.* Secundus sapientior sapientibus lepusculus est, plebs inualida, timida, vt vulgus est natura timidum, plebeiiq; homines; Iuue. sat. 10. *Turba tremens sequitur fortunam semper, & odit.* Seneca in Hercule furenti. *Illum populi fauor attonitum, fluctúque magis mobile vulgus aura timidum voluit inani.* Claudianus sic. *His dictis pauidi firmauit inertia vulgi.* 2. Regum c. 26. vbi principes, & magistratus priùs hospitarentur, *posteà in circuitu vulgus,* inquit spiritus Dei, *distributum est.* Plebs ergo & si notet vulgus, tamen & populum significat significato communi, omnémque populum, principe tantùm capite excepto. Exodi 11. dicitur Mosi; *Dices ergo omni plebi.* Sine capite enim plebs est; erat caput Moses, quasi diceret, *omni populo.* Plebs ergo inualida lepusculorum in petra collocat cubile suum, firmam & stabilem sedem rimatur, rupum foramina quærit, & colit, aut intra lapides cubile constituit, non subterranea, obscura, & tenebrosa loca petit, rupum imò fracturas, & sinus, vt tutus viuat, & malum possit præcauere, & vitare à longè inspectás, circunspectánsque versus omnem partem, quo fugit cauernas, & loca profunda lepusculus, in petra cubat,

quæ

quæ cùm nil germinet alienum infestis animātibus, non victus causa, in petra disquiritur ille, cùm sint paulò destituti lapides, cuius sunt animantia sollicita; hinc securus excubat sicco, tum quòd lapidis frigore excitetur à somno, duritie & siccitate cubilis; exterius enim frigus irritat, expergefacit; quò colligimur, dum somnum conciliare nobis volumus, vt calescamus, & contegamus nos pannis, cooperimentis calorem moderatum inducentibus extrà. Vt ergo excitetur è somno, & vigilanter dormiat, non alta consopitus, & graui cataphora, in lapide locat cubile suum. Christicolæ vt efficiunt, lepusculi inualidi, in petra. *Petra autē erat Christus*, imò in foraminibus petræ inhabitēt. Cantic. 2. c. vt sint columbę felle & bile, & passionibus immunes, irascibilis quæ in cōsortium concupiscibilis non trahatur, petra refrigeratis affectibus, & extinctis. Lepusculi ergo aurium lōgissimarū, Christi asseclæ, auditus acerrimi fidei, in petra collocēt cubile, vt nō veterno, aut lethargo graues, sic agiles imò, vt somnum excutiāt facilè, rerum apparentium idola & somnia præcaueant, & aufugiant, ne eisdem somno consopiti capiantur. Sapientior est ergo lepusculus sapientioribus doctorū magister. *Locusta non habet regem, & egreditur vniuersa per turmas suas*. Gregalis est locusta, non ciuilis, eo à formica dissidet, quòd hæc in bonum commune opus moliatur, labórque communis cuiusuis sit, non sibi tantùm consulit, priuatove bono, non vt Petrus, qui cùm adhuc expolitus nō esset, perfectúsq; omnino, vsque dum Christo petra factus, est petra Christum imitatus, altissimi ædificij, Ecclesiæ basis, & caput gloriam Christi cùm vidisset in Thabor, vbi negotia omnium cùm exerceret, redemptionísq; totius causa cùm ageretur, & ad hoc cōsiliarij omnes, Elias, Moses,

ſes, Petrus, Iacobus, & Ioannes ſimul cũ præſide Chriſto cõueniſſent, cõmunia vt tractarẽtur negotia ſalutis mortalium. Matt. 17. c. dictũ erat 16. oportere eum Ieroſolymam ire, bellumque inire cũ morte, dæmone, inferno & peccato. Cùm verò vnus eſſet ex conſiliariis ille boni communis, ſibi indulgens, bonum ſibi conſulens, Chriſti gloriam admiratus eo c. dixit, *bonũ eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula*; in mõte hoc, ne ad vallẽ lachrymarũ deſcẽdamus, totius reipublicæ negotiis omiſſis. Quinque erant, & tabernacula ſolùm parabat tria, politicus, prouidus, aliter ac formica minima, quæ negotiis cõmunibus cõſulit, & prouidet reipublicæ, ſui oblita, quò eſt ſapiẽtior ſapiẽtibus, quæ & fecit Petrus, perfectus iã vir factus in virtutis progreſſu, gladio, morti qui ſeſe obtulit, vt Chriſtũ defenderet, tueretur que, caputq; vt obſeruaret, & ducẽ in commune bonũ; at hæc Dei erant, illa Petri. Locuſta grex eſt ſine rege: nam etiam ſi formicæ regem non habeant, nec extrà in laboribus, nec ſuis domiciliis contentæ dũ viuunt, cùm habeant apes, dum tamen bellum gerũt, aut per loca inuia iter facere tenẽtur, fruges vt cõgerant, ſeniores exploratores immittunt priùs, creatos numero plebis, & populi, quos poſteà populus ſequitur omnis, in formicinis legionibus eſt videre. Sequuntur enim omnes præcedentem vſque ad primã quã vniuerſæ inſequuntur ordine, poſtquàm verò in cauernas rediere, ceſſat primatus ductuſque populi. Ælianus lib. 2. c. 43. ſic. Cùm ad pabulandũ proficiſcuntur, natu maiores omnes alias conducunt. Duces aliarũ, nõ veri, imò ductores, quibus & vnũ opus, & eadẽ actio eſt præterquàm ductus in locum deſtinatum, quæ vt ad ſegetes perueniunt, & pabula, iuniores ſub ſpicula adſtãt, duces aſcẽdunt ſpicas, inferiori-

bus disiiciunt, reliquæ aristas amouent, grana excutiunt & euaginant, reclusaque explicant. l. 2. c. 25. sic. Aliæ ad legenda grana eunt, aliæ onus portantes redeunt, ac summo cum honore, & modestia, aliæ aliis de via decedunt, laborum ac periculorum constituūt seniores formicas formicæ exploratores, quæ ipsis præsint, & adducāt in meliora pabula, nō duces quorū imperio subdantur, communes imò in labore, nō imitatione duces aut regimine, sed ductui solum priores habent, non opere ductores, omnes imò seducunt, secus ac apes quæ rege reguntur, ordinanturque omnes, instruuntur, puniuntur, præmio afficiuntur, edendi pro tempore mella, rege imperātur, opere, & labore immuni, & libero, formicæ verò sedulæ omnes, officiosæ, diligentes, sine rege, duce, & præceptore sui ordinis, autore naturæ, ducēte instinctu solùm, gubernāte illas, nō ductæ primatu, & prælatura, communes in opere, quæ non aliter ac grues vnā constituunt, casu quæ ducat alias, quæ & præliatur pro aliis, constituta semel, anterior quæ antecedat, quæ & vigilet noctu aliarū ductor, custodiaque vigil non præceptor, rex, dux, prælata aliarum, opere imò eodem sodalitatis, euigil, semperq; antecedens aliqua, sic & formicæ consortio, sodalitioque, vinculo amicitiæ præsunt, amicitia, non præeminētia, opere iugi, pro quibus non præliatur, vt belligeratur apū regina pro apibus, veri ducis officium, in formicis secùs, sine duce, principe & magistro aliquo, quibus non duces, ducentes imò creant, non ocio, quieti, luxui, discriminibus imò, periculis, laboribus relegant. Negat enim Scriptura sacra imperio subiici, citra imperium imò alicuius consueta munia exercere, cibumque in messe colligere, sine lege imposita maiorum, exire è cauernis in consueta munia, debita sibi

ſibi opera, proſequíque conſortij lege ſeniores, expertos, modeſtos, venerabiles, locuſta verò, nec duces proſequitur, nec regem habet, at per turmas egreditur ordinatè, & diſtinctè, nec primo loco conſtituitur aliqua, omnes imò ſine diſcrimine peruolāt, quas ſors obtulerit, ſine diſcrimine aliquo, aliæ inſequuntur citra aliarum inuidiam, aut æmulationem, citra negociationes & ſolicitationes, vt reſpublicæ plurimæ caſui & fortunæ, ſortibuſque imperiū, & iuriſdictionem committunt, ex omni populo reges, & duces, magiſtratus, officia, eoque ordine gubernantur diſertiſſimè, & regula, vt quilibet ſuum locum obtineat, nullus excedat, ſeruet imò ordinem debitum, & conſtitutum ſemel, vt ſeruat locuſta ſine rege, aut duce, poſitionem & regulam cum aliis per turmas diſtincta. Priùs Chriſtus (ea eſt ordinis dignitas) Matt. 14. ordinare iuſſit turmas, quàm alimentum illis impertiret; ordinantur priùs locuſtæ, pòſt ad meliora pabula accedunt. Locuſta ergo ſine rege naturæ inſtinctu ſe ordinat, dirigiturque diſertè nimis; quo ſapientior ſapientibus iudicatur, non ſe ſibi committens, & credens, non ſe dirigens, ſuive ſimilibus; natura imò ſuperiori, altiori ſapientia. *Generationem eius quis enarrabit?* Iſaiæ 53. Eius regis quo dirigitur & mouetur, ſumuſque & viuimus. Paulus ad Philippenſes 1. hinc eſt ſapientior locuſta ſapientibus.

De Myrmecoleone ſerpente.

CAPVT V.

IOb. 4. hæc: *Myrmecoleó periit, eo quòd non haberet prædam.* Etſi Bibliorum interpres legat tygris. 19

Non deest officiosissimæ formicæ prudentissimæque alioqui, miræ solertiæ, & ingenij: contrarium callidissimum versutissi mumq; natura Leoformica, formicaleonque nomine animal seu Myrmecoleo, à Μυρίον Græcis, Latinis minutum, multitudove, & λέων, Leo, quòd Leoni ore assimiletur gressibili animanti: vnde Myrmecoleo dictum est animans, quòd formicas, non secùs ac Leonis ore, elingat, & absumat, formicæ species, eiusque naturæ, formæ, & conditionis, illis multò mole superior, scarabei instar, producti, teretis, præcinctæ & insectilis compagis. Cõgenerem deuastans familiam, & formicas affines, non secus ac crabro vespas, & alia consanguinea animãtia plurima alia, dum onera gestant, defessas formicas circa cauernas expectat, iam iam labori finem & defatigationi impo situras, è longoque itinere, & tractu, vbi requiem, solatiumque operis sibi iure pollicebantur, illis insidiatur puluere abditus, ore solùm aperto, & hiescenti, vt cauernam subire ratas, propriumque domicilium, gliscat, ingerat, deceptaque animalcula vafritie, & dolo, impudicum animans cognatam progeniem vastet, & deuoret. Plinius lib. 30. cap. 5. Hinc eo c. Iob. dicitur; *Mirmecoleo periit, eo quòd non haberet prædam.* Cùm enim eo loci Eliphaz consoletur Iob de miseria & calamitate, aduersisque rebus, nunquamque Deum immittere innocentibus flagella, nisi in maius emolumentũ, commodumq; maius suadeat, vltrà & peccatores conterere, & iniustos, pœnisque grauissimis affligere, nocua & aduersa à iustis vitare & auertere confirmet, leones fortissimos in fugam conuertere, ne iustos offendant, leænas, dentesque catulorum leonum cõterere ibidem certò renuntiet, ne in sontibus officiant, subdit; *Myrmecoleo periit, eo quòd nõ haberet prædã,*

Dei

Dei robore, potentia summa periit, nec formicas gliſcere potuit, recta inſequentes Dei ductu, in puluerem & terrena non declines, aut vana ſectantes: lapidem imò & petræ viam Chriſti, cui innixæ ſolido & firmo Chriſtique robori, ſecurè incedunt. Abditumque puluere Myrmecoleonta, puluere noſtræ carnis abditum, quæ ex puluere eſt, fugiunt, & vitãt, illum cognoſcunt, & illudunt granis onuſtæ in petra Chriſto, puluerẽ vitantes, quo abditur ille. Ad finem Martij eueniunt hæc animantia, oriunturque ante formicarum aduentum æquinoctij ſtatione. Vidimus imò hos cõmuniter cinerum die emergere, cineris puluere abditos, eodem tempore quo alij in formicas erumpunt, compuncti, & ſubmiſſi Chriſticolæ, fucatos Myrmecoleones ſimulatos, fictos, ſub puluere ſacri cineris occultos deglutientes crudeliter ſimplices formicas, *vt videantur hominibus ieiunare exterminantes facies ſuas*, tum & fucatas fœminas, comptas, luxurioſis veſtibus ornatas, vanitate & luxu, ea die, ſub cineris puluere latentes, vt iis captent doloſè incautos callidi Myrmecoleones, vafri, aſtuti, qui puluere inſperſi, onuſtas pœnitentiæ pondere formicas diſtrahunt, & gliſcunt: arcentur formicæ cinere inſperſo, vt hinc ea die homines frænet Eccleſia, retrahatque à ſemita iniuſtitiæ, cinere inſperſo humilitatis, cognitionis propriæ puluere, meminit præſentium verbo illo, *homo memento quia cinis es.* Præterita renunciauit; Eſt enim homo formatus de cinere, & puluere, & in cinerem reuerteris, futura denunciat, quibus vniuerſa hominis continetur forma, & viuendi ratio, & non ſecus atque ſpecula cinere confricamus, & detergimus, vt clariora, certioraque euadant, maculis deterſis, cineris empyreumate, & ignitione examinatis, ignis reſtinctione, cinere ſuborto,

ſic eo vitæ humanæ inſpergimus viam, diſcurſum, vt clarior anteactæ vitæ decurſus emineant, viuendique modus innoteſcat, & norma limpida & pura, igne concupiſcentiæ, & paſſionum extincto; hinc cineris eo primo aſpergimur die: non ſecus ac Daniel 14. c. templi pauimento cinere adacto manifeſtauit, confuſione & veſtigiis ſacerdotum idololatriam Beel idoli, eorumque blaſphemias, & abominationes reſerauit, illoſque non minùs ediſſe cum familia, quæ Beel áffirmabant deglutiſſe Deum, ex veſtigio cognita cineris aſperſi, cinis eo die inſperſus veſtigia oſtendet, & inceſſus quales fuerint, & ſint, eoq; in cinere ſignabũtur opera, vt ſit cinis illis ſemel ſuſceptus, ſpeculum in quo conſignentur acta quæuis veſtigiaq; mortalium hoc ipſo cinere iudicẽtur ſuſcepto, efformato ſuis actibus formaq; viuẽdi. Suſcipiunt enim cinerem, ac ſi picturæ tabulã exponerent ſuorum operum, ſpeculumque, in quo elucerent illa, vt pictores cinere priùs lintea illiniunt, & tabulas infarciunt aqua immiſto, quàm delineant colores, vt impenſiùs reliqua ſe exerant, manifeſtenturq; ſuper cinerem. Formicæ ergo arcentur cinere, & frænantur eodem inſperſo, ne incidant in fauces Myrmecoleonis, ne declinent à via recta, ſi cinis lachrymarum aquis contemperetur, lixiuium efficaciſſimũ emerget, quo maculæ omnes extirpabuntur vndique. Iuuat cinis fructum ficulneæ infœcundæ & tardæ nimis; tardos vt iuuat, & infructuoſos, cineris conſideratio, quò tam in ſacris litteris, quã in gentiũ hiſtoriis legimus, ſuper capite cinere ſparſo, pœnitentiam notari, cuius intuitu & ſtatum præſentium contemplabatur homo, & præteritorum recordabatur, nõ minùs, faſſus ſe cinerẽ eſſe præſenti eſſe, erraſſeq; cineris inconſtantis ſobolẽ futurorũ finem,

ſeque-

ſeque in puluerem eſſe redigendum: quibus & contritio, pœnitentiaque erat præſentium ſatisfactio & præteritorum, futurorum præcautio & præuiſio. Iis veniã vt cõſequerentur, hæc in cinere euoluebantur, vt ignem charitatis conſeruarent, & tuerentur. Meritò hinc cinere & cilicio pœnitẽtia agebatur; cilicio enim quales fuerimus, notatur; veſte illa rudi, & inconcinna quam ex peccato primi parentis induimus notata, cõfitentibus culpam & veniã petẽtibus cineris præſentia, quę pœnitẽtia, & pœna cõſequitur. Aurũ cuſtodiunt formicæ Indicæ, quòd ſit cordis affectibus vtiliſſimũ, ingeſtum in ſcobes, & puluerẽ diſtractum, redactũque Chalybis more, exhilarat animã, lætificat, recreat, exſiccat noxios humores, & abſumit, caput roborat, ſtabilit, deobſtruit penitiſſima quæque corporis, & viſcerũ, reſerat omnia, Chalybe melius, miſtionis noſtræ glutinũ, quo dẽpto exoluitur miſtio; cõfirmat & integrat, reponit. Aurũ potabile manifeſtat chymicũ, omnibus pretio habitum; aurũ in tantum mortalibus, quòd luminis plus ſuſcipiat metallis reliquis, ducatur facilè, formetur, tractetur, in vſuſque humanos redigatur negotio facili, modo in fiala tractum celebri, qua non deeſt miſcella depurata, & illuſtri, in ſtamina & minutiſſima quæque, luminis ſuſceptu, ſimilius ſupremis corporibus; Hinc enim æſtimãtur gẽmæ, lapides, margaritæ, adamãtes plus & reliquis, & quæ plus lucent, ob raras imò & grãdes virtutes, dotes, & facultates. Imputridum eſt aurum natura, incorruptibile quaſi, ſeſe manifeſtat lumine, & prodit inuitum omninò, ſeſe abſcõdet imò, quòd mortis, excidij, ruinę ciuitatum, regionũ, hominũ, extiterit cauſa, incendij, ignis, ferri, vt palleſcat timore tãtarum ſtragum, & pertimeſcat cõ tinuò auaros: natura ſeſe prodeũte, & palã faciẽti

lumine innato, quo ſimul cœli influentias ſuſcipit altas & mirabiles, vt luce media impertiat & diſtribuat aliis,ſuoque lumine exerat,vt & lucida,pretioſa,aliaque geſtamus, ingerimus in pollinẽ acta,& pretio tanto habemus,vt hinc hiacynthorum, margaritarum, ſmaragdorum, auri pollines egliſcamus, aliorum & aliorum medicis auxiliis, & medicaminibus paratis; hoc percitus palleſcit timore,ne arreptum ſolicitè, in carcerem auaritiæ obcludatur, vt cùm lumen natura expetat,luceque emineat, priuetur lumine perpetuò innato,& inſito. Hinc cùm lumine ſplendeat natura, animantibus etiã expetitur, quæriturque illud,cura & ſolicitudine nimia, quòd lucida amẽt & proſequantur animantia:Piſces hinc noctu congregamus lumine,perdices,reliquorũ plurima,& ſi alia fugentur lumine noctu & diu.Formicæ ergo Indicæ nigrę,& albę,quas docet Iſidorus 12. etymologiarũ,& Solinus in polihiſtoria c.27.magnitudine canum inueniri, vt anteà diximus,aurum recondunt,quod luceat,eoque delectetur natura,hoc imò recõdunt, vt hominũ vitent rapinas, incendia, & mortes,ſtrages,hominum boni ſollicitæ, quæ nec ſufficiunt adhuc,vt auri ſacra fames ceſſet, diraque cupido.Illud mirabile in auro eſt præter omnia quæ virtutem agẽdi ſunt in natura nacta, quòd omnibus tunc opituletur magis,& ſubueniat,quãtò remotius eſt,& diſtans magis,nouiſſimum naturæ efficiens, & agens mirabile,quod quando remittitur,maioris eſt vſus,retentum neceſſitati nulli ſubueniens,proficuũ magis quanto remotius, mirabilis auxilij virtus, eò imò venit auaritia,numiſmata vt confingant circularia nõ figuræ alterius, vt omnes capiãt circulari forma,numoſq; omnia in ſe cõtinere vt oſtẽtent, capaces,circulares,idolorum inſtar crediti, æternitatis figuram,

guram, diuorumque continentes circulum, indicatos Deos mortalium cupidine, quos fatentur habere tales & æternos forma. Ælianus de formica l. 1.c. 23.Sapientior est sapientioribus Ægyptiis formica & Chaldæis,quæ cũ digitis numerare nesciat, infaustos dies sciuit numerare,obseruareque & custodire : cognoscit tempora,mutationes præsentit,vt sit signum certissimum tranquillitatis temporum, fruges exponere soli nouit, exsiccētur vt humefactę priùs(patet suprà.)Tum & Stellio sapiētior sapiētibus est,eo loci,de quo c.sequenti.Sunt venenosæ & virulētę formicæ natura,quibus morsus est debilior reliquis, at maius venenum,malitia,& virus, quæ cor frumenti erodere tentant semel aggressę caulem,& stirpē,quę cũ nō possint exedere,cor aggrediuntur, medulláq; frugum,& cùm neq; in hæc possint, triticũ remittetes,aliis frugibus victitant,tumidæ,flatuosæ,turgidę, virulento humore plenæ,flatuoso, quæ cognoscuntur inflatione & turgentia, colore rubro, rubricantive corporis crassitie immodarata. Dictæ μυρμήκοτες Græcis, formicones Latinis.Aggressus est Christi diuinitatem dæmon, infernus, cor Christi, granum frumenti, Christum, sic ipse compellat se Ioannis 12.capite iis: *Amen dico vobis,nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,ipsum solum manet,si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; spicam enim corporis mystici produxit, mortuum granum Christus;omnes resurgimus cum illo, in quo sic oportuit Christum pati, & mori. aliàs solus perstitisset,quò ibidem dicitur:*hoc autem dixit, significans qua morte esset moriturus*.Morte scilicet, qua in alto virgæ crucis spicam afferret fructus omnium. Cor huius grani impetentia cum morsibus lacerare non possent, medullamque diuinitatis, tunicam & tegu-

 men

mentum dilacerarunt, corticem eroſerunt, corpus, humanitatem, caule intacto potentiæ, & miraculorum, quo germinabat, & in cœlum ibat, quibus relictis, impotentiam propriam faſſa, non frumentum, frugum imò aliarum ſemina expetiere, quibus alerentur, non ſpicæ, Chriſti grana, non iuſtos, non triticum, hordeum imò, irrationales beſtias, brutoſque homines. Adfuit granum hoc in prẹſepio expoſitum mortalibus, Chriſtuſque ipſe triticum, vt eo inuitarentur, allicerenturque homines, cùm mores beſtiarum tũc gererent. Tales enim erant ante Chriſti aduentum, & ad præſepium cum cõfluerent beſtiarum inſtar, præſepiaque ſolicitarent concupiſcentiæ propriæ, ibi legibus & inſtitutis granum ſalutis, cibumque ſalubrẽ, panem Angelorum vt inuenirẽt, viſceribus Virginis Deiparæ depuratum, ſubactum ſpiritu Deo, fæcundo Patris intellectu excuſſum, coctum charitate, ſpiritus igne. Cùm ergo granum hoc excedere nequiuiſſent, rodere, lacerareve caulem eius, abditum adhuc in cauernis mortis & inferni contentũ, pullulauit propria virtute, aſcenditque in cœlum ille qui deſcendit ad inferos in triduo, in terræ cauernis, & mortis regione obtentus, in inferno, & ſepulchro, erexit ſe. Hoc tanto alimento deſtitutis iis venenoſis formicis, quæ proprio veneno dẽtes ſic inficiunt proprios, & lacerant, vt decidant, fluãtque, virulagine ſumma corrupti, cõſiſtentes iis minùs ob cruoris malitiam, granum vt comminuere non poſſint, contereréve, vt panem conformare eo attrito tritico Chriſto paſſionis tormentis non valeant, quod poſſunt reliquæ puſillæ & minores, hocque poſſunt terere granum, & atterere, *attritus eſt propter ſcelera noſtra*, Iſaiæ 53. Contritione ergo attritum granum hoc lachrymis efformemus, vt in nos panis

ſuper

ſuperſubſtantialis veniat Angelorum. Formicaleon, aut Myrmicoleon, de quo Iob c.4. fit mentio, vt exponunt ſeptuaginta, & ſi Hieronymus Tygridē legat, aptiſſimum eſt hypocriſis hieroglyphicum, qui ſe puluere abdit pœnitentiæ fictæ, vt gliſcat ſimplices formicas, onera geſtantes, debitúmque alimentum lingua facili, exporrecta, verſatili, oréque volubili, hianti, domicilium proprium dum ſubire machinâtur, quietémque ſibi accerſere, dolo, ſimulata lingua, decipiuntur, ore vaſtanti, mors vt ſequatur, excidiúmque. Hæc verò quando non via recta itant formicis accidunt, ſi à petra recedant Chriſto, viáque trita, & expedira, cùm per lapides iter faciant continuò, vel longè à puluere ſaltem, cum illo, vt diximus, ſummergantur, quo minùs poſſint inniti motui, inconſtanti puluere in quo occulitur Myrmecoleon; eæ enim ſic quæ cedunt ſine periculo iter perficiunt, reliquæ etiam ſi propriis officiis occupentur, & debitis in os incidunt Myrmecoleonis, quòd non ſequantur maiores & ductores, diſcedant imò, & declinent à via, ſe ipſos proſequētes, non ducentes, non rectores. Eſt ea obedientiæ vis, vt qui ab hac diſcedunt, etiam ſi geſtēt onera religionis, reguláſque, ſi ductui maiorum non acquieſcant, & vt ordinantur ab illis, non cedant, adhuc granum aſportantes, vbi requiem præmiúmque ſibi pollicebantur, in dæmonis os incidant, Formicoleoníſque fauces, quæ proprij domicilij figuram ſimulatè repræſentabant & formam, cauernámque propriam ore dehiſcenti, & aperto voraci.

De Stel

De Stellione.

CAPVT VI.

21 LEuitici cap. 11. hæc: *Mygale, & Chamæleon, & Stellio, & lacerta, & talpa, omnia hæc immunda ſunt.* Prouerbiorum verò 30. citato hæc: *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* vbi poſtquàm tria minima ſapientiſſima numerauerat ſpiritus Deus, quartum nectit, & poſt Formicam, Lepuſculum, & Locuſtam, enumerat Stellionem, qui cùm ſit reptilis natura, lociſque adductis cum formica enumeretur, meritò poſt ipſam ordine venit. Stellio Latinis, quòd maculis ſtellis perſimilibus tergora euariet verſicoloribus, vocitatur Græcis γαλεώτης, vulgò *Tarantula.* Hic rore veſcitur, & araneis animantibus; cutem quotánis exuit, deuorat exutam, inuidens homini, comitialis morbi remedium generoſum, & pergrande præſentiens, cuius morſus non raro hominem interimit. Abiitque ideo nomen Stellionis in maledictum, quòd tanto priuet mortales dono; in eos qui liuore & odio proficua aliis, ſibi inutilia retinent, auari, ſtelliones dicti, ideo iactatum, dicitur verò à γαλιάω, id eſt, laſciuio, quod ſit ſalaciſſimum animans, ex Græco ὦτα ſeu auris, quòd acerrimi auditus ſit, quaſi laſciuiens, auditus, auriſve laſciuia, hi non differunt ab iis quæ vulgus Hiſpano idiomate *Salamanqueſas* vocitat; & ſi noſtri ſint veneno remiſſiores aliarum regionum ſtellionibus. Sunt Græcis alij dicti ἀσκαλαβῶτες & Aſcalabus ἀσκάλαβος, Stelliones tranſmarini Plinij. Videre eſt lib. 30. c. 18. forma diuerſi ſatis à Stellionibus dictis, figuram

ram enim phalangiorum Aranei retinent, variegati stellis, puncturisque aliquibus, quos vocant Itali frequentiùs *Tarantulas* veneni atrocissimi, ab ἀσκαλος Græcis, circulus Latinis, & λοβὸς lobos, id est, infirma auricula, quasi circulus infirmæ auriculæ, quòd circulo agatur, dum audire tentat, contrà ac reliqua serpentia, quæ caput erigunt, vt meliùs sonos suscipiant factos, vocésque editas: tum quòd auditorij meatus sint illis omninò circulares, ideo ascalobos Græcis appellari consueuere: tum κολώτες Colotes, detruncatus nobis, quòd formæ sint quasi decurtatæ, non ad proportionem porrectæ, primò corpore ampli, protensi, secundò breues & discissi natura, lentiginosi, stridorísque acerbi, in cauernulis dehiscentis terræ æstibus inhabitans, olim Italiæ incognitus, nũc qui in Apulia frequens visitur, Scorpionib. adeò cõtrarius, vt ab eis visus, pauorẽ & obstuporem cõcipiant, Plinius lib. 30. cap. 18. Aristoteles 8. de historia animalium c. 16. vbi de quadrupedibus animantibus sermonem iniit, sic de Stellione scripsit: Vere & autumno, quando ingrediuntur cauernas, & egrediuntur, animantia mollis cutis senectam exuunt, vt patet exemplo Stellionis, lacerti & viperæ, quæ primò ab oculis nudantur, vt videantur obcœcari eo tempore, huius rei ignaris, oculosque deponere hæc animantia; imò à capite cùm exui incipiant, spatio vnius diei, & noctis integrè nudantur, & cap. 15. sic: Stellio mensibus quatuor frigidissimis latet, nec per id tempus alimento vtitur; libro 4. c. 6. Fœminæ in genere Stellionum maiores, fortiorésque sunt maribus; in pedestribus enim sanguineis viuiparis mares fortiores, maiores, longioris vitæ, at in pedestribus sanguineis ouiparis, aut vermiparis, id est, quę vermẽ pariunt, aut in non pedestribus, sed apedibus ouiparis,

ris,aut vermiparis, fœminæ & fæmellæ maribus maiores;solũ enim mulorum genus in pedestribus sanguineis viuiparis,maius est fæmellarum, maioresque multò mulæ fœminæ maribus. Stellio ergo sanguineus est,pedestris,ouiparus,oua excubat figura,colore,substantia talia,pedestris quadrupes, 6.de historia c.5.magnam stellionis & aranei pugnam narrat Aristoteles inimicitiamque maximam, & antipathiã iis adesse promulgat:Stelliones tum & araneas vorare duello facto recenset,& victores euadere. Plinius l. 11.c.26.Chamæleonũ Stelliones quodammodo naturam habent,rore tantùm viuentes & araneis,Cicadę instar,illis vita similis,cantus & stridor, perpetuò strident dentibus,acerbéque intonant, qualiter Cicadis inest concentus.Sunt cantus illorum ęmulatrices,victus verò instituto Chamæleonum,hos stelliones vocari diximus, quòd tergore stellis variegata retineant.Verrius apud Festũ,quòd virus stillét ore frequenter, stelliones dici sustinet l.11. c.25.Plinius inimicitiã, repugnantiam maximam adesse scorpionibus,& stellionibus edocuit. Scorpiones oleo frixi, ictibus stellionum sunt maximo remedio, & contrà stelliones scorpionibus,& cùm scorpiones solũ animantia icãt sanguinea(c.de scorpione infrà,) stelliones qui lacertis assimilantur,non petunt, quòd paucissimi sanguinis sint,torporem imò & pauorem eis incutiunt,& inferunt grandem.Vocatur etiam lacertula stellio, quòd lacertæ sit omnino similis prætérquàm magnitudine,veneno, & caudæ amplitudine, quæ stellionibus insunt,stellisque cutem euariantibus. Adsunt & nobis, cum cauda oblonga sine viru, & stellis, vulgares lacertulæ,tãtùm magnitudine variantes à lacertis picturaque macularũ,coloris veneti & cinericij. Lacertis varia nimis coloribus variegata,

ta, caudaque longitudinis productæ nimis lacertulis iis quæ inest, *lagartiias* vulgò, dentibus vltrà non pectinis modo, nec cauis, vt lacertis adstant, quorum recipiuntur quidam in quosdam, solidos imò omnes coniunctos, serratos, exertos. Stellionem vocauit Dioscorides l.2.c.58. sepam Chalcidicam. Serpentes quosdam nos esse hoc nomine insignitos monstrauimus suprà *seps*, quòd exedat morsu: & veneno carnes putrefaciat σήψ, seps, Græcis putrefacere est: Chalcidica quòd linei coloris, Chalcitis æris scilicèt lucentis cupri, eluceant tergora. Est Chalcitis lapis, ex quo æs trahitur igne. Vocatur stellio Hispanis *Salamanquesa*: Latinè enim salamandra alia est, speciesque lacerti, c. de lacerto infrà, quæ est apud Ætium seps Chalcidica, serpens sine pedibus, quam serpentẽ cõstituimus antea diuersam à sepe Chalcidica Dioscoridis; hæc enim pedestris est. Stellio est *Salamanquesa* Hispanis, Italis, & Hispanis *taramula*, & si tarantula venenosæ nimis naturæ & fœtidæ, putrefacientis exedentisque, Italię communior aranea sit, phalãgij aranei species: morsus venenosus plus minusve, vt venenosa omnia & deleteria pro regione & aliis climate cœli, statu, tempore, alimento vt euariant. Plinius libro 30. cap. 6. de stellione lacertulo hæc: Stellio transmarinus, capite ablato, & intestinis, decoctus in vino cum papaueris nigri denarij pondere dimidio, eo succo, bibitur ad lumborum dolores, hosque eosdem vesci amputatis capite & cauda, exenteratisque visceribus & spinis, ossiculisque contra epilepsiam decoctis oleo & sale cum anetho more auguiũ. Nostri verò tantæ sunt malitiæ, vt casu cibis permisti, integros populos vastauerint. Circa Complutum Hispaniæ contigit, casu quodam in ollam delapso, vbi communis parabatur cibus, in sponsalibus cuiusdam viri

viri nobilis, loco *Villamalea* populum integrum depopulari. Antiquitus Italis incognitus, Stellio venenosus morsu, aliquibúsque regionibus, vt Aristot. refert 9. de historia. c. 29. & si notissimus aliis Apuliæ, & præcipuè Neapoli, qui etsi stellionem tarantulam vocent, lacertæ persimilem non minùs tarantulam compellant araneũ phalangij speciem infrà c. de araneo. In Sicilia innocuus est stellio, lacerta communis nostra locísque aliis. Indicis lacertulis stellionibúsq; trãsmarinis vtimur, & si aliis phalãgio similibus nullibi possimus vti, nec Indicis tamen, nec aliis lentiginosis & acerbi stridoris : vescimur impunè paratis modo dicto, aliis anetho, oleo & sale incoctis, vt de viperis dictũ est. Si in vinũ inciderit, aut suffocetur, vinum ebibitũ stellione imparato, priùs modo dicto, faciem refert pustulis, maculísq; vndique. Plin li. 28. c. 4. vbi hæc continentur. Scorpio tritus stellionum veneno aduersatur; fit enim & è stellionibus malum medicamentum, nam cùm immortuus est vino, faciẽ eorum qui biberint, lentigine obducit, ob hoc in vnguento necãt eum, qui dehonestare & fædare aliorum facies parant, insidiantes pellicum formæ. Remedium est oui luteum, & mel, ac nitrum illinita faciei. Fel stellionum (nectit) tritum in aqua, mustelas congregare dicitur. hinc Tertullianus apprimè dixit de cibis Iudæorum : qui carnem stellionis comedit, & maculas execratur, prædam de aliena morte quærit. Vorat facultates alterius, sanguinémq; sugit mortem ouans, & execratur maculas vitij, & flagitij commissi, ac si dolo deceptus esset & illusus, cùm nil certius, quàm ingesto stellione macularum eruptio imparato illo, & venenato ; sic queritur, miratur, ac si nesciret noxas suscepti virus, & fœditatem. Hinc dixere consulti stellionata crimina, quæ fraude & dolo

variegata quaſi,committuntur, fucata variis coloribus,& captionibus, ſimulato veneno & malitia, vt ſtelliones comunt,& recondunt,ſtelliferi, & variegati,cæleſtes quaſi, quorum veritas eſt iure propria hominum, quorum criminum quando vafrities, & cautela detegitur, eſt pœna arbitraria.Maculas vitij non timet,cùm veniant neceſſariò,eo manſo,& præda habita morte alterius,macula,vitium, peccatúmque cõtrahatur.Theophraſtus in fragmento de animalium inuidia.Stelliones anguium modo ſenectutem exuunt,eamque protinùs deuorant,arripientes morbo comitiali remedium maius totius naturæ, quod eſt ſenecta ſtellionis. Eoſdem mortiferos alit Græcia,innoxios Sicilia.Idẽ Plinius lib.8.c.31.Ælianus lib.3.c.16.Stellio ſimul atque ſenectutem hybernam exuit,eam vorãs conſumit,ob inuidiam ex quã laborat aduersùs hominem, quòd ſuam tunicam planè ſciat contra comitiales morbos plurimum valere.Ariſt.idem locis adductis. Galenus 3. de compoſitione per locos. Cuius & oleo frixum caput,cũ vitice pari pondere,inſtillatis auribus prçſentaneum eſſe remediũ ad auriũ ſonos,tinnitus,ſuſurros, ſibiloſque enunciat,& de theriaca ad Piſonem c.9.Multa ſunt quæ ſolùm inſpecta vim ſuam oſtendunt, vt ſtellio,quem ſi ſcorpiones intueantur,immobiles, & demùm emortui redduntur.3.de vſu partium c.3.ſic: Alia enim animalia quædam magis,alia minus; attamen omnia ſunt prona,& modo gradiuntur ſimillimo infantibus,qui ſerpunt manibus. Stelliones quidem,& lacerti,& omnia animalia quæcumque ſunt breuium crurum,prorſus ſunt prona. Cõtingit enim ipſorum venter terram ſemper,& iis amplius adhuc ſerpentes,Plinius lib.30.c.8.Hydrocelicis Stelliones mirè prodeſſe tradunt,capite,pedibus, intraneiſque

demptis,reliquum corpus innasatum,in cibo id sæpius datur,sicut ad vrinæ incontinētiam,lib.eodem 30.c.15.Mirum & de Stellionis cinere est,ligamento inuolutum in sinistra manu Venerem stimulare,si verò transferatur ad dextrā inhibere,li. *29*.c.*6*.auulsos pilos iterum non renasci docet,ouorum Stellionis liquore parte illinita. Auicenna libro 4. fen. 6. tractatu 2.capite 5.Caro stellionis mortificat sensus eius qui edit,vesciturve eadem;si verò in vinum decedat, replet illud veneno, quò euomunt, qui ebiberint, & acerrimo dolore ventriculi infestantur. Veneno cuius intubum aduersari refert lib. 2. tract. 2. c. 230. Ætius idem lib. 1. sermone 1.Paulus libro 5. c. 10. Vbi sesamum tritum, cataplasmatis modo morsui applicitum,summè laudat,quod & mansum extollit,contra tristitiā quam morsu infert,quo Hispanis dicitur sesamum, vulgò *alegria*. Est frigidus & humidus natura stellio, frigidus 4. gradu. 3. humidus,frigore nimio pilos renasci prohibet,(suprà)torporem inducit,immobilitatem,sensum aufert,nō secus ac narcotica stupefacientia, quæ dicta medica-
24 mina græcis frigida 4. gradu. Vocat hunc Nicander in theriacis (vt diximus) Ascalobos & Ascalobum iis: *Sunt vbi (pertenuis quamquam sit)vulnera sæua Ascalobi, quondam referunt quem Mysta crearit Ex puero alma Ceres, postquam mutasset Abantem Callichorum ad puteum,Cælei per compita quando Ipsa vetusta deam Metanira excepit amicè.* Fabula hæc originem Stellionis amplificat. Fertur Cererem mæstam curas vt soluere, Cæleum puerum,filium cùm educasset, educatumque adoptasset,hunc cùm vellet immortalem efficere,per vices in ignē,& aquam coniecisse,vt vtrisque assuetus dissolueretur nullo, sic Plato in Timæo, ossa facta fuisse igne & aqua insolubilia à na-
turæ

turę rectore tenet, hic furtim sublatus antequã opus absolueretur, immortalitatem assequi non potuit, peritissimus tamen in satione frugum euasit, qui tantisbeneficij memor, Cereri quotidie gratias referebat in locis maximè hospitalitati cõmodis, quæ cõpita dicebantur iuxta puteum Callichorum, vbi recepta hospitio Ceres è Metanira Cælei clientula, cuius erat filius Abãtes, irrisa illa dehonestataque dicteriis quæ in deam proiecerit temerè, puer interim quòd sacra celebrabat, indignata Dea, super eum quod ex cratere supererat effundit libamen, vt vndique maculis inspergeretur stellarum stemmatibus contra Deos stellarum rectores, vt peccasse cognosceretur, maculis refertus, tergoribus præcipuè, quod ea parte tergiuerteretur Deam effugiens, vt hinc in Stellionem abierit dicax iuuenis, malè hospitium tantæ Deæ ferens, idem refert Ouidius in Metamorphosi. *Conuiuit os illi maculas, aptum quæ colori Nomen habet variis stellatus corpore guttis. Inque breuem formam, ne sit vis magna nocendi, Contrahitur, parua quæ minor mensa lacerta est.* refert Megastenes lib. 7. c. 10. Clytarchus lib. 10. c. 70. Agatarchides lib. 9. c. 17. Diodo. lib. 1. c. 9. Stellionem hieroglyphicum temperantiæ extitisse antiquis. Ægyptiorum literis, sacrisque eorũ monimentis, quòd in fenestrarum rimulis, in præsepibúsque, & ædium fissuris sine cibo transigat multo tempore, imò occultus in præsepio, & secretus, asinum speret pabulum sumere dum tentat, cum quo summam habet inimicitiã, cuius subit nares, impeditque, vt ne comedat, nec respiret, cibos imò fugiat, & exhorreat, quem in circulum agitat & mouere facit in gyrum, vsque dum concidit vertigine asellus, vt cùm à cibo arceat famelicum, & vorax animans, ipseque Stellio impransus & ieiunus, tantopere



inediam ferat minimè gulæ deditus, meritò Ægyptiis temperantiam significaret.

De Stellionis immunditia, reptúque deformi sensu historico.

CAPVT. VII.

25 Est illa Stellionis conditio & natura, vt salem veneno inficere tentet super naturæ reliqua, viru plenus, dum veneni onus deponere tentat grauatus, & anxius, quem cùm degustat, eructat cruorem illicò super illo, eoque pristinæ saluti reuocatur salis infectione. Hinc aliorũ crinibus sales arcemus, tãti veneni gnari & conscij. Allia enim maximè vitãt & fugiunt odore graui, & quòd præter modum furãt eorundem olfactu, halitibus spirantibus tractis igneis, calore nimio, veneno æstuãti, præcordiis perustis. Est sal ille venenatus omninò deleterius lethalis, cũ tamẽ sal sit, est omnino perniciosus vbi eructauit Stellio. Stridet hoc animãs dentibus, Cicadæ, stelliones, vespertilionesque strident acerbè nimis, quibus molestissimum inferunt nobis sensum, ingratũ, & quasi acerba, acida, si degustaremus, sic dentibus officiunt sono illo facto, & stridore. Planissimo est capite stellio, vltra modum plano, manibus innititur motu, & cùm sit quadrupes, contrà ac animantia omnia quadrupeda non posterioribus instat, anterioribus imò insistit, vt reliqua moueat. Ex ea enim parte salit, cõtrahitur, eius innixu ducit reliqua, trahitque secum. Priùs enim manus mouet, quibus sistit incessui, iis cedit priùs, ingreditur iis, ducat vt reliqua. Manus imò quæ quinque digitorum sunt, rationalium instar

&

& simiæ,peruersas obtinet,retrouersasque,vt motus dum manus exerit speretur, si manus solùm contempleris retrouersus,non anteuersus iturum, vt in quod non speratur motus, in illud eat. Firmatur manibus versis motu hoc animãs,contrà ac reliqua, vt est videre incessu;pedes imò quasi immobiles reptant,& ducuntur ferè immobiles,superflui,abradẽtes terram trahuntur, vt quasi non moueantur, iis tamen retinet & apprehendit tenaciter, iis firmiter tenet,arripit,surripitque,manibus secura pollicentibus compressui ineptis & captui, è quibus noxæ nil expectatur; pedes imò fallaces, qui motui inseruire tenebãtur vice manuum succedunt,rapinã exercent,vt manus sint illi pedes quibus innititur motu, & pedes manus quibus arripit prædam. Et cùm sit 26
talis naturæ peruersæ,& infamis,callidę,& subdolę, cùm gradiatur manibus fraudulenter & captiosè, cum iniuria & rapina proximi, motus præposteri & vitiosi in ædibus regis moratur. Vbi adest iustitia, iusque dicitur, moderatio reipublicæ, & regimen, lex,ius,institutio regio iure debita,in domo regis viuit;cùm incedat manibus,astutia,& dolo, fraude & malitia,veneno plenus,vt viuunt, moranturque in ædibus prætorum & regum corrupti iudices & praui,qui manibus gradiuntur,obscœnis,immũdis,peruersis,ostentantes iustitiam,bonique communis curam, & tutelam,pedibus tamen corruptis ministris, rapinam,dolos,furta exercent,in domibus regis adhuc,vbi iustitia,æquitas sedẽ sibi astruxere, hic stelliones habitant,manibus incedentes,arripientes pedibus ministris,hic morantur,hic salem,sapientiámque veneno inficiunt,leges,iura,hic fraudes.rapinæ: hinc dixit Spiritus Deus eo loci: *Stellio manibus nititur,& moratur in ædibus Regis*, veneno sapientiam in-

fectat, & ſalem domus eius in qua inhabitat, vt inficiunt plurimi qui manibus, ordineque præpoſtero, brachiis, imò fauore, negotiis, motu peruerſo Stellionis, in domos regum irrepſere, operibus, & manibus vitioſis, velocibus ad effundendum ſanguinem proximi, conſiliarij & miniſtri, ſalem, regumque ſapientiam, iuſtitiam inficientes veneno & malitia, ſibi innitentes, non reipublicæ bono, aut æquitati. Ad literam; Stellio minimus mole, reptans manibus, motus imbecilli, & debilis, tardi, deformis, magnificas, ſuperbas, altaſque Regum ædes, & mænia ſubit, excelſas arbores, tectaque ſublimia, altiora petit, humili natus ſtirpe, terræque viſceribus ortus. Imò Stellio profundioribus locis, obſcurioribus, ignobilioribus, altiora inuiſit, clariora, nobiliora adit induſtria, & prudentia, in ædibus Regis moratur, minimus hic, & paruulus, magnates verò & ſæculi heroës, ſuperbi, & elati animo, humilia, ignobilia, obſcœna incolunt loca, tetra, & obſcura, non Regis ædes, vt quæ ſaltem de menſa illius decidunt, micas ſuſcipiant, vt faciunt Stelliones, non in domo Dei viuunt magnates, ſuperbi, tumidi, paruuli imò, minimi, reptiles, hominũ iudicio obſcuri, motuſque præpoſteri, Stelliones minimi, cæleſtes, nobiles, illuſtres, conuiuæ Dei ſuis expenſis alti, & nutriti, menſæque eius micis educati, iuſtitię, & æquitatis, quę de menſa Dei impertiuntur nobis, de Verbo Chriſto, in qua ſaturatur menſa Pater, & ſibi bene cõplacuit in Filio dilecto ſpiritu, Matthæi 17. cap. Prouerbiorum 1. capite: *Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Iſraël, ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, vt detur paruulis aſtutia.* Habitabunt ergo in domo Dauid Stelliones ij paruuli,

&

& ſi reptent humiles, ſi ex Deo ediſcant, miciſque
eius alantur, facti paruuli, reptantes, ſi efficiamini
ſicut paruulus iſte, intrabitis in regnum cœlorum, &
in ædibus regis commorabimini, ſtelliferi, vagique
Stelliones cœleſtes, eo loci dicitur, Pſalmo 83. *Beati*
qui habitant in domo tua, in ſæculum ſæculi laudabunt te.
dicitur Pſalmo 35. *Inebriabuntur*, vt extra ſe ſint, & in
te viuant, *quoniam apud te eſt fons vitæ*, Pſalm. 114. *Cu-*
ſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum & liberauit
me. Quò dixit, *niſi efficiamini ſicut paruulus iſte*, id eſt,
humiles, Matthæi 18. Cùm ergo hæc ſit Dei condi-
tio paruulos tueri, & humiles, *humiliatus ſum*, inquit
propheta regius, *& liberauit me.* Factus Stellio paruu-
lus, domum Regis habitaui, ideo inſignitus eſt Stel-
lio veſte cœleſti, ſtellis variegata, quam non videt,
videreve poteſt, niſi caput retrò conuertat, poſteriora
verſus, relictis iis verſus quæ mouebatur, deſiſtens à
motu præſentium, poſteriora ſperans; Vertit enim
caput retrò, illudque proiicit ad poſteriora facilè;
more prudentiſſimorum ſerpentium, vt capite 2. 1.
lib. monſtrauimus. Si enim deſiſtat ab iis quibus tra-
hebatur, poſterioraque contempletur, mortem, auer-
ſus ab iis omnibus quæ ipſum alliciebant ad ſe, cœ-
lum videbit ſtellatum, in ædibuſque Regis morabi-
tur. Iis ergo inſtruimur quatuor minimis terræ ſa- 27
pientioribus ſapientibus. Locus alter Leuit. c. 11. vbi
Stellionem vocat immundum, ſemper mihi viſus eſt
difficilis, eo quòd quæ ſint munda, quæ immunda,
in natura ſit difficile inuenire, vt literalis ſcripturæ
ſenſus elidatur, ſpiritualis imò allegoricus, tro-
pologicus, & anagogicus; quæ enim munda
ſint, quæ immunda, & an ſint immunda natura,
& ſecundum eſſentiam propriam, an ſolùm fi-
guratiuè & morali ſenſu immunda dicantur:

immundum enim, & ſuccidum illud diximus ſuprà, quod ſucco abundat viſcido & tenaci, excrementitio, præcipuè ſi putrido & fœtido. A ſucco enim ſuccidum vocatur, hinc aquæ & ſi humidiſſimæ, aërque non ſunt ſuccida, pura imò, quòd non ſolũ non hæreant, labaſcant imò, & quę impinguntur, abluant, & ſecum ferant; aër verò exſiccet, abſumatque exhalationes motu ad extrà concitato, diuaporatione excitata effluuij humidi exhalantis, ventus ſiccus natura itidem. Quò manibus exhorreſcimus talia pertingere ſuccoſa, putrida, viſcida & hærentia, ne hæreant iis quibus os attingimus, ne interna noſtra cõtingant & conſpurcent. Hinc talia ſuccida minùs iudicamus peruſta, in pollinemque redacta, quòd abſumpto humore affigantur minùs, & quòd ſicca putrida non ſint, humore exoluto, quo aſſumpto putrere deſiere, & vſta in cinereſque redacta ſuperſint iam puluis & pollen, cùm ſit putredo, docuit Ariſtoteles 4. meteororum c. 2. corruptio caloris natiui, in humido facta: qui quanto plus exoluitur, minùs res putrent; hinc aloë ſicciſſima ex aromatibus, calce paramus cadauera, vt putredinis ſint immunia, & carnes ſale reſeruámus, ſicco ſalis, ſiccitate, vt aſſeruentur. Dicũtur immunda ſuccoſa primò, quibus ſi fætor adſit, propria miſcella, aut graueolentia ſuccidiora vocamus. Fætor enim omnis putredinis effectus & ſignum eſt, at non ſolius. Aliquibus enim ſtatu naturali fere ineſt ſine putore, aut ſi ſoli accidat, graueolentia plurimis ſeſe ipſis ante corruptionem adeſt, ſi vltra putredo omnino immunda, quæ & fætent propriè, & ſi plurima putreant quæ ſuccida non ſunt natura, vt vinum, metalla, lapides, & ſicca alia, vel quæ in formam aquæ degenerant, vt vinum putre, acetũ eſt, & ſi lac immundum ſit putridum, tanta intenſione

facta

facta putredinis, vinum putreſcit, dum eſt verè acetum, tum liquores alij, dum degenerant in mucores viſcidos, vocamus immundos. Multa verò immunda quæ nō ſunt ſibi formali ſpurcitia talia, aliis effectiuè ſunt ſuccida, tetra, & óbſcæna, quæ vel ſucco mucoſo poſſunt polluere, vel cauſare ſimiles ſuccos ſpurcos, & viſcidos, quò eſt magis, minuſque in hoc genere immunditiæ, ſecundùm quod has ſubeunt leges plus minuſve illa, de corporea impuritate ſermonē texentes. Spiritalis enim metaphora ad hanc dicitur. Sunt plurima ſuccida vt cauſa immūditiei corporeæ dicta; quædam ſe ipſis ſpurca in ſe talia forma inhęrenti, nec ſufficit, corpora affectēt morbis, nec quòd inferāt adhuc mortem, vt inferant multa, vt ſint ſuccida talia, niſi affectent eo modo, vt ſuccos cauſent vitioſos, & craſſos, viſcoſos, vel putreſcere alios animantis congeneres faciant eo ritu; vel ſe ipſis inquinent contactu, inhæſione, hæcve efficere poſſint, vt ſpurca dicantur. Hinc ſunt immūda hominibus, animantibuſq; omnibus propria excrementa; nullū eſt ènim quod excrementa propria verè talia ſuſcipiat iterum, expulſa ſemel, cùm nō poſſint ſubire rationē alimenti, eidem animanti. Excreuit ideo quòd inepta coctioni, vera excrementa; & ſi cruda reiecta ſuſcipiant quædam, copia grauata, recipiantq; iterum, nō excrementa tamen ſubſtantiæ alimenti, de Dracone diximus. Sunt verò immunda excrementa animantibus, plantis, & reliquis, quòd putreſcant retenta illicò, quò fœtent omnia. Iis ergo dicuntur immunda talia natura ipſa, propriaque ratione, glutinoſa, viſcida, excrementitia natura, & ſi aliis alia ſuccida ſint, ob auerſionem, nauſeamque ventriculi, ob diſſidium peculiare cum iiſdem, & innatum horrorem, & ſi nō abſolutè, ſuntque hæc quæ dicuntur ſuccida iis

modis variis, succida dicta in Scriptura sacra, quæ rebus ipsis naturæ significant mores, vt fuere impositæ ad significandũ,nam etiã si Ægyptij & alij rebus multa significarint figuris, iconibus,aliiq; aliis rebus mores edocuerint,non est illud, rebus factis,impositisq; ad significandum,imò acceptis vt significarent: solus autor naturæ, vt solus autor vocum,res imponit,vt notent,& signent alia,reliqui accipiunt. Quò in Scriptura sacra solùm sunt res impositæ ad significandum,significato vero,& vt fert,petitque natura eorundem, reliqui vel ab iis accipiunt, vel non res imponunt,non ex se in id ordinatas,ex ipsis imò impositoribus,vel non signant aliquid;vocum enim inuentor & autor,ponit voces ad significandum,& rerum autor res, cùm significatio ex intentione procedat eius qui imponit, imponat verò qui ex instituto constituit ea in esse, non temerè aut casu, aut hominum conuentione & pacto,ob rerum proprietates, non impositas ex se ad id significandum, sed illis.Hinc venenosa solùm sunt succida,quæ succum habent glutinosum, viscidum, vt reptilia terrestria. Sunt enim venenosa plurima,quæ non sunt immunda,vt cicuta,napelus,arsenicum,argentum viuum,& alia mineralia & plantæ,inter animalia cantharides, pytiocampi, buprestes, alia. Inter aquæ reptilia sunt immunda plurima,vt quibus deficiunt squammæ & pinnulæ, & quæ venenum habent succosa. Stellio non manibus incedit,reptatque; has imò trahit reptando,super manusque graditur,non manibus,carpis manuum,mucronibusque innititur brachiorum, vt manus vehantur, & trahantur reptu per terram, illisque non stet, vt diximus,motu. Operibus enim & factis, manibusque innitendum motu est, in via nostræ peregrinationis: *opera enim illorum sequuntur illos,*

illos, Apocalypsis 14. capite, non brachiis fauorum, & fautorum patrociniis, manibus, inquam, non brachiis, vt stellio, imò cauernam astruit orientem versus, qui antequàm progrediatur extrà, Solis lumine sese examinat, perpolit, lingit, detergit, lambit, Christicola sese circumspiciat, inspectet, exornet, ad Solis iustitiæ radios, ad præcepta, & consilia, vt incedat fæliciter, orientemque Christi inspectet, quo regeneretur, & reformetur nouo Solis ortu, renatusque fælix incedat. Prouerbiorum 30. dicitur, stelliones manibus inniti in motu: hoc vt contra posteriora distinguitur, dictum intelligitur, non enim vltimis, non pedibus, anterioribus imò incedit post motum, vt iis posteà quietis retrahat posteriora, contrà ac animantia omnia mouentur, quæ posteriora firmant priùs, vt anteriora amoueant, posterioribusque motus robur, & vim obtinent. At stellio antè vires, motus, & enixus possidet. Est illi robur ad latera in mucronibus brachiorũ, quò manibus nititur, manibus, mucronibus, qui manibus computantur simul. Vocamus enim quadrupedum brachia, manus anteriora scilicèt tota, non manus solùm à carpo ad vngues, imò totum porrectum illud, quod ab homoplata ad vngues est, vel ab armis ad vngues, vel carpos & manus simul amplectẽtes, dum manibus incedere hoc dicitur Prouerbiorum, non distinguit manus à carpis partibus manuũ, quò manibus dixit gradiri spiritus Deus illum, mucronibus scilicèt earum, vt illis liberis, & solutis opere, in reptu arripiat prædam, & si præcipuè pedibus rapiat, retineatque ille. Carpos cum manibus numerat Galenus 2. de vsu partium c. 6. Hippocrates 2. de articulis, Aristoteles, Plinius passim, alij & alij. Manibus inniti motu dicetur, vt eo loci aptissimè

sapien

ſapientia ſumma incedere immundum animans; imò hoc notatur iis, quod nitatur manibus, vt c. 30. Prouerbiorum patet, ille, qui non manibus diſtinctis, confuſis imò manibus, mucronibus carpis graditur, non operibus, manibuſque ritè, decēterque factis, & inſtitutis rebus, imò quouis modo factis peruersè & auersè à lege & rationis regula, fauorum brachiis, mucronibus, qui & cum brachiis & manibus, vtpote in medio exiſtentibus connumerantur variè, locis ſuprà allatis eſt videre, quorum ſunt oſſa octo inter radium brachij os dictū, & manum, ſpondilia & oſſa; eſt ibi, videre & alibi, cōuerſo ad creaturas & cōmutabile bonū, ab honeſto auerſo, non manibus quibus concinnè operamur, mucronibus imò ad agendum ineptis, & torpidis, fædati motus, & deformis cauſa. Sunt ergo immūdi ſtelliones, lacerti, chamæleontes, Crocodili, & alia omnia quæ ſuper manus incedunt, verſis ad latera manibus, vt & ſimia, & alia, Leuitici 11. vt eſt videre. Tum Mygale, muſque araneus, mureſque omnes ſuper manus gradientes, primò natura viſcoſa, fætida, putreſcenti mucore plena, vt & reptilia omnia mucilaginibus abundantia, in ſe ſpurca omnia hæc natura primò, & alia potentia ſpurcare, cùm ſe ipſis, tum ſimilia generare valentia, tum & figura iis fundata ſuccida, tum quòd & talia impoſita ſint ab autore naturæ rerum, vt exprimant ſenſus ab ſpiritu intentos. Quorum occaſione, quæ munda, quæ immunda in ſcriptis ſacris extiterint, accingor dicere.

De mundis, immundisque animantibus Scripturæ sacræ, sensu literali, & figurato.

CAPVT VIII.

DVo erant immundorum animantium genera, 28
(Leuit. 11. est videre) immunda esus, & sacrificij, immunda, spurcave: quædam succida iudicabantur in alimentum, & escam, alia in cultum: omnia enim quæ erant expiata, & munda ad sacrificium, munda erant & ad esum animantia: nõ contrà munda ad esum, & munda ad sacrificia computabantur: latiùs enim patet esus, quã sacrificiũ. Sacrificiũ enim, Christi erat symbolum; esus verò spiritualis alimenti, rationisque viuẽdi debitæ sub lege signum, lex sacrificiis, sacramentis, sacris, obseruantiisque integrabatur, quò latiùs patet. Esui immunda iudicabantur omnia, quæ succos obscænos, tetros, putridos possunt progignere, tenaces, & viscidos. Hæc verò vitabantur, cùm vt spiritalis munditia obumbraretur, tùm vt vitiosis, spurcisque succis non disturbarentur mentis actiones, ex corporeis affectibus, dispositionibusque subiecti spurci, & infecti, salusque vt cõsisteret (summa Dei benignitas, summaque bonitas) quæ omni bono, omni ex parte mortalium consulit. Scimus, animam ex corpore inclinari variè, docuit Aristoteles de physiognomia c. 1. Galenus lib. integro quòd animi mores corporis temperaturam sequantur, Plato 6. de legibus, Dialogo integro. Spiritus sanctus imò Sapientiæ 9. cap. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* inquinatum enim corpus inquinat animum, aut inclinat; quò spurcis humoribus abundantes,

dantes, ſuccidis & obſcænis, vitioſos experimur, irrationales, Bilioſos, feros, prodigos, agreſtes, intractabiles, auaros; Melancholicos, deſides, molles; Phlegmaticos, tardos: Quos verò cibis delicatoribus mundis altos, ſanguineoſque natura noſcimus, nobiles, ingenuos, dociles, placidos, liberales. Quò Ariſtoteles 2. magnorum moralium. c. 6. dicit, nobiles virtutibus aſſueſcere faciliùs obſcuris, & plebeiis hominibus, conditioneſque eorum qui puriori viuūt alimento, nobiliores ad virtutem ſectandam: aliis, aliiſque ex corporeo apparatu variare. Hinc vitabantur immunda, cùm quòd immunditiæ ſpiritalis poſſent eſſe occaſio ex affectu. Sunt multi laſciui cibi, luxurioſi, excandeſcentes alij, & qui vſum rationis diſturbant, impediunt imò omnino: Vinolentia docent; acria, ſalita, bulboſa, venerea ſunt omnia; calida medicamina excandeſcere faciunt, aliter in paſſiones ſubiectum permutantia, hæc & illa, vt tranſeant in affectum cordis, corque carneum inclinetur ſaltem. Hinc ſunt philtra amatoria, & alia plurima virtute naturæ vim habentia in affectus varios; tum & lege prohibebantur Hebræis, quòd idololatræ Ægyptij iis ſuperſtitioſè veterentur, è quorum conſortio & communione plurima ſuperſtitioſa ſuſceperāt Hebræi, vt verum cultum colerēt Dei veri; iudicabāt enim hircos, tauros Deos Ægyptij, hircos, quòd iis Dæmon obſcænis animantibus vteretur ſuis vſibus fœdis, technis parandis, & abominationibus, permittente Deo, vt reſipiſcerent homines, & ſaperent admoniti immunditia animātis, vt ſpurcitia excitati, cauerent à Dæmone. Quò ferebat, vt ſuffert modò, hircos ſubirent Dæmones, quos adeunt illi, quòd eo laſciuiſſimo animanti actus luxuriæ exerceant commodiùs incubi, quibus vetu-
las

las alliciant Lamias. Venerabantur oues vtilissimas vitæ mortalium. Tauros benefactores hominum cultu terræ, & quòd Semiramis illa Babyloniæ quæ prima fundamenta iecit, cum Tauro coierit, ex quo Minotaurus Labirynthi custos venit ille (credidere Ægyptij.) Hæc ergo ipsa Deus iussit offerri sibi sacrificio, hos Deos Ægyptiorum, vt hostiæ, holocausta, expiationes essent Dij mentiti Ægyptiorũ Deo vero, Deos fictitios vt iudicarent, verum Deũ agnoscentes, hosque non Deos, mortalia imò & vana figmenta, idolaque fallacia, iis vt ab idololatria arcerentur, moresque Ægyptiorum aufugerent; ex aquatilibus, terrestribus, volatilibus, quædam prohibita erant Hebræis, concessa quædam, non quòd essent omnia se ipsis immunda, sed homini, aliis scilicèt: Solùm enim corrupta, & quæ corrumpuntur, vt priuantur perfectione debita, in se succida fiunt, at aliis quòd illis obscœna, & sibi omnia limpida, absoluta, & perfecta, bonaque existant. Nam, vt inquit Paulus 1. ad Timotheum 4. c. *Omnis creatura Dei est bona, & nil reiiciendum ab ea.* & August. lib. 6. c. 7. cõtra Faustum. *Si de porco, & agno requiratur, vtrumque natura mundum est, quia omnis creatura Dei bona est, at munda sibi, aliis immunda esse queunt*, vt non venenosa sibi sunt aliis veneno & excidio. Terrestria animantia, aut sunt reptilia, id est, serpentia, vel pedestria. Si reptilia, aut verè talia apedia, aut reptilia pedestria, repentia tamen ob exiguos pedes. Leuitici 11. sic dicitur; *omne quod reptat super terram abominabile erit, nec assumetur in cibum*, vbi & pedestria reptilia eodem capite vetat, vt lacertos, chamæleones, stelliones; crocodilos, araneos, denique reptilia pedestria, & apedia omnia prohibentur eo loci, quòd venenosa sint; succo viscido plena,
viscosæ

viſcoſæ humiditatis, crudæ, indigeſtæ, vt ſunt omnia quæ reptant, quæ immunda vocauit Petrus Actuum citato 10. cap. Ideo hæc hyeme ſine cibo tranſigunt, ſine ſenſu & motu, apoplexia quaſi abſorpta, delata in profundiſſimum ſomnum, ea ſtatione immobilia, & alta ſolùm glutinoſis ſuccis, & viſcidis, inſitis natura, vt bulboſa omnia, cępæ, & ſatyriones plãtæ, melopepones, & alia, craſſo ſucco natura, quæ madent, germinãt, viuunt circa æquinoctiũ, nullo alio alimẽto ab extrà aſportato. Galenus docuit 2. de locis diffusè ſatis, & quæ craſſis ſuccis abundant, fæminas hiſtericis affectibus afflictas, apoplecticoſq; viſcidorum humorum, ſine cibo tranſigere longiſſimis interuallis. Sunt hæc ideo immunda, obſcœna, & inſalubria animantia, ſi vnguem habent non diuiſum, imò manum diuiſam in digitos plures, quorũ cuilibet vngula vna ineſt indiuiſa, & integra, pedeſtria verò non reptilia, aut habent vngulam diuiſam, aut ſecùs, & aut ruminant, aut non, vt lepores habent. Leones, rapaciaque animantia, etiam ſi ruminent; *non comedetis*, dicitur eo loci; animalia enim, quæ non diuidunt vngulam, & ruminant, ſunt nimis craſſæ ſubſtantiæ, humido viſcoſo plena, immunda, ſuccique viſcidi, & glutinoſi, inſalubris, difficilis ſuperatu, hæreſcentis naturæ, obturantis difficulter; cuius excrementa è corpore diſcedũt, vt inquinetur animans hoc retẽto mucore, putreſcatque conſtipata ſubſtantia, & degeneret in humores tetros, viſcoſos, obſcœnos. Sunt enim terreſtria illa; ſubterraneáque loca vda, & non perſpirata inhabitant; craſſum in eis dominatur elementum, & excedit glutinum aquæ, & aëri commiſta terreſtris ſubſtantia, vt viſcoſo humido, & tenaci, viſcido, & glutinoſo ſolipeda animantia non findant vngulam, glutino coaleſcentem, cùm ſibi non præparent

parent alimentũ ſemel,& ampliùs,vt parant ſibi ruminantia,& conficientia cibos,quibus nutriãtur meliùs,præparatis ampliùs. Maſticatio enim,& cõtritio ciborum,vt decet,facta,coctionem,nutritionemque iuuat,fœliciorémque cauſat vegetationẽ,quibus depuratur meliùs alimentum,ſuperatur faciliùs, cedit commodiùs,excrementa deponuntur,ſeparãturque negotio facili,cedente materia præparata, & confecta. Nec quæ multas fiſſuras habebant in digitos diſſecta in alimentum cõceſſit,quòd ſint ſicca,ignea,& calida,furentia,billioſa;abſumit enim calor humorẽ, & ſiccitas ſumit, quo finduntur ampliùs, vt labra dolẽtis fiſſa videmus febre ardenti,& ſiti hiulca,epitheton dicta diſciſſave. Ex terreſtribus omnes ſerpẽtes immundos vocat,tam apedes, quàm pedeſtres, tam duorum,quàm pedũ quatuor; multorum imò, multipeda,quadrupeda, & bipeda dicta reptantia numero pedũ. Ex greſſibilibus terreſtribus ad eſum mundis,quæ & ruminabant,& vngulam diffindebãt, ad ſacrificia ſolùm aſſumebantur ſignificatu, vituli, hirci,oues. Sunt hæc nutrimento munda nimis,facilis commutationis, præcipuè ea regione ſicca & calida,herbis ſalubribus,copioſa, & abundante, tùm & eorum copia facilis in Palæſtina,vitulus ferox,ſuperbus,mactatione,& iugulatu,ſuperbiæ reſciſſionẽ deſignabat. Mors hirci paſſionum cohibitionem, & frænationem,luxuriæ pręcipuè & gulæ,quòd ſit laſciuum, edaciſſimumque animans, iiſque duobus animantia cuncta rixentur, & contendant,ob bonũ indiuidui,priuatũque gulę,luxurię,& veneris ob ſobolem,ob commune bonum,& ſpeciem; dixit Ariſtoteles 1. de partibus. c. 6. quòd ſint maiores eæ paſſiones appetitus aliis omnibus,hominibus & beſtiis: Hinc hircum immolabant. Vinolentiæ extitit icon

Hircus,& ingluuiei;dixit Ouidius : *Rode caper vites, tamen hinc cùm stabis ad aras, In tua quod spargam cornua vinum erit.* Vites erodit vinaceorum amantissimus, vinum cessare solicitus, tutius enim esset corium animantis, vitaque, deficiente Baccho; vtres enim eius pelle detracta parantur, vt illud retineãt. Hinc Baccho super hircum vehitur, agnũ verò mẽtis simplicitatem & innocentiam vt edoceret, sine maculis tamẽ libabãt,sine varietate,& maculis,masculos,natura perfectiores; perfectius quòd iure debeatur Deo,Paralipomenon 29.c.Tria sunt omnia. Diisque tria offerri Arist.dixit 1.cæli cap.1.& quod de manu tua accepimus,dedimus tibi, imò Christũ tuum,quem à te accepimus, in oblatione offerimus tibi,ipsóque Deo satisfecimus Deo, se sibi, vt quod accepimus, reddamus ei à quo accepimus, homoque reddat, & satisfaciat Deus, Deo Christus Patri pro nobis debitum nostrum, saluator qui extitit alieni. Prouerbiorum suprà; Fatetur enim, in oblatione Deum esse,à quo omnia accepimus,& cui omnia debentur,ipsumque finem offerentis esse. Reliqua verò ex terrestribus animantibus, quibus vesci poterant,esui munda,sacrificiis immunda iudicabãtur.Ceruus enim,qui diuidit vngulam, & ruminat, docet Aristoteles de historia animalium libro 9. c. 50.mundus erat alimento, & alia,at non sacris. Ex aquatilibus munda erant quæcumque habent pinnulas aliculasve & squammas; crustata excludũtur, cutaneique pisces, crassum quòd progignant & viscosum alimentum,melancholicum multa, vt lampetræ,ostreæ, & alia,pituitosum reliqua, putridum, odoris tetri,facilè putrem, cutis densitate, aut crustæ crassitie; Aliculæ non erumpunt iis densitate, nec recrementa per cutem densam difflantur, secùs

ac in squammiferis, perflatur natura ob raram cutem, squammis fissam & patentem; vt crescant squāmæ, expurgato poris animanti, & aliculæ erumpant. Hinc cutaneis adest succus quidam pinguis, oleosus, Lampetris, & Anguillis est videre, qui putrescit facilè, veneni quidquod retinet, quæ modus generationis eorundem notat, ex materia putri, limosis locis, obscœnis, lumbricorum instar, cùm oriantur, vt multoties damna, noxæ, morbi, mortes, horum esu experiamur, loci crescente malitia, & alimenti impuritate, quo aluntur talia. Ventriculū euertunt, succo oleoso, pingui, inconstanti, cientque vomitū multoties, nauseam, subuersionem, cibis vltrà vescūtur putridis, limo, sordibus, quibus iudicatur sus immūdus ibidem iure, quod proprio stercore circūuoluatur & volutetur ille, etiamsi cibo mundissimo nutricetur. Gallina munda erat esui, nam si excremētis vescatur aliorum, nō tamē propriis volutatur recremētis, nec aliorū circumuoluitur, vt circūuolutatur sus, alienis & propriis, & quòd rara & porosa substātia, ventreq; facili sese absoluat ab iis immundis, quæ quādoque ingessit. Immundus ergo sus ideo. De Ariete dubitabis an ruminet, cùm esui concedantur Hebræis inter quadrupeda terrestria gressibilia, interque pecora, illa quæ ruminant & vngulam diuidunt, solaque hæc non interdicantur Leuitici 11. Aries verò non videtur, ouisve ruminare: ruminant tamen, Aristoteles 9. de Historia animalium cap. 50. iis dixit: Ruminant quæ superiore ordine dentium carent, vt boues, oues, capræ; ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt Ceruus: hunc enim ruminare planum est, iacent potissimum cùm ruminăt omnia, & hybernis temporibus ruminare solent præcipuè,

ſeptem ferè menſibus hæc moliuntur, quæ intra te-ƈta aluntur, gregales verò leuiùs, minúſque temporis ruminant, quoniam foris paſcuntur, defeƈtu paſtus, quæ ingeſſere, hyeme ſterili ruminant animantia multoties, vt è primo ventre in os redeant, & famem ventriculi moleſtam vitent; quò parcè alta ruminant magis famelicaque, ſecus liberaliter educata, aut paſtu libero enutrita, nō domi, vbi illiberaliter, cùm nouos cibos ingurgitent, imò ruri ſatisfaciant, quæ indigentia, accepta ſemel non reaſſumunt iterū. Sunt etiā ex vtrimque dentatis quędam ruminantia, vt mures pontici diƈti, cuniculi noſtri & lepores, piſceſque multi. Hæc Ariſtoteles; quibus arietes ruminare docet, & ſi aliis leuiùs. 2. de hiſtoria. cap. 17. ea imò ruminant animantia, quæ duos vētres obtinēt, vt arieti inſunt ventres duo, & capacitates quatuor, gula, vēter, omaſus Græcis, ventriculus, inteſtina. Cū verò lepores, & cuniculi ruminent, & vngulam non diuidant, dicitur Leuitici 11. cap. *Leporem non comedetis, quia vngulam non diuidit*, Lepus cuniculus eo loci interdicitur, quod non diuidat vngulam; neque enim diuidit vngulam, digitos imò diuidit, ea enim vngulas diuidere dicuntur, quæ ſic habent vngulas repartitas, vt ſi coniungantur, vngula vna ſuperſit, fiſſa tamen, reliqua verò vngues diſcretos habent, digitiſve diuiſos; vnguis nō ſolùm eſt illis conſciſſus, imò & digiti, non diuidunt vngulam talia; imò in varios vngues diſcriminantur, vt brachia in diuerſos digitos abeunt illis, & in vngues tantos, ac ſunt digiti. Non ergo vngulā diuidūt, nec vna integratur quaſi, vt in aliis ex duabus medietatibus coaleſcēs, ſed variæ multæ, integra quælibet diſſentiens ab alia, vt non diuidant vngulam, ſed vngulis abundent illa; neque enim erat oppoſitio inter vtrumque

teſta

testamentum, vt est inter digitos diuisos, repugnantes in præda & rapina contrapositos positione dum arripiunt, eorum quæ digitos findunt, sed subordinatio, & distinctio, *nec veni soluere legem, sed adimplere.* Vngues enim, armaque nostræ fidei distinguuntur, non opponuntur, nec pugnantia inuoluunt eadem; imò lux nec opponitur repugnatve lumini, fidesve rationi, sed ab illa distinguitur & perficitur. De volatilibus verò immunda sunt ea quæ vescuntur immundis & reptilibus, vt ea quæ vngues aduncos obtinent, Aquila, gryphes & alia, de quibus suo loco dicemus, Deo dante, in particulari; hîc genere. Tum volucre omne quod graditur super quatuor pedes, & non habet retrò longiora crura quibus saliat super terram, immundum est, reliqua munda; locusta munda est, & reliqua volatilia quadrupeda, crurum retrò longiorum, quibus saliunt, nam hæc sunt ventris solutioris & facilis, quò excrementa, vitiosósque succos deponunt, vt munda supersint. Talia enim docuit Aristoteles 9. de historia c. vltimo, munda esse iis. Sunt item alui fluentioris ea quibus longiora sunt crura, & propensiora ad vomitum, quibus latius pectus est, idque tum in quadrupedum genere, tum auium, tum etiam in hominibus ita esse patet; reliqua enim de quibus suis in locis dicetur, excrementis sunt plena, & immũda, ventre difficili, nutrimento vitioso. In sacrificiis non assumebatur piscis aliquis, quòd illicò ac ex aqua extrahuntur, emoriantur, quò immolari concinnè non poterant non expectantes cæremonias sacras obitu & morte, quæ præcedebant immolationem, tum quod non facilis esset eorum copia ad sacras expiationes, nec iidem semper capiantur. Vltrà quòd piscium generi monstra magis contingant, vt docet Aristoteles locis allatis; Tum

 quòd

quòd vitiosi & molles medio affluentiæ voluptatis humidi & vagi viuant. Ex volatilibus verò turtures, columbæ, passeres, sacrificio offerebantur. Turtures verò, non pulli earum, quòd sint salubriores, maiores natu, humido viscoso absumpto ætate, grandioresque, significatu verò quòd maiores turtures rauco sono cogitabundæ semel, amisso compari amantissimo viuant, vt mortales tenentur facere, homine interiori deficienti, dilectissimo, rationis compari amisso; tum quòd interim dum sperat coniugem fæmella ingemiscat, & raucet, alimento abstineat, vsque dum veniat ille, non secus Patres Christum sperabant lege veteri, proclamantes raucis vocibus, vsque dum clara vox Ioannis venit, & cū illa Verbum iam fabile nobis, secùs pulli qui adhuc ętate compares non suscepere turturum, eisdem locis Aristoteles, Plinius, Galenus alij, de quibus latiùs suis libris & capitibus, dante Deo. Pulli verò columbarum offerebantur, non columbæ, quòd cùm sit columba sicca temperamento, & adstringens, ventremque sistat eorum qui fluorem alui patiūtur, docet Galenus 3. de alimētorum facultatibus c. 6. à quo medici suscipiunt omnes, ætate pulli humida corrigitur distēperies sicca, ne detento ventre excrementis immundis replerentur Hebræi significatu ob lasciuiam summā grandiorū natu, relinquebātur, dicatę antiquitus Veneri, cuius carrū gestabāt, docetq; experiētia trita, & vulgaris, passeres vulgares, gorriones, expetebat Deus, vt cū puer facilis venturus esset, daretur intelligi passere more puerorum placari, mitemque & blandum venire, nostrisq; operibus satisfieri, & si parum leuemur, decidamusque millies, vt passer qui saltu, ascensu, & descensu succedētibus inuicē peruolat, tum vt egentibus non deesset oblatio,

tio,communia petiit, & facilia; Columba simplicitas,castitas,mundities,patientia,cura,institutio filiorum insigniuntur: Turture,angustia, solitudo,dolor, anxietas,tormentum, quæ tulit Christus,fertque,repulsam passus animæ sponsæ,adulteræ animæ,& synagogæ. Sunt gorriones succi optimi,si debita quantitate eis vtamur,dixit Columella lib.3.c.6. Galenus lib.3.de Alimentis c.6. Aries impetũ,potentiã, robur capitis, quo concutit Dæmonẽ Christus capite Deitatis. Agnus, occisionem,crucis tormenta,cruciatus, patientiam,obedientiam. Suis locis dicemus latiùs. Sanguis verò,adeps,neruusque interdicebantur Hebræis esui. Effundebatur sanguis ad crepidinem altaris, cùm vt idololatria vitaretur, idololatræ enim adipe & sanguine victimarum replebantur. Deuteronomij 32. dicitur: *De quorum victimis comedebant adipes,& bibebant vinum libaminum*: sanguinisque effusio vitaretur proximi, sanguinis haustus inhiberetur, Genes.9. *Carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim requiram animarum vestrarum.* Tum in cultum & reuerentiam Dei summi,quòd sanguis animæ sedes cùm euocetur ex eo, quòd necessarius sit adeò vitæ animantium,vt anima omnis carnis in sanguine sit, Leuitici loco adducto, vt in eo sine quo vita consistere nequit requisito alimento. Ideo in Dei honorem, & reuerentiam effundebatur, miniméque in vsus relegabatur humanos. Hinc à sanguine abstinebant. Vltimò quòd sanguis sit esui immundus,extractus enim semel refrigeratus absentia spirituum concrescit, incrassatur, liuescit, corrumpitur illicò, & plumbeo colore afficitur denigratus, fœtidus,extra vasa imò eiusdem animantis si decidat, vt in inflammationibus & tumoribus sanguineis videre est, putrescit illicò,in pus cõuertitur, suppuratur,sæuissima

excitat accidentia, & ſymptomata, rigores, dolores, febres, cruciatus, corruptiones partium, apoſtemata; docuit Galenus 2. de arte curatiua ad Glauconem c. 1. & 2. 13. methodi c. 3. 2. de alimentorum facultatibus c. 5. quò ſanguinem fluere ſinimus eorum quæ mactamus, ne nobis officiat deglutitu, vſuque venit ideò mactare, non ſuffocare animantia. Excludimus verò ſuffocata tanquam noxia & inſalubria, quòd retineant ſanguinem. Eſt ergo ſanguis immundus eſui noxius, veneno ſimilis, vnde ad crepidinẽ, oraque altaris ſupererat, Chriſti ſanguinem vt ſignificaret in crucis aræ patibulo effluentẽ. Virtute pollet ſanguis omnis, agni præcipuè potentiſſima in detergendis maculis, cùm quòd frigidus agni ſanguis vitet fluxum humoris fœdi, quo illæ erumpunt, tum quòd natura viſcidus hæreat, vt ſecum afferat impacta quætuis, maculaſque hæreſcentes, vt hinc eos inũgamus illo priùs, vt exſiccato ablutio poſteà maculas ſecum referat, quibus lentigo, aut pannus dictus, faciem fœdarunt, docuit Galenus lib. de medicinis paratu facillimis c. 7. etiam ſi eſus illius vitaretur: Chriſti ſanguis maculas aufert, fœditateſque noſtras: nec eſt agni ſanguine abutendum, vt hypocritæ deutuntur. Qui ſanguinem Chriſti ingerunt ſacerdotes impij, at calicem eius non bibunt, vt eſt, labores, onera, officiis abutentes, & dignitatibus; Chriſti ſanguine conſtitutis in Eccleſia ſancta, vt maculas fœdas extergant in ſanguine agni, corrigant, & emundent reliquorum: emunt, venundant ſanguinem Chriſti ſacerdotes, & religioſi, qui impietate & auaritia, gula, & luxuria polluuntur, non ſecus ac Iudas Iſcariotes ſanguinem iuſti venundedit: abutuntur ij iuriſdictione, opinione, honore, dignitate, officiis, quæ Chriſtus ſuo ſanguine emit, ſtabiliit; Chriſti qui ſanguinem deglu

deglutiunt, non bibunt. Christus cùm esset verum Angelorum & hominum alimentum, fudit sanguinem in patibulo crucis, viuus cùm esset cibus; modum naturæ excessit, sanguinem confectum, non cōficiendum nobis, imò calore solùm suæ charitatis commutabilem obtulit, qui cùm factus veniat cibus, nullo nostri possibilis fieri, commutat nos in se, quod nulli alij alimento inest, sanguinem resumpsit, resurgens de integritate viui, vt solùm hoc alimentum cum sanguine possit sumi, quod viuum alimentum sit, aliàs sanguinem vitaremus noxium emortui, si foret perniciosum, vt diximus, defuncto subiecto. Christus verò viuum alimentum vi diuinitatis extat iugiter, sanguisque eius viuit; sanguis est semper diuinitatis vita asseruatus, valoris immensi mortuo adhuc homine Christo Deo, sanguisque, ideo vsque ad sanguinem Christi vitabatur; reiiciebatur enim ad ora altaris, neque sacrificia intrabat. Non sanguis genus, nobilitas, ortus, stirps illustris, maiorum stemmata, imagines, honores, sanguis, in sacrificia recipiuntur; manent imò ad altaris crepidinem, *Sacrificiū Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum*, nec minùs adeps interdicta erat, propter idololatriam Ægyptiorum, cum quibus fuere commorati Hebræi, vt lasciuia vitaretur, dicitur enim Ezechielis 34. *Quod crassum erat occidebatis:* vt notaret eorum luxum: hinc cremabatur adeps in sacrificiis; tum quòd pingue vitiosos generet succos, facilè propter humiditatem putrescentes, & inflammabiles facilè. Sunt huius naturæ pinguia, iuxta Aristotelem 4. Meteororum cap. 2. & 9. Galen. 1. de elementis cap. 5. 1. de temperamentis cap. 4. 3. de alimentorum facultatibus cap. 6. à quo Auicenna, & reliqui; Tum quòd idololatræ adipe replebantur in honorem Deorum, & idolorum,

vt pinguescerent, Deos mentitos liberales ostentantes. Tum nerui lege erant prohibiti, quòd etiam crassum, viscidúmque alimentum suppeditarent frigidum, ineptum coctioni; docuit Galenus 1. de temperamentis, vbi exangues & frigidos constituit 1. de semine capite 6. idem Aristoteles 1. de partibus cap. 2. Sanguinis inhibitione crudelitas spiritualiter vitabatur, adipis verò voluptas & mollities animi, neruorum verò peccandi vires, robur & consistentia. Nerui imò, quòd Iacob neruus cruris obstupuerit Angeli contactu in lucta, eo benedictionem suscipiente, Genesis c. 30. vetabantur esui, interdicebanturque. Iis ergo quædam sunt munda, & immunda quædam. Mygale Græcis, Latinis mus araneus, Chameleon, Stellio, Lacerta, Talpa: de quibus suis locis dicetur, Hic de Stellione solùm. Dicuntur verò hæc immunda, quòd vitiosos generent succos, vt pote reptilia & serpentia secundario dicta modo: ob significataque vitiorum naturæ eorum actionibus obumbrata, vt suis locis dicēdum. Constat ideo, quòd hybernis mensibus sine alimento transigant & viuant, nutritione pituitosi succi facta, quo abundant, & replentur natura; ex quo vlteriori coctione sanguinem efficiunt, vt melopepones hyemales, cæpæ, & bulbosa omnia succo humido plena vere virescunt, germinant, suspensa adhuc, radices, caules & folia emittunt, nutritione facta, rubetæ, bufones, serpentes, viperæ, quæ hyeme emortua conspicimus, quasi quæ Solis accessu reuiuiscāt & redeant digesto succo crasso, crapulaq; soluta, & cataphora hyemis oblongæ. Stelliones non minùs, cùm eo tempore lateant trāsigantque sine alimento, succi viscosi copia. Sunt immundi natura, inter illaque enumerantur, nō solùm quòd sint quadrupeda, vngulamque non findant. Ex

eo

eo etiam quòd ſuper manibus reptent, Bruchus, aliaque volatilia, locuſta, concedebantur Hebræis, non quòd præciperentur, quòd imò ſi ederentur, non immundi ideo eſſent. Dicitur enim ibi, *Comedetis hac*, ſine immunditia, ſi comederitis, comederis ſcilicet, ſine pollutione; ibi enim comedere debetis, idem eſt, ac ſi diceretur, non recuſabitis vt immunda: nec debetis recuſare. Sic enim dicitur Leuitici 11. cap. *Quidquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retrò crura, per quæ ſalit ſuper terram, comedere debetis, vt eſt bruchus in genere ſuo, & attacus atque ophiomacus, ac locuſta, ſingula iuxta genus ſuum.* Vbi hæc quatuor numerantur munda ab ſpiritu Deo. Diciturque eo loci Hebræis, *quatuor hæc comedere debetis*, id eſt, poteſtis ſine immunditia edere. *Debeo* enim non ſolùm iuris obligationem conſignat, imò & poteſtatem ſignificat, iuſtéque quod poſſibile eſt, & fieri poteſt, dixit Cicero 9. Philippica: *his debitum honorem decernit.* Id eſt, iuſtum quem poteſt exhibere, neque enim talis eſus præcipiebatur, permittebatur imò, vt Abulenſis ſenſit eo loci; locuſtæ enim plurimis ſunt in vſu. Parthos locuſtis veſci docet Ælianus libro 14. c. 3. Plinius lib. 11. c. 29. haſque maximas inueniri apud ipſos Africa & Aſia, in terraque Palæſtinæ renunciat, ſalitas reſeruare in commune alimentum, idem Solinus in Polihiſthoria c. 30. communis illius regionis alimonia, ſapore ranarum perquàm ſimili, vt hinc Ioãnes eiſdem veſceretur Matt. 3. c. ſimulque & melle ſylueſtri, quo earundem glutinoſam ſubſtantiam corrigeret, in ſumma abſtinentia. Bruchus enim ſpecies locuſtæ eſt, herbas erodens. Videre eſt apud Ambroſium dictione hac, Ælianum, Solinum locis adductis. Fuere diuerſi cibi antiquitùs quorum modò non extat vſus, paraban

parabanturque multis modis, conditis iuribus, ſalſamentis, & aliis. Præcipuè his qui in deſertis vagabantur, locisque ſylueſtribus, vt populus vagabatur tunc. Locuſtæ enim ingentes ſunt ibidem, quarum crura non ſecus ac ranarum edebantur, ſimiliter Bruchi locuſtarum ſpecies dicta, ingentes ſunt eis in partibus. Attaci verò ſic Græcis dicti ob crurum imbecillitatem, ſoboles locuſtarum eſt, antequàm peruolare aut gradiri firmiter poſſit iuxta genus ſuum. Hinc Horatius vocat Attacō 2. Epiſtolarū ad Auguſt. his. *Floreſque perambulet Attæ Fabula*; Attelabus dictus græcis, videre eſt apud Plinium lib. 29. c. 4. Attagen peruerſis cruribus animal volatile, Ophiomacus verò id eſt Græcis quod ſerpens cruribus, & reptans animal, vulgò grilli & cicadæ dictæ, quæ genera animantium ſpecies locuſtæ eſſe Ariſtoteles cenſuit 5. de hiſtoria cap. 19. ſic dicta, quòd illa ſerpentes fugiant, quod eiſdem locis & autoribus inuenies, vt apud Galenum & reliquos eſt videre.

De Araneo.

CAPVT IX.

IOb. cap. 8. hæc continentur: *Sic viæ omnium, qui obliuiſcuntur Deum, & ſpes hypocritæ peribit; non ei placebit vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eius.* Pſalmo 38. hæc: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti, amoue à me plagas tuas: à fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius, verumtamen vanè conturbatur omnis homo.* Oſeæ 8. *Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos; vſquequò non potuerunt emundari? quia*

ex Israël & ipse est, artifex fecit illum, & non est Deus, quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. Araneus araneave, dicta Hebræis Semamith, græcis ἀράχνη, arachne, ἀρανεὺς-ve, ab ἀρὰ, ἀρὰς-ve Græcè, detestatio, nocumentum, execratio. Venit & Νέας, siue iuuentus, ætas sollicita, quasi nocumentum sollicitum, quod Arenea telas contexat, muscarum, animalculorumque cupida, & diligens, tum quòd solicitata, & vocata soleat iniicere morsum. Aranea insectum est, exangueque animal, iuxta Aristotelem lib. 5. de historia animalium cap. 19. Plinius lib. 11. cap. 24. Ælianus lib. 6. cap. 56. Dioscorides lib. 2. capite 56. Galenus, Paulus, Ætius, Nicander, locis infrà, idem alij plures. Sunt animantia vermipara, & si ouipara videantur, docuit Aristoteles 3. de generatione animalium cap. 9. iis: Nam & Erucas genus esse vermis censendum est, & Araneorum fœtum, quamquàm propter figuræ orbiculatam speciem, cùm eorum nonnulla, tum alia complura, primordia esse videantur similia ouo, lib. de historia cap. 20. sic: Ouipara quatuor septenis dierum fœtum in lucem edunt. Primo septenario à concubitu perficiunt oua, consummantque, reliquis tribus septenariis incubant, excludunt, & fœtus edunt in lucem, vt aranei, & reliqua eiusdem generis animantia. Vera propagatione araneas oriri retulit eodem libro 5. de historia capite 19. vbi dixit: Procreantur porrò insecta, aut ex animalibus generis eiusdem, vt phalangia & aranei, ex phalangiis & araneis, Bruchi, Locustæ, Cicadæ, aut non ex animalibus, sed sponte: alia ex rore qui frondibus insudat verno tempore, vt natura fert, sæpe tamen & hyberno, quoties tranquillum, australeque tempus consistit; item alia ex cœno, fimoque putrescente oriuntur, alia in lignis,

lignis, aut ſtirpium, aut cæſis: alia in animalium pilis, alia in excrementis, aut iam excretis, aut adhuc intra animantem contentis. Coëunt areneæ, poſterioribus complicatis, vt & inſecta alia omnia, minore ſuperuenienti maiori; Sunt enim fœminæ in omni genere reptilium, & inſectorum maiores maribus, contrà ac in reliquis, quod & ſerpentibus accidere ſuprà monſtrauimus. Hinc ſerpens Euam ſuperiorem, Adamoque maiorem voluit conſtituere, Geneſeos 3. caputque, Adamum verò inferiorem, ſubditum: inſtituitque imò appetitum ſuper rationem, caudam ſuper caput, vt reponit ſerpens: quò eſt vniuerſa reſpublica euerſa & ordo corruptus omnis. Poſtquàm peperere, incubant ouis araneæ, & tribus diebus ac fætus in lucem edere cœperunt, educant omnem fæturam, & in auram communem mittunt. Quò intelligendus venit Ariſtot. 5. de Hiſtoria c. 27. vbi triduo complere opus ab incubitu docet, id eſt, poſtquàm incubuit, & fœtum edere cœpit, tribus diebus omnes edit, & exerit. Pariunt Araneæ omnes in tela, aliæ in ſubtili & breui, in craſſiore aliæ, aliæ in cauerna, & foramine orbiculari facto, quātum ſeruare figuram hanc poſſunt domicilio irretito priùs, vſque ad externa ſui, & oræ crepidinem, telis expanſis & extenſis, omni ex parte affixis, toti domui prætenſis vndique, ſicque intra telas pariunt, vt eiſdem proles obducta muniatur telulis, recepta à parente, excuſa. Proles non ſimul producitur, vt tamen excluditur vtero fœtus. Poſt fœtum ſalit, inſultatque illicò. Simul ac in vitalem auram prouenere fœtus inſiliunt, affiguntur que telis circumſtantibus ductis ideò circum: Vmbilici è loco fœtus quilibet filum mittit, quo alligabatur matri, dum vtero continebatur craſſum & album; hoc impinguntur reti, de-

ficeret

Leceret ne natura inquietis aranulis,& salientibus eo tempore. Salire illas illicò conspicimus, ante debitum tempus,ante earum educationem debitam,extra domicilium, hoc filo,ne prosilirent, vt minùs aptè educarentur, quàm decebat, labascerentque insultu hoc retinet. Detinentur imò illo deuinctæ vltrà, vt & venatui assuescãt; ducuntur enim eo filo in rete, dũ extrà veniunt prædæ sollicitæ, eodemq; discurrunt,vt arripiãt animalcula in rete obuoluta. Inuidæ adeo naturæ,vt nec simul viuant,aut commorentur araneæ,non gregatim,eodẽ loco & sede. Si casu imò vna in aliam ruat ex minutissimis adhuc,quæ plus valet,aliam discerpit,fugit,reiicit;tãta est inter eosdem adhuc fratres discordia & contentio, parentes, filios conceptos, si loco non distent, & quilibet propria sede non contineatur appensus filo,vbi repositus est primò,dilacerant,quæ non impunè patres efficiunt, pœnas luunt imò filicidij, cùm iam natu grandiores, & perfecti aranei simul ac naturæ robur fuere adepti, in patres irruant, parricidæ,parentesque interficiant,progeniemque omnem,vt qui ex illis plus valet,robustior solus supersit,parricida, fratricida,& tyrannus, bonis fruatur familiæ totius,in hæreditatemque veniat intrusus, non iure capiẽs hæres legitimus;vt hinc continuò latitet abditus, lucem fugiat occultus,solus,tanti delicti cõscius,tacitus, secretus. Cœlo sereno domicilium non excedit; *qui malè agit, lucem odit*, Ioannis 3.nubilo imò,tenebroso,procellis,& turbinibus turbido, extrà venit,cœlo obscuro, & caliginoso, tempestatibus acto, dum fulmina vibrat rector cælestis machinæ Olympi, fulguratque, quasi veniat,pœnas debitas vt luat malitiæ, & flagitij commissi: docuit Aristoteles 5. de historia capite 27. Plinius lib.11.c.24, & reliqui suprà docuere omnes;

Cœlo

Cœlo sereno orditur telas immundum animãs. Terra sola multo tempore transigit depastum roreque cœlesti, è telis roridis, pendenti ad limina orificij telæve omnis protensæ irroratæ, in iis quę extra cauernas inhabitant, in propatulo ad extrà, appensu libratæ, tum mucore viscoso genito ex alimento ingesto durat sine cibo alio, eodem nutrita & alta, non secus ac serpentia viuũt hyeme integra iis solùm, citra alimentum aliquod, ieiuniumq; ferũt, pituitosæ vt mulieres, fæminę pingues, & vetulę obesæ tãpore maiori, & interuallo, pituita in sanguinẽ versa qua abũdãt nimis, calore debili, parum coquenti, faciliúsq; ideo aliis sine cibo transigunt impransæ, diutiúsque, quã mares, præcipuè cholerici, iuuenesque voraces. Tum aërem vaporosum inspirantes, sine alio cibo viuunt diutiùs araneæ, propriisque & fœtibus altæ, crudeliter si est opus, excrementis imò propriis, iis concessa tanta sordities, immunditiaq; tanta, animantibus aliis euenire diximus, cruditatibus eiectis secessu assumptis iterum ali, vt canes vomitu eiectis passim, draconibusque; at excrementis veris solùm araneis, locis adductis patet. Cœlo sereno laborat, quòd intra cauernas videat domos tenebrosas, quæ habitat malitia abdita, nubilo cælo ea cessat opere; defectu luminis cauerna arcta, & obscura, in angulisve domus, aut aliorum, vbi tenebrosis degit, rimulis fissurisve & aliis, vacans opere, tunç & fame extorquetur, quod frigore adaucto ea statione nubila, cutis densetur, & externa, quo minùs innatum calidi effluuium euanescat, & abeat, colore aucto. Alimentum conficitur intrà, vt deficiat tandem cibus calore vegeto commutatus. Hinc exit famelica, cibum quæritans nubilo cœlo, & caliginoso, noctu magis. Congregantur lumine lychinij præcipuè, quòd sint olei

cupi

cupidissimæ, cùm tamen paret sibi mortem oleo, vt insecta omnia, quibus cùm sint præcincta viscera replentur facilè, natura sua viscido, & replenti suffocata, vt intereant respiratione impedita, præcordiis plenis occupatis illo; diximus suprà: sic Aristoteles locis allatis, & cum eo reliqui, & ab eo omnes posteà. Imò sectione 10. proble. sententia 63. araneas plurimas apparere tenet, cùm flatus futuri datur signum, ventorumque procellis sunt omnia agitanda; apparent, vt reficiantur vaporoso alimẽto quo aluntur illæ. Tum quòd aëre crassiori & densiori facto, flatuum tempore, fila conterantur, abrumpanturque minus, vda temperie laxatis, medioque crassiori subleuatæ, vt securiùs filo appensæ descendant illi alligatæ, deorsum, sursumque vt agitentur; quorũ sunt mares ociosi, & desides; laborant nihil, fœminasque vorant proprias vxores fame coacti indigentiæ tempore, filios, oua, compulsi fame. Incubant tempore aliquo, at ab incepto desistunt opere illicò, quibus fœminæ succedũt anxiæ, & solicitæ fœtuum, quos perdunt mares. Sunt, inquit Arist. 9. de historia, c. 10. comites fructus, nõ laboris mares, quæ telis irretiuit animalcula iugi opere factis, fœmina iis fruitur, mas ociosus & iners, docet eo loci. Non minuta aggreditur solùm morsu animantia, maiora imò, lacertulas, viperas, ea industria venatur solertissima, ora cauernæ, qua cõtinentur illæ irretit filis, intertexitque additis & superadditis filamentis, quibus duplicatis, multiplicatisque prout negotium exigit grande, cohibet lacertulæ exitũ, punctura & præsentia, minatu, insultibus, motuque telæ facto ad interna pellit; videre est frequenter irretitas lacertarum cauernulas flocculis & technis illarum: per initia timidæ lacertulæ dètinentur, abrumperent tamen facilè

debiliſſima filateria, minimam autugarent aranulam; ſi principiis obſtarent; deſpicit initiò aranei vires illa, vſque irretito vndique domicilio, morſibus & puncturis pauens, recluſa, viperas imò hoc elencho magnas deuaſtat (Ariſtoteles ſuprà) iners, deſidioſa illa, ſperat araneæ abſentiam, mollia ligamenta initio, & inualida paruipendens, exſiccantur, conſiſtunt tandem ſiccata, mucoſæ & viſcidæ naturæ, glutinoſæ & hærentis abrumpere nequit, facillima diruptu initio, fame & inedia langueſcit ampliùs & ampliùs, quam debilem dum iudicat, maceratamque, impetit exordito filo, qua ſcit orditam fuiſſe technam, quæ rumpitur difficillimè, & exorditur facilè; venit vbi debilis lacertula iacet triſti fame conſumpta, ante mortē lacerare incipit, ſanguine vt fruatur, ne morte concreſcat inutilis, crudeliterque in eam proſilit, qui proprio generi non pepercit araneus, nec filio proprio, nemini parcens, mortis diuiſæ, inſtar mortis, occidit lacertulam innocuam, ſugit ſanguinem; nec impunè tamen tantam molitur perniciem, ſtragemq; tantā ſimplicis animalculi: repletur enim adeò illo auidum animans cruore lacertulo, vt poſterioribus tumidis, & ſi ex anterioribus eam capere poſſit, cauernulæ lacertæ orificium, & fauces domicilij poſſint, exire impotens aranea, nec retrocedere pedibus valens, ſemel exertos extra domicilium lacertulæ reaſſumere qui nequit, plurimos expanſos, diſtortos, malè complicabiles, vt quæ in proprio, iuſtoque domicilio ob arctam eius fabricam, ſecura ab ſtellione degebat, ampliori inuenta, & aliena domo; ſtellio vltionem tanto facinori imponens (ſumma iuſtitia) eum gliſcit ſanguine proximi plenum & tumidum, vt araneum ſimul, & prædā ſurripiat iniuſtā; dixit Ariſtoteles 8. de Hiſt. c. 29. vindictā
ſu

ſumẽs, lacertulamque ſibi affinem vlciſcens, & quòd decepiſſet, araneum occidit; voraturque preſſus malitia & detentus dolo. Vſque adeo non fert natura iniuſtitiam & fraudes. Telas fortes adeò & conſiſtentes ordiri apud Indos occidentis plagæ ſcimus, vt robuſtiſſimi quique homines illas abrumpere nõ valeãt. docet Gommara l. 2. de Hiſtor. Indorũ, & reliqui qui de rebus Indiæ ſcripſere, quibus non ſolùm lacertos irretiunt, imò & maiora animantia ea regione, telas inutiles aſtruunt araneæ, ſolùm vtiles captioni, dolo, & fallaciæ animantium, quæ irretiunt & detinent. Sunt timidæ adeo naturæ, vt non illicò, niſi in magna fame, ac in telam incidunt, aggrediantur animalcula decepta, fame imò detenta, macerata priùs inuadunt poſteà, maiora dicta captantes ſolertia; impetu imò facto contundunt, & percutiunt illa, fugiunt, retrahuntur, inuadunt per vices, vſque dum attrita iam ſuperant, pedibuſque compreſſa, exugant humores, deſpectis, omiſſis aliis. Hinc *aranea timidiorem* adagio dicimus, fœdioremque aranea, & ſuccidiorem, quod propriis excrementis alatur, progenie propria. Minora captant inertia, maiuſcula fugiunt illicò, fortia, & valida. Nec telæ eorum in alia quàm in minima deſidioſa ve, & imbecilla poſſunt, ſi vt decet iis conſulatur, iniuſtitiæ ſymbolum, quæ minimos arcet, comprimit, & ligat legibus, maiores timet, fugit abſoluitque potentes, quæ ſi poſſet, non ſolùm à vi coactiua, directiua imò ſanctionum detricaret, telam iudicij deſerit, technis, & cautelis intricat minimos, magnates irretire tẽtat nunquã, irretitve araneæ iniuſtitia. Dicitur filum perdere dicterio, aut tenere manu, non ſolum quod filo Ariadna Theſeum è Labiryntho traxerit metaphora adacta, imò ab aranea, quæ ſi filum abrupit, redire nequit eò vnde

vnde exiuit. Aranea enim fila diſtorquet ore, extrahitque ex viſceribus, è ventriculo, glutinoſa, pituita viſcida in filum tracta, inſtar lapſus è ventre, & ore trahit filamenta. Eſt illis os ventris medio (mirabile dictu) quo ſe conſtringit, & in ventrem it, dum ſugit illa, apprehenditve aliqua, manus in ventrem, pedeſque contrahit, in ſeſe colligit monſtroſum animans. Ælianus lib. 3. cap. 35. ſic genus aranei longis pedibus præditum eſt, os habet in media aluo: Plinius lib. 11. cap. 24. has refert nubilo cœlo retexere, nunquam verò ſereno; quò ſubdit. Multæ araneæ ſuſpenſæ filis, ſigna ſunt imbrium & tempeſtatum. Texere diximus telas, & ordiri ſereno cœlo, non tamen ſuſpendi filis eo tempore, nec retexere, retorquereve fila, ſed nubilo & obſcuro; cùm enim intra obſcura domicilia laborare non videant, parant fila in exteris, eo interuallo, ore, ne deſiſtant ab opere, ne tempus deſidia abſumant, quibus poſteà telas exordiantur, lucis reditu intra cauernulas, in anguliſve obſcuris quos inhabitant, quibus Ariſtoteles & Plinius cohærent adhuc; Plinius enim ordiri cœlo nubilo dixerat, Ariſtoteles claro.

De Araneorum diſciplina, & generibus.

CAPVT X.

PRæſentiunt araneæ amnium futura incrementa, quò altiùs nidificāt, telaſque ſuas ſuperiùs aſtrūt, futuris inundationibus; mures imò, domus in qua continentur, araneorum telulis ruentibus, ruinam prænunciant fuga, præſentiuntque immiſſis, cadentibuſque earundem nidulis: deſertiſque ipſis domiciliis aliò commeantibus araneis, quibus mures exhortati,

hortati, signis datis ab araneis, fugiunt tãti beneficij debitores, liberanturque à ruina & excidio, lib. 8. docuit Plinius cap. 28. Democritus ex vtero fila ducere tenet, ex mucilagine ibi insita, menstruique modo, filo illo expurgari diducto. 3. c. 6. locis adductis Arist. negat quòd prægnãtes omnes nõ secùs filent, mirabilis recõuentio argumẽti. Cessat vt in plurimum vtero gerentibus expurgatio vteri, concepto iam semine, nec ordinata vt anteà expurgatio prægnantibus inest, quòd fætus hac egeat, absumatque eam, vt menstrua absumit gestationis tempore, imò confluens ex exterioribus omnibus partibus, vbi frigore externo pituita progignitur, mucor crudus in ventrem, ore fila trahit ex ventre, cui os nectitur eius medio insertum, qui sugit ex circumferentia totius animantis, filatque ex cute ore. Quibus iterũ Plinius l. 11. c. 24. & Aristoteles consentiũt, subcontraria solùm, non contraria asseuerantes. Plinius dixit; est illis intus quædam lanigera fertilitas ventre & præcordiis, quæ dum nimis nent, extenuantur, arescunt pituita absumpta humiditateq; totius detracta, Aristoteles non nere ex vtero negauit solùm continuo, ex toto imò ore asseuerauit, raro ex vtero mucilaginoso filamento quandoque fluenti, illud natura, hoc vitio & morbo. Sunt varia eorum genera, refert Plinius lib. & c. citato, accuratiùs tamen l. 29. cap. 4. Ælianus l. 6. c. 56. & l. 17. c. 11. Nicãder in theriacis, Galenus, Dioscorides locis adductis, Aristoteles verò reliquis omnibus disertiùs genera eorum numerauit 5. de hist. cap. 27. & 9. lib. cap. 39. à quo Plinius l. 11. c. 24. Galenus, & Ælianus. Est enim araneus mordax dictus cognomine, huius duo sunt genera; alter similis est araneis dictis Lupi, parui, varij, exiles, procaces, salaces, eò nuncupati pu-

lices, quòd acuminatim & assultim aggrediantur, & icant, pulicis modo, repentè & subitò, saltu quasi. Alterum est colore nigrũ, tardum motu, lentũ, nec saliens, nec assultãs, mordens nõ minùs, & lacerans. Reliqui aut nullum, aut exilem inferũt morsum (inquit Aristoteles) quos qui parant medicamenta, afferunt, enumerantque, quòd vtiles sint auxiliis medicis, non minùs quàm reliqua vtilia medicamina, Lupos dictos araneos. Tertium genus constituunt, non mordaces, sugẽtes imò animalculorum sanguinem, industria captorum, ideoque Græcis dicti λύκος, & ὦλκος, Græcis lupus est, quòd lupi modo sanguinẽ sugat animalculorum quæ irretiit, ὦλκος, quod Græcis via tractusque est, quòd via alia redeat præda arrepta, lupi instar, vt latenter discedat, & abeat, dum tractim sese agit motu. Lupi verò duæ sunt aranei formæ, est vnus intexens exiguus, alius verò qui texit asperam quandã tramam, orditurque iuxta terram, aut sepes, in buxis, vitibus, oleis, præcipuè verò orificij fauces intexit, intusque latẽs obseruat quæ in rete incidũt animalcula, tempusque captat. Est aliud genus lupi aranei, inquit Arist. eo loci, Plinius & alij, quod sapientissimum, lautissimumque appellatur; texit enim primùm, filis quoquouersus distentis in orbem stamina ducit, initio à medio accepto, nec inscitè medium accipit, quo dixit Ælianus l. 6. c. 56. Non modò texendi solertiam araneos præclarè tenere, Mineruæque æmulatrices Erganæ, Pynitæ Deæ, tereti manuum ministerio & tenui valere, sed natura etiam esse ad Geometriam eruditos, centrumque seruare scire, quasi circino circumducerent & circumscriberent exactè ambitum, & peripheriam, nec tamen Euclide egere, Geometricis rationibus erudito, ad medium imò centri sedentes, insidias prædæ

suæ

ſuæ tendere, neque modò texendi rationem noſcere, verùm etiam ſarciendi artificio excellere; nam ſi ex eorum quippiam ſolerti opere ruperis, ſtatim à ruptura, tanquam ſartum tectum, integrum præſtát, ideo Ariſtoteles 9. de hiſtoria. cap.39. in hæc verba prorupit, à quo Plinius poſteà ad literam. Venationem in centro obſeruat genus hoc aranei, vt ex illo breuiùs in omnem circumferentiam inſiliat; cùm enim beſtiola inciderit, motu medij occurrit, deuincitque primùm illam obuolués ſtaminibus, dum defatiget, faciatque infirmam, tunc tollit ac defert, recondit, occulit, ne exemplo irretiti animãtis fugiant reliqua, periculumque vitent; ſi fame torquetur, exugit illicò, hæc enim fruitio araneæ eſt, in centrumque redit, vt iterum obſeruet, & inſidias paret abditus; conſarcinato priùs laceſſito in venatione. Vltrà Ariſtoteles; ſi quid inter medium & extrema inciderit, primò in centrum ille currit, inde ad id quod incidit in rete progreditur; ſed priùs ſemper in centrum à quo linea recta ad extremum eſt: venatur Oriente Sole, aut Occidente, quoniam potiſſimum iis temporibus beſtiolæ offendant, vel fame noctis prægreſſæ excitatæ, vel diei calore ſtimulatæ reconditæ diu. Horum duo genera conſtituit, quos Lupos ſapientiſſimos vocat. Eſt quidam magnus mole araneus, qui ne animalcula exterreat, crurum longitudine latet cruribus ſuſpenſus ſubtus telam, formidinem ne inferat manifeſtus: incauta vt incidant animalcula in partem ſuperiorem telæ ſine defenſa oſtentata; alter qui eſt minor, ſupernè obſeruat, latens in quodam ſuæ telæ cancello, indeque inſilit. Pratenſes araneas, quæ ſunt nõ Lupi, nec Lupis ſimiles, in pratis viuunt, & nidificant, quas Ariſtoteles 5. de hiſtoria, c. 27. parere diſſueto omnium animantium ritu

 retulit;

retulit; horum enim fætum matribus applicitũ, media fœtus sui corporis parte, posteriori, & vltima, media verò expertus auram, anteriori, & priori, intra fæmellæ viscera residet, geruntque affixos fœtus secum semienixos illæ vsque dum integri & absoluti Aranei prorumpunt, & veniunt, cùm miseræ matris vitæ dispēdio, pręposteri exitus, vltimo sui impedito exortu, mole maiori eius partis facta tēporis tractu, vsque dum fæmella enixus labore languescit, exhalatque animā, partu euerso tanto interuallo gestato, obstructo illo vtero, matreque cōfecta crudeliter in patrem irruunt, quem morsibus parricidis enecant; Aristoteles docuit, & cum eo reliqui locis adductis. Ne verò tædiũ pariat, Aranei natura deformis, spurca, & obscœna est: In Araneo maximè notatu dignũ, quòd è centro saliat in circumferētiam circuli, centroque assideat, in illud redeat, hoc seruet diligentissimè, præ cæterisque custodiat, teneat vndique, omnes quòd cognoscat lineas ibidem teneri, simul centro arrepto, secùs si vna linea ludere possit ille, nō posse reliquis, in centro verò omnes complecti, discurrere omnibus. Qui creaturarũ tenetur, flagratque desiderio, & hiatu, non singulas, nō lineā captet, hanc illamve prosequatur auidus, hanc adeptus, illas omittat, hians semper aliam, & aliam famelicus, satisfactus nunquam, centrum imò petat, constituat sibi, si omnibus simul frui cupit, ne anxietas vnius alterius voluptatem imminuat, ne occupatus, sollicitus ex vna in aliam trahatur omnis boni pulchritudinisque cupidus de linea in lineam, centrum vt aranea quærat, Deum creaturarum omnium cētrum, sedes, vbi omnia sunt simul, omnes, centrum, simul vt amplectatur omnia, satiabitur tunc, non anteà; *satiabor cùm apparuerit gloria tua*, in centro, non aliter,

anima

anima enim triangularis est potentiarum ſerie, menſque ipſa, memoriæ, intellectus, & voluntatis ſphæricum vniuerſum, orbiculare; nequit triangulus repleri circulo, aut angulare ſphærico; manent imò ij tres anguli vacui, illo ſuſcepto, nequit creatura, creaturæve omnes non valent ſatiare animum, niſi in centro, ſoloque triangulo alio poteſt impleri mens noſtra Trinitatis indiuiduæ, voluntas amore ſpiritus, intellectus ſapientia filij, memoria Patris fœcunditate; ſummo enim bono poteſt ſatiari, non alio fames appetitus humani, ſoluſque Deus omnia continens illum replet. Qui bonum impertit omne, centrũque ſolum appetitum ſatiat, eorum quæ in centrum tendunt non aliter ſatiantur. Centrum ergo aranea petit, redit in centrum, ſi deſeruit ſemel, vel aliis occupata vitæ actiuæ, vel aliò ſi receſſit. In Deum ergo, in centrum redeundum, omiſſis aliis, ſi omnibus frui expetimus, priùs quàm in alia eundum, ex quocumque moueri incipias, aut ſi extra centrum es, vt aranea mouetur, incedes ſecurus, via recta in omnia, quæ adiicientur hoc facto. Eſt Chriſtus verus Deus, & homo, α. & ω. principium & finis, medium & via, Apocalypſis 1. capite 21. 22. & Ioannis 14. Ego ſum via, veritas, & vita. Eſt via medium inter principium & finem, inter α. & ω. quo eſt omnia, cùm ſit principium, medium & finis omnium. Eſt centrum; medium enim & centrum idem in circulo, Deus verò circulus æternitatis eſt, ſine principio & fine; centrum à quo lineæ omnes creaturarum diductæ ſunt, in ipſo omnia, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus; ſumus cum inanimatis, viuimus cum plantis, mouemur cum animalibus & ſpiritibus. Cum animantibus corporeo motu, cum aliis mente. & hæc ideo Paulus dixit iis eo loci Actuum 17.

cap. Hinc centrum, medium, via dicitur, & cùm centrum sit, dicitur Lucæ 14. cap. *Dum autem hæc loquuntur; stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, pax vobis; Ego sum, nolite timere.* in medio stetit, cùm esset centrum, probauitque imò se Deum esse, quòd centrum esset, & medium omnium, Ioannis 20. idem & alibi sæpè. Est Phalangium alia Aranei species eo nomine dicta, ex Aristotele colligitur 29. cap. citato 9. de historia, vbi sic est scriptum. Aranearum autem & Phalangiorum plura sunt genera, quo loci species solùm Aranei retulit dictas, Phalangium nomine synonymo hic ab Araneo solùm discernens, & si aliquando, vt videre est, diuersum iudicet ab illo, vt constat 5. de Historia, cap. 27. vbi modum partus Aranei cùm deplicuisset, parereque in telas referret tenues, phalangia in rete eniti asseuerauit, crasso & viscido, tenaci & stabili, partusque numerosioris esse multò araneis; quò res satis dubia, ambiguaque redditur. Plinius lib. 11. cap. 24. sic interpretatur Aristotelem eo loci, iis: Araneorum dictis animantibus insectis, non absurdè iungitur natura digna, vel præcipua admiratione. Plura autem sunt genera, nec dictu necessaria in tanta notitia, Phalangia ex eis appellantur, quorum noxij morsus corpus exiguum, varium colore, acuminatum, assultim ingredientium: altera eorum species nigri, prioribus cruribus longissimis, omnibus internodia terna in cruribus, Luporum minimi nomine non texunt, maiores in terræ cauernis exigua vestibula præpandunt. Tertium eorundem genus erudita operatione conspicuum est. Quibus phalangia in specie dicta distinguit ab aliis araneorum formis, malitia morsus, & si genere idem phalangium & araneum consignificent communi nomine, dicanturque

quę araneæ phalangia, quòd aranei omnes peruersa habeant, instar phalangiæ vectoriæ crura, sintque tot genera araneorum, ac Phalangiorum nomine synonymo dicta, quo Aristoteles eo loci distinxit araneorum species, & simul phalangiorum, & si in specie phalangium tarantulam notet, formámque araneæ nimis venenatam, rufam, viridem, cæruleam, nigricantem, pallidam, & liuescentem, variegatam non minùs, Apuliæ notam, aliísque & aliis regionibus, de qua infrà. Suprà species araneæ retulimus ex eodem. Habent araneæ omnes phalangiave sex crura communiter, & si octo inueniãtur nõ raró, at quatuor rariùs, crus quodlibet internodia habet terna, & nodos duos, phalangium gręcis φαλάγγιον dicitur à φαλάγγες, Latinis phalangæ vectesve illi, quibus onera subducimus, *palancas* Hispanis, instrumenta lignea contorta quibus & gypsum conterimus, similia satis iis araneorum cruribus, ideo & phalangia vocantur aranei, propter crurum similitudinem cum iis instrumentis: sic Varro lib. 4. de vita populi Romani, Iulius Pollux sic. Phalanges siue phalangæ dicuntur ligna, quibus subiectis naues ducimus. Herodotus idem, Plinius lib. 4. cap. 56. Hinc Latini verbum formant phalango, seu palango palangas, quod est, fustibus dictis aliquid subuehere; ideo Afranius dixit, & capream vnam semilaceram quaterni simul palangabant, etiam si apud Plinium palanga, vt videre est lib. 4. c. 56. significet fustes nodis carentes, quibus (inquit) primò fuere vsi Afri in prælio cõtra Ægyptios, à quo phalanx agmen venit posteà, quòd iis armata acies agminis veniret in prælium, quò & phalanga dicebatur dux iis qui præerat, Reg. 1. c. 17. *Goliath stãs clamabat ad phalangas Israël, & dicebat eis, quare venistis parati ad prælium? nunquid ego non sum Philistæus,*

& vos

& vos serui Saül, eligite ex vobis virum qui descendat ad singulare certamen. Vbi phalangas vocat, non turmas & agmina, viros imò potentes, ducesque exercitus, Heroës & qui præsunt phalangis: viros enim publicos inficere tentat dæmon, priùs hos vocat, & sollicitat ampliùs Goliath, vt eorum exemplo subducat plebem, inficiat, euertat. Dicitur etiam phalangium digitorum internodium quodlibet, Græcè φαλάγγες, docuit Galenus l. de ossibus c. 7. & herbæ phalangites nomen est, vt docuit Plinius l. 27. c. 12. phalangium inde aranei genera notans ideo; cuius in specie adhuc dicti non vnum, varia imò adsunt genera phalangiorum, & naturę diuersæ, & si omnes venenosi, morsus virulenti, & tetri, mole minimi, & minores araneis aliquibus, & quandoque maiores; phalangium est Italiæ ignotum (inquit Plinius l. 29. c. 4.) estque plurium specierum, vnũ simile formicæ, sed multo maius, rufo capite, reliqua corporis parte nigra, albis incursantibus respersum guttis, viuit maximè circa furnos, & molas, ea est animantis frigiditas & ingluuies. Læsis est maximum remedium, si semel icti alterum eiusdem generis videant, inspectentque phalangium, in quem vsum seruãtur mortui cùm inueniuntur, aut viuentes asportantur, cuius cortices vsti, & contriti, ebibitique medẽtur eorum morsibus omninò; catuli, mustelæ eodem modo parati idem efficiunt in phalangiorum morsus, eo loci Plinius testatur. Non aliter peccata dum nos inficiunt, vitiorũque venenum, semel ac intra nos suscepimus, si in externis, in exteris, si in aliis inspectentur, remedio esse solẽt virui, infectioni, cõtagionique contractæ; Contigit Dauid, qui cùm adulterij labe, & homicidij esset infectus, ex ea quæ fuit Vriæ Bersabee, in seq; scelus & venenũ susceptũ ignorasset, nõ cogno

cognouiſſet, ſemel verò extrà ac virus & virulaginẽ conſpexit in alio, malitiam faſſus eſt propriam, ſenſitque mitigari venenum cognitione, intuitúque veneni, priſtinæque ſaluti reſtitui; oſtendit enim illi ſimilem virulentiam, eiuſdémque generis venenoſum vitium, parabola illa Nathan celebri in alio ſubſtituto exemplo, ſententiam qui tulit capitis, dignúmque morte iudicauit, qui delictum commiſerat, in ſeipſum ſententiam afferens alterius ductu, veneno ad extrà peruiſo ſimili, extra reuocato, quò priſtinæ ſaluti rediit, pœnitẽtia & contritione, ſatisfactionéq; ſceleris. 2. Reg. c. 12. Sic veneno extrà ſe poſito, viſo in aliis ſanantur læſi phalãgio, viſu, inſpectu phalãgij alterius, ꝙ trahit, allicítq; ad ſe venenũ internũ oculis, tractu ſpirituum infectorum, malitia animantis, vt trahit magnes allicítque ferrum, alia & alia ad ſe vocant quædam virtute innata eorum tractiua; vt circa oculos in conſpectu phalangij detenti potentiſſima vi tractrice, qua inter alia omnia venenata pollent (docuit experientia) venenum exugant, ſpiritúſque è corde, & cerebro trahunt infectos, & inquinatos in decenti, & certa diſtãtia, quibus extractis, venenum ceſſat, quod eoſdem infecit, vt tenuiores & faciliores priùs intenſiúſque, ideo vt infectio deſit. In ſe non iudicat, quiuis amore proprio obcæcatus, vt trabem oculi non videat, qui feſtucam alienam inſpicere valet, ſe quem delicto teneri non eſt ratus, alium imò. Morti tradi iuſſit poſſeſſorem, cùm tamen ipſe teneret, retineretque. Eſt genus aliud Phalangij in ſpecie dicti, *lupus*, nomine compellatus, quòd præcipuè ſanguinem animalculorum ſugat, hoc ſolùm contentus, omittens reliqua: tertium genus eſt lanuginoſum, grandiſſimo capite, loco allegato docet Plinius, de quo Cæcilius lib. 3. cap. 7. ſic ſcripſit: Hoc diſſecto

diſſecto capite vermiculos duos continere norunt omnes, qui adalligati ante Solis ortum mulieribus in ceruina pelle, præſtant ne concipiant, cuius vis annua eſt, háncque ſolam ex omnibus, quæ conceptum impediunt dixiſſe fas ſit, quòd moleſta eſt nimia fœcunditas plurimis. Eſt aliud dictum Græcis ῥάγιος, à ῥαγία, Latinis dorſum, & à ῥαγίζω, Latinis per ſpinam diuido, quod quaſi dorſo perfractum videatur, qui acino vuæ nigræ eſt ſimilis forma, ore minimo ſub aluo, pedibus breuiſſimis ferè imperfectis, cuius morſus eſt qualis ab Scorpione. Reddunt vrinam ab eo percuſſi, telis araneis referam (mirabile dictu in natura animantis) Ariſtot. Plinius, Ætius, Paulus, Dioſcorides, Nicander locis ſuprà. Huic eſt ſimilis dictum Aſterion phalangium, præterquàm linulis albis quibus à capite ad caudam vſque variatur; huius morſu genua labefactantur peculiariter, eſt aliud iis ſimile, at eis deterior, cæruleus lanugine nigra, villoſus, caliginem concitat eius punctura, vomere facit quædam telas araneas quæ repræſentant. Ille dicitur Aſterion, Græcis ἀστέριον aſterion, quaſi ſtellatus, & varius, perlucidus, & ſplendens, ab ἀστέρος ſplendidus, Latinis. Cæruleus verò ex colore dicitur animans. Eſt alter deterior morſu, à crabrone animanti pennis ſolùm diſſidens, figura eadem omnino, hic morſu marcorem inducit, & triſtiſſimam maciem. Eſt Myrmecion phalangium adhuc, quod formicæ ſit ſimile caput, aluo nigra, guttis albis diſtinguentibus, quod dolorem veſparum quaſi morſu infert, myrmix enim, Grȩcis μύρμηξ, formica eſt, à quo myrmecion, ab alio animanti quod formicas lingit natura diuerſus. c. de formica cōſtat; hic verò quòd capite ſolùm eam repræſentet, dicitur talis, non quòd eas gliſcat, phalangium. Sunt

pha

phalangia alia dicta tetragnatia, Græcè τετραγνάτις, à τέτρα, Latinis quatuor; γνάτις, Latinis maxilla, quòd quatuor maxillis constent, quorum duo sunt genera, natura noxia, vnius caput linea alba distinguitur per longum, & altera per transuersum crucis instar, quod morsu oris tumorem excitat. Alter cinereus animans, candicans parte corporis postrema lentior & tardior motu. Aliud cinereum est, quod latissimè telas pandit in parietibus, muscis minimè nocẽs morsu. Hæc numerat genera Plinius lib.29. cap.4. Ætius lib.4. serm.1. c.18. Nicander in theriacis priùs, à quo reliqui omnes, Ælianus suprà, vbi & si nominibus aliis ab aliis accidentibus desumptis vocitentur eædem numerantur species, sexq; autoritate multorum differentiæ statuuntur, rhagion, lupus, myrmecion, cranocolaptes, sclerocephalon, scolecion, quemadmodum & Plinius octo species enumerauit eo loci, Rhagion, Asterion, cæruleus, crabro, myrmecion, tetragnation, lupus, formica toto similis. Nec differũt sententia authores. Asterion enim Plinij species est subdiuisa myrmecij. Ætius enim myrmecion stellis lucentibus variegari dixit eo loci, corpúsque eius esse fuliginosum circa dorsum stellis varium, sub quo claudit myrmecion dictum formicale, toto corpore, non solùm capite. Scolecion, cranocolaptes, sclerocephalon, sic ordinantur. Cæruleus Plinij est Cranocolaptes Ætij, quod viride nigrum vocat ibidem, appellauit tamen Cranocolaptem, quòd Græcis κράνα caput sit, & κολάπτω, sculpo, quasi caput sculpat, imprimátque morsus vehementia, relinquátq; signatũ rostrũ in parte læsa, etsi κολάπτης sit genus instrumẽti, cõtorti iaculi instar obliqui, cui caput huius assimilatur, Sclerocephalõ sic appellauit Ætius, quòd σκληρὸς durities sit, & κεφαλὴ, caput, quasi durus capite; hic est cra

est crabro Plinij, durissima tectus crusta; pennæ enim solius defectu à crabrone dissidere dixit, duritie, figura; reliquis conuenire omnino. Iam Scolecion Ætij dictum vermiculatum, quòd vermiculos, grecè σκωληκίον, dictos ingerat, à tetragnati non discrepat, vt videre est signis allatis. Est verò Myrmecion dictum c. de formica, distinctum ab hac phalangij specie, quæ Myrmecion dicitur, nullum enim ex his formicas gliscit, Myrmecion verò edit, quod non quòd figura formicas repræsentet, tale compellatur, quòd ingerat imò, hic verò araneus, quòd figura referat illas alter totius, aut capitis, vt patet dictis.

De Tarantula Aranei specie naturalia & mystica complectens plurima.

Capvt XI.

MIrabile est genus illud phalangij Asterion dictum, araneæ animantis species, in Apuliæ regione notissimum vulgò, Tarantula; cuius est illa mirabilis conditio morsus, vt ab illa percussi musica & harmonia pristinæ sanitati reuocentur, notissimum ea in regione Neapoli omnibus incolis, vbi ad musicam tanquam ad sacram anchoram confugiunt læsi, qui non secùs ac Saul cytharam dum pulsabat Dauid meliùs habebat, leuiúsque, recedebat enim spiritus ab eo. 1. Reg. c. 16. sic musica ij alleuiatur maximè interim quòd harmonia durat, cruciatibus & accidentibus aliis liberi, motúq; vehementissimo, quo saltant & tripudiant continuò inquieti, incõstantes, vt interim salutaria remedia theriacæ suscipiant, & alexipharmaca alia veneni correctiua tartarei; hac quie

quieſcunt,leuantur,recreantur, reuocantur in mentem, ſapiunt, quieſcunt,ſubiiciuntur remediis, obediunt auxiliis,vſque dum integrè ſaluti reſtituuntur; quò ea regione plurimi victum quæritant ex arte muſicæ. Dixit verò eo loci Plinius, Aſterion, Phalangium,ſtellionem etiam dictum, quòd ſtellis emicent tergora, Tarantulam Hiſpanis & Italis, in Italia non oriri, incognitumque eſſe Italis Tarantulam Phalangium Aranei ſpeciem dictam, quòd Italiæ nō omni,ſolùm imò Campaniæ, Apuliæque innoteſcat, non Italiæ omni nota.Eſt Neapolis Campaniæ ciuitas,aut quòd Plinij ætate fuerit illis incognitum,notum poſtea, cœli variato climate, & influentia varia productũ,terræq; diſpoſitione altera, cultu opereq; aſſiduo.Scimus animãtia,plãtas,herbas,reliqua innaſci alia, & alia cæli configuratione conſtellationeque alia diuerſa,tum adnata variari opere, & intenſione virtutis,nomine aut eo incognitum,alio appellatum anteà Italis. Eſt omni admiratione dignum, quòd de hoc animanti in quibuſdam regionibus orto, vt & de Stellione referunt autores dicti, morſu venienti ſtridere ſono quodam per vices vario, dum icere tentat,venenumq; effundere, irruitque vt mordeat, læſos tamen non anteà ſaluti reſtitui, quàm eundem concentum,tonumq; eundem muſica inueniat, tono eodem & claue ſtridoris animantis, vnde variè ſonant, & perſonant, vſque dum illa conſonantia reſultat,& harmonia qualem ille edidit,iniiciens morſum, aut quam veniens referebat læſus. De muſica plura extant à nobis dicta anteà; de cytharæ Dauid pulſu, quo Saül meliùs habebat literali ſignificatu; hîc quædam ſolùm referre cogar myſticò. Muſica & concentu nos impetit caro,dæmon,mundus,creaturarum aſſonantia. Mundus rerum concentu,cum ap-

 petitu

petitu & concupiſcentia noſtræ carnis, quæ interim quòd aſſonãt virus fundũt harmonia & modulis, Sirenæ cantu placido, blando & ſuaui nos illiciunt, & irretiunt, virulaginem reiectantia, cantu dũ demulcent, quorum non ceſſat virulago, vſque dum muſica ſalubris attigit idem punctum, inciditque in eandem conſonantiam, qua ſumus infecti, triſtiſſimis interim, diriſque extorſi cruciatibus, accidentibus variis moleſtati, afflicti ex veneno ſuſcepto. Nulla ſupereſt nobis alia ſalutis via, nec poſſumus alio priſtinæ ſaluti reuocari, quàm muſicæ & concentus eo tono, puncto illo quo ſumus icti: Offenſa infinita commiſſa eſt, Deus infinitus iratus, iuſtitia infinita læſa; vltrà non potuit ire malitia mortalium, Chriſti concentu ſalutari noſtro opus eſt, qui eo tono infinito vocem emittat, vt in cruce magna voce ſpiritum miſit punctũ vt attingat alta voce ſalutis, quod attigit malitia noſtra, tum conſonãtia rerum cõcentuque impetimur, ne propria æſtimatio diſſonet, & opinio, honos habitus, mille ſcelera, flagitia mille cõmittunt mortales, quanta hypocriſis, ſimulatio, quãta fallacia, dolus, ne harmonia, cõcentuſque vocũ popularium diſſonet, aut deſit, hac muſica officimur, inficimur, imò veneno vitiorum, quo dicitur Ezechielis 33.c. *Audiunt ſermones tuos Domine, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſequitur cor eorum, & es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcique ſono canitur, & audiunt verba tua & non faciunt ea.* Muſica enim alienati, & ebrij concentu. & cõſonantia honoris, æſtimationis, rerumque earum, quibus hæc conſiſtunt, & ſeruantur, auaritiæ, doli, fraudis, voces & ſermones tuos non implent, illa muſica ſolùm deluſi, & occupati, auaritiam ſequitur cor eorum, eſque eis Deus, quaſi carmen muſicũ,

qua

quaſi ficta cantilena, & conficta narratio, hac muſica decepti, veneno vitiorum replentur, inficiuntur, dæmone, propriis paſſionibus, amore peruerſo, & auerſo, conuerſo ad mundi fallacias, egent ij muſica ſalubri, cœleſti harmonia, & concentu, vt mederi poſſint, muſicaque quæ punctũ idem attingat, quod tetigit illa, amor proprius vt fugetur, dæmon, Tarantula, virus propellatur. Scimus, cytharam à ſe pellere quæ ſupra fides continet leuia, alia ſi pulſetur, fidium aſſonantia in eodem tono, quando illi conſonat; clariſſima docet experientia rerum magiſtra; hinc muſica dum in eundem concentum venit, & tenſionem, tonumque partium, partes, nerui chordæ noſtræ naturæ excutiunt à ſe venenum, propulſantque, & eiiciunt, motu loci excuſſæ, perculſæ, leuia excutiunt, tenuia, venenata, & ignea, tum concupiſcentiæ ignis noſtri leuia, fallacia, facilia, inconſtantia, vt ſaluti redeāt ægri amiſſæ & priſtinæ, neruis, cordiſq; concentu percuſſis, cytharæ potentiæ Chriſti diuinitatis, & humanitatis tono, proprioque concentu, & harmonia, reliquas enim muſicæ cauſas affectuum mirabilium attulimus anteà. Egent ergo infecti mortales muſica, quæ contingat in idem punctum, quod venenum attigit malitia, & Phalangium peccati, & cùm dæmõ hominẽ læſerit, lædatq; 34
in muſica rerum fugacium temporalium, vſque in Deũ ipſum diſſonantia facta, aureſque Dei, peccato & malitia obtuderit, infinitũ Deum offenderit, voce alta ſuperbiæ, & gulæ, vſque in infinitũ Deũ peruenerit, opus eſt muſica infinitæ proportionis ſoli Chriſto poſſibilis, & per ipſum nobis muſicæ autorẽ, vociſq; infinitæ filij, infinitus vt infinito ſatisfaceret Patri Chriſtus Deus homo, vt ſaluti reuocaremur in eadem altitudine, in qua læſum Deum

 offen

offendimus iustitiæ rigida satisfactione infinita peracta, vt homo superstes esset, placareturque Deus. Est Christi concentu, & musica persanatus homo, Christo cythara illa percussa, qua expulsus est dæmõ cythara Dauid, hac Saül dæmoniacus mundus, dæmone liberatur homo, peccato, inferno, morte, in ligno, in cruce. Constat cythara & hæc lignea compage, in cuius medio sunt laquei, flos, rosa, cauitasque amoris lateris Christi, quo personat, & resonat illa, in Christi capacitate, in gratia infinita, super naturã, vocibus Angelorum suauiùs, laquei amoris plurimi, imò in eo ligno clauiculę adsunt, fortissimi claui quibus fides, chordæ, nerui Christi intenduntur, intensæ altissimas edidere voces, adeo acutè resonarunt, vt Patris aures, quasi ferre nõ possent vehementissimũ sonum, omni vt sua auditus infinita potentia fuerit opus, sonos vt sufferret amantissimi Filij innocentis acti cruciatibus diris, tantum spectaculum vt attenderet. Iustiaque quæ hæc sanciuit, velauit oculos rigidam sententiæ exequutionem admirata, vt nunquam ab eo deuelauerit die. Hinc oculis iustitia depingitur velatis illa, anteque in hoc signo obumbrabatur velata mortalibus; Fuere & graues & acutæ voces, quibus harmonia integrabatur, edidit vocem illam grauem, *consummatũ est*, quæ ad humanitatis portionem inferiorem, partemque percussam spectabat; hac mori libuit, & acutissima illa, quę penetrauit cœlos, alta & sonora, qua dixit clamans voce magna, *Eli Eli lammasabacthani?* qua Deum inuocauit Patrem, miratus quasi cùm Deus esset, quomodò mori liceret, & posset, summum amorem, summamque obligationem, vt hominibus & Angelis imponeret, exclamauit voce magna, emittens spiritum super ritum morientium, qui iam iam dum mori concessi

ceditur,languidas edunt,& imbecilles, deformatasque voces, altissimè Patrem proclamauit Christus, Deusque ipse, vt satisfactum sibi esse de rigore iustitiæ fateretur iis vocibus & harmonia summa, humanitatis grauibus, diuinitatis acutissimis, altis, elatis, sonoris lancea. Temperator erat huius cytharæ Dauid, hac exiuit sanguis & aqua, cor patefecit, ne igne amoris incendio conflagraret, temperaretur imò aperto latere amoris incẽdium & æstus. Hanc pulsabat cytharam amor diuinus, Pater, ea hac musica vt placaretur,delineretur que harmonia, hac placatur,& sistit,hac Deum placamus, allicimus per Christum Dominum nostrum, musica & concentu diuinitatis & humanitatis, qui descendit de cœlis, homo factus,vt ascendat homo, ascendit homo,descendit Deus, vsque ad consonantiam Christi. Hominibus vt esset cythara, qua possent illinire iratum Deum, grauissima & infima nostræ naturæ voce, quæ poterat personare solùm in clauc naturæ, voce adiuncta diuinitatis, verbóq; sonoro, vt ad be quadratum eleuaretur Christi,diuinitatis, humanitatis,iustitiæ,misericordiæ, diapason, absolutaque nostræ salutis consonantia, duo illo mirabili diuinitatis & humanitatis suppositi. Non ergo rauca voce, & horrisona,clangosa & aspera, peccati siccitate aspera,rheumatismo frigoris,charitatis, inconcinna, granias cum Coruis cras cras, Ecclesiast.32. cap. *Ne impedias musicam.*Hanc Christi tantumque concentum, vocem imò ede simul cum hac cythara clará, Deum inuoca,exclama,proclama ad Deũ rationis, & appetitus concentu facto, cane cum hac cythara & more nostræ villæ, villaneas rusticasque nostras cantiones compone,pulsa cytharam,Deus est ad ostiũ,& pulsat tecum:hacq; delectabitur,& placabitur simul.

Venenum Tarantulæ vt fugias, phalangiique venenati dæmonis musica eodem gradu & concentu, hac cythara Christo reddes, quò est lata offensa, pelles virus, venenum excuties, qui potentiis deordinatis & chordis assidebat, quibus rationis legem tenemur attingere, vt cordati simus & non vecordes in cythara hac, & vt fides dissonæ, & quæ vecordes sunt, duplicāt sonos, & duplicantur motibus, ne duplicati simus corde, & chordæ discordes ne sint, simplicissimo & eādē sibi, & prototypo Christo, antidotoque Christi corporis, præparati priùs oris vomitu pœnitentiæ, & confessionis, pristinæ saluti vt reuoceris.
Nicander in Theriacis horum Araneorū, quos phalangia vocamus, septem species attulit, ille inquit: Est Rox, Asterion, Cyaneon, Agrostes, Disdyche, Myrmecion, Cantharides, Sinchelon. Sūt omnes voces Græcæ: de quibus Plinium septem etiam stabilisse species monstrauimus. Rox enim græcis ῥὼξ est Rhagion Plinij, & Ætij, quod à ῥὼξ Græcis, nobis vuæ acinus, quòd ei maximè figura assimiletur, quò Rhagium vocauit Ætius; & subdit ipse, id est, acineum, figura rotundum, nigrum colore, vuæ nigræ acini similitudine, vnde appellationem accepit; os in medio ventris, dentesque possidens, pedes ex vtraque parte breuissimos. Hæc Ætius c. 18. lib. 4. sermone 1. quæ omnia Nicander retulit, ex quo transtulit Ætius & Plinius. Asterion idem etiam est omnibus, & Nicandro eo loci. Myrmecion etiam est omnibus idē. Cyaneus est cæruleus Plinij, & cranocolaptes Ætij, cuius morsus signa eadem sunt omnibus. Cyaneus enim color, græcis κυάνεον, & cæruleus color est, & cœlestis, vt videre est apud Dioscoridem lib. 5. c. 59. & apud Homerum Iliad. *x*. Agrostes Nicādri lupus est Aristotelis, Plinij & Ætij, quasi

quasi venator muscarum, & quod acuminatum sit, ἀγρόστης agrostes dicitur more spicæ, graminis, herbæ ἀγρόστις dictæ, non quòd culices venetur, aut muscas, cùm musca Græcis μυῖα appelletur, & culex κώνωψ, aut ψῆνες. Disdyche Græcis δισδύχη & σφηκεῖον dictum, δισδύχη quasi difficilis pugnæ, & sphicon, quasi vespicum; Vespa enim Græcis σφηκεῖα appellatur, de quo Nicander eo loci sic: Restat aliud genus Phalangij, quod δισδύχη σφηκεῖον-ve dicitur, simile illi generi vesparum quæ crudas carnes depascuntur; sunt enim equi emortui vesparum, tauri verò apum productores; ferocesque & venenatæ vespæ nascuntur putrefactis equorum cadaueribus; hîc subdit; si quempiam vulnerarit, ingens è vulnere tumor erigitur, tumores ad genua, vt nullo modo flectere genua possint, cordis trepidatio, virium destitutio, extremi maleficij animal, somnum adferens medio tantorum malorum, qui hominem placidissima quiete delusum interimat. Cyaneum, cæruleumve, facere euomere telas araneas dixit, vt Ætius, Aristoteles, Pliniusque retulere, vt & aliorum eadem retulit. Disdyche ergo Nicandri, est crabro Plinij, & Sclerocephalon Ætij, durus capite, crabroni similis, & vespæ, vt diximus anteà. Cranocolaptem tradit Nicander etiam iis posteà in Perseæ foliis. Ægyptij genus Phalangij creatur, Cranocolaptes dictum, cuius horribile semper caput incessanter nutat, vterus autem grauatur, quòd si stimulo, qui est illi ceruici innatus, summoque capite, aliquem læserit, mors sequitur, sine molestia aliqua, inopinatè tamen. Hoc Phalangium, species cærulei est, vt monstrauimus suprà. Ex signis eorum, ex morsus accidentibus & aliis, Persea arbor, vt docet Sostratus lib. 1. de morsibus, ex Æthiopia in Ægyptũ translata

est, quam Rholus Democriteus lib. 3. cap.6. lethalem esse Persis retulit, ideoque Ægyptiis transmissam, vt Ægyptios interficerent, translatam tamen salutiferam extitisse Ægyptiis. Non est Persea nostra communis hæc, nam, vt docet Strabo lib. 1. cap.7. Persea nascitur in Ægypto, altitudinis eximię, iucunda aspectu, materiæ vt Celtis altæ, pyro per omnia similis, frondis perpetuæ fructum gerit, pyri magnitudine, longiusculum, amygdalæ modo, putamine inclusum, herbidi coloris, nucem intùs instar pruni continēs, longè molliorem, minoremque, gustu suauis, facilè coctilis, & quamuis immodicè sumatur innocua, quibus à Persea nostra vt discrepet, sat patet; Dioscorides idem retulit lib.1. cap.de Persea. Hocque genus Phalangij atrocissimum huius pulcherrimæ arboris foliis insidere referunt; latet anguis in herba; Cantharides Phalangij, quòd muscarum Cantharidum venatores sint, ideoque salacissimas inferant morsu passiones, quòd nil Venerem excitet acriùs Cantharidibus, refert Dioscorides lib. 2. c.54. à quo Galenus, Plinius, & alij. Species lupi Phalangij est, eo solùm dissidens, quòd muscis iis magis delectetur, aliis verò vulgaribus, Lupi dicti communiter. Sunt ergo Phalangij omnia genera sex Ætij; Rhagion, Lupus, Asterion, Myrmecionve, Cranocolaptes, Sclerocephalon, Scolecion. Dedecori & ignominiæ erat, lethalis & venenata Crux arbor illa, lignumque, gentibus Æthiopibus denigratis fœditate peccati, Persis gentibus illis indomitis, & ferocibus virus, cruore insuperabile, translata verò in Christum super humeros eius imperium eius, illi inserto eo ligno, salus, valetudo, antidotus in venena & mortes. Persea hæc virescens iugiter, cuius folia linguam, fructus cor æmulantur, eisdem autoribus

toribus patet, vt cum lingua cor assonet, musica qua recreetur homo, & placetur Deus.

De mysticis Araneæ naturæ elisis, & naturæ plurimis.

CAPVT XII.

EST ea Aranei vis, potentia illa, vt & si mini- 35
mum exiléque sit animal, maximos & feros vincat serpentes, superetque omnino: non alio quàm capite aggreditur, vbi summam veneni potentiam, & robur continere sciuit; hac eosdem petit, & superat, mirabile dictu, arborem excelsam, aliudve ascendit quoduis, filo appensus, quem è visceribus defilat, ducit, se demittit, & librat illo in serpentis caput, quem ociosum iacere inspexit priùs, quietum, & placidum, ille contrahitur illicò, ac araneum sensit sibi impendere, pertimescit, nescit fugere, torpescit imò, Plinius libro 10. cap. 74. sic: Librat araneus se filo in caput serpentis porrectæ sub vmbra suæ arboris, tantaque vi, morsu, cerebrum apprehendit, vt stridens subinde, ac vertigine rotata, ne filum quidem desuper pendentis rumpere valet, adeo non fugere queat, nec finis pugnæ ante mortem serpentis est. Idem Aristoteles 9. de historia, cap. 39. Ælianus, Rhodiginus libro 11. cap. 13. Vbi narrat ex Alberto Magno in Colonia Agrippina se vidisse puellam, quæ in trimatu arriperet araneas è parietibus, hasque impunè voraret, eisdemque ali innoxiè. Eadem Paulus, Dioscorides, locis allatis. Vtilissima iudicat Galenus 5. de compositione medicamento-

rum ſecundùm locos, capite 9. oua araneorum trita
cum vnguento nardino, ad dentium perforatorum
dolores, indito vnguento intra dentium cauitates.
Idem Archigenes ſenſit, telas Araneorum conferre,
ne vlcera inflammentur cutis. Senſit Galenus 1.
ſimplicium, & authoritate plurimorum refert libro
de medicinis paratu facillimis; quibus illicò ſuccur-
rimus manibus, digitiſve diſſectis. Succum trifolij
ſummè laudat, aut herbam tritam ſuperimpoſitam
vulneri ab Araneo illato, tum Centauream dictam,
ſed de curatione venenatorum ſuprà diximus latè.
Araneus Lupus dictus, tritus & linteo ſubactus,
impoſitus fronti & temporibus circuitus, tertiana-
36 rios perſanat, docet Dioſcorides libro & capite ci-
tato.; imò intra nucem virus araneus aſportatus
quartanariis medetur; ſuſpicor, timore, retroceſſu
caloris ad cor, & ſanguinis, ſpirituumque, vt fit in
metu, quò frigida diſtemperies melancholiam ge-
nerans corrigitur, & ſicca, ſanguinis & ſpirituum ca-
lore, & humore, vt metus aliarum rerum ſoluit mul-
toties quartanas iam victo humore, & ſuperato, de-
clinante morbo, cocta materia. Non minùs Aranea
id molitur, vel ad ſe tracta venenoſa humoris por-
tione, qua fouetur malum, & morbus conſiſtit, de-
teriori, inquam, mali humoris portione, & noxij ex-
cluſa. Hoc eſt peculiare telis araneis, vulneribus im-
poſitis, vt priùs non decidant, quàm perſanent vul-
nera, oculorum fluxiones ſiſtit, ſpelunca tota inuo-
lucrumve dictum, telæ Araneæ Lupi dicti, fronti
cum lacte ſuperpoſita. Aranea ſi filum ducat ſuper
fœminam, cui menſes fluunt, ſiſtit purgationem, qui
omnes oleo putrefactis ſuiſmet morſibus ſunt vti-
liſſimi; Ætius locis adductis refert. Auicenna, Ga-
lenus,

lenus, Plinius, & alij. Sunt Aranei Phalangiique omnes frigidi tertio gradu, & ſicci ſecundo : venenum verò frigidum ad initium quarti, & humidum ſimul ; oua frigida, & humida principio quarti, telæ frigidæ tertio & ſiccæ, adſtringenteſque natura, & agglutinantes, ſanguinem compeſcentes. Mirabile eſt illud Aranei, tantæ ambitionis animantis, petulantiæ & ſuperbiæ, vt ſeſe ſolus ſibi ſufficere ratus, 37
ſemel ac perfectus magnitudine euaſit, quem terminum ſpatio vnius lunationis nanciſcitur, ſeptimanis quatuor, quatuorque ſeptenis, vt diximus anteà, menſe vno integro, illicò patrem matremque occidere fratres, congeneres, propinquos, benefactores, cognatos, qui inter fœtus fortior eſt aliis, ſolúmque parricida, & fratricida, tyrannide tanta, in hæreditatem paternam, fraternamque venire, ſuccedereque dolo, fallacia, malitia & fraude, ex Ariſtotele, Plinio, Æliano, Galeno & aliis retulimus. Eſt ſuperbus natura, qui altiſſimas occupat ſedes domus totius, eminere omnibus cupiens, altiora aſcendens, ſublimiora, eminentioraque loca, reptile animans alioqui obſcuriſſimi ortus, odit lucem, Solem, Lunam; iis omnibus inuidet, æmulaturque omninò, ſuperbus, elatus, vt ſolùm nubilo cœlo domicilium excedat, & qui ortu eſt inferior, locis natus putridis, ſpurcis, tecta petat ſuperba regum, & faſtidia domus, ſi poteſt, illique locus adeſt, angulis abditus obſcuris, caliginoſiſque locis, puluere inſperſis, frigidis, humidis, vdis, obſcœnis, parte eorum, & partitione ſicca inhabitans, putredine genitus frequenter, vt ſerpentes reliqui, qui proprium neſciunt autorem, amittereve domicilium infame, & ſpurcum, conceſſo tamen ſemel, ſalubriorem, altiorem, ornatiorem, ſi poſſunt, in illum reptant ſuperbi, &

tumidi

tumidi petunt:hærent propriis,sibique hærent, auaritia immensa,vt nil remittant eorum quæ semel arripuere, sine discrimine, omni præda vtentes, immundi,succidi,mucilaginem propriam,vitiosúmque excrementum,filum protensum semel, vomitu reie-
38 ctum reassumentes,elingentes,colligentes iterum in alimentum sibi,semper in se cedentes,in ventrem se colligunt, & os quod illo continent Phalangij dicti præcipuè Rhagij, ventris medio, vt Ætius libro 4. sermone 1. capite 18. & Ælianus libro 3. capite 35. dixere, & alij, quorum Deus venter est, voraces, gulosi,iniusti, crudeles, non vt reliqua animantia prædam venantur, alimenti causa semper, in ipsave irruunt Veneris occasione, ducta gula, & lasciuia, propter quæ duo rixantur animantia
39 cuncta. docuit Aristoteles 3. de Historia, capite 7. & Plato 4. de legibus, hic solus crudelis, immanis, non cibi causa, luxuriæve, mortem parat casu terribilem inopinatè, solùm imò vt animantia perdat, enecet, insidias parat, pandit retia, dolosus obseruat, abditus, occultus, vt plurima quibus non vtitur, satur, & plenus, reti viua retineat, miserè detenta, cruciatu famis & sitis acta, assultibúsque animantis attrita lancinet,fugere inualida; delectatur maximè, cùm è reti excuti volatilia non posse vidit, repens ipse, dexterè quòd vagetur per rete, irretiantúrque illa magis, & magis, motus facto conamine ligentur, religentúrque irretita ampliùs, ipse cùm discurrat liberè, peruersorum pedum, quæ alia pedibus liberis formatis, & alis moliri non valent, animalcidia parans voluntaria, committénsque omnino, non subito casu, & fortuna:gloriatur maximè quòd pedibus euersis telas ordiatur ingeniosè, & astruat, quas nec Minerua

rectissi

rectiſſimorum pedum, æquales componet; quò in Deam ſuperbiit Aranea illa Ouidij Metamorphoſeon, & laceſſiuit illam, confabulationes narrant; quæ nec Diis conceſſit victoriam, aut maiores iudicauit; inferior adeò, & ſi ipſo nihil obſcurius quoque ſit; Lucifer alter ſuperbus, Iob loco adducto initio huius capitis, de confidentia eorum qui obliuiſcuntur Deum, hypocritæque deſcribens euentus inquit: *Non ei placebit vacordia ſua, & ſicut tela araneorum fiducia eius.* Nam væcors ille & ſtultus, peccatórq; ignorans, inſipiens, non delectabitur væcordia ſua, qui fidet rebus vanis & fallacibus, fugacibus, temporis viciſſitudini obnoxiis, ad creaturas conuerſus: erit quò væcordia diſpliceat, ſua malitia deceptus, poſt mortem, & viuente adhuc, *& ſicut tela araneorum fiducia eius*; Sperat aranea ampliſſimas protendere telas expanſas nimis, quibus communia poſſit animalcula & maiora venari adhuc, ſollicita & anxia net, hac hinc pendet, illinc vincit: angulos omnes percurrit, cuncta voluit in orbem, tandem tabeſcit illuſa, viſceribus abſumptis, reiecta ſubſtantia, alimento deſtituta, marcida, tabida, anhelans, defeſſa, propriis viſceribus effuſis, ſumptu facto, ſubſtantiæ expenſis, vanno reti adacta. Vbi fœtus imò educare credidit, alere, tueri à contrariorum iniuriis, viſcerum penſis, & ſecurè viuere, iis ipſis (poſteà diximus) impetitur, interficitur, domeſtica ſobole, genitis filiis, eſtque illi tela ſepulchrum, & feretrum, quæ in gratiam eorum adſtruxerat, & cũ innocua, ſimplicia, & inermia animantia eadem irretiiſſet, vt eſſet illi in reti fiducia victus ſibi, & ſoboli genitæ, hæc ipſa quę erat animãtis fiducia, ſepulchrum eſt illi tandem, vt vnde viuere poſſe ſperabat, mori miſerrimè detur, ſuppliciúmque vltimum. Accedit Stellio (iam ſuprà diximus) & onuſtum

onustum rete, simul cum autore flagitij rapit, arripit, vorat, fert secum, gliscit, malè acquisitum peculium ingerit ille, quas si grauatas adeò telulas non inspexisset, remitteret liberè. Non aliter væcordia hypocritæ succedet, & sicut tela aranearum fiducia eius. Tabescere fecisti, sicut araneã, animam meam (loco adducto) continget illi, quod væcordi accidit Lucæ cap. 12. qui cùm retia latè protendisset, vt ingentissimam bonorum copiam congereret, animæ suæ loquebatur, *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*: cui iustam tulit Deus sententiam: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te*: sic qui sibi thesaurizat, eodem reti captus est, quo alia capere nitebatur & quo irretiuit, propriis filiis, sobole educata interemptus; *inimici hominis domestici eius*: Matthæi 10. cap. incidunt in foueam quam fecere, psalmo 7. in illis in quibus fiduciam habent, mortem & perditionem inuenere: sicut tela aranearum fiducia hypocritæ, vt ibidem dicitur. Fallacissimum fiduciæ genus, quæ integro anno orditi neuerũt, texuerúntque, exedentes viscera, macie tristissima detenti, absumpto humore roris gratiæ, sanguine, reíque familiaris supellectili, fame excruciati, anhelantes honores, dignitates, officia, fila ducentes varia è visceribus propriis, telámque ordientes vitæ ferè totius decursu, in qua spem reposuerunt, mors inopinata & subita rapit, diripit, anima repetita, quæ subitanea magis, & ex tempore (Ambrosius dixit) quàm illa cuius nunquam meminere peccatores, & si post longissimos morbos accidat, quæ præparata magis, & præuisa, & si tempore instantaneo succedat, quàm quæ toto vitæ curriculo paulatim deglutitur, meditatione continua iusti. Est hic imber gratiæ matutinus, & serotinus, vitæ &

mor

mortis, viuendi & moriendi scientia, & notitia, data
eodem autore legis notitia & arte; quæ enim exordi-
tur anno integro, sollicita & sedula, verrit subitò
scoparius, versorio & scopione, mórsque rete
expansum quod anxiè protenderat surripit, & fert
subitò secum, vt & vxori, mulieríque impudicæ
accidit, quæ vt victitet, comparétque sibi & fa-
miliæ alimentum, ornatum, supellectilem, &
pompam, vt araneæ faciunt, marito ocioso, causa est
excidij, & ruinæ. Multoties fucus susurrans, peruo-
lans impetu secum affert rete, araneámque inuolu-
tam simul cum illo, & implicatam, muscarum oc-
casione multarum proclamantium in reti, acce-
ditve Stellio (diximus) gliscítque araneum, pœ-
nas vt luat, ea quæ solùm simplices, inermes, irretie-
bat muscas, culices debiles, tela, vt quæ erat illi fidu-
cia, sit pœna, carcer, compedes, & vinculum, suppli-
ciúmq; iustissimum. Hinc Ægyptij iniustitiæ hiero-
glyphicon araneę tela muscis referta detentis signifi-
cabant, quòd carcer iustitiæque vires, leges, statuta,
pœnæ, & supplicia pauperibus solùm imponantur,
debilibus, fauore nudis hominibus, non fucis susur-
rantibus, susurro populi notis, non potentibus, diui-
tibus, impositura sanctionum, ij frangunt, abrumpũt
imò, secum deferunt leges, & quò placet iustitiã per-
uertunt, ius, æquitatem, euertunt omnia. Est vana &
fallax spes hypocritæ, fraudes, doli, & simulationes
tandem deficient, & cum retibus asportabitur simul
à crabrone, reti onusto sanguine inermium, ab stel-
lionéq; deglutietur. Stellio ingerit araneum, fiducia 41
eius tela vana, facilis, illi erit in opprobrium, in per-
ditionem, ex ea imò ducetur, illáque inuolutus suõ-
met reti, quod aliis parauerat, ruet. Psalmo 56.
Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt
animam

animam meam, foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Diximus, araneum irretire lacertulos paruulos, ex Aristotele, & aliis, mirabili quadam industria & arte eosdem opprimere & eneruare fame, intra domicilium contentos, araneæ minatu ad speluncæ ora minitanti, timidos detineri vmbra grādi facta, obscurato domicilij hiatu, præsentia animalculi minimi alioqui & imbellis in lacertulam, interim fila intertexere in cauernæ ostiolo desidis lacertulæ, hæc siccata fortia consistere, aut si potest, lacerto dormitanti filateriis obducere fauces cauernæ animantis, fame iam verò confectum ferè cùm sentit, debilem, languidum, morti vicinum cùm duxit, antequàm morte occupetur, ne sanguis concrescat inutilis suctui araneo, quem ebibere parat, neglectis reliquis, vt araneis mos est, impetere illicò, repetereque lacertulum ictibus, morsibus, insultibus, impetu in eum facto, vna vice & alia contundere, caput præcipuè innocui animantis, malitia, venenoque effuso, quibus maximos concidit serpentes capite infecto, hosque circumrotare facere circuloque euolui, torpere incusso metu, natura animantis, impedita fuga, lacertulosque iis miserrimè perdere, reddereque tandem exangues, est illis fiducia araneis in reti quo detinent illos hoc ipso ordito, ad domus limina, carcere è propria domo constituto, lacerto securo, oscitanti, & quieto intra propriam cauernam, feraleque domicilium, fiduciam sibi in tela constituenti araneo. Stellionemque tantæ iniustitiæ impatientem, rete araneamque simul arripere, ingerere, pœnas luere fallacissimum animans, redimique pretio ouorum, pretioque solùm sobolis, relictisque illis liberè, quòd hæc stellio pluris habeat dum reperit, araneo relicto ob veneni copiam naturæ instinctu;

ſtinctu; eſt hoc pretium præmiumque illi elargitum, quaſi in gratiarum actionem, vt interim ac oua gliſcit, fugere poſſit araneus fallax, propria ſobole relicta & deſerta ſucceſſione, iidem referunt autores ſuprà. Hinc Iob 8. ſpem eorum qui obliuiſcuntur Deum, & hypocritæ fiduciam ad telas araneorum contulit; quibus confidunt irretire animantia, iiſque ipſis plicare, fidentes dolo & cautelis, qui ſi non poſſent ordiri, inſidias non tenderent, vnde illis mors eueniret inopinata. Contingit iis qui decipere cupiunt, irretire officio, dignitate, autoritatis & potentiæ abuſu, ſugere ſanguinem parant, viduæ, pupilli, pauperum, debilium, hac ipſa tela protenſa à ſtellione dæmone, iuſtitiæ Dei exequutore dirupta, arrepta, arripi ſimul cum illa eadem, vt deuorentur ij aranei, cum tela ſimul, eorum fiducia, vt ſit illis ruina & lapſus, hac ipſa vt conuoluantur, irretianturque ipſi, ſitque eis ſupplicium, vt & perditionis occaſio, qui fortaſſis ſecuri ſine officio, ſine tela iudicij, dignitateque euixiſſent. Eſt ergo fiducia eorum, ſicut araneorum tela. Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo: fuit illi honor, dignitas, ruinæ occaſio, & excidij, vt eſt araneis qua deuorentur ab ſtellione, potentia, robur, induſtria, arſque ſtruendi telam, officium. Secundus locus Pſalmi 38. etiam iis conſiſtit quæ de Aranea diximus, Araneá non ex vtero filum ducere, vt ſenſit Democritus, Ariſtoteles refutat locis ſuprà adductis, deceptus Democritus, quòd ſoboles araneæ ex vtero illius pédeat tempore aliquo, ſemel ac lucem experitur, venitque in auram, filis, filamentis, vtero alligatis matris, fœtura omnis pendet, vt illo annexo ſugant alimentum mãmillarum inſtar lactentium, & more, ſpatio aliquo conſtituto à natura, vſque ſe ipſis victum

quæritare valent filis, vtero colligant filios, secúmque diducunt ingratos, quos simul cum iis vmbilicorum instar intus retinebant, & extrà quando licet retinent non minùs natos iam; hinc vtero filamenta ducere Democritus credidit, nere vtero & ordiri stamina, at secus multò res habet, nent ore, ventrisque medio, indeque diducunt fila, & stamina pendent, nentes posteà officio communi. Vnde Ouidius: *Estque caput minimum, toto quoque corpore parua est; In latere exiles digiti pro cruribus hærent. Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit Stamina.* Digitos compellauit crura, quòd internodiis distinguantur certis articulorum instar à summo ad imum. Ore denique euomit mucilaginem illam, mucoremque trahit quo retia nectit, & pandit, ex cute vi ventris tracta humida substantia confluenti in ventriculum suctu, pororum communione, ore sugit ex toto, quod in medio ventre continetur, estque illis os tractiua virtus ventri insita, hoc fila dum ducunt continuò marcescunt, tabescuntque opere tandem iugi, humore absumpto, & rore humido extracto, labore assiduo; hinc eo loci dicitur: *In increpationibus propter iniquitatem ego defeci*, redactus in nihil peccati, quod nihil est, boni defectus & esse rationis debitæ, annihilaui ego meme, defeci, redegi me in nihil, vbi Deus non posset hominem sua omnipotentia redigere in nil peccati; propter iniquitatem ego defeci, non deficere fecisti, sed defeci: subdit. *Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius*, non dixit meam, sed eius qui eram, scilicèt quòd cùm defecisset in nihilum redactus, non meam, sed eius qui fui. At sicut araneã fecisti tabescere, cùm propriis filiis, fila ducẽtibus absumẽtibusque matris alimentum, & humorem, qui postèa imbellem, debilemque matrem occidunt, quam

con

constituerunt matrem,tum opere continuo,& labore assiduo captandi aurã, & fauores (diximus) conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem, filiis propriis absumentur,impetientur, hiantes, squalidi sine gratiæ rore,humidoque alimenti iustitiæ, fœtibus propriis,operibus, proprio partu tabescet iniustus,& in quibus requiem sibi pollicebatur,vitã, posteritatem,iis tabescet, in iis laborem, mortem inueniet, labore futili solicitus, inquietus, sese absumet, erodet, rerum fugaciũ inconstantiã & pericula expertus, ingratitudinemque eorum quos educauerat, telasque araneæ quibus innitebatur, vt muscas inutiles captaret,tendens retia huc & illuc, vt tendit Aranea,omnem partem versùs irretiens,filaq; ducẽs, vt si hac nequit, illa capiat. Tabescere ergo fecisti animã eius,iis eisdẽmet quibus genuerat, vt tabescit continuo netu aranea, & marcescit; permisisti tabescerent, & vt perpetua solicitudine iis vanis, & fugacibus rebus detinerẽtur,amore proprio in se cedentibus, vt cedit aranea in se, & colligitur nens, suomet opere, semetipsis, proprio ore & manibus, fœtu,operibus, irretientibus vndique non suffecturi, tot tantisque ordiminibus & filateriis. His dicitur Eccles. 18. *Cum consummauerit homo, tunc incipiet, & cum quieuerit, operabitur.* Cùm consumauerit homo hæc vana, tunc incipiet homo esse. *Militia vita hominis super terram*, Iob. 7. dicitur, non pax, tranquilitas, cùm quieuerit ab iis vanis, fugacibusque rebus, tunc operabitur, Sisyphus alter, quem quòd fuerit mortalium omnium actiuissimus, rebusque &negotiis sæcularibus implicitus,apud inferos puniri poëtæ fabulantur perpetua lapidis reuolutione, ascensu & descensu defatigatum finem imposuisse, vt ratus labori, incipiat opus

tum cùm consummauerit homo, incipiet; cùm opera consummata edere cœperit, vsque dum quiescat, tũc enim operabitur, visione beatifica opereque fruitionis Dei, quiescens in opere, operans in quiete: *Tabescere* ergo *fecisti sicut araneam animam eius*, occupatam inutilibus, futilibusque rebus, vt, quemadmodum aranea retis centro assistens centrum relinquit, vt decerpat muscas leues, tabescitque tela lacerata & diruta, in qua fiduciam habebat & spem, vt resarciat illam propriis visceribus, sic tabescere fecisti animam eius qui eram, quòd reliqui centrum Deum ipsum amore creaturarum, lineas quærens, & centrum deserens, amisso centro telis diruptis, filis protensis, laceratis, fauoris & negotiorum quibus innitebar, & confidebam maximè, tabefeci & emarcui fame, & spe frustrata rerum fallacium, sicut aranea tabescit tela dirupta, inutilibus iis confisus & fretus.

De Telaraneis eorumque symbolico significatu.

CAPVT XIII.

43 TElæ Araneorum vanitatis hieroglyphicon extitere antiquis, & futilitatis; constat carmine illo Catulli, vbi de se ipse loquutus ait: *Nam tui Catulli plenus sacculus est aranearum*, id est, inutilibus est plenus negociis. Lucianus in Pseudologista. Carie & araneis oppleta, quòd inutiles quæstiones agitaret. Tempore quo Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus Macharium, Pyrrhum, & socios, vnam in Christo Domino solùm naturã & voluntatem adesse impiè asseuerantes, damnauit, centum quinquaginta pontifi

pontificum decretis, telæ aranearum densissimi imbres cecidere, maxima omnium admiratione, in medium populi Constãtinopolitani, pluuiæ instar, quo significari credidere fideles, & Catholici, vanas esse, inutiles, friuolas, hæreticorum technas & errores, impiosque hæreticos, & inanes, vanos, instar aranearum telarum inutilium, futiliumque omnino, moreque illarum è cœlo depulsos, talesque sanguinem sistere, fluereque impedire, floccilagines dictæ, impedimentoque hæreses fuisse illorum, quo minùs Christi sanguis flueret in plurimos, terrestri substantia eorum appetitus parte, qua pollent, puluerisque illæ glutinosis filamentis immistæ, terrena siccitate squallentes vitiorum, suis figmentis, vanisque filateriis, vt concresceret detento & impedito, Isaiæ c. 59.
Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter me, & vos, & inter Deum vestrum, & peccata vestra, absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret, manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate, labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur; Non est qui inuocet iustitiam, neque est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Quibus inania & vana telulis iis consignat, araneæque telas vocat illa spiritus Deus; quas sanguinem stetisse docet, diuisisseque inter Deum & homines, sanguinis Christi fluxum compescuisse, ne illis vtiliter flueret, telis araneis compescentibus sanguinis decursum (de quo loco Isaiæ cap. de Basilisco, & Aspide suprà latiùs.) Generantur telæ araneæ quædam vapore crasso, glutnoso ascendenti, locis puluere inspersis, qui non

ſecùs ac aquæ guttulæ, puluere ſiſtunt, & colliguntur; firmantur, ne dilabantur, figuramque orbicularē retinent puluere preſſæ; ſic vapores illi elati puluere detinentur, formanturque, glutinoſi, & viſcidi natura, tecto, & locis aliis ſupremis in quæ leuitate natura tendunt, & ſiſtunt affixi, vltrà vt cùm non detur eundi locus, nec pateat reditus in telas abeant conditas, vt locis puluerulentis plurimis telæ aranulæ conſpiciuntur frequentiſſimæ ſine araneis, autoribus aliquibus, & in magno prouentu, quòd non araneæ opere laborioſo conſtiterint hæc, dicto imò ordine, quæ ſunt craſſiores denſioreſque multò reliquis impenſis araneæ orditis quæ hoc halitu aleſcunt, ſuntque humidæ & frigidæ naturæ, vt fabrefactæ, quæ ab araneo procedunt ante ſicci terræ pulueris inſperſionem, vt poſt hæc ſiccæ & ex terreno adſtringentes ſanguinis fluores compeſcant, poſt ſicccæ, frigidæque temperamento, adſtringentes denſæ terreſtri vapore conflatæ, ſanguinem ſiſtentes, reliquæ aliter elatæ vaporibus, & vbi aranea reſidet, vſque puluere ſiſtant. Pſal. 89. ſic. *Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Locus ſanè omninò difficilis, qualiter anni noſtri meditentur ſicut aranea, cùm & cur ſeptuaginta in ipſis, & octoginta in potentatibus, & amplius labor; & dolor. 2. cap. 1. lib. de vitæ duratione diximus; locum hunc duplicauimus, ad reliqua hic explicandus de aranea venit. Araneæ nomine duo inuoluuntur, & animal, vt diximus vſque modo, & tela aranea, eodem nomine inſignita, quæ aranea & vocitatur omnibus. Hinc Aſtrologi Aſtrolabij rete araneam compel

pellant, quòd ſit circulus circulis plurimis conflatus, vt araneæ telæ quibus aranea animalcula capit, decipitque abdita, & occulta: hæc circuli inſtar, vt diximus, rigore geometrico conflata expanditur, quatuor diuiſa quartis, non aliter ac Aſtrologi ſuas quartas diuidunt, quibus quatuor mundi conſtituunt cardines & puncta immobilia, Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies, non ſecus tela aranea araneorum ſecatur punctis quatuor, ligata verſus quatuor mundi cardines, quorum quartæ, in communibus araneis telulis decem & octo conſtant circulorum ſectionibus & arcubus circularibus; quatuor verò decem & octo, ſunt ſeptuaginta duo, numerus ſeptuaginta interpretum Græcorum Ptolomei Bibliæ ſacræ, qui variis locis & ſeiunctis idem omnino omnes pronunciauerunt traductionibus; erat enim omnibus ſpiritus idem. Septuaginta verò ſunt dicti, & ſi ſeptuaginta & duo ſtiterint, quòd maior numerus minorem abſorbeat & contineat in ſe, non ſecus ac in tela aranea cùm ſint ſeptuaginta & duæ ſectiones in quartis circulorum, ſeptuaginta ſolùm numeramus, aliis ſubtacitis. Potentiores verò araneæ phalangij dicti Luparij nomine, circulos aſtruunt (numerãti fiet manifeſtum) quorum quarta quælibet, quæ eſt quarta pars circuli, viginti ſectiones obtinet, & fila viginti, totus vt integretur circulus, octoginta portionibus æqualiter, quibus conſtat aranea; iiſque ſolùm quibus magis poteſt, vtitur circulis, vt animantia venetur, iis velox percurrit, iis diſcurrit commodè, hos vtiliter, proficuè plures nequit; quò non apponit plures, at ſi apponit vltrà, labor & dolor. Dolet inuidũ animãs de iactura prædæ, cùm antequàm accedat, & irruat, multoties peruolet, ſi ſint plures, aut irretiatur aranea multitudine

ambagium Labirynthi, aut præda complicetur, vt confusione arcuum plicata rete vniuersum confusum obstet discursui animantis, laceretur & implicetur tandem, vt detricari non possit. Tum cùm plus distet à centro pars illa, laxa est; deligata, mobilis, facileque abrumpitur prædæ motu quouis facto. Hinc dolet, laborat, vt ibi veniat, quæ frequentiùs frustratur præda. Ideo quantum ad araneam attinet, anni nostri sicut aranea meditabuntur faciles, leues, meditabuntur, numerabũturque, vt tela aranea septuaginta in ipsis communi lege viuendi, in potẽtatibus, ordineque communis experientiæ & viuacioribus, octoginta, vt araneæ iis numeris circulantur; sic nos circulamur eodem numero, & curriculo annorum, cœli tot circulis metiuntur dies nostri, tot circuitibus, ampliùs verò labor & dolor senectutis, & impotentiæ, araneæ instar, quæ plures circulos superaddit labori & dolori. Dies ergo nostri sicut araneę tela meditabuntur iis circuitibus, & sicut aranea in opere circuituum & circulorum, quæ suũ opus absoluit, & complet, septuaginta, octogintave circulis orbem, curriculumque præfinit, & terminat. Iis est senibus labor ætatis, morborumque, & dolor eorum quibus potiri nequeunt, reliqua (curque eæ ætates naturæ hominum signentur 1. lib.) *dies ergo nostri defecerunt, & in ira tua defecimus*; ex peccato mors (suprà) hinc in ira tua defecimus, diesque nostri ideo numerantur, qui aliàs sine numero forent, dies nostri defecerunt in nobis culpæ reatu, ideo & nos in ira tua defecimus indignatione pœnæ. Tum sicut aranea meditabuntur anni nostri, erunt enim breuis durationis, solúmque vsque ad partus nostrorum operum perdurabunt, diesque nostri computabuntur tot quot fuerint opera hominis vtilia, & proficua; ampliùs

pliùs non viuet homo; iustus non moritur, dormit imò, vt Lazarus amicus Deo non mortuus est, sed dormit. Iniustus non viuit, nec peccator, non numeratur in libro vitæ, mortis imò, Magdalena dum erat peccatrix nomine nullo compellabatur, vsque dum ad pedes Christi se lauit lachrymis, cuius solum dicitur; *accessit mulier in ciuitate peccatrix*. carent nomine peccatores in libro vitæ, posteà in resurrectione proprio nomine compellata Maria Magdalena, sacrarium Domini, Apostolata. Potest enim Deus ex lapidibus istis panes efficere, & viuificare in omni verbo. Vsque ad partum ergo nostrorum operũ meditantur dies, & anni nostri, instar araneæ phalangij species cærulei, quæ solùm vsque ad partum cõsistit, posteà propria quæ interimitur sobole, & genitura, morsibus, iam macie confecta, filamentis extenuata, quibus fœtus colligatos vtero edaces educauerat illa, & victitarat vtero ac si mãmillis lactasset, sic meditantur dies nostri vsque ad partum, perduramusque vsque dum in lucem aut tenebras edimus fœtus, nec numerantur anteà dies & anni nostri, quàm operibus & partu numerentur; iis visitur an vixerit homo, an secus, quantúmque euixerit ille, mortuus steterit iis, an habuerit dies, an sine diebus & tempore discesserit, sine sobole & filiis occubuerit. Sicut aranea ergo partu numerantur anni nostri, illisque præfigitur meta, *opera enim illorum sequuntur illos*. Locus alter Oseæ allatus huius etiam capitis initio, iis deplicatur, quo Samariæ minatur ob idololatriam vituli. Est Samaria fertilissima totius regionis Palæstinæ pars, si quæ alia olei abundantissima præcipuè, fructuum vberrima, feracissima, & copiosa, Samarites enim Hebræis medulla arborum est, pinguedo scilicet, oleosum, ferax. Vnde Samaria custodia olei,

pinguis Hebræis notatur; vepreſque fertilis ſpinis circumſeptus. Medio ergo tantæ affluentiæ & vbertatis, fæcunditatis tantæ, vitulum aſtruxere Samaritani, vt colerent in verum Deum, idololatria & apoſtaſia, mentitos & falſos Deos proſequentes cultu, vero Deo neglecto; vt hinc benigniſſimus hominũ cõditor, qui manibus clauis affixis ligno conuinctis quaſi, vindictam ſumere neſcit, cõqueratur, vitulum Deum non eſſe renuncians populo ingrato, & rebelli, Oſeæ 8. cap. rationes afferens quibus Samariæ vitulum Deum non eſſe inferat ille, qui cùm veritas ſumma ſit, ſufficeret dixiſſe, cùm quòd artifex fecit illum, ſi factus Deus non eſt, Deus ille eſt qui omniũ eſt cauſa, prior omnibus, eſſe, entitate, eſſentia. Tum quia ex Iſraël eſt, de vero autem Deo, *gene-*
46 *rationem eius quis enarrabit?* Iſaiæ 53. cap. tam miraculoſam temporalem vnionis gratiæ Spiritu ſancto cooperante, quàm æternam, colligit vltrà iis, Deum non eſſe, quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. Degenerauit Samaria, defecit à fructu veri cultus Dei veri, & amantiſſima ſoboles frugifera & oliuæ inſtar vberrima, inuenta eſt in tela aranea iniuſtitiæ, & immunditiæ, fœdæ, cultuſque eorum, & religionis fructus, qui ſperabantur ex hac oliua fertiliſſima, in aranearum telas abiit, non ſecus ac fructiferæ & feraces oliuæ, morbo infectæ cultus defectu, cœli terræque inclementia, ob vitioſam quam cõtraxere vitio ſui diſpoſitionem, teredine hac laceratæ, aut vitioſæ & luxuriantes, fructus araneorum telis obuolutos, marcidos, ſteriles, infrugiferos, reddunt commutantque in vanas, & fallaces oliuas, telaraneis circumſeptos fructus, vberrimorũ loco, frugiferorum, quod vitibus & oliuis accidere experientia quotidiana edocet, Plinius lib. 17. c. 24. Ariſtoteles,

Ælianus,

Ælianus, Columella, Cato locis suprà. Quem morbũ araneam vocant, non minùs Latini, tela orta, sine nexu animantis, sine aranea autore. Quod & si luxuriantibus iis contingat, vitiosisque plantis, locis humidis expositis, & sterilibus, siccis, deriguis, & squallentibus, docuit Theophrastus lib. 3.c.7. non minùs accidit, vt fructuum loco telas araneas reddant. *Erit vitulus Samariæ in aranearum telas*; & à quo sperabantur Deo præmia, fructus, remunerationes, erit in telas araneorum potentia eius, araneas vt suscipiant, ficta præmia, fallacia, vana, idololatrię & perfidię, quę vero Deo repugnant; qui veritas ipsa est, ideò fallere nequit, sed quæ promisit implere. Vltra imò, *quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Maiora sunt enim quæ elargitur, iis quę promittit. Mentitus verò Deus, fructus, præmiaque vberrima pollicetur, & est in telas araneorum potentia eius; quò nec retribuere potest, nec quid conferat, possidet, egeat cùm ipse, telis araneis circumuolutus, figmentis & vanitatibus. Samariæ ergo & oliuæ, vitisque vberrimæ fructus, vitulus, cultus, religio, nec Dei, nec Deus, quoniam in telas araneorum est, in vanitate & mendacio vitulus Samariæ, fructus promissa spes, vt oliuæ fructus, & vitis corruptæ, Deus mentitus præmia religionis nõ impertiet. vt nec aranea fructus. Verus non est Deus, qui est in telas araneas iniustitiæ. Diximus iis iniustitiam significari, vanitatem, mendacium; tum non est Deus qui in telas aranearum est. Dicitur verò in telas pro in telis eo loci. In enim accusatiuum pro ablatiuo regit passim. Terentius in Adelphis, *in quem exempla fient*, pro, in quo. Et, *vereor te in os laudare*, pro in ore. Qui ergo in telas araneorum est, Deus non est, impotens enim est, qui telis araneorum detinetur Deus;

Deus;impotens cùm ſit, nequit abrumpere figmenta,inuolucráque fallacia, iniuſta,immunda. Omnipotens tamen verus eſt Deus, fert fictus imò hæc omnia;conſentit tot abominationes,ſcelera,flagitia; hæc non dirumpit,vt hæc fiant,illa ſinit,ſuſtinet,ſibi conſulit,honori,reuerentiæ,cultui,in bonum eorum quæ fecit non proſpicit, non tuetur veritatem, non ſe,non bonum ſibi conſulit,auræque populari, mortalium ruinam, creaturarum interitum, non eſſe, & nihil intendit,nec noſtra conſiderat prouidētię opere,perdere imò parat quæ ſunt,fœdare & corrumpere; vitiis & maculis inficere, negationibus, priuationibus entitatis dehoneſtare,& deprædari quæ habēt entitatis & veri, peccati nihilo, cùm iuſta, munda, bona,integra, in pōdere & menſura,omnia per Deū facta ſint,& ſine Deo facta ſint nihil, negatione iuſtitiæ rectitudinis,& eſſe quæ ſunt.Qui hæc ſinit,nō Deus,non factor, nō benefactor omnium,corruptor imò,inquinator,deſtructor creaturarum eſt. Ariſton Chius Philoſophus dialecticas quæſtiones, argutias inutiles eorum,qui ſolùm vt alios deciperēt, aſtruebant,telis araneis comparauit, quæ cùm artificioſiſſimè elaborentur, nullius vſus, impedimentum imò ſanguinis,generis,diſcurſus mortalium, ſymbolo ratiocinationibus vana.Erant hieroglyphicon antiquis
47 temporis iacturæ.Rabbini,Caballiſtæ,&Thalmudiſtæ plurimis referunt vana quædam de aranea, quæ ſilentio prætermittere noluimus, in auditorum gratiam,vt tot ſeria tædium non afferrent,referūt,Abulenſis retulit lib.1.Reg.c.23.Adamū inquiſiiſſe à Deo, cur ſtultiſſimam muſcam,moleſtiſſimámque hominibus,& araneam omninò inutilem cōdidiſſet. Deū hæc inutilia eſſe negaſſe, ſeruo enim ſuo Dauid futura vtiliſſima,& proficua.Stultitia enim muſcę ſemper

per eadem, prolixa, ignorantiáque, periculo eidem exposita, nõ resipiscens plus vna altera vice, in idem recidens, ignara, & inscia, inquiunt illi, perutilis extitit, fictáque fatuitas Dauid & stultitia coram Rege Achis, eius vt iram compesceret, fictus amens, & fatuus, Reg. 1. c. 21. Cui iratus non est ille fatuo credito de industria facto, & musca vtilis illi adfuit. 1. Reg. c. 26. vbi ingressus tentoriũ Saül in deserto Ziph, dormientem inuenit Abner somnoque consopitum altissimo, vniuersum & simul populum, casu qui pedem immisit inter crura Abner serui Saül, militiæ principis, qui inter dormiendum cũm volutaretur, reclusit illum cruribus complicatis, strinxítque edormiens, vt non posset ille extrahere, sine quòd somno excitaretur, in manúsque inimicorum incideret, Dauid conflictari maximè referunt, vsque dum musca inquieta superuenienti, casu nares Abner affligere, molestaréque cœpit, qui semisepultus somno, molestiam vt vitaret, alio euolutus crura distorsit, pedem Dauid compressum casu vt posset detrahere. Hinc fugere illi concessum, pedémque vertere aliò, muscæ auxilio datum est. Tum araneam illi subuenisse referunt, quòd Reg. 1. c. 24. speluncam ingressus Engaddi, araneæ telis, & filamentis ostium speluncæ intertexere, Saül vt ratus nullum ibidem subesse aranearum telis fallaci argumento delusus, aluum ibidem securè exonerare posse credẽs, intrarit, in manus qui Dauid incidit, qui parte fimbriæ chlamydis rescissa occultè discessit, interim quòd ventrem leuabat patientissimus, Saül contentus hoc solo pignore, liberalitate tanti facinoris, magnificentiam fidelitatémq; suam vt recognosceret; araneæ ergo ope Saül subditus est Dauid, inquiunt illi. In vita Athanasij legitur, Arrianos dum fugeret immanes, illum qui persequebantur

bantur odio, & inimicitia, cubiculum intraſſe tacitũ, quem receptum vt hæretici deluderentur telis, araneas hoſtium recluſiſſe, irretiiſſéq; miraculo, araneæ veneno infecti, araneas euomunt; vana, inania, tactus acerrimi hieroglyphicon extitit, quod rete tenuiſſimum percurrat, ſine detrimenro aliquo ſui, nec retis offenſa. Nulli alteri conceſſum contingere illud ſine læſione.

De Chamæleontis ſerpentis natura mirabili.

Capvt XIV.

De chamæleonte ſic dicitur Leuit. 11. c. *Mygale & Chamæleon, & Stellio, & Lacerta, & Talpa; omnia hæc immunda ſunt.* Cùm formicæ occaſione de Stellione dixerimus, quòd Prouerbiorum loco contineatur, & capite citato, vbi de formica incidit ſermo, & cùm Leuit. 11. cum ſtellione Chamæleon annectatur, meritò poſt ſtellionem de Chamæleonte caput ſuccedit: aranea enim cùm liberè vagetur, omnéſque angulos percurrat, & occupet, prægreſſum caput obtinuit, vſque dum tardus motu Chamæleon, léto paſ-
48 ſu acceſſit, Chamæleon Græcis χαμαίλεων, non ideò quòd ſit quaſi paruus leo dicitur, aliàs microleon diceretur; Græcis enim μικρὸς, Micros parum eſt. Imò Græcis χάμα, labor eſt, & λέω leo, video, quaſi viſio laborioſa, aut laborioſè cernens; tot enim variatur coloribus interim dum ſpectatur hoc animans, vt propter inconſtantiam, & facilem metamorphoſim ad colores ſuppoſitos, cum labore maximo poſſit diſcerni viſu ab iis quorum æmulatur colores: infrà dicetur. 4. de partibus animalium c. 11. ſic de hoc animan

manti ſcripſit Ariſtoteles: Omnium ouiparorum pedeſtrium tenuiſſimus Chamęleõ eſt, quippe qui om̃nium maximè inopia ſanguinis rigeat. Cauſa ad mores animæ eius referenda eſt, præ nimio namque metu multiformis efficitur; metus enim refrigeratio per inopiam ſanguinis, caloríſque eſt. 2. de Hiſtoria c. 11. ſic Chamæleõ figura totius corporis, lacertum planè repræſentat, látera deorſum ducta ventri iunguntur, vt piſcibus: & ſpina more piſcium eminet, roſtrum ſimiæ porcariæ ſimillimum, cauda prælõga in tenue deſinens, & longis implicata in ſe orbibus, lori modo, permultis elatior à terra eſt, quàm lacerta, inflexus crurum perinde, vt lacerti, pedes ſinguli bipartitò ſecantur, quorum partes talem inter ſe habent ſitum, qualem pollex ad reliquam ſibi partem obiectã manus: ſed ipſæ etiam reliquæ partes paulo tenùs in digitos quoſdam finduntur, videlicet primores triplici fiſſura interiùs, exteriùs duplici: poſteriores cõtrà; interiùs duplici, triplici exteriùs: vngulę aduncę; corpus aſperum totum, vt Crocodilo, oculi in receſſu cauo intùs recepti, pręgrandes, rotundi, cute ſimili, atque corpus reliquum, obducti media ſui parte, perquam exigua detecti qua videant, quæ quidẽ videndi ſedes nunquã cute operitur, nec pupillę motu, ſed totius oculi verſatione in orbem, mutationéque, quoquouersùs aſpicit quæ velit: mutat ſuũ colórem inflatus, verùm & niger non diſſimilis Crocodilo eſt, & pallidus vt lacerti, maculis diſtinctus vt pardus nigris. Mutatur color toto in corpore, nam & oculi concolores reliquo corpore redduntur, & cauda eundem colorem colorem accipit. Motus ei piger admodum, vt teſtudinis eſt, palleſcit cùm moritùr, defunctúſque eundem colorem ſeruat. Gulam atque arteriam ſitu eodem continet ac lacerti, carnem

nuſ

nusquam nisi in capite, & maxillis, & postremo caudæ admodum exiguam possidet, nec alibi sanguinem quàm in corde & oculis, & loco à corde superiori, & venulis hinc redeuntibus, verùm nec in iis quidẽ vlla copia, sed pauxillum, cerebrum paulò superius oculis consistit, & illis contiguum. Cute exteriori detracta, oculis quidam lucens veluti annulus æneus, tenuis apparet, membranæ in omnes fere corporis partes multæ ac validæ, longéque firmiores quàm in cæteris extenduntur. Spirare diu potest motu admodum exiguo circa cordis sedem extante; cùm verò omnes corporis partes contrahat, tum vel maximè costas cogere, & adducere potest. Liene caret, subit cauernas, & more lacertarum latitat, Ælianus lib. 2. cap. 14. Chamæleon animal non vno atque eodẽ colore spectatur, sed & sese eodem furtim mutato subducit, & videntium oculos velut perstringit & ludit; nam nigro colore si eum offendis, mutat se ipse, & alium colorem substituit, ac se citò in viriditatem inuertit, & quasi mutatione vestium facta, alius rursum visus, album colorem tanquam aliam personam, vestemve veluti histrio, personatusve autor induit naturam ementitam & si non veneficiis veluti Medæa quædam, aut Circe illitus sit, tamen præstigiis potens, videntium oculos illudere solet. Nequit album
49 imitari, rubrumque colorem, nisi difficulter nimis, imperfectiusq; aliis reliquis, & qui hos possunt reddere fulgores, & referre, remissos adhuc & aliis minùs. Sunt Chamæleontes maximi Orientis, qui & aues illectant suctu, & illiciunt spiritu; eisdem est videre locis Æliani, & aliorùm; pallidum facillimè, nigrumque etiam affectant. Solinus refert in Africæ historia cap. 37. idem Dioscorides libro 2. cap. 9. & 10. vbi & plantas horum nominum propter colorum

varie

varietates ſubſtituit,& Crocodilum plantam, Chamæleontibus,Crocodilis conſtituit ſimillimas. Ariſtoteles loco adducto animantia hæc ſeſe æmulari retulit;omnia quæ Ariſtoteles de Chamæleonte ſcripſit,trāſtulit Plinius l. 8.c.33.Solinus in polyhiſtoria c.43. Theophraſtus magnum adeo obtinere pulmonem dixit, vt parum abſit, quin totum corpus repleat,ideoque dum auram captat, impleri vndique perſpicuo aëre, vt in ſubiectos facilè colores abeat, & ſolo aëre viuere credatur;mirabile nimis, quòd cùm corde ſit frigidiſſimo, parciſſima egens reſpiratione, & refrigerio perquàm exiguo, frigidiſſimum animans,cùm cor lædat ea inflatione,& officiat vitæ principio,calorique natiuo,cùm minùs caloris obtineat,quàm vt par eſt frigido animanti, inflari non deſinat, turgere, intumeſcere, vt propria non contentus pelle,vanoque plenus aëre, debitos excedat ſibi terminos,& tranſgrediatur limites conſtitutos,non ſecùs ac illi,quibus cùm pauca ad vitam ſufficiant,paucis contenta natura, intumeſcunt fugacium rerum deſiderio,vanitatis vēto,pleni ambitionis,& gloriæ;ſuperbiunt,inflantur;ſic in fragmēto docuit Theophraſtus.Plutarchus lib.de dignoſcendo amico ab adulatore idem. Mirabile eſt, qualiter hoc animal cum ſubiectis ſibi ſuppoſitiſve rebus facillimè commutet colorem, vt omnes autores referũt;ea notiſſimus nota inter mortales, quòd ſit hac ipſa abditiſſimus, ægréque ſeparabilis ab iis quibus inſidet rebus, neque huic ſolùm hoc indidit animanti natura, aliis imò;refert enim Ariſtoteles l. de auſcultatione mirabiliũ apud Gelones Scythas ferã eſſe nomine Taranda, magnitudine bouis, ceruino capite,admirandæ tamen & ſingularis naturæ, quæ ad omnes locorum, & fruticũ apparentes fulgores,

FFff ſeta

ſe tarum, pilorumque colores diaphano & perſpicuo inſito, quibus totum corpus conueſtitum habet, permutat facilè, vt à ſubiectis ſibi rebus difficillimè diſcernatur, coloreſque earum æmuletur, figuras, effigies, occultũ & ſecretum, vt latitet, medio lumine, manifeſta illa ſua fictione. Eſt enim ea ſetarũ perſpicuitas & lenitas, vt ſpeculi inſtar opaco cutis ſuppoſito, fideliſſimè reddat acceptos colores. Quod & Polypus aquatilis, dum viuit interim, non ſecùs ac Chamæleon & Taranda efficit; cuius cùm ſit corpus perſpicuum, vt eſt Chamæleontis, facilè in colorum fulgores natura hęc tranſiliunt animantia, diffluẽtes, ſubiectos, & ſuppoſitos ſemel, eorum quibus inſident referẽtes. Veterem Chamæleontis hiſtoriã certiori recentiorum narratione aliqua ex parte corrigit & emendat Scaliger exercitatione 186. ad hunc modum ſcribens: De Chamæleonte quædam mĩnùs trita referamus. Ioannes Landius in vltima Syria cùm eſſet, ait ſe vidiſſe vnum è quinque, quos emerat Chamæleontibus, linguæ repentino, momẽtaneoque iaculatu muſcam quæ in eius eſſet pectore legiſſe. Propterea illius à ſe diſſecti linguam narrabat inuentam palmi longitudine, cauam, inanem; in ſumma tanquam acetabulum cum muco, quo prædã tolleret, id nouũ ſanè iis qui ſolo vẽto viuere hactenus exiſtimarunt. In quoſlibet mutari colores verũ non eſt. Super viridi viriditas vegetatur: ſuper luteo temperatur ad luteum. Super cęruleo, aut rubro, aut albo, nõ vincitur viriditas natiua: ſed pũcta cærulea, & rubra, & alba, viuidiorẽ validioreq; ſui ſpeciẽ dant. Super nigro ſubnigreſcunt, manet tamen tenor ille viredinis atro confuſus. Etiam haud mutato ſuppoſito colore, mutat ipſe ſuum, vel metu, vel moleſtia,

lestia, aut oppressus, aut solutus. Quòd aër illi pro cibo sit aliquamdiú, ex eo patet, quòd & annum integrum aiunt inediam tolerare: & vbi excepit hiatu auram, & occlusit malas, turget ei venter. Etiam inueni qui diceret, obuersum ad Solem haurire radios, eosque conuersione hiantem sequi. Venenatorum serpentium est hostis acerrimus Chamæleõ. Is ex il- 51
lis vnumquempiam speculatus in vmbra captantem auras, aut in radiis apricantem, in eam scandit arborem quæ illi imminet, vnde ex ore filum demittit araneorum more; in cuius fili extremo guttula sit, margaritæ splendore. Ea tactum in vertice serpentem mori. Illud etiam admirabilius. Si ad perpendiculum nequeat filium demittere, quòd minùs adamussim respondeat ramus in quo est inferiori loco, vbi cubat serpens; ita filum corrigere pedibus anterioribus, atque eius tractum temperare, vt ad lineam quasi catheton descendat. Hæc Scaliger.

De Chamæleontis fulgenti commutatu.

CAPVT XV.

EST Chamęleõtis trãsmeabile nimis corpus, per- 52
spicuũ, & laxum, exangue, quàm minimè eodem intincto, cùm sit nullũ minoris sanguinis copiæ, pulmonis amplioris, omnem corporis replentis capacitatem, vt pulmone inflato, aëre suscepto quantitate nimia, simul suctu facto ingenti, animalcula trahat, muscas, locustas, formicas, & reliqua insecta, quibus alitur, vt quotidie visitur experientia ipsa. Toto ergo aëre pleno, perspicuo, & perlucido, poris ple-

 nis,

nis, venis, arteriis, pulmonibus, visceribus rarissimæ compagis, cutisque, animans perspicuo corpore, colores suscipit rerum subiectarum, vt & perspicua omnia naturæ suscipiunt, cùm sit color actus perspicui in actu, lumine facto, motiuusque illius, iuxta Aristotelem 2. de Anima, c. de visu, & de sensu & sensili 2. c. & libro de coloribus c. 3. & Plato in Timæo. Neque enim, & si aëre solo viuat hoc animans tempore aliquo, viuit tamen perpetuò aëre, vescitur imò dictis & aliis, Rhodiginus refert libro 24. capite 21. Dalecampus libro 8. Plinij capite 37. Norunt omnes qui hæc animantia cognouere, & captarunt, omnes & nouimus. Si illis imò hæc offerantur, deglutire illicò, & lingere videmus, casei imò auidissimos esse scimus, murium instar, Plinius quinimò qui libro 8. cap. 37. dixerat, & cap. 33. solùm inter animantia celsum semper, & hianti ore viuere, nec cibo, nec potu alio, præterquàm aëris alimento altum, libro 28. cap. 8. vbi mira de hoc animanti retulit, & Græcorum superstitiosas sentētias refert, Chamæleontes inueniri ingentis magnitudinis sustinet, æquales Crocodilis, hosque tantùm valere suctu, & inspiratione aëris tracti, vt accipitres ad se alliciant volantes, volitantesque circa ipsos, alitesq; alias, insecta animantia, quibus & vesci ipsos, & quæ supersunt impertiri liberè reliquis plurimis animantibus, quæ secum afferunt ministerio, illumque sectantur quæstus causa, expensæque præmio. Transigit enim solo aëre multo tempore, largoque hoc animans, non secus ac frigida alia, venenosaque animantia, viua quæ supersunt, & latitant hyeme
53 tota, sine alimento, vt viperæ, angues, bufones, araneæ, lacertæ, & reliqua, monstrauimus suprà; & ex plantis bulbosa omnia, & natura humida, suspensa

&

& reſeruata in poſturum, vt cæpæ, ſcyllæ, ſatyriones, melones hyemales ſemperviuunt, & alia viuunt ſine alimento ſuſcepto tempore largo; germinant enim ſuſpenſa, & vireſcunt ſe ſolis; reditu Solis tranſacta hyeme, quòd cùm ſint humida natura, & mucore pituitoſo plena, non secùs ac pituitoſi viri, & deſidioſæ fæminæ, multo tempore ſine cibo accepto tranſigunt, interna pituita qua abundant confecta in ſanguinem, & alimentum euerſa, quòd ſit ſemicrudus, ſemicoctúſque ſanguis pituita ipſa, ſanguine, calore inferior, ſic illa interno mucore viuunt; Chamæleon itidem ſucco plenus, mucore tenaci, & viſcido quo eſt refertus ab ortu totus, ſanguine carens, præterquam quibuſdam in corde guttulis, anteà diximus. Tertullianus retulit de hoc animanti, videre eſt ad oculum, planè eodem viſo; ſunt enim nobis communiſſimi in regione Bętica Hiſpaniæ; hic aërem trahit vt refrigeretur, concreſcatque in alimentum pingue & oleoſum, aëreum, aëris frigore & refrigerio, ne euaneſcat, & abeat exolutum calore, tum vt aërea ſubſtantia enutriatur noſtra, elemento aëris proportione reſpondens: nutrimus planè hoc ipſo plus minuſve animantia ſolo aut permiſto, hoc enim naribus tracto, gutture, & ore, pulſu & natura partium tractiua, reſarcitur aërea noſtra influens, & inſita ſubſtantia, natura & ſpiritus, vitalis, animalis, naturaliſq; ſpiritus noſter. Quò, ſi animo linquimur, ad aërem expoſiti, naribus ad aërem verſis, reuiuiſcit animans, animo lictus, & deficiens qui erat. Hinc odorifera naribus aptamus, vt ſpiritus recreentur, & alant, viuificent, aëremque in faciem mouemus agitamuſque omnino, vt reaſſumat vires, qui defecit animo. Quo vetuſtiſſimus ille Hippocrates medicinæ autor libro de alimento illo

celebri dixit. Principium alimenti os, nares, guttur, & pulmo, pulsus & alia; iis enim nutrimur omnes aëris tractu, vt ibidem docet, & Galenus itidem ibidem, & alibi hanc citat sententiam, hoc sensu explicitam, omnesque medici prisci, & recentiores aëre ali substantiam aëream nostram, nosque ipsos tenent; neque enim in solo pane viuit homo. Circa Gangem amnem odoribus herbarum & florum plurimos viuere solùm contentos, dixere aliqui, non nego, tamen subticeo hæc, at illa Aristoteles refert; Olympiodorus sustinet, Rhodiginus libro 24. cap. 21. vidisse hominem aëre solo, & Sole viuentem sine alimento alio, mures terra sola multoties, multoque tempore transigunt sine cibo reliquo, pisciculi sola aqua pura, & limpida detinentur capti tempore nimio. Ocimum vulgare nostrum crescit, germinat, semen mittit, fructificat, sola aqua altum, & nutritum in vase vitreo frequenter lotum, sine terra & aliis, imò loto vase quotidie aqua denuò immissa colluto illo experimur, & qui voluerit, experientia discet, semper viuum suspensum in aëre, suffectura sibi sine alimento alio, refert Aristoteles libro 5. de Historia animalium capite 19. animalcula nullo cibo alta præterquàm vapore oriri, Hispaniæ Ephemerina dicta fluminibus, spirante zephyro, semper volitãtia, *palomillas* vulgò apud nos vocãt, vidimus Compluti spatio diei vnius Henaride flumine ascendentes, eóque die desiisse, solo vapore, plantarum instar, altas, nunquam terram aquamve contingentes. Plato in Phædone plurima iis similia retulit, & plurimorum, qui sine cibo vixere, aëre solo, & odoribus altos, fumosis fuliginibus odoriferarum rerum. Plinius multa iis affinia. Oriuntur alites in Arabia inter aromata, solùm fumida

mida exhalatione aromatum contentæ, imò primum alimentum, quod homo creatus semel suscepit, fuit hoc, spiraculũ vitæ naribus acceptum, aërem scilicèt accepit in alimentum, priùs reliquis omnibus paradisi alimentis, quo dicitur Geneseos secundo: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Sunt ij spiritus quos generans debet impertiri genito, creansque creato, vt perfectum edat effectum, modumque naturæ suauiter attingat, qui enim dat formam, dat & consequentia ad ipsam, aliàs defectuosum effectum produceret; miniméque perfectum, cum creentur viuentia omnia, producanturque in esse cum alimento simul sibi sufficienti, sanguine & spiritu, aut quibus iis proportione respondent, vt simul alantur & crescant, nec est tempus mensurave aliqua, quo ab ortu hæc viuentibus non debeantur, vt iustam sibi comparent molem, quò ab ortus instanti crescere incipiunt, & alimento vti, estque illis alimenti ratio & copia præsens; quò dicitur, postquàm formauit Deus hominem, anima scilicèt & corpore integratum, perfectum iam, nam hoc est homo sine anima cadauer, & æquiuocum quid cum homine, immisit in faciem eius spiraculum vitæ, tenue alimentum quod facie trahitur, respiratione facta, vt hæc notasset, perfectumque hominem creasse, & integrum, munitum naturalibus, supernaturalibusque omnibus sibi conuenientibus, vt maior illi culpa irrogaretur lapsus & ruinæ, si integer omninò cum esset, deficeret ille, nil sibi deficienti, integro omni ex parte, & suffecturo sibi iis; in faciẽ verò spirasse dicitur, quòd hac trahatur alimentũ aëreum, & spiritale illud, in cerebrũ & cor, quibus spiritus generantur, &

alimentum illud perficitur, & agitur naribus in cerebrum & cor, ore, inſtrumentis ſibi allicientibus aërem tractum ſemel inſpiratu, in ſpiritus commutātibus, vt quaſi naturæ modum ſequeretur Deus, rudes vt homines edoceret; ſic fatur, ac ſi naturæ ritus fuiſſet proſequutus, nil naturæ violentia facta, ſeruata iuſtitiæ trutina, & æqualitatis lance. Antiquiſſimus ille Megaſthenes lib. 3. c. 6. ſic ſcripſit: Ad extremos fines Indiæ Oriente circa fontem Gangis, Aſtomorũ gentem ſine ore, corpore toto hirtam, veſtiri frondium lanugine, halitu tantùm viuere, & odore, quẽ naribus alliciunt, nullum illis cibum, nullumque potum, tantùm radicum, florumque varios odores, & ſylueſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere, ne deſit olfactus, grauiore odore exanimari, qui ore carent, & ſolo narium foramine ſerpentium more viuunt, draconum ritu, vt c. de dracone monſtrauimus; de veris draconibus ex Solino & aliis. Nutritur ergo Chamæleon aëre ſpirituoſa genita ſubſtantia, alimentumque, prohibetque illo quo euaneſcat minùs, preſſa, condenſata, aëris frigore, multoque tempore ſine cibo viuit, vt ſerpentia reliqua, viſcido ſolùm mucore alta, qui & ſi aëre tranſigat tempore longo, non tamen ſolo aëre, vt monſtrauimus, viuit, aliis imò, inediam enim viuentia ferunt plus hæc, illa minùs, calidiora, frigidiorave vt ſunt: calida exanimantur illicò abſumpto alimento, deficienti ſpiritu, cibi defectu, ex quo & ſuſcepto aëre, alteratis vtriſque, ſimulque commiſtis, vapore ſanguinis, & aëre confuſis, ſpiritus in cerebro & corde oritur, naribus, ore, pulſu, perſpiratione totius corporis tracto; frigida diuitùs ſine cibo viuunt, plantæ ſex menſibus, ab æquinoctio ad æquinoctium, à Solis receſſu ad reditum Solis, non vltrà; quo nec

cre

crescunt,nec fructificant;marcescunt imò;videre est in fructibus suspensis,sine cibo transigentibus,plantarum partes germinantibus æquinoctio verno , secus emortua nec virescunt , nec germinant ; aliqua serpentia itidem plantis perfectiora , sex mensibus sine cibo degunt,& quæ frigidioris veneni ampliùs, fructusque ideo hyemales sub Libræ æquinoctio reseruati vsque ad arietis æquinoctium durant;moriũtur vltrà si seruentur,putrescunt, deficiunt:animantia alia diutiùs homine sine cibo viuunt , tribus vltrà diebus,homo calore insito,temperato,& natiuo,septem diebus viuere sine cibo potest ad longum,& si anteà possit hic,aut ille desinere. Commune hoc est institutum hominis,& si aliqui vltrà durent;at rarò, ideo Hippocrates lib.de carnibus,septima die interire docuit,septimana prima, primoq; motus Lunæ quarto , aspectúque tetragono septimi , & trium signorum decursu, scripsitque eo loci sic:Si quis septẽ diebus nihil edere , aut bibere velit , in ipsis moritur:ieiunium enim intestinum iis diebus concrescit, & siccatur, iisque animantia calidiora citiùs, quinta die & aspectu sextili obeunt , alia vndecimo frigidiora. hinc Deus Danieli die sexta alimentum immisit in leonum lacu detento,nam septima vi naturæ interiisset,illo deficienti, habent & critici dies ex lunæ aspectu vim in inferna omnia aucta & diminuta cursu & recursu astrorum , variisque eius aspectibus euariant,libris de crisibus monstraui. Viuit ergo Chamæleon frigidus quarto gradu & humidus tertio solo aëre , tempore multo deplicato modo. Sed 52
quid mirum,si sunt illa vera, quæ hodie extant apud Luxemburgos?refert Ruëus de Scripturæ sacrę gemmis lib.cap.1. seque vidisse testantur plurimi hodie; modoque extant apud Dominam Heuerensem,

ex illustri familia Luxemburgorum, adamantes duo, iure hæreditario maioratus illustrissimæ stirpis, marem & fæminam, qui adamantem nouum, adamantinamque sobolem, anno quolibet enixa fæmella, quæ ex illis est mole minor, è mare alterata fœcundo halitu in lucem mittit, fæcunditate mira, aëre circumstanti tracto, condensato, virtute illa petrifica, & adamantina, sine alia materiæ copia, hácque solùm densata & mutata, maris virtute, fæminã in præsentia viri in sobolem ditissimam commutare, in constantissimum adamantem, insuperabilem, quasi incorruptibilem natura. Sentiunt adhuc amoris vim durissimi adamantes; quid mirum; si Chamæleon similem reponat sibi substantiam, debilem, laxam, mollem, ex alterato aëre commutato eo tẽpore? scimus aquas plurimas, terras, & fontes, virtutem obtinere petrificam, commutateque in durissima saxa mollia quæuis, non secus ac Medusæ caput commutauit; Phineum, * est apud Perperenos Beotiæ fons, refert Plinius lib. 31. c. 2. & Vitruuius c. 3. lib. 8. Athenæus lib. 2. cap. 7. Theophrastus lib. de aquis c. 9. Pausanias in Eliacis, Strabonius lib. 13. c. 6. Solinus, & alij, qui omnia, quę irrigat in lapidem vertit facilè, siue dura, siue mollia extent, tenuia, crassa, imò aquam ipsam in lapides commutari, guttasque in durissima saxa cõcrescere, racemorum instar; in antris, spelũcisque plurimis videmus nos, quod vltrà eo loci Plinius edocet; videmus passim Hispaniæ locis plurimis, præcipuè apud Turdetanos, quarum bases crucis concinnæ aptari perpulchrè solẽt; Corallium hoc modo aquis salsis concrescere arborem priùs mollissimam, sale absumptam, molli substãtia, & lapidescere nouimus. Chamæleon ergo aërem mutat, densat, vertitque in substantiam aliti, cuius excrementa reiicit, firmat, &

com

comprimit hanc tenuem substantiam; non secùs ac in mystione miscent ignẽ,& aërem, mistorum agentes causæ, dũ mista componunt, confirmant, & sistũt; non aliter eo genito, aërem allicit, sibique impertit continuò, solùm, vel cum alimento alio Chamæleon aëreus naturæ prædominio animans plus aliis omnibus naturæ totius, natura frigidus, quòd ex aëre substantiam alteret sibi conformẽ, condensato eodem, in aquamque conuerso, mucorem, & viscidũ succum tandem, quo alatur, altrice virtute; vento enim, vaporibusque frigidis enutritur ille, natura frigidus, aqueisq; iis, conuerso aëre in mucorẽ, & succũ glutinosum & frigidum, aëre se replet cum iis simul, vt mistus natura omnibus vsus vaporibus cũ illo euolãtibus enutriatur; sed& si hoc animás polypi more, & aliorum quorũ retulimus historias, in subiectos sibi colores habeat, & fulgore euariet rerum suppositatum, quòd naturæ perspicuũ, & permeabile sit, aëreque tracto pulmone amplissimo repleatur, quo suscepto perspicuo, & transparenti diaphano, cute rarissima apparenti mouetur coloribus, vt diaphana omnia, succo vitreo, & mucore plenum transparẽti, & perspicaci, tamen non hac solùm causa colores reddere rerũ quibus insidet, constat, neq; hac præcipuè, & si iuuet quidpiã, quòd illis semotis adhuc color supersit, & perseueret tẽpore aliquo, experientia docet, nonque solum ad earũ præsentiã persistat ille productus semel, posteà imò, cũ quòd non adeò perspicuũ se offerat illud, vt per ipsum videamus, transluceantque colores facilè & manifestè; viscera enim & interiora eius viderẽtur priùs, si permeabile esset, vt per ipsum spectaremus, quod constat falsum, cùm nil eius internum sit perspicuum; opaca imò omnia; neque enim vitri more, crystalli, aquæ, aërisve,
aliorum

aliorumque perſpicuorum lege, per illud videmus, colores verò in eodem inſpectamus, inuiſis aliis quæ illi ſupponuntur obiectis figura, motu, numero, magnitudine, reliquis inuiſis, eo ſolùm viſo, impeditis aliis corpore, & mole quanta eſt animantis, non vt per vitrum ſuppoſitum inſpicimus, vitro interminata viſione, Chamæleon imò viſionem finit colore ſuſcepto, non in ſubiecta viſu permeante, venientive ad reliqua per ipſum, multoties enim colores non reddit ſuppoſitos, alios imò diuerſos & varios, quod nequeunt perſpicua efficere, ſed reddunt quales ſupponuntur, nullo modo alios, tum quòd ſuppoſitos omnes referant, ille non omnes; nequit enim in albũ rubrum permutari, & ſi in alios poſſit, vt experientia docet, & animaduertit Plinius lib. 8. cap. 33. Ælianus, reliqui. Iuuat perſpicuitas remiſſa illa quantulum, & ſi permeabilis omnino non ſit, ſed quantiſper vt per perſpicua alia remiſsè colores ſubiectos videmus quadantenus, ſic & per Chamæleontẽ reliqua, vt manibus ad ſolem verſis colorem ſanguinis inſpectamus per cutem elucere, & per lintea ſeſe ipſis opaca alia. Ab oculis incipit, à capite, colore euariare, à cauda illicò, poſteà toto corpore vndiq; verſus. Iuuant perſpicuitas animantis, ſuccus, acceptus aër, at imaginatio colores cauſat reales reali actione, applicans actiua realia paſſiuis colorum, quæ mouet ex ordine imperio ſpiritus, & ſanguinẽ agitat, immiſcet, temperat, è corde, in reliquis perſpicuis, & claris corporis partibus: proportione illa, ſanguinis pauxillum quod habet, coloris auidiſſimus rei inſpectæ, inuidẽs illi, acerrimi viſus, & varij, maximéq; coloribus delectabilis, eorũ varietate aſpectus, illis vt æmuletur, conaturq; imitari æmulus, miſcet ſanguinem, & ſpiritus cũ opaca natura; reliqua ſui corporis, ea portione,

ne,eo contemperat tenore, instinctu naturæ in hæc concesso illi, vt talis resultet color, qualis supponitur,aut cui inuidet ille,circaue apponitur,vt nõ subiectos solùm colores reddat; circa positos imò,multoties vt illo permutato, colorem inquiramus, disquiramusque latentem,quem repræsentat ille,vsque dum conscij cognouimus causam coloris redditus; pauxillum enim continere sanguinis, solúmque guttulas quasdam diximus timidissimũ animal, vt hinc 55
sese occulere, in subiecta quæuis euanescere, quasi cùm velit,colore accepto occultári,conscius,pauxillum sanguinis moueat,quo irriget artus,inuestiatque illo,vt color resultet concolor visis,apparentia opaci, perspicuique animantis, iridis more, rerumque aliarum,quæ euariant fulgore,spectroque visus. Mouemus in passionibus animi spiritum,sanguinem, ea proportione, vt in timore pallor, in verecundia & lætitia rubor emergant, aliique in affectibus aliis, passionibus irascibilis, & concupiscibilis, diuersi & varij; variata portione opaci & lucidi, spiritus, sanguinis, bilis,aliorumque, pro vt fuerint humorum, succorumve animantis leges & modi, motus.

De figurato Chamæleontis iconismo ex natura elicito.

CAPVT XVI.

NOn aliter Chamæleon colore euariat, ac euariat Iris, opaco & lucido mistis,confusis,apparenti colore, lucis instar, tamen realis existentis, 56
non fictitiis, imaginariisve, imò realibus, & consistentibus in re ipsa lucis more, quæ vera est & consistens qualitas,non permanens tamen, semota cau-

sa

ſa ſui ortus, non vt colores alij miſtionis, qui amota illa ſuperſunt adhuc. Imaginatione non ſecus Chamæleon variat colore totus, ſanguine & ſpiritu motis, plus minuſve, pro vt vehementiori agitur deſiderio, & cupiditate maiori huius, illiuſve fulgoris, potentiæ proportione;hos expoſcens,illos exoptans, ex naturæ modo, vt iis illis plus minus delectetur, diſpoſitione naturæ,ij hos amant plus illis, odio habent alios ob proportionem cum viſu, aut diſproportionem; vt hinc omnes cæleſti delectemur plus aliis fulgentia: pictores imò, dum varios inſpectarunt, acie viſus confuſa, & hebeti, nimio inſpectu defeſſa, tabellam eo delinitam attentè inſpectant, vt languidum alioqui reſtaurent, & recreent ducti natura. Rubrum verò imitari nequit defectu ſanguinis exangue animans, nequitque & album: opacum enim illud, remiſſum etiam ſi eſt, nequit amouere inſitum ſibi natura propria, quod lucem impedit,vt candicet totum lumine ſuſcepto, ea intenſione qua candor exigit.Lumen enim album parit candorem diſgregantem viſum, ideò aër aquæ permiſtus ſpumam albiſſimam cauſat, quòd lucem ſuſcipiat copioſiorem, ſubſtantia aëris intercluſa, opaca,minuſque perſpicua aquæ natura;eo verò diruptis ampullis euaneſcenti in ſpuma candor deſiſtit,qualis eſt aquæ ſolũ relicto opaco, imò craſſum, denſum ſubſtantia, inueſtitum lumine ſi ſit, album colorem reddit, vt Chriſti veſtes reddidere in Thabor lumine gloriæ redundante in corpus,ad externa quæuis: *veſtimenta eius alba ſicut nix*, ibidem dicitur, Matthæi 9. & ſi in facie magis ob ſplendorem ſpirituum,copiamque,qua corpus illud ſpecioſum forma præ filiis hominum, actionumque abſolutiſſimarum abundabat. Teſtis occulatus lux dixit, maior omni exceptione,

exceptione,antiquior primaque creaturarum. Geneſeos primo capite Deum eſſe Chriſtum, lumen oſtendit, dixit Pater ore pleno, vocauit filium luce media,lumen de lumine, Deum de Deo. Probantur filij patrum vocatione legitimi; ius diſpoſuit. Vt ergo mundus cognoſceret Chriſtum lumen Deum, lucem vocauit in teſtem,cuius eſt omnia manifeſtare,innoteſcere,& pandere, *in lumine tuo videbimus lumen.* In Filio ſcilicèt Patrem. Retigit, abſoluit figurã Chriſtus;quam in Moſe depinxerat,tetigeratque lumine in monte Sinai inueſtito;tetigit pictorũ more, lumine perfecto gloriæ,perfecit,abſoluit in Thabor, quæ ibi obũbrarat velata facie Moſis. Chamæleon ergo rubrum ideò & album non reddit colores,cùm alios obiiciat,dum æmulari cupit, ſecùs aliter, quòd in ſe verè hos colores obtineat ille, vt ſunt nobis in animi affectibus, ſuſcipimuſque paſſim, multoties imò imitari nequit ſuppoſitos colores, & ſi nitatur, & velit, variatis cauſis, & proportione mutata, accidentibus & rebus aliis, lucis & opaci permiſtiones impotens pro libitu immiſcere, vt velit iugiter. Chamæleon ergo immundum eſt animal, vt Leuitici 11. dicitur. Primò quòd obſcænos,tetros, corruptos generet ſuccos,viſcidos,craſſos,glutinoſos,mucores, eiſdem refertus natura,& plenus. Hinc immunda ad eſum in Scriptura continentur, latè capite de Stellione ſuprà monſtrauimus,reiicique talia, ne coinquinent eſu & alimento impuro, & corrupto, vt & mens in vitioſo corpore,peruersè inclinetur, trahaturve malitia in conſortium, aut affectu in tales vt paſſiones labaſcat, diſpoſitione illa corporis ex vitioſo alimento contracta, vt interturbetur, & perturbetur ex paſſionibus, corpuſque immundum aggrauet animam, & terrena inhabitatio deprimat

ſenſum

ſenſum cogitantem plurima, coinquinato domicilio. Tum quòd Chamæleon venenoſus eſt, & frigidus quarto, vt iam retulimus: docet Plinius lib. 8. c. 27. iis. Coruus occiſo Chamæleonte, qui etiam victori nocet, venenóque inficit occiſorem, lauro extinguit virus emanſo. Paulus etiam lauri infuſionem aduerſùs potum parat, in quem Chamęleō inciderit. Ætius vltrà locis allatis ſuprà, cuius exemplo Chamæleōtem herbam venenoſam hoc nomine appellarunt, quòd accidentia veneni Chamæleontis animantis inferat deguſtata. Dioſcorides cap. de Chamæleonte virenti, Plinius, Theophraſtus, Paulus, Galenus, reliqui propriis huius plantæ capitibus. Venenum enim huius animantis morſu minimum eſt, eſu tamen animalis maximum; neque enim repentè occidit, vt ſerpentes reliqui, paulatim & ſubmiſsè imò, inſenſibiliter quaſi calore reſtincto, vſque dum quieti occidunt, ſine mortis præſenſione, colore pallidi, viſu diſturbato, tenebris effuſis. Iis ergo eſt immundæ naturæ Chamæleon, interdictus eſus illius acris ſcriptis, quoad naturam ſpectat. Quoad ea verò quæ ſignificare poteſt, & ad ſenſum tropologicum ſpectant, aut allegoricum, Chamæleon inconſtantes & varios, verſipelles, & callidos ſignificabat homines, qui variis coloribus ementitis, & fictis alios decipere conabantur; tum vanos, ſuperbos, ambitioſos, faciles, & qui inani gloria, rerumque fugacium deſiderio tenentur, hiantes & cupidi, inſatiabiles, inutiles vltrà, tumidos, frigidos, corde debiles, væcordes; vt hinc variæ parœmiæ oriantur, & prouerbia varia, verſipelles homines & inconſtantes, & Chamæleonte dicimus mutabiliores, cùm ſeſe facilè in omnē habitū vertant; imò quod vulgò dici ſolet, de corio ſuo ludit, de hoc animanti dicitur
apprimè

apprimè & concinnè satis; de iis qui expensis sumptibusque maximis, mille coloribus, variis, ementitis & fictis, sui maximo, salutis & vitæ dispendio, hiant honoris & gloriæ inani desiderio, *de corio suo ludunt*, sese macerant & affligunt sui carnifices crudelissimi, & tyranni sæuissimi, infandi. Hinc Vlysses callidus, & versipellis, Lysander, Alcibiades, & alij dicti sunt Chamæleontes superbi, & tumidi, hiantes, ambitiosique omnino. Imò deteriores Chamæleōte horum plurimi pertinacia contumaces, cùm ille temporis tractu (locis allatis Aristoteles retulit) colorem mutet, & euariet, natura insitum ad tempus, ij persistant tales perpetuò quales malitia efficit. Tēpus imò est Chameleontis illud senectutis extremæ (ibidem refert) quo non mutatur (mirabile dictu) coloribus variis, pallidus imò discedit ille, & vnius coloris, ij senectute ambitiosi, magis inconstantes, leues, consuetudine longa, in dies abeunt, permutanturque faciliùs ad apparentia quæuis, ad vana & fugacia, commutabiliaque, amoris proprij, concupiscentiæque rerum. Tertullianus de hoc animanti scripsit ieiunum semper indefectum, oscitantem viuere, follicantemque ruminare, vento vesci, gradumque & motum demonstrare magis, quā explicare, pectus à terra non erigere, serpere imò & repere corde, terrenis, serpentium more, succumque continere intra se nullum sanguinis scilicèt, pellicula leui vestitum, & inuolutum, non secus ij his viuunt legibus, & conditionibus, hiant vani & faciles, inconstantes, ambitiosi, hypocritæ, varij, vafri, versipelles, inutiles, qui extremæ ætatis curriculo, & senio confecti, iuuenem imittantur Chamæleontem, senem minimè, erubescentem tunc delictorum iuuentutis & inconstantiæ, minimeque variabilem, ea iam

GGgg ætate

ætate compunctum, imò pœnitentem inscitiæ, malitiæ,& fraudis, versutiæ, & leuitatis, facilitatisque. hinc oculi sponsi summis extolluntur laudibus iis Canticorum 5. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum,quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.* Non secus enim ac columbæ lotæ lacte,ardorem, incendium naturæ lasciui animantis ignei,& venerei lactis frigore, siccitatemque lentore & butyrosa lactis deponunt substantia, quibus sitim remittunt,& extinguunt, aquarumque riuulis iis extinctis insident, & fluentis aquarum plenissimis, non vt bibant, vt se imò inspectent lacte iam siti restincta & ardore deposito, se vt contemplentur, & spectent, tunc illis solùm ex vsu aqua, vt in ea sese ipsas circumspectent aquis, & componant, indigentes minimè eisdem in potu, perficientes imò perspicuum earundem labentiũ vndarum, suamet ipsarum imagine,forma & spectro,ideò super riuulos dictum,non intrà,aut riuis immersæ,lacte lotæ; cuius est proprium rerum effigies,& figuras, omnibus aliis minùs multò suscipere liquoribus, minusq; eis omnibus affici,& variari rerum visibilibus ideis, illas aut reddere candore nimio,& copioso, huiusque coloris, lumine intenso, & prægrandi formato ob candorem lacte, quo fulgores rerum & colorum flammulas nequit suscipere, minoraque lumina luminatum magis natura insita, remissa vt nequeunt aut æqualia alterare æqualia,aut intensiora afficere,eo in quo sunt æqualia,aut remissa illa, cùm deficiat potentia ad simile,actu iam habito, aut ad maius in eodem actu,quo est tale, aut superius reliquum,factũque cùm non sit infectum; Aristoteles docuit 5. metaph. c. 6. motusque potentiam supponat in mobili, vacuã eius quod debet suscipere illud, alias iam haberet,

beret,quod ab alio ſuſcipere poteſt, vt non mutaretur, cùm tamen habeat quibus nequit lac immutari ſpeciebus rerum, & minùs columbæ oculi loti lacte, præcipuè quòd illa oculos (mirabile & rarum) naturæ contineat illius viſibilium idola,vt reddant minimè in pupilla,minuſque in iis repræſententur quàm pupillis reliquorum animantium, minúſque euariét aliorum reliquis, non inconſtantiam Chamæleontis æmulantes, varietatemve, lacte lotæ,oculi earum natura immutabiles,qui non affectibus rerum interturbantur, non paſſionibus, rerumve fugacium & apparentium figmentis,imaginibus, idolis rerum fictis, rebus fictitiis, formiſve, vt videant, nec ſubſtantia aquarum, rerumque fluentium, fugacium columbæ tales, imò aquæ immutantur eiſdemmet columbis lotis lacte, vt perſpicuum eget lumine & ſpeciebus ſpectabilibus rerum, vt ſit actu perfectũ, taleque ſolum potentia, cùm ſit actuum formarum, ſpecierumq; inſpectabilium, non more Chamæleõtis variæ. Sic oculi ſponſi non perſonis afficiuntur, paſſionibus,ſimulacris, non ducuntur affectibus, rectus imò,iuſtus,immutabilis idem, Pſalmo 91. *Quoniam rectus Dominus noſter, & non eſt iniquitas in eo*, & pſalmo 16. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ, cuſtodi me, vt pupillam oculi tui*: Ab affectibus, & paſſionibus mortalitatis huius, ab hac lege carnis, quæ repugnat & calcitrat contra mentis legem, reſiſtítque dexteræ tuæ legibus, voluntatique dexteræ tuæ, Chriſto ſcilicèt, qui à dextris eſt,aſſiſtit, qui nobis voluntatem tuam patefecit, & reſerauit, *cuſtodi me vt pupillam oculi tui.* Eſt Chriſtus pupilla oculi, in qua videt Pater. Verbum eſt viſionis pupilla immutabilis,rectus,forma nos Chriſto tuo columba, quæ aqua noſtra non indiget, noſtrave mẽdicat; ſua ſunt

omnia iam gratia, quā gloria Christi, formemur, qui rebus nō indiget, res imò ipso in quo viuimus, mouemur & sumus, perspicuo nostro & susceptiuo luminis tui, te solo formabili, te solo splendore gloriæ, & figura substantiæ eius, Paulus ad Hebræos 1. *Columba super riuos aquarum* plenissimos te ipso, in quibus omni ex parte se circumspectat, & conspicit te, in lumine tuo, in quo videmus lumen, te pleno, in sanctis, iustisque riuulis, lacte lotis, sine siti aut indigentia rerum, iudice integrò, te inspectas qui in nobis & spectas quòd nil simus sine te, nos vt informes, reformesque sponsus humanitatis nostræ, dulcissimus, fidelissimus, doctrina, lac, sapientia, lotus, thesaurus scientiæ & sapientiæ Dei. Candore tui lactis aquas illuminans nostras, quibus insides super riuos aquarum nostrarum ex te fonte perenni labentium, qui es fons aquæ vitæ salientis in vitam æternam, aqua vitæ stillata, ingenio Patris calore spiritus perpessa alterationes varias apud nos, cùm in visceribus Deiparæ Virginis, tum in cruce; vbi ad formam sanguinis redacta Patris industria, instillauit aquam, & sanguinem simul, (mirandum) ex quo venit aqua dicta Angelorum hominibus, vt panem Angelorum manducarent, hac aqua subactum tandem, vt terrestri & opaco in triduo ab spiritu volitanti disiuncto, discissoque more chimicorum, qui florum vitalem halitum à terreno discindunt igne, & tepore, perspicua, & lucida aqua vitæ, eo ex fonte dilaberetur, aqua vitæ vrentis igneæque naturæ, ignis amoris, & charitatis spiritus, mistū, integrū, vt formaretur nostrum, igne spiritus, aqua fontis vitæ, spiritu viuificante, terra virginea Christiferæ matris. Est hæc Christi, Christicolarumque miscella, structura, & compositio, renascimurque ex aqua iterum forma-

ti,& ſpiritu, igne charitatis, terra virginea & integra, fæliciſſimo partu, & interceſſione piiſſimæ Virginis & incorruptæ. Terra eſt homo, primò efformatus Virgine; ſine humano cultu ſic Adamus extitit; nos aqua, igne, ſpiritu, terra, renaſcimur Chriſto autore, forma miſtionis, iuuentutis, & ortus noſtri.

De Chamæleontis orientalis allegoria & Iconiſmo.

CAPVT XVII.

IMmũdus Chamæleon omnes poteſt imitari colores, metuq; affectus in eoſdem euaneſcere, & abire. Protheus alter variabilis in eoſdẽ diſcedit, candidũ tamen & rubrum (anteà diximus) æmulari nequire, præterquàm Orientalis ille Chamæleon regius dictus, qui & hos duos remiſsè adhuc obiicit. Chamæleon virgo Orientis filij, diuina omnis, aſtrifera, clara, non ſeruili metu, vt Chamæleontes alij, imò maieſtatis & reuerentiæ, abiit in rubrum & candidũ colorem ſponſi, nulli alteri Chamæleonti conceſſum, præterquàm illi eo gradu imitari inter omnes puras creaturas. Habuit Chriſtifera Virgo mater, filij colores, doloreſque habuit, tulit, in rubrum, & candidũ ſponſi abiit, cuius Chamæleontis dicitur Ioan. 19. c. *Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius.* Iuxta crucem, parum abiit, quin crucem filij ferret, quam ferebat filius, iuxta crucem non ſolùm poſitione loci, tormentorum imò cruciatibus, & intenſione dolorum. Abiit in rubrum colorem ſanguinis filij, ſanguinis imitatrix, dolores, tormenta ſuſtulit, rubrumque ſponſi colorem, ſanguinem referens, mortem, Icon paſſionis filij, & quæ lac dederat, ſanguinem

recepit, confecto, coctoque lacte, Christi charitatis igne, vt lac in sanguinem commutatur, igni admotum, experientia notissimum, stabat sic iuxta crucem rubrum reddens colorem sponsi, candidumque lactis filij exanimata, & exanguis crudeli doloris gladio, & candidum quod susceperat ipse ex vberibus sacris virgineis, hoc ipsum iterum in se acceptum repræsentabat, doctrinam, puritatem filij, munditiam, castitatem, alimentum primum nostrum, pietatem, clementiam, lactis candore, substantia, & lenitate significata. Est enim sponsus candidus, & ruber, suntque hæc ipsius stemmata, eæ eius diuisæ. Canticorum 5. c. *Est enim dilectus meus candidus, & rubicundus.* lac & sanguis, quod solet dici de pulcherrimis hominibus, colore præstantibus, forma & aspectu commendabilibus. Est lac matris, pietatis & misericordiæ plenum, sanguisque nobilissimus & regalis eius, Dei virtute & potentia, excellentia illustris. Album ergo & rubrum colorem filij reddidit Chamæleon hic, naturam omnem excedés, communemque huius animantis, gratiæ donis à filio in Oriente acceptis, in ortu præseruata, & ab instanti conceptus illustris sanguinis & regij, quæ sanguinem & lac accepit primò, vt impertiret & nobis, lac quod dedit, accepit iam sanguis, sanguinemque loco eius quem præstitit, vt filij humanitas formaretur, lac accepit gratiæ & doctrinæ. Per ipsam nos hoc lacte enutriti, sanguine alimur. Lac enim & doctrina Christi sanguis est ipsius, in eiusque cruce & sanguine robur vimque habet, debetque fieri in nobis sanguis priùs quàm illo possimus nutriri. Lac enim priùs sanguis fit, quàm in alimentum abire possit; labore enim & cruce alterato lacte enutriemur, secùs crudo & inalterato in flatus, vt illud solet, & superbiam abibit, sic illud

illud crudum itat natura. Stabat ergo iuxta crucem Chamæleon hic colores filij reddens , & crucem; pallidum vſque vltimò colorem filij recepit , quando ſpiritum emiſit , Chamæleon pallidus diſcedit ſemper, vt naturale, naturæque humanæ legem, verique hominis verus Deus conditionem ſubiret , ritumque naturæ non recuſaſſe intelligi daretur. Quò & virgo pallida diſceſſit cum eo , filij colorem & ſponſi repræſentans formam. Hinc Chamæleon ille Chriſti , Paulus etiam rubrum & candidum Chriſti ſuſcepit, qui iis duobus præſtabat coloribus, doctrina & cruce, lacte & ſanguine ; quò dixit ad Galatas 20. *Viuo ego , ſed iam non ego, viuit in me Chriſtus.* vbi particula *non,* non negat viuere, ſed non ipſum viuere affirmat, eſtque ſolùm negatiua de modo, quo nō negat viuere , ſed qualis vixerat , eratque , negat , vt Chamæleon imò transformatus in Chriſti legem, & crucem, in album lac , in doctrinam, in rubrum, in ſanguinem, crucem, afflictiones; dolores, Chriſti colores reddo, refero eius veſtigia , immutor quaſi reſurrectione alia, renaſcor, viuo non ego. Ioannes non minùs Chamæleon extitit, viuoſque Chriſti colores reddidit, album & rubrum, iuxta crucem, quem cum vidiſſet autor naturæ Deus 19. Ioannis c. dixit amantiſſimæ matri, tot tantiſque cruciatibus, abſentiæque & diſceſſui filij vt ſubueniret ; *Mulier ecce filius tuus*, Chamæleontem ecce Oriētalis regionis Solis, in quo ſunt colores crucis, tormentorum, ſanguinis, candoris, virginitatis, puritatis, iuſtitiæ, pudicitiæ, reuerentiæ, & ſanctimoniæ, ideò filius tuus, nam te & repræſentat, cùm ſit Chamæleon colorum ſponſi, quo eſt mulier ſolùm ibidem à filio Deifera Virgo vocatā, cùm illi ſubſtitueretur purus homo loco veri Dei, & hominis , & vice creatoris creatura, & quæ dicta

erat gratia plena & Regina cæli & angelorum, quæ amica, & tota pulchra, sine macula mater Dei tandem, dum ad Deum refertur, & hominem Christum, dum Ioanni commendatur, illique filij vice succedit ad Ioannem, mulier solùm compellatur, hominis solius mater, eo ordine solùm mulier, adoptione mater, hæc ex nobis, ex Deo illa; Ambrosius, Augustinus, reliqui Patres sancti referunt, maius extitisse aliis omnibus tormentum, commutasse magistrum, Deum creatorem, infinitum Virginis filium, in discipulum, hominem, creaturam, finitum mulierisque natum, vt meritò querula, & tristis Virgo in hæc verba prorumperet: *Videte, si est dolor sicut dolor meus, quia vindemiauit me Dominus.* Ieremiæ Threnorum 1. Abstulit scilicèt racemum terræ sanctæ promissionis à me, expressitque in torculari crucis, hæc me voluit pati, vt summa ipsius potentia manifestaretur, quæ me in tot, tantisque doloribus & afflictionibus viuam seruauit, patientiam gentes vt edoceret, vice-Deus Ioannes, eius iussu succedens, loco Dei filij, Chamæleon æmulus, sectatorque Christi, hos reddit colores; hinc varij Chamæleontes sanctorum imitationis & æmulationis sanctæ extant in literis sacris, piis historiis, lectionibus, scriptis Ecclesiæ Catholicę, qui rubrum & candidum Christi Chamæleontibus solùm Orientis Solis possibile, imitantur. Si non excitetur homo, manuque ducatur, radiisque solis iustitiæ orientis gratiæ, roreque matutino irroratus, illustratus lumine, si non aspexerit in Christum, respexeritque, vt Solis lumine, Solem videat ipsum, imitari se non poterit rore serotino suæ cooperationis, vt nequeunt Chamæleontes alij, qui non Orientis fulgoribus elucent; cuncta enim nostra oratio & operatio ab ipso Sole semper incipit, & per ipsum cæpta

cæpta finitur, vt Ecclesia canit, vocamur illo, vt cooperemur cum illo, nil sine illo, & vt nil motu cæli sine punctis, polisque fieri potest, illudve regulari motu, sine iis verti, enarrant hæc gloriam Dei, *& opera manum eius annuntiat firmamentum*, quorum vnus in hac spectabili cæli machina & mole arcticus buccinæ formam repræsentat astris, vocationem, gratiam excitantem, præuenientem, præcedentemve, donum: antarcticus alter, qui reddit stellarum constellatione crucis instar, figuram, crucem, cooperationem, gratiam comitātem, crucemque, ex linea appetitus, contraposita lineæ rationis, quibus crux resultat, vt quilibet tollat crucem suā, & sequatur Christum crucifixum, hac lege rationis, hac linea & regula; cui lex sensus, & membrorum opponitur, crucem vt efforment contrapositione linearum, hisque duobus vniuersa euoluitur spiritalis machina, molesque rationis: Sic excitamur arctico vocationis, buccina; cooperamur antarctico crucis rationis contrapositæ appetitui, motui, ab spiritu & intelligentia data, vt Chamæleon nullus album & rubrum Christi, sine Sole Orientis, Christumque imitari per se ipsum possit: Imitabitur verò colores alios virtutum moralium per naturam propriam, informes, defectuosos, ex peruersa ratione, & lapsu, æmulabiturque deformia, & ficta bona, defectuosa, fallacia, colores mendaces, figmēta, variosque iniuriæ & malitiæ. Hinc inconstantia, mutabilitas, & ad omnem boni apparentis colorem conuersio, eorum præcipuè, qui eum malitiæ & peruersionis terminū attigerunt, vt in omnia mutentur facilè, labascantque præcipites, ad omnes colores facilè volubiles vitiorum, & apparentia bona, contorquentur imò eorum cruciatū diro, quæ potiri nequeunt, diffusi, effusi in seipsos, & in alia extra se,

quæ imaginantur, imò fictè voluptuosa prosequuntur imaginatione, superaddẽtes rerum formitati venustatique habitæ, vltrà in quæuis conuersi, vt nil sui sint, aliorum imò omnes, diuisi; qui in alia viuũt, non homines, hominum imò segmenta & partes, æquiuocè homines, qui non in se, imò vbi amant, nõ vbi animant, vitam gerunt. Plato in Conuiuio dixit de amantibus & amentibus iis; Tales diffusi viuũt conuersi ad omnia apparentia, vt modò hæc, illa modò ament, diligant, & quæ modò prosequuntur amore, posteà odio sequantur omnimodo, omnium frui optantes, vt cùm iis fruũtur, illis extorqueantur, eorumque desiderio affligantur, quæ non possunt, vt iis abiectis semel possessis prosequantur illa, Chamæleonte mutabiliores, leuiores in quoduis, in obsequium sensuum, serui sui ipsorum, qui à se libertatem non valent adipisci, nec sibi sunt elargiri potentes, quam possunt impertiri nunquam, non sui iuris homines, cùm sui iuris homines sint? inconstantes Chamæleontes, hiantes, Ecclesiastici 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol, nam stultus sicut luna mutabitur.* Splendet lumine iugiter, semper elucet in sapientia sanctus. Ex se lucet pars Solis iustitiæ, Sol se elucet, est pars Solis mystici in Christo, stultus vt Luna per vices ab alio illuminabitur, extra se est, captus amore externarum rerum, quò extrà viuit actus cupidinibus; eius sapientia variabilis, Chamæleontis instar. Quibus perseuerantiȩ donum commendatur, tum Sol lucidus cùm sit, rerum spectra non suscipit, nec vanas icones, idolave ficta sine esse rerum, perlucida, lucentiaque omnia ex se videmus, rerum species non suscipiunt in se, illa innato lumine illustria, & splendida, Luna verò cùm ex se non luceat, perspicua natura, & diaphana solùm luminis susceptiua externi,

externi, coloribus, lumine, rerum ſpeciebus, & formis afficitur, ſimulachris, idolis externarum alteratur ad extrà extantium rerum, inficitur Chamęleontis more. Quò pulchra redditur alienis rebus extrinſecíſque illa: Sol illuminat omnia, affectus nullis, Luna quædam recepto lumine, & affectata priùs, ſapiẽs in ſapientia & lumine manet, nullo alio affectatus, ſtultus rebus afficitur, ſine lumine, alieno fulgore rerum fugacium, vt Chamæleon. Ieremias 4. Thren. 61
aduerſus vanos Nazaræos in hæc verba prorupit; *Candidiores Nazaræi niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores, denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Colorem permutarunt rubicundum & candidum, pulchritudinem, ad carbones conuerſi, Chamæleontes ij, ſuper carbones reptantes rerum fugacium, igne concupiſcentiæ genitos, qui erunt carbones quibus ignis ſuccendetur, quo excruciabuntur poſteà inferno, & tunc conſcientiæ æſtibus & eroſione, iiſque concupiſcentiæ ignis vt foueatur, increſcat, iis quibus ſemel accenditur, lento & ſubmiſſo igne, ſecreto, & tacito carbonum inſtar, quo minùs præcaueant, viténtque incendium, & quòd inficiant facillimè, ſi contrectentur, denigrent, & fœdent. Nazaræi ergo candidiſſimi cùm natura, indole pręclara tales, tum puritate, innocentía, lacte candidiſſimo nitidiores, qui lactis more ſplendeſcebant, non rerum ſpeciebus, & formis affectati vanis, vt lac rerum effigies minùs liquoribus omnibus aliis recipere diximus, quòd lucem recipiat aliis intenſiorem, albedine ſumma, fulgore colorum luminis intenſioris, vt mutari minùs valeat, intenſioris actus illud cùm ſit, ſplendeat ſine rerum affectu, vt ſplendent iuſti, ebore antiquo rubicundiores, quod rubrum eſt, & ſanguinei coloris temporis tractu,

tractu, vt alba rubeſcunt cocta amplius calore agenti tempore maturante, igne papyrus prius rubeſcit, nigricat poſteà, vſta albeſcit iterum; & lac vſtum igni admotum in papyro in ſanguinem redit, albæque veſtes rubeſcunt, marmorei lapides, margaritæ, adamantes, ſal, & alba alia quæuis quæ vri queunt leui vſtione facta, aut temporis tractu lento alterata, & ſi nimia exuſtione cinis, & albicantia emergant, nō ſecus ebur rubeſcit antiquum: Laudat Nazaræorum candorem, rubedinem, albedinem ſanguini immiſtam, & temperatam genis, vſque purus ſanguis labia depinxit ſolus, roſarum inſtar; rubicundos, ſanguineos vocat, cādidos, pulchriores Sapphiris, quod cœleſtis fulgoris Sapphiri venarum colores æmularentur media albedine, & rubore, cœleſteſque ritus, mores, integritatis & conſiſtentiæ, Sapphiri, qui eſt ebrietatis antidotum natura inſita, rerum temporalium temulentiæ immunes, iis vt non inficerentur, vinolentia, & ebrietate impedita Sapphiris, qui extra ſe homines eſſe prohibent ebrios. Chamæleon colorem mutat, intentum, malitiam, venenum, mentem non mutat; diuerſis imò, & variis coloribus affectus, venenum idem, mens eadem, intentio, dolus, formicis, muſcis, aliiſque debilibus inſectilibus, malitia idem, colore ſolùm varius, habitu, & veſte. Mutauit veſtem Saul Regum 1. cap. 28. vt conſuleret dæmonem & Pythoniſſam, non mentem, intētionemve depoſuit: mutauit veſtem Regum 1. cap. 18. blandè accepit & amicè Dauid, mente peruerſa, veneni rabie, laudibus quòd extollerent puerum, gloria, maiorique honore affectarent, *percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia.* Auguſtinus Chamæleontem vocat ſtellionem 3. de ciuitate Dei cap. 6. & Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 2. cap. 5. Solinus in Polyhiſtoria cap. 36.

cap.36. Ætius, Paulus, Dioſcorides, Galenus ſtellionem vocarunt; quòd tergora quorundam eorũ maculis luceſcẽtibus, ſtellarum more euariẽtur, & quòd perquàm ſimilis ſit ſtellioni figura, partu, ſanguine, motu, ſobole, conditionibus. Stellionem rorem lingere, & lambere proprio capite ediximus. Lambit Chamæleon aërẽ roridum, ebibit hianti ore, & aperto, etiamſi differant inter ſe hæc animantia in iis adhuc, vaporem melleum, mellifluos halitus auroræ hiat Chamæleon ad Solis ortum, quibus plenus colores æmulatur apprimè, reddítque facilè antequàm contingat infima; ſpurcáq; loca in aëre trahit ad Solem verſus, è terra elatus illos. Stellio rorem elingit, è terra, & herbis, vbique inueniat, delingit ſine diſcrimine quemuis. Omnes imitari colores poteris hoc altus rore matutino, Solis iuſtitiæ lumine illuſtris, terrena deſpicies, elatus Chamæleon, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam, omnibúſque virtutum fulgoribus, & luminibus affici, vt ſcias rore ſerotino tandem mori, dormire imò cum iuſtis.

De Chamæleontis inſtabili forma myſtica & naturali.

C a p v t XVIII.

AEre intumeſcit, inflatur Chamæleon alter, qui 62
ortum Solis, Orientémque ignorat vndique, ſuperbus, & vanus ſuctu allicit leuem aërem, viſcera, cor illo replet, cor imò expandit, amplificat ſolùm, vt aërem trahat, pluſquàm vt reliqua adducat omnia, exile animans vulgaris Chamæleon, molíſque mini-

mæ, tumeſcit præter modum nimis, ſeſe excedit intra propriam pelliculam, propriiſque terminis non arcetur, excedit imò non contentus termino proprio, tumeſcit, inflatur, mollis & humidus, deſidioſus, iners; humida non terminantur ſe propriis, alienis imò, varij, inconſtantes, leues ſeſe excedunt, proprios terminos tranſcendunt rationis, legis, præcepti; non continentur circumſcriptis rationis limitibus, definitionibúſque iuſtis, vltrà imà quàm ſinit ratio ſe excedunt, tranſiliunt, in proximum veniunt, extrà irruunt, aliorum alia cupiunt, ſurripiunt, famam, honorem, familiaria deprædantur, deſpiciunt alios, vltrà ire tentant ſuperbi, tumefacti, vanitate & inflatione, vditate turgidi, fugacibus rebus confiſi, diuitiis, honoribus; & iis multoties, quæ ſine ipſis conſiſtunt factis, maiorum virtutes, & facinora, quaſi iure hæreditario ſibi aſciſcentes vitiorum infame domicilium, & lupanar; iis confidunt, ſuperbiunt, elati animo viuunt, Chamæleontes deſides, & ocioſi (iuxta naturam animantis) immundi omnes alioqui. Chamæleontum docuit Solinus loco adducto, & Plinius lib. 28. cap. 8. Ælianus & reliqui, genus quoddam eſſe mole maximum, Crocodili æquans magnitudinem, excedens imò, locis humidis prouenien, loci vditate, laxata cute, diſtẽta flatu, aëris ſucti tractu, impetu partes propellentis, ocio & deſidia pingueſcens, mole vt creſcat maximè, & in ſubſtantiam quãdam fluxilem abeat, magnitudinémque dictam. Creſcunt humida facilè, cucurbitæ, fungi, cucumeres, alia. Eo impetu Chamæleontes hos aërem allicere referunt, vt alites ſimul ad ſe vocent ſuctu, præcipuè Accipitres, quos exanimatos antipathia, & cõtrarietate inuiſi animantis, vt animantia alia alia pertimeſcunt, decidunt, linquuntur animo, alia aliis viſis,

ſis, inuiſiſve naturali pugnantia; mus fele viſo, ouis lupo, pullus miluo, ſtellio ſcorpione, vipera araneo, alia aliis: accipiter non ſecùs Chamæleonte inſpectato, timet, decidit fortiſſimo tractu animantis aëre illectus, inſpiratione facta; non ſecùs ac dracones alites plurimas allicere ſuctu facto ſuprà cap. de Dracone monſtrauimus. Tractum verò accipitrem aliis liberè impertire animantibus deuorandum referunt, quæ ipſum proſequuntur, & obediunt, honorantque quæſtus cauſa, illum hoc inflari, intumeſcere ſupra modum comitatu, caterua, clientum, miniſtrorum honore facto, timidum tamen viuere, & ſollicitum, ne in ipſum irruant ſuſpicioſum, eſcæ defectu, ſtipendiumve accipitrum ſi deſit; quò eu gilat perpetuò, eſt illi natura tributum, oculos minimè conniuere poſſe, palpebris deſtitutos & liberos, ſimillimus iconiſmus eorum, qui ambitione, rerúmque inani gloria hiant, & anhelant, ſuperbi, turgentes dignitatibus, officiis, copia clientum, multitudine domeſticorum, pompa & apparatu prolixò, qui vt honores alant, ne decidant ab arrepta gloria, auræ populari conſulentes, perpetuò euigilant, Chamæleontes, vanitatis vento tumentes; accipitres imò nobiles, ſpiritales viros, libera aura deuagantes, cœleſti vitæ contemplatiuæ, moleſtantes, cæliuagos deprædantur, innocentes, innocuos, quos impediunt à motu quo in cœlum ibant, aërem exugentes, honoris, famæ, bonorúmque ſuctu inſatiabili, quos impertiunt famulis, miniſtríſque deuorandos, ſpoliandos. Iudicibus accidit, prætoribus, magiſtratibus, quos aliena manu deprędantur miniſtrorum iam propria cùm diripiant, cõmiſere vt Pontifices Chriſtũ Deũ ſpoliandũ miniſtris, ſolùm queſtus cauſa, ipſos qui inſectãtur, machinãtes malũ, cõtinuò

in ty

in tyrannos & carnifices, qui sese extorquent, vt comitatu incedant copioso; vnus ille, nō plures, ideo quòd possideat plura, cùm sit, vsque dum tandem in ipsos irruunt, deficiente lucro, dilacerant, & impetunt, mendacio, infidelitate, ingratitudine, Chamęleontum instar, vt à quibus honorem & gloriam sperabant, infamiam & maculam referant, spe frustrati, culpa iis ipsis proditione detecta, eorúmque iconicum, qui propriis affectibus sic indulgent, paréntque passionibus, hiantes proprias cupidines & appetitus, vt iis tandem luxu nimio & deordinata viuendi ratione deficiant; *inimici hominis domestici eius*, vt sint tandem, quorum seditionibus disturbatus disperiit, cum propriis expensis educauerat, sumptibúsque & venatu rerum difficillimarum: Abraham, Geneseos
63 14. parta victoria, noluit seruos, nec aliquid eorum quæ victus, & superatus Bara Sodomorum rex adducebat secum. Bara Hebræis interpretatur, ignorantia; hoc enim Bara notat, ne, inquit, dicere possit Bara, Ego ditaui Abraham, ideo respuit ignorantiæ, mundi, & sæculi apparatum, & spolia, néque horum comitatu voluit subire triumphum; nec Deus mundi vanitatem. Nudus, pauper, egenus, ortus in præsepio recubuit, omni destitutus supellectili & pompa, in præsepio, vbi bestiæ mandunt, vt ibidem venisse intelligeretur ob esum deformem primi hominis, & ob eius gulam irrationalem, cùm homines, imò iam animantia irrationalia, quasi peccati labe crederentur præsepium cùm disquirerent, ibidem Deus recubuit, inuenirent vt illũ mortales, diximus; forma serui accepta, panibúsque hordei ideò vltrà & cibauit eos Ioannis 6. c. vt irrationales esse intelligerent. Omnia ergo sæculi dona abrogauit, omné mũdi potentiã, Baræ põpã, & supellęctilé ignorãtiæ, vanitatisque,

que, Abraham, nosterque Deus, meritò Abraham obumbratus persona, quod Hebræis idem est quod Pater excelsus, multorumque pater, Abraham ergo Deus noluit, posset dicere Bara, mundusque ignorantiæ, ergo ditaui Deum; Hinc Dauid noluit arma Saul Regis 1. c. 17. *Saul* Hebræis fouea, sepulchrũ, infernus; noluit apparatũ & pompam Saulis, arma, aut seruos; solus imò cum Goliath duellũ iniit, nudus, inermis cum Goliath, Hebræis transmigratio. In hac enim transmigratione nostra, & via, non pompa sæculi, non armis Saul, inferni apparatu, petra imò Dauid caput Gigantis quassandum; peccatum, caput Dæmonis, *petra autem erat Christus*, non potentia diuitiarum, non multitudine famulorum, nõ fauore principum; *neque est colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes tenebrarum*, inuisibiles nobis, & quòd in tenebris viuant, quo minùs eorum astutias & cautelas vitare possumus, hinc & tenebrarum vocauit principes, occultos, latẽtes, sine luce, incertos, dolo & fallacia, odit lucem qui malè agit; tenebrarum principes. Viso Holoferne, Iudith. 10. c. adorabat eum, quòd Dei esset creatura, & imago, inimicũ diligebat, non odio habebat, & si illius vitia & abominationes abominaretur iustissima fœmina, cùm tamen Deum veneraretur in creatura, & imagine, similitudineque hominis; serui Holofernis fuere illi impedimento, ab adorationeq; reuocarũt (ibidem dicitur.) Est impedimentũ, obstat famulorum copia, apparatus nimius, pompa, menti & animo quieto veritatique, vanitas, quæ inflant homines, & non secus ac Chamæleontes tument, superbiunt, vt minùs reliquis omnibus aliis animãtibus cùm videantur egere, paucissimi sanguinis qui sint inter omnia, vento pleni, sanguinis Christi vacui,

Chamæleontes , vanitatis vento tumefacti viuant, Amos 6. *Væ qui opulenti estis in Sion , & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum , ingredientes pompaticè domum Israël , qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.* reliquaque eiusdem capitis. Concludit, qui lætamini in nihilo, in vanitate & pompa rerum fallaci, & mentita; cuius nil superest tandem, euanescunt imò, & abeunt omnia. Refert Plinius lib. 28. c. 8. quæ si solus dixisset, obticuissem, refert Democritus 6. de animantibus c. 9. Chamæleontis caput, & guttur, si lignis concremētur roboreis , tonitrua & imbres concitare subitò, quæ & si deriderem iure summo , tamen cùm præstigiis vtilissimus sit Chamæleon, spectris, philtris & amatoriis, tum superstitionibus, quòd ea natura facilè mutetur, & abeat in apparentias rerum , Dæmonesque & malefici eo vtantur commodiùs reliquis, in rerum apparitionibus, vt sensus decipiant, & illudant, & cùm hoc animans humidum adeo sit, & aqueum, præcipuè gutture & capite pituita refertū; ideò iis vtuntur , vt igne vaporibus elatis, roboreis lignis crassissimæ naturæ, & fuliginum, vaporumque abundantissimis, strepitu facto , & coruscatione leui, sensus fallant apparentia maiori magi , locoque in alio, vt repræsententur in aëre tonare, vt illo quo in alias apparitiones vtitur, in has etiam vti velit, & in eodem animanti varia contineri philtra edoceat. in suos vsus, abusus ve maleficus aut dæmon. Huius oculus dexter viuentis adhuc erutus, cum lacte caprino subactus, albugines oculorum sanat potentissimè, visumque restituit mirificè, cuius lingua, inquit Democritus , adalligata puerperis pericula partus amouet. Illud verò est mirabile eodem autore; domi existens casu, vtilissimum esse parturientibus, intrusum

ſum verò perniciosiſſimum, cuius rei nullam aliam poſſum fingere rationem, præterquàm cùm vapores ſuget humidos natura, alliciatque hoc animans continuo hiatu in locum vbi habitat, & ſi iis non veſcatur ſolùm, vt patet anteà, humectetque ideo aërem circumſtantem, vtanturque vt humidiori illo facto prægnantes totius corporis tractatu cõtinuo, vt humiditate lubricetur vterus, non ſiſtat, compeſcatúrve, obediat imò partui, lentore aëris, aſportatus verò aliunde ſylueſtris, ſquallens, hiãs, vdæ naturæ auidus, inſpirat humidum aërem, abſumit vdos vapores, loca enim ſylueſtria ſunt ſicciora, quod difflentur vndique, humidiora verò domeſticæ, vt ſuccilagine & vdo deſtituto vtero tunc non labaſcat facilè fœtus; domeſticus verò Chamæleon vtilis, quòd natura humidiſſimus humectet aërem, potiùs quàm exſiccet, vditate plenus, ocio, loci temperie, & deſidia vltrà, & virtute inſita, vt aliis inſunt rebus virtutes miræ & variæ, & inter illa quæ ſunt eiuſdem ſpeciei iis & non illis; Pſilli enim & Marſi venena non pauent, vincunt imò, cùm timeant reliqui, & ſuperentur eiſdem, ſintque venenum ſerpentium, reliquis ſecus. Detinet minutiſſima Remora nauigium immotum virtute tanta, torpedo obſtuporem inducit piſcatoribus contactu chordę & hami ſolius: trahit magnes ferrum virtute innata, oſſa crurum accipitris auri ſcobes, ſuccinum paleas; iuuat hic Chamæleon partus, obſiſtit ille, educatione, moribus diuerſus, qui ęſt naturę eiuſdem. Superſtitiosè ad iudiciorũ euẽtus (Plinius enarrat) linguam eo viuente extractã conferre, dextrum pedem timoribus, & nocturnis laruis vtiliſſimum, latrocinia arcere, metus obſiſtere, coriũ vſtũ pannos abſtergere, faciei mederique, dentium doloribus, ſiniſtris dentibus, gingiuis ſcari-

 ficatis

ficatis dolentis, salutiferum esse inter omnia animantia. Chamæleontis timidissimam naturam sanguinis defectu suprà retulimus, cordisque euersione, quod cùm omnibus animantibus insit eo ordine sitú, vt cuspis, strictiorque eius pars inferna respiciat, & terrestria, latior verò & basis superna & cælestia, huic è contrà latior inferna inspectat, strictior & arctior superna inuisit, positu est videre, qui hoste viso, audito strepitu facili, extimescit, exanimatur, non vt fuga sibi consulat aut è loco discedat, timidus imò expauescens hæret sic subiectis rebus, vt euelli non nisi magna cum difficultate possit, multoties imò sui partem affixam relinquat, dum auellitur ea vi quæ apprehendit semel retinet ille; sic affigitur iis quæ est semel amplexus. Nazianzenus eadem retulit de polypo, si quis eum extrahere velit citiùs dilacerabit quàm euellat, & vel quibus affigitur, subtrahet, vel illa huius portioné surripiét, separari vt à rebus subiectis non valeat, sed vel hic alliciat illa, vel semel ab illo apprehensa, arripiant portionem, proprij amoris hieroglyphicon & iconicon substituere Ægyptij, simul & pertinaciæ; retulit Theophrastus l. 3. capite 7. Homerus Odyssea *α*. Athenæus verò de Chamæleonte, Solinus, Oppianus Ælianus, reliqui. Cor hominis autoribus vt & dissectionibus patet, natura sua sine vitio externo, dum positionem suam seruat, rectius continet limen aliis omnibus animalium naturæ, celsum, erectum figura, & positu, supernè latiùs omnibus aliis aliorum animantium patet, infernè strictiùs, & in angulum ex amplissima basi veniens, superna est illi capacitas cœlum versùs, in cœlum aspirat, hiat cœlestia, capacissimum ea parte, infernè in angulum desinens, terrena vt in puncto solùm contingeret, quoque minimo modo posset,

ſet, supernè cor alitur vaſis inſertis, alimentumque deferentibus, ſtruitur vena arteriali, & arteria venali, arteria dicta aorta & vena caua, quorum duo è corde trahunt, & membris alimentum præſtant, in corde confectum, arteria aorta dicta ſanguinem, & ſpiritū omnibus corporis partibus elargitur vitalem halitum, viuificaſque virtutes, arterialis vena ſanguinem impertit pulmonibus, in gratiam aëris recepti, munuſculique facti aëris attemperantis cordis æſtus, cuius non immemor cor beneficij, aëris loco ſanguinem reddit, in gratiarum actionem pretioſi alimenti, remuneratione facta, illa verò dicitur aorta, Græcis ἀορτὴ, ab ἀορτὶς, Græcis, *lorum*, ex quo gladius pendet, quòd lori inſtar oblonga ſit; hæc verò arterialis vena, quòd & ſi vena ſit, cùm ſanguinem pulmonibus remittat, vt alantur; arterialis dicta eſt vltrà, quòd arteriarum more duplici tunica conſiſtat. Quæ duo vaſa è cordis vētriculis oriuntur, è dextro vena arterialis, & ſiniſtro aorta: alia verò duo ſunt vaſa deferentia in cor, vena caua, quæ ſic appellatur, quòd capaciſſima ſit, quæ inſeritur in dextrum ventrem cordis; & arteria venalis, quæ quòd vna tunica conſtet, venarum inſtar, ſic compellatur, cùm tamen ſit ſubſtantiæ arteriarū, quæ in ſiniſtrum implantatur, vt tantum reddat, quantum ſuſcipiat, gratum & liberale cor, omniáque quæ accepit, referat in eum à quo ſuſcepit illa, in ſe nihil, omnia recipit ſupernè, infernè nihil, cuncta ſupernè reddit, omnia vaſa ſuſcipit vaſe altiori, parte hac capaciſſimum, infernè anguloſum, ſtrictum, in punctum deſinens, vt ſit ſine contactu rerum, aut leuiſſimo ſaltem, quantum viuere dantur, vitæque ad cuſtodiam, & minùs adhuc ſi licet, puncto contingat anguli plana vniuerſi. Eſt nobis ſuperiorum

bonorum capacitas, basis, amplitudo; est posse suscipere supernaturalia bona, & si supernè veniant, nequimus ex nobis illa habere; at suscipere possumus, si velimus cooperari simul cum Christo vitæ autore, vt in lumine suo videamus lumen; Est homo *sanctius his animal, mentisque capacius altæ*: Chamæleon superbus aliter multò cor tenet peruersum malitiæ, cõuersum in aërem rerum, auersum à cœlestibus terram versus. Captant Chamæleontes ij vanitatem, immũda, & fugacia animalcula quæque, qua cor recipere nequit, qua deest influxus, vasa, & aditus: hac distentum, protensum infernè habent, qua terrã conspicit, qua est obclusum terrenis, ne inquinaretur, hac dirumpunt ij, vt recipiat vi facta, qua nequit, fatiscũt, diuidunt, disiiciunt: abrumpi & secari imò sinunt, & præsumunt, quà potest sanguinem, debitumque alimentum amittere, diruptum & erosum, ea parte vndique conclusum, & obseruatum, subuertũt cor, euertunt, & qua parte suscipere potest, in terram cõmittunt, qua nequit capere in cœlum euertunt, cœlestiũ incapaces, peruersione & malitia cordis. Conqueritur Ieremias Threnorum 1. iis : *Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus, subuersum est cor meum in memetipsa.* vbi de amore proprio, de concupiscentia, ventris nomine, vbi appetitus manifestatur magis, obumbratus est sermo, de subuerso corde, cordisque peruerso situ, variata recta positione. Daniel 13. increpans exitiosos senes qui falsò Susannam crimine adulterij imposito damnabant; *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* euertit; deperibant enim Susannam impudici senes, quæ cùm eorum suasionibus, precibus, minis, non acquiesceret, testimonio est læsa, vindicata tamen Deo vltore

cri

criminum, quæ libera euasit Daniele vindice constituto Dei iudicio; peruerso ergo corde hiabant ij, Susannam deperibant concupiscentia carnis, corde peruerso. Paulus Actuum 13. capite execrans Elymam magum, qui erat impedimento Bar Iesu & Sergio ne verba Dei audirent. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas.* Cordis intelligo vias, quas hic subuertebat, commutabatque omninò; hæc est generatio illa peruersa & adultera. Matthæi 17. & Lucæ 9. capite, quorum dicitur Prouerbiorum 17. *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum; & qui vertit linguam, incidet in malum.* & 18. *Qui peruersis graditur viis, concidet simul.* Chamæleon non secus ac Polypus amara fugit, inspersis amaris super hæc animantia quà hærent tenacissimè rebus, subitò remittunt quæ priùs conatu nimio retinebant. Hinc Chamæleontes locis mellifluis maximè prouenire diximus, iuxta aluearia apum, & iis vbi incidit ros melleus, quo aluntur, vbi concrescit manna, melque abundat rore, calamique sacchari luxuriosè increscunt rore melleo, alta hæc & illa, Polypus itidem. Hinc Ponto non oriuntur amarissima eius natura, nec eius ripas Chamæleontes inuisunt, quòd absynthi his ponticis dictis abundet; & si Polypi sint, qui dulcia respuant, dulcibusque inspersi, quæ retinebant remittant illicò, amaris contrà delectentur quammaximè. Quò Ægyptij discessum subitum tyranni significare volentes, polypum cum herba pulicaria coniunctum depingebant, quòd hæc Polypos fuget odore graui, quæ & pulices enecat suffitu hærentes nimis & molestas, vt & Chamæleon amaro alicui adiunctum, eandem posset fugam exprimere. Molles dulcia amant, suauia, blanda

appetitus, cedunt impotentes in se, pœnitentiam, amara animi refugiũt, Polypo & Chamæleonte plus multò versicoloribus, & natura variabilibus, quauis colorum suppositione mutabiliores, faciliores, pertinaces, liuescentes, proterui, qui omnem fugiunt rationis ordinem, omneque consilium contemnunt; retinent hæc quæ odio semel concepere. Ouidius 4. Metamorphoseon sic: *Vtque sub æquoribus deprensum polypus hostem Continet ex omni demissis parte flagellis.* Amara alij Chamæleontes recipiunt affixi adhuc, & hærescentes, consilium, correctionem fraternam, reprehensionem, & amant. Terribilia inferunt somnia Polypus & Chamæleon, mansis casu, aut instituto, quo Poësim exoticam iis significabant hieris sacrisque signis antiqui: ab iisque animantibus abstinebant diuini, & magici, contactuque eorum, futura prædicturi. Quòd concitent maximè varia & plurima mendacia, & vana insomnia, & figmenta, vt non distinguerent inter numine accepta, & somno conficta, talem esse poësin amatoriam rati, exoticamve quæ in somniis & verbis mollibus animos arripiebat iuuenum; quò Plato meretricem vocauit poëticen hanc, & ab inculpabili sua republica abiiciendam fore existimauit. Neque in hoc albo ponitur sanctissima illa poësis tot sæculis celebris, nunquam pro dignitate, quam cœlitùs venisse confirmat Arist. in arte poëtica, Plato in 10. de furore poëtico. Significabatur verò non secùs ac Polypo Ægyptiis hieroglyphico, & Chamæleonte amãs perditissimus, quòd, vt refert Ælianus lib. 4. c. 6. Solinus in polyhistoria, Oppianus, & alij, hæc duo animantia in colores subiectos abeant, non secus atque amantes, aut amentes tremunt, rigent, incendio flagrant, vruntur, pallent, rubent, albicant, lapidescunt, irascuntur, mitescunt,

tescunt, amara ebibunt dulcibus mista, zelotypia excandescunt, rixantur, placantur subitò, victi, & humiles veniam petunt offensæ receptæ, si est opus, imò si non est opus, criminantur, excusant vario numine, cæco duce, instigati puerili Deo, affectibus variis, contrariis, dissidentibus, pugnantibus. Admonemur iis de facili transmigatione Pythagorica, non mortuorum, viuorum imò in amata quæuis, & de animi effusione facili in visa quæuis, ne prolabamur. De versutie & dolo fœminarum, non minùs iis Ægyptij Veneris simulachro Polypum irretiebant, & Chamæleontem, quòd tenaces adeò sint fœminæ, subdolæ, fraudulentæ, vanæ, polypi instar volubiles, variabiles Chamæleontis more, vt etsi amantes odio habeant, inconstantia variæ, quæ sunt amantis non remittant, aut amare desinant, bona, munera, infames quæstus; discindantur vt priùs sui parte, honorem, famam amittant, vitam, Deum totum, quàm ab incepto desistant polypi turpes. Polypus pisciculos iam sanguine plenus illorum exhausto, castigatos remittit flagellis ideo dictis & verberibus inter sugendum, quòd non quiescant, & remittunt spoliatos amantes castigatos satis, ne in posterum inertes iterum capiantur illæ. Est salacissimus Chamæleon, & si frigidus natura. Quòd si quid sanguinis obtinet, intrò retinet, in visceribus, eo instigatur, & internè furit, qui frigidus reliquo corpore maximè concubitu eneruatur, & languescit totus, vt posteà facilè ab aliis animantibus superetur, & discerpatur ille, non secùs ac de Polypo dixit Aristoteles, ob salacem eius naturam eneruari adeo, vt quemadmodùm passerculi plurimi ideo annum non transcendunt, sic neque hic, parumque vltra Chamæleontes ea ratione exolutos venere, concubitu nimio, viuere. Quibus

moralia facilè veniunt, eorum qui vitam, rem familiarem, honorem Veneri consecrarunt, debiles, infecti, omni rerum supellectili erogata, infames, turpes, non homines, fœminæ imò consuetudine & viuendi ratione commutata, in fœminas commigrarunt; Chamæleontis transformatione & metamorphosi facta Pythagorico transmigratu, in subiecta quæuis; iam non homines, in fœminas abierunt, transmigraueruntque Pythagorici amantes, Pythagoricæ sectæ, cupidineæ. Est anima plus vbi amat, quàm vbi animat (Augustinus dixit) animat per naturam, amat per voluntatem; quæ est actio nostra, *fortis vt mors dilectio*; extra se animam afferunt mors, amor seu dilectio, amans vt viuat alter, se abnegat, mortique & periculo exponitur, quot fecere pro amicis? Deus verò pro inimico fecit homine, omnem naturæ excedens ambitum, *in finem dilexit eos*, in mortem, vt scirent mori, in finem, in amoris vltimum, & finem, finem amoris qui attigit, tum contra finem & terminos sine termino dilexit in finem; in se legis finem, in finé, media quòd direxit, & disposuit, in gloriam, finem, vltimum; hûc enim solus illius peruenit amor, vt pro inimico mortem ferret, quod nullus alter tulit. Iis Deus plus in homine quem amat, quàm in se est, sui oblitus quasi, hominis memor, quasi solus, visus est gentibus stultitia tantus amor, tanta dilectio, Paulus dixit, cùm se abnegauerit pro homine, morique non recusauerit; voluit imò, *oblatus quia voluit*, quia amauit, intelligo, hoc est, quia voluit, exiitque extra se, quasi ebrius hominum amore, & captus, & vt Paulus docet ad Philippéses 2. cap. iis. *Sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, exiuit à se, vt dicitur Ioannis 13. *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus,*

& quia à Deo exiuit, quasi extra se, *& ad Deum vadit.* Est ergo Deus extra se amore hominum: quasi illa enim dedecere Deũ videbantur gentibus stultis, vt in hominibus viuat, eo loci Paulus, & alibi, *in quo viuimus, mouemur, & sumus.* Prouerbiorum 8. *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; non extrà, vt se deserere videatur, intensione amoris imò, quasi de se, de maiestate Dei summi obliuisceretur, suæque derogaret altitudini, iudicio gentium morti oblatus, cùm tamẽ hoc amoris opus deceret maximè Deum ipsum, & in se nimis hęc molitus sit ipse summa liberalitate, & magnificentia, soli Deo possibilia, illumque manifestantia hominibus, vt traherentur fortissimis iis amoris laqueis suauibus, & vinculis.

FINIS LIBRI QVINTI.

IOAN

IOANNIS BVSTAMANTINI CAMÆRENSIS, APVD Complutenses Philosophiæ & Medicinæ primariæ moderatoris publici,

DE ANIMANTIBVS Scripturæ sacræ reptilibus terrestribus communiter dictis,

LIBER SEXTVS.



PRÆFATIO.

LARGA & prolixa febre detentus, molestissimo & lento occupatus morbo, inter sæua animantia suspicor commoratus, per sex annos integros (id possunt negotiorum procellæ & turbines, cum continuæ lectionis assiduitas, tum ægrotantium tristes querimoniæ, nescio an immane atrumque venenum, insuperabile, & dirum, tot tantorumque naturæ virulentium, vitæ domicilium corque tetro conspurcauerint halitu, animæque coinquinauerint sedes) quibus nec saluti peperci, nec peregrinationibus variis, quin non secus ac domi & otio, solicito opere huic nostro manum imponerem; defessus itinere, febre vexatus quartana longissima alioqui, & prolixa (scit Deus) iam vela hoc sexto libro plicamus longissimæ nauigationis, tandem vt portum adepti optatissimum, si quid vitæ superest, maiora aggrediamur, perfectioraque naturæ animantia, quibus virtus in arduo innotescat, & emineat, ipseque naturæ autor, & cultor inuisibilis iis visibilibus obumbretur, eiusque magnalia, & facinora egregia ex parte hac historia naturæ manifestentur, simul cum aliis omnibus, quæ inuitantur tanti conditoris laudes decantare à psalmographo sacro, psalmo centesimo quadragesimo octauo.

LIBER



LIBER SEXTVS.

De Lacerto.

CAPVT I.

LEVITICI 11.cap. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de iis quæ mouentur in terra, Mustela, & Mus, & Crocodilus, singula iuxta genus suum, Mygale, & Chamæleon, & Stellio, & Lacerta, & Talpa: omnia hæc immunda sunt.* 1 Lacertus, qui & lacerta appellari consueuit, dixit enim Virgilius 2. Eclogorum. *Nunc virides etiam occultant spineta lacertos.* Cicero ad Atticum lib. 2. *Nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ*: græcis σαῦρα vocatur, חֹמֶט Chomet Hebræis, à σαῦρα, venabulum Latinis, quòd eius formæ venabula extiterint antiquis, tum à σαυρίδιον, nasturtium Latinis, quod maculis, instar granorum nasturtij, varientur tergoribus lacerti. Nobis verò lacertus dictus, quòd figura lacertos repræsentet, musculosque lacertorum, partes scilicèt consitas inter ossa scapularum, & cubiti, dictas à Celso, *humeri*, à Galeno Brachion, Græcè βραχίων, tum quòd sit eius conditionis, dum hominem percurrit; percurrit tamen totum si potest, vt vsque ad sublimiora eius repter, quò brachia in altum porrigere solemus, ascendere inuitantes superbum alioqui animal, sublimia petens, quando altiorem vt tenere molis totius corporis sedem nouerimus, excutiamus, prosternamúsque è brachiis & lacertis illum, vt quanto altiùs sese

extulit,

extulit, tantò magis deprimatur, & demittatur Hinc cùm è brachiis & è lacertis proteratur, lacertus compellatus est. Sanguineum & ouiparum animal, crustaceum, squammosa intectum cute, anguium more, & si cutaneum magis sit illis, quàm squammosum, Aristoteles retulit 5. de Historia ani-
2 malium capite 35. cuius sic scripsit eo loci: Lacerti sua oua terræ gremio committunt, non incubant, ea deserunt imò, quòd omni destituantur memoria, nec vbi oua excubauerint, reminiscuntur, quæ spõte in terra aperiuntur, ij plurimi vitam non complent anni vnius, semestrẽ imò, dimidij anni. 2. de generatione animalium cap. 1. sic: Ouiparorum alia ouum edunt perfectum, vt aues, & quadrupeda ouum pariunt, vt lacerti, testudines, aut quæ pedibus carent, vt serpentium pars plurima, vipera excepta, quæ non excubat oua ad extrà viuipara natura, oua enim eorum postquàm prodierunt, nullum insuper capiunt incrementum. Imperfecta oua edunt pisces, & crustata aquatilia, & mollia dicta, eorum enim oua semel edita augentur succo lacteo superinfuso, vt in piscibus est videre. Obscurissimas sibi plus cæteris animantibus parare cauernas, & domicilia docuit primo de historia, capite 1. à quo Ælianus lib. 2. capite 23. & Solinus in polyhistoria cap. 42. Plinius, & alij. Scripsit verò Ælianus eo loci de lacerto sic: Si quis fortuitò lacertum, seu consultò in caluaria percutiat, & virga medium discindat, huius partium neutra emoritur, sed ab altera seorsum vtraque graditur, & duobus pedibus abrepens viuit, medietas quæuis facta bipes ex toto quadrupede, deinde si coitio vtriusque cum altera fiat, consensione quadam tacita, & naturali colligatione velut conseruntur, contexunturque, atque ex separatis duabus

partibus

partibus vnus atque idem rursus efficitur lacertus, & tametsi loci priùs affecti vestigium cicatrix indicat, tamen & vitam pristinam retinet, & ei cætera persimilis est, qui talia nunquam perpessus sit. Mirabilia sunt quæ de hoc animanti narrat Ælianus lib. 5. cap. 47. iis: Non hic antiquorum testimonio mihi erit opus, quæ ipse vidi explicabo; cùm vir quidam lacertum magnum, & opimum comprehẽdisset, styloque æreo excæcauisset, eundemque in fictilem ollam recentem vtrimque eatenùs exiguis foraminibus pertusam, vt neque spirare fera prohiberetur, neque exitum haberet, conclusisset, & simul terram roscidam dictam, & herbam cuius nomen non explicauit, imposuisset, ac deinde annullo ferreo cui inesset lapis gagates in quo lacertus insculptus erat, nouem signa impressisset, cœlestia ac si numina efficerẽt opus hoc, die quolibet signo vno sublato, post nouem dies lacertus integris oculis & visu iterum recuperato, non secus clariori, perspicaciori imò quàm anteà protulit. Aristoteles 2. de historia capite 17. lacertis docuit non secus ac serpentibus reliquis laceratos semel oculos renasci, & caudas conscissas, imò erutis & distractis luminibus iterum alia substitui, exuere senèctam, sub vtrisque æquinoctiis serpentium more, renouarique, vt aquilæ ad petram rostro, & vnguibus excussis, quæ illi erant impedimento, aduncis iam, & obtusis tempore, non secus reiuuenescere, ad petram antiquis depositis exuuiis, qui sese totos nudant, è capite facto initio ad caudam vsque, vt in spoliis, & oculorum vestigia supersint, tunicæque eorum cute simul detracta, oculos vt amittant, vsque dum iterum totus quasi renascitur, abditus vsq; amiciatur ille vndique totus denuò & nouiter, latitat enim, non se-

cus ac ſerpentes hyberno tempore, ab æquinoctio ad æquinoctium; quo manifeſtātur; Ariſtoteles 8. de Hiſtoria cap. 17. ſic ſcripſit: Cortice intecta maxima ferè ſui parte hyeme latitant, præterquàm vipera, quæ ſaxis reconditur, non cauernis, exuunt ſenectutem ea quibus cutis mollis, nec prædura, & teſtacea quidem eſt, qualis teſtitudini, ſed qualis ſtellioni, lacerto & ſerpentibus; exuunt enim hæc omnia & vere & autumno à capite & oculis. Eadem retulit Plinius ex Ariſtotele, Dioſcorides, Galenus, & reliqui philoſophi; eadem experientia docet. Venter vnus, & ſimplex ineſt lacertis quo cibus ſuſcipitur omnibus ouiparis quadrupedibus, & ſerpentibus, tam terreſtribus, quàm aquatilibus & piſcibus, non duplicatus aut ſinuoſus venter, vt adeſt ruminantibus duplex, & elephanto, anfractibus plenus, & ſi nõ duplicatus, qui & ruminat. Habēt lacerti plurima cum ſerpentibis cõmunia, & eadem quaſi, vt Ariſtoteles 2. de Hiſtoria c. 17. citato dixerit; ſi ſerpentibus longitudinem demas, & pedes addas lacerti fient, ſi lacertis addas longitudinem, & demas pedes, fient ſerpentes: ſic omnibus quaſi conueniunt internis, & externis, vt meritò inter ſerpentes hæc animantia connumerauerimus, cũ Celſo & aliis. Lacerti enim ſerpentium more, & linguā habent longā, tenuē, atram, quā ſi extrahas, in longum porriges, contracta mouetur adhuc intra os tota orbibus factis, ſine eo quod de radice trahatur ad originem, medio imò linguæ. Videre eſt experientia facto periculo, vltrà ac cæteris animantibus contingit, lacertis & ſerpentibus cõmune, vt ſit illis lingua bifida, capillamētis quibuſdā diſſita, moueaturque ore detento liberrimè ſuprà l. diximus ex Ariſt. & aliis, & reliqua quæ de ſerpentibus ibidem quantum ad formationē ſpectat, lacertis

con

conuenire monſtrauimus. Vterum habent lacertæ nimis carnoſæ ceruicis, & inferiore parte calloſæ ſubſtantiæ, at supernè quà ſepto iungitur, membranoſum habent, vt oua extra vuluam contineri credas: docuit 3. de hiſtor. c. 1. & docet diſſectio euidentiſſimè, vbi ſtructuram habere communem cum animantibus cortice intectis dixit 1. de generatione animalium, cap. 2. Lacertos teſtes continere edocuit, contrà ac piſces, & ſerpentes quæ teſtibus carent, meatuſque ſolùm geminos ſemini genitali eiaculando recipiunt. ¶ Lacertos & aues teſtes continere, quadrupedaque omnia ouipara lumbis annexos, non exertos ad externa, è quibus meatus extrà veniũt quibus ſemen eiiciũt coëuntes in vnum cõmune orificium, quadrupedes & ouipari pulmone vtentes, eadem ſerie teſtes qui poſſident ac teſtudines, & cortice intecta; quæ enim animal gignũt omnia, teſtes in aduerſo habent, non vnum ſupra alterũ, vt lacertis iiſque dictis viuentibus inſunt, contrapoſitos imò ad latera, quibuſdam occulti intrò reconditi, vt Delphino, qui & penem porrectum ſatis erigit, & vipera viuum enitens animans, aliis ad extra protuberant, quorum quædam pendentes, retractos alia ſufferunt. Ariſtot. de lacertis ſic ſcripſit 8. de Hiſtoria c. 15. Sanguinei quoque generis multa ſe condunt, vt ea quæ intecta cortice ſunt, ſerpentes dico, lacertos, ſtelliones, & crocodilos fluuiatiles, menſibus quatuor frigidiſſimis hæc latent, nec per id tempus quicquam comedunt. Inferiorem palpebram conniuere, & nictare dixit lacertos, vt & ſerpentes omnes, ſecùs ac aues, quæ ſupernam agitant inferna immobili, præter Pſittacum qui vtraſque, & ex ſerpentibus Crocodilo excepto qui infernam immobilem, ſuperiorem verò motabilem habet, &

Scincus qui vtramque 2.de historia c. 12. flectit lacertus manus,pedes eo ordine retrò, crura, & brachia ac vertũt ouipara omnia quadrupedia, vt Crocodilus,& alia vergunt in latus. Plinius lib.6.c.32.In Capraria vna ex insulis fortunatis,quam modò vocant Lacertorum insulam,communi nomine Canariam, maximos adesse Lacertos refert,plurimosque, ibidem l.8.c.39.sic scripsit. Lacertæ inimicissimũ genus Cochleis, negantur semestrem vitam excedere, de quibus Aristoteles intelligendus venit 5.de historia c.33.de aliis secùs, qui duorum annorum spatiũ, & vltrà transigunt. Lacerti Arabiæ cubitales,in Indiæ verò Nisa monte viginti quatuor in longitudine pedum,fului,puniciei,& cærulei, Aristoteles 8.de histotia cap.28.in Arabia magnitudine vnius cubiti inueniri docuit,& apud nos Hispanos maiores multo vidimus Compluti præcipuè, apud Indos Occidentales in regno nouæ Hispaniæ Caymanes hos vocitant lacertos aquatiles & terrestres,naturæ amphibiæ,cõmunis,aquæ & terræ incolatu caymanes, quasi voraces dixeris,& ingluuiosos,tantæ magnitudinis, vt equum integrum & equitãtem ore degluriãt,passuum viginti magnitudinis,molis vastissimę, tantæ vt nauigia multoties subuertant vastissima animantia. Solet inueniri in ventre lacerti viridis quandoque gemma Saurites dicta,terræ coloris,potentissima in ignauiam inducendam & desidiam, retulit Plinius l.37.c.10.qui lib.10. c.65. sic scripsit de hoc animanti. Quadrupedũ oua gignentium,lacertã ore parere vulgò creditur, Aristoteles negat, neque incubant eadem,oblitæ quo sint in loco enixæ,quoniã huic animali nulla memoria, itaque catuli per se erumpunt mucilagine pleni, vt vomitu reiecti videantur, super quos euomit ille succos semi-

con

confectos, vt alat catulos, eruptos si inuenit, vt vomitu reiecti appareant, & exclusi. Quorum est eadem cum polypo & Chamæleonte natura, vt quæ semel arripiunt morsu, remittant nunquam dentibus, quos pectinatos obtinent, vt quidam recipiant intra se quosdam, & in cauo aliorum admittantur alij, manibus retinent tenaciter, flagellis vt polypus. Lacertis enim non dentes dentibus obsistunt, imò recipiunt amicè dentes, vt intricata præda, non nisi parte substantiæ lacerata semel apprehensa morsu, remittatur parte discissa. Est huic animanti inter serpentes omnes proprium, suo proprio mucore & succo multo tempore transigere rore cœlesti perfuso, non secus ac Cochleæ, quorum dixit Plautus in Captiuis. *Quasi cùm caletur Cochleæ in occulto viuunt*; suo sibi succo viuunt, ros si non cadit; tum caudam cùm omnes serpentes ore tenere possint, & caput eadem tueantur, huic animanti abnegatum est finem sui, partemque qua desit apprehendere; oreve accipere: eademve caput tutari, imò dum fugit, & sese abdere tentat, eius oblitus relinquit extrà, reliquum corporis occulens, qua venatur, & capitur facile, immemor animans sui finis, & vltimi, postremitatū immemor, contra ac serpentes prudentes, quam primò recondunt & illius sollicitæ longiorem multò cùm possideant, occultant, finis oblitus solum præsentia rimatus, Rhodiginus lib. 28. c. 2. Aphros lacertis vesci edixit, & locustis non ingratis gustui in Lybiæ regione, esseque apud Aphros dulces, & virides lacertos, Galenus hos cognouit minimos, vt videre est 3. de vsu partium cap. 3. hosque pronissimos natura vocat, & motui ineptos, Dioscorides lib. 2. capite 55. & 56. lacerti species enumerat, Salamandram Latinorum, & lacertulam vulgarem nostram dictam sepem

pedeſtrem & lacertos communes virides, pallidos, & nigricantes, vltrà & Chalcidicos, quòd Chalcitidem lapidẽ colore repręſentent, lib. 1. mõſtrauimus. Eſtque Seps Chalcidica Ætij & Pauli, vulgaris noſtra lacertula dicta, & ſi ſit Seps ſine pedibus de eorum ſententia, & experientiæ fide. Euomunt ore lacerti & lacertæ fœminæ partus tempore globulos quoſdam albos, qui mortuis illis conſpiciunt in ventriculo eorundem animantium, quos fouent emiſſos ſemel, ſuper quæ incubant, è quibus muſcæ volantes quædam oriuntur, ipſis genitoribus moleſtiſſimæ poſteà, vt quibus interimantur, morſu & dilaceratu prolixo, & moleſto, iidẽ autores referunt ſuprà; cùm tamen propriam ſobolem oua propria deſerant, cõmittentes illa piiſſimæ terræ viſceribus, vt propiùs terræ ſoboles ſint lacerti, quàm lacertorum propagatio. Eſt huius animantis natura mirabilis in detinendo capillorum profluuio vltrà ac alicui alteri contigit, docet Galenus 11. ſimplicium, & Paulus loco adducto, Dioſcorides, Plinius lib. 30. c. 6. ſic ſcripſit: Lacerta quoque inter cętera omnia combuſta cũ radice recentis arundinis, quæ vt vna cremari poſſit minutim findenda eſt, oleo myrthæo permiſto, capillorum defluuia continet, quod efficaciùs præſtant Lacertæ virides, & vtilius ſale admiſto, & adipe vrſino cum cæpa tuſa emplaſtro facto, quorum fel inſtillatum in oculis eorundem, ſanat tumores, viſum acuit, vlcera perſanat, difficilia curatu, lib. eodem c. 5. ad ſtrumas, *lamparones* vulgò, vtiliſſimum iudicat lacertum viridem collo adalligatum; & ſi poſt dies triginta alter alligari debeat, quo ſolo remedio priſtinæ ſaluti reuocauit plurimos. Puniciei lacerti mirabile habent præ cæteris illis magis, quòd dentes obtineãt cauos ſupernos, infernos verò ſubintrãtes ſolidos,

ſolidos, vt inferni ſuper nos ingreſſi ſemel inflicto morſu non remittant quæ ſemel arripiunt, niſi lacerata ſubſtantia, & diſciſſa morſu. Frigidus eſt lacertus 2. gradu, & humidus primo, at ſuccus eius calidus tertio, & ſiccus ſecundo, fel verò calidum quarti initio, & ſiccum tertio gradu, quo infrixus oleo lacertus totus reſoluit, extenuat, ſenſum demulcet partis, Anodinus Græcis, ſedatiuuſque doloris eſt, extrahens, calefaciens, relaxans conſtrictas dolore partes, & retractas perſoluens, contrariis conſtans, & diſſidentibus virtutibus, quibus contrarios molitur affectus, effectuſque varios. Eius mirabilis eſt cum Ciconia pugna, illa roſtro caput pertundit Lacerti, qui cæſus ictu, caudam leuat, ſubmittit Ciconia collum, vt ventrem mollem diſcindat, circumuoluitur ille, mollitie plumarum illectus, volatu trahitur, demulcetur ille voluptate, affectatus, vectione, deuoratur tandem mulcedine, conſopitus ſomno, Ciconię pullis lacertorum carnium auidiſſimis committitur, iis ipſis vt quibus ſupportabatur vectus in altum crudeliter dilaceretur, & quibus aſtra petebat, dilanietur, vt ruina excedat elationem, & honores.

De Salamandra.

CAPVT II.

CElebratiſſima vulgò Salamandra Lacerti eſt 6
animantis ſpecies, cuius tot tantaque apud autores figmenta extitere, ignem vt non pertimeſcentis, quominùs eius intimas ſedes, ortumque perſcrutarentur, eam de medio igne reuocarunt; varij in varias ſatis ſectas abeuntes. Cùm verò lacertus natura ſit, hic de illa dicendum iure venit:

Aristoteles 5. de historia capite 19. hæc. Nonnulla corpora esse animalium quæ igne non absumantur, Salamandra claro documento est, quæ, vt aiunt, ignem inambulans eum extinguit. Salamandra enim species lacerti est. Plinius verò lib. 10. c. 67. sic: Salamandra animal lacerti figura, stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proueniens, serenitate deficiens; huic tantus rigor, vt ignem tactum extinguat, non alio modo quàm glacies, eiusdem sanie, quæ lactea ore vomitur, quacumque parte humani corporis contactu, toti defluunt pili, idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat, hinc Serenus sic. *Seu salamandra potens nullisque obnoxia flammis.* dicitur enim à Σαλα Græcis, Latinis damnũ, & Μάνδρα spelunca, quasi speluncæ damnum, quod è latibulis emergat, & speluncis, imbrium tempore, venenataque magis. Nullum est perniciosius venenum in natura omni. Refert Dioscorides loco adducto, Galenus 11. simplicium sic scripsit. Et Salamãdræ combustæ cinerem quidam septicis, psoricisque, lepricis miscent facultatibus, cinis enim eius exedit carnem superfluam, lepram absumit, & scabiem. Animal frigidum quarto gradu, & humidum tertio, 3. simplicium c. 6. & 3. & de temperamentis c. 1. cuius c. 4. hæc retulit. Salamandra enim ad certum vsque terminum ab igne nil patitur, vritur autem, si longiori spatio igni sit admota, quam cùm quarto gradu frigidam constituerit, venenosam stabiliit. Plinius lib. 29. cap. 4. inter omnia venenata Salamandræ scelus maximum est, certa enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt, vt omittam, quod perire dicuntur conscientia homine percusso, neque ampliùs admitti ad terras, id est, homine percusso, naturæ instinctu accusante, quasi delicti conscientia,

& notitia illius, pereunt semel læso homine, neque ampliùs ad terras admittuntur, nec, vt alibi dixit, terra ampliùs recipit serpentes semel, quòd hominem inuasere, vt latè suprà, subdit Plinius. Salaman- 7
dra populos pariter necare improuidos potest, nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nil ab aconito distans, quibus minimo si contacto ab ea ligno, vel pede eius deciso crusta panis incoquatur, idem veneficium est, vel si in puteum cadat, quippe cùm saliua eius, quacumque parte corporis, vel in pede respersa, omnis in toto corpore defluat pilus, tamen talis ac tanta vis veneni à quibusdam animalium vt suibus manditur, domante illa earum rerum diffidentia & antipathia venenum eius, extingui primùm omniũ ab iis quæ vescuntur illa verisimile est, vt à suibus impunè quæ prodantur] Cantharidum potu, aut lacerto in cibo sumpto, cætera aduersantia diximus, dicemusque in suis locis, ex ipsis quæ Magi tradunt contra incendia, quoniam ignes sola animalium extinguat, si forent vera, iam esset experta Romæ; hæc Plinius. Sextus lib. 7. c. 9. Venerem accendi cibo Salamandræ sensit, si detractis interaneis, & pedibus, & capite in melle seruentur, negatque ignem restingui ab iis. Ælianus lib. 2. cap. 31. Salamandram igni oriri negat, solumque animalcula illa quorum meminimus lib. 1. c. 1. pyrigonia Græcis dicta, quorum meminit Aristoteles locis ibidem adductis, medio igne oriri sustinet, reliqua secùs, & Salamandram omnem. Dicuntur verò pyrigonia illa, à Πῦρ Græcis ignis, & γόνος gonos genitura, & semen, quasi semen ignis, aut genitura γένεσις. Salamãdram ignem aggredi, expugnareque, non secus ac si hostẽ inimicissimũ inuaderet, eo loci refert, in cuius rei fidẽ citat fabros,

& vitriarios, eosque quorum opera innituntur igni, adducitque in testes; nam quando eis ex flammæ splendore ignis flagrat, & eorum artem fabrilem iuuat, deesse animal, noscunt, negliguntque illud in regionibus vbi procreatur, nil de eo soliciti; dum verò ignis restinguitur, minuitur, follesque frustrâ flant, de eo suspecti inuestigant animal, vbi euenire solet, ipsumque amouent, & illo vlcisci non desinunt, quod tẽpus frustrà absumpserint, quo semoto emicat ignis, alitur, & crescit, impedimento tanto sublato eius animantis, qui ignem ire impune audet, & intrepidè adire, restinguit sua præsentia, occultat, & minuit. Hæc Ælianus. Dioscorides lib. 2. cap. 55. hoc animal motus tardissimi, variique omnino coloris constituit, hoc ineptè igne non vri credere reputat, vri imò plus iusto detentum igne, virtutis esse corrosiuæ, & exedentis superfluæ carnis, quo psoricis, & leprosis medicamentis immisceri constat, vt Plinius docuit, non secus ac immiscentur cantharides, eodemque reseruantur modo in vsus melle conditæ, exenteratæ prius capite, & cauda pedibusque recisis, cineremque inspersum cuilibet parti corporis profluuium capillorum causare, caloremque intensum semel ac spargitur, frigus impẽsum posteà & obstuporem partis resoluta, aduocata priùs substantia calida, vitat mucoris cõtactus eius animantis in posterũ ortum pilorum partis cuiusuis, renascique iterũ prohibet frigidissimus succus; hanc ibi speciem Lacerti constituit. Cui consentit Ætius lib. 4. sermone 4. cap. 52. in quo sic scripsit. Salamandra animal simile est Stellioni, asperius & scabrum magis quàm lacerta venenata Chalcidica, dicta nigricanti ab Ætio, penetrat antè hoc animal per ignem ardentẽ, nilque læditur, dissecta, & discedẽte ab ipso flamma. Si verò per

tem

tempus aliquod in igne immoretur, cõſumpto frigido in eo humore, exuritur. Comittatur autem Salamandræ acceptionem inflammatio linguæ, mens impedita & turbata, tremor cum obſtupore quodam & exolutione, quædam corporis partes liueſcunt, decidunt putrefactæ, maculis primũ albis, poſteà rubris, tandem nigris referuntur primò. Vtiliſſimus eſt iis vomitus, eſt iis antidotus galbanum cum melle linctum, mirabile verò remedium ius ranarum, vbi fuerint decoctæ radices eringij, quæ Paulus confirmauit lib. 7. cap. de Salamandra, quibus conſtat, & igne exuri, & lacerti eſſe ſpeciem, lacerti inquam venenati, nigricãtis lacerti, & coloris ænei, Chalcitis lapidis ſimilitudine Chalcidica dictus, veneno potentiſſimà animans, cuius eſt hoc inter omnia mirum, quòd nec ſit in eis maſculinum fæmineumve, nec ſexus aliquis, nec ſemel ortæ ſine parentibus quicquam generant, ſine ſucceſſoribus diſcedunt genitæ terræ vapore, & influentia cæli, vt ranæ quandoq̃ue animalculaque alia ſine parentibus orta, frigidiſſimo, humidoque vapore congeſto, & efformato à cœlo in hoc ipſum animans. Reptilia enim faciliùs formantur rectioribus aliis animalibus cunctis, vapore cùm cõſtẽt aqueo, limoſo dicto, fluxili aqua, & liquida, quæ in longum porrigitur facilè, non in altum erecta, vt formentur animantia. Hinc angues, lacerti, Salamandræ, piſces, formantur ex aquis, & reptilia alia, aueſque, vt diximus lib. 1. At quæ conſtant animantia reliqua, & celſa mouentur, conſiſtũtque terra, volatilia, aqueo puriori vapore, ſerpentia obſcœno & impuro, cænoſo, & hærenti limo, media aqua piſces; vt piſces, aues, ſerpẽtes ſint lõgiores, porrectioreſq; multò, quàm elati ducantur in altũ, corporis mole cõputata, & trũco buſto corporis. Caudas

enim

enim pullulare ſcimus, & alas humiditate nimia, vt ranis cõtingit inſigniri caudis, & formicis alis quandoque; iis alæ erumpere, illis caudæ. Formatur denique Salamandra mediis æſtibus, & æſtate media, frigidiſſimo elato vapore, viſcido, & tenaci, glutinoſo terræ è viſceribus elato, ex penetralibus & intimis, in abditiſſimis terræ locis, cauernis, & ſinibus; vt hinc frigidiſſimum animans externa petat, calidiſſimámque terræ ſuperficiem tempore æſtiuo, vt ſummum exceſſum frigoris, & algorem corrigat; hinc petit terræ faciem imbrium tempore, quo terra exteriórque aër ſqualidiora conſiſtunt, ardentiora, pluuiam ſpectãtia antiperiſtaſi, & caloris retroceſſu, calidiori hac infima noſtra regione facta, altiori aëris ſuperiori media, frigore nimio rigida, infima terræ, infernæque partis frigore algeſcenti, vt calidæ exhalationes frigore denſatum ſupremum aërem rumpere nequeant; & tranſigere, vt inde retrocedant infernè in regionem noſtram impedito aſcenſu, calefaciantque & exurant ſuperficiem terræ, aëremque contiguum antiperiſtaſi vera, vt eo calefacto ſe exerat Salamandra, calorẽ expetens, veniatque eo tempore ex abditiſſimis terræ viſceribus, & locis frigidis internis, aſcenſu exhalationũ calidarum in altum vi ſolis leuatis, vt frigeãt illis diſcuſſis extra interna, quibus eſt orta primò, exeatque foràs in lucem; ſenſit Plin. lib. 10. cap. 68. at non ſolùm hoc modo antiperiſtaſi dicta hoc oritur animans, aliquoties imò igne medio generari eſt viſum (dictu mirabile) vt ſuſtinent plurimi naturæ interpretes; Nicander in theriacis, aliique maximæ notæ autores. Quod nil fieri vetat, interim dum exuruntur ligna media fornace, igne medio, vndis fluctuantibus ignis ſublatis vaporibus craſſis & denſis ſpirãtis materiæ, quibus motis fluctuare videtur,

videtur, inundarique ignis, iis igne elatis vaporibus viscidis natura algentibus, parte aquea, mistæ materiæ quæ exuritur iuncta, vt igne metalla, & alia soluta congenera coëunt misto discisso, conformatis semel ignis virtute, cœlique influentia propitia iis mistis apta, æstu medio progignentur, vt pyrigonia illa in fornace, tum Salamandra non minùs antiperistasi dicta, cõiunctis vaporibus secretis motu priùs in vnum euntibus naturæ pondere, non fuga, aut cognitione contrarij, natura imò propria, eam proportionem seruant sibi concinnam, pro agentis & passi ratione & proportione debita, vt inuicem actis iniunctisque vaporibus illis rigidis aqueis spirantibus, dum exoluitur mistum interim, pabulumque ignis vstione, & incendio, quando coëunt in vnum, materiam præstent animanti generando, concursu cœli, vt Salamandra veniat frigidissimũ viuens igne medio. Vidimus enim maioribus æstibus, & incẽdiis; vidimus frigus elucere amplius aliquibus in partibus substantiæ alteratæ, vt constat exemplo lebetis, quæ ignem perpessa maiorem, fundum exhibet tunc frigidum magis, vt possit contrectari manibus, imò signum hoc exhibent coquinarij, elixationis debitæ, eorũ quæ elixant, si fundum lebetis rigeat & frigeat ignẽ nimis perpesse, & ligna ipsa dum comburuntur, frigidissimũ expellunt succum initio glutinosum, viscidum extremis partibus, frigida substantia dissoluta & disiuncta, soluta mistione, soluto misto actione ignis, est quasi ignis soboles. Hoc modo Salamandra vaporibus illis alteratis dispositis in animantis formam, vt in pyrigonia ali, mediaque niue vermes eo loci Aristoteles oriri docuit, & experientia firmat, calidis partibus iniunctis contrà, ac in aliis niuei misti interim dum putrent illius particulæ, vt illi resultent.



tent. Serpentesque carnibus productæ, & alia aliis de mistis subiectis coniunctis partibus aptis, ei misto educãdo præfectis, quæ supersunt interim aliis corruptis, vniuersaque compage misti soluta, & demista: impotentes nascuntur semel productæ, generando Salamandræ ineptæ, nec natæ generare valent, aut prolificæ fieri naturæ viribus, quantum propria natura agitur, ex se nec mares, nec fœminæ, indiscreti sexus, soli euersæ exponuntur supinæ, incumbentes dorso, vt fotæ calore desuper, prolificos concipiant spiritus, fœcundamque virtutem, dorso incubantes, solem interim quòd aspiciunt, aliæ verò quæ ventri insident pronæ, tergoribus solem versus adactis fœminæ officium exercent, dum seseipsis coëunt, propria virtute proli insufficientes, extra solum fæcundæ sole formatæ, fæcundatæ & viuidæ. Nicander in theriacis fol. 57. sic. Præterea Salamandræ ictus dolosus, & semper inuisus est, quæ per inextinctum, adeoque claré ardentem ignem, iter faciens indefessa, citraque dolorem, per ipsum impellitur, nec quicquam ardens ei flãma obest, quæ nimis ruptam poris obtinet cutem, rhagadis & fissuris, propter quæ animans ruptæ cutis vocatur, quibus rupturis, scissurisque, & poris, mucorem mittit medio igne, quo frænat ignem, extinguitque effumans, & multo illæsa reseruatur tempore, vsque omnis distillat, & effluit succus, quo vritur tãdem igne superstite, vt laté monstrauimus lib. 1. Sensit Lonicerus co loci, Nicander, Hadamarius Petrus Stæbe doctissimus, cum aliis non infernæ notæ. Est impotens Salamandra omninò naturæ viribus, infæcunda, & sterilis, nisi Solis perfundatur lumine, quæ vt maris officium præstat dorso incũbenti, cor & pectus lumini exponit, aliàs fæmellæ munere fungitur, & succumbere

bere cogitur, vt ab externis veniat fæcunditas, robur, potentiaque agendi. Homo inter omnia animata primò solus sine compari structus Adamus, de terræ limo efformatus, virilitatem, hominisque maris rationis munera solis virtute suscepit, ex se impotens, debilis, Solis iustitiæ Verbi nisi illustraretur radiis, eneruis, fæmineus, debilis, viribus propriis vtile nihil moliri valẽs, nil iustum, honestum, validum sese ipso Salamandræ instar. Hinc Actuum c. 8. Eunuchus ille reginæ Candaces Isaiæ locum relegens intelligere nequiuit, vsque dũ interrogante Philippo Dei iussu, an calleret quæ legisset, dixit, quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? quibus inuitauit Philippum ascendere, secumque sedere, vt extra Scripturæ intelligentiam euenire ediceremus, impotens homo Eunuchus, sine virilitate, aduentu spiritus opus habet, vt de sacra possit Scriptura sentire, sensusque eius elicere; Salamandra vt hæc concipiat sola, Sole fota, spirituque fæcundo, & prolifico, corde, pectore, Solem versus, in terrena dorso verso, verum econtrà positu si cõcipiat, fæmineo fungetur munere: foris aduenit Scripturæ intelligẽtia, sẽsus eiusdẽ, intellectio, & doctrina desuper; ascẽdit humilis Philippus in currũ intelligentiæ ibidem, Eunuchis nobis, impotentibusque hominibus virilitas hominisque opus perfectum & vtile, in hominis faciem legimus spirasse Deum spiraculum vitæ Geneseos 2. c. non in faciem fœmellę, nam hæc per virum vitæ spiritum suscepit, viriles enim, viriq; hoc digni nomine spiritum suscipiũt, eisque impertitur ille cælestis, nõ effœminatis hominibus, qui fœmineã appetitus partẽ insequuntur, siũt viri & prolifici spiritu extrà suscepto & veniẽti. Hinc fœminæ arcentur à ministerio sacrorum, sacræq; historiæ expositione, per hominem

ma-

imò ſpiritum, per caputque ſuſcepere, ſufflatione facta in faciem, & caput, in Adamum; Suſcepto ergo influxu ad extrà, Salamandra opus perficit, incipit opus, continuat, perficit, maris muńere fungitur.

De Tropis ex natura Salamandræ decerptis.

CAPVT III.

11 IGnem reſtinguit Salamandra, dirupta cute, & conciſa, non ſecus ac concupiſcentiam, ignemque vrentem extinguunt iuſti pœnitentia, flagellis, cute diſciſſa, & lacerata, æſtibus carnis, & ſanguinis temperatis, reſtincto incendio, fiſſuris, ſciſſuriſque poris amplificatis, & diſtentis, reſeratis viis, quibus ſpiritus, auraque ſalubris, cœleſtis, ire poſſit in penitiſſima quæuis, & concupiſcentiæ fomitibus conflagrantia, vt eo ventilata ſpiritu, auraque ſalubri, qua aditus patet, contemperentur ignes, extinguantur paſſiones, medio vt igne non exurantur, ignem imò vincant, & ſuperent, detenti non plus iuſto, nec vltra quàm decet igne commorati; quantùm imò fieri poteſt breuiſſimè percurrentes periculum, frigido humore, ſacrificationibus, excuſſo metu inferni, & mortis, non ſeruili, ſed reuerentiæ, colloquutiones, commercia, non vltra, quantum imò ad actiuam vitam conducunt ſufferentes, non ampliùs, ne vrantur abſumpto liquore timoris frigidi, occaſione amplificata, vtantur cute nimis Salamandræ; igne charitatis, vt fluat metus, curratque per artus initium ſapientiæ timor, exerceantur vt tentationibus oblatis dum licet, non amplius, ne incaleſcant, vrantur, flagrent incendio, nec ignem pluſquam decet percurrant, in illove commorentur diutiùs,

cùm

cùm adhuc Salamandra exuratur igne multoties illum experta, plus iusto detenta eodem in tantum igne commorentur, quantum frigidus humor timoris sancti fluere possit amoris. Oua quæ generat Salamandra, non secus ac Lacertus, cuius est species, neque excubat, neque incubat illa, cōmittit imò terræ totum negotium, Solique & influentiis cœlestibus, caret memoria, frigidissima cerebri discrasia & distemperie, vt & Lacertus caret, quibus obliuiscitur loci quo oua reposuit, educata semel, exclusave ab vtero; communeq; est hoc lacertis & Salamandris, proprios deserere fœtus, aliisq; cōmittere, & credere educandos; concipiunt laboriosè satis, quòd Salamandræ sese non concipiant, impotentes, & debiles, naturæ euersione indigentes, & contrapositione priùs facta ad Solem, lacerti, quòd manibus, pedibusque impediantur nimis, vt ad inuicem coniungantur, & complicentur: cùm serpentes veri qui pedibus carēt, irretiātur facilè, meliusq; ideò animantibus pedestribus, longitudine & si nimia conuoluti vndique calefacti & consoti attritu, contactu mutuo, & multiplici, semen vt eiaculentur, ex totoq; humores fluant, iis verò manus & pedes obstant; tot verò superatis laboribus, & difficultatibus in fœtura, semel conceptus fœtus & sobolis primordia, prima oua remittunt, & illorum obliuiscuntur, deserūt, abiiciunt imò expertos lucē partus: ignauia hæc animantia ortus, vt terræ filij multò propriùs quàm eorum compellentur, vt nec gratias filij iure educationis referant, nec sint addicti obligationis vinculo genitoribus, cælo imò, solisque influentiis, terræque, cui referre gratias tenentur, non veris parentibus quos sibi vindicabant iure fœtus, educationis lege, iure naturæ & actione concipiunt plurimi perfectis-

ſima ſemina, fœtus integros, omni ex parte abſolutos, mente ſimul cum cæleſti influentia illa excitati ſtatuunt ſanctiſſima quæque, intentione & animo concipiunt integrè, perfectè ſatis, præſtantiſſima cõtinent virtutis primordia, excubant imò & fœtus in lucem edunt, obliuiſcuntur illicò laborioſi partus, vt fœminæ dementicati, terræque committunt verã fœturam, rebuſque fugacibus ſpuriam, & adulteram educant, alunt, vt lacerti faciunt, & Salamandræ eorum ſpecies, globulos vanos dictos, è quibus muſcæ volantes inutiles ſuoſmet genitores affligentes, moleſtantes ſubueniunt, interficientes, & abſumentes, imò (diximus) legitimam ſobolem vi Solis propagatam, labore & induſtria eorundem formatam, perfectam, terræ fidei credunt, quæ eſt illis futura ſepulchrum. Hinc lacertos immũdos vocauit ſpiritus Dei, nam vltrà quòd natura ſint ſucci crudi, & mucoris viſcoſi, ſuccidi, putreſcentis facilè, coinquinãtis imò, venenoſæque naturæ eorum plurimi, vt Chalcidicus dictus, etſi præcipuè Salamandra, cuius venenum inſuperabile eſt: figurata adhuc plurima immunda continẽt, obſcæna, & tetra, vt Leuitici loco allegato immũdus ſit Lacertus, & ſub eo cõtenta Salamãdra, latè cap. de Stellione monſtrauimus. Eſt illud mirabile, quòd venenum, friguſque illud quod nequit ignis ſuperare, & vincere, vincat ſus immundiſſimũ animans, qui ſolus inter omnia animantia impunè iis veſcitur, eiſdem autoribus, vt licet locis adductis colligere, quòd crudus ſuccus venenati animantis, crudis plurimis mucilaginibus, quibus refertus eſt porcus natura cõuolutus, dilutus eiſdẽ, inuolutus humidis illis mucoribus profluentibus, labaſcat facilè, nec retentus intus alteret ſubſtantiam ipſius, eiiciaturque ſine læſione animantis, ſimul vt & calore

calore conficiantur immundo, vt quæ vi & robore non posset euincere, ea lege cohibeat, & retardet ab opere potentissimo agenti Salamandra deluso & frustrato. Vincunt plurimi vitia, ignem iræ, æstus iniuriam ferunt liberales, grati, prudentes, misericordes, fideles, veridici, omnemque ignem passionum, mites, tractabiles, vt Salamandra vincit, porcorum luxuriæ, ignique concupiscentiæ succumbunt, impotentes superare calorem suis, eo imò deuicti, exusti superantur, Salamandræ instar, desunt. Salamandræ iconismo Ægyptij, non amantes amatoresve semiustos exprimebant, vt voluere quidam, quòd Salamãdræ ritu igne alãtur, viuificenturq; illo. Neque enim hic lacertus igne nutritur, attẽperatur imò eius impensa, innata frigiditas igne calescit, fouetur illo, reuiuiscit, ideo imò quòd igne illo egeant vt viuant, quò tandem in cinerem rediguntur, eo igne iam egere nunciant, quòd in lapides insensiles abierint, capite Medusæ viso quasi, ictibus serpentinis vultus venenati potentissimi cruoris ebibiti. Ripas colit, & humida loca, eo vapore, vt abundet sibi alimentum, & si ignem amet eo plena, vt emendet algorem vincatque alimentum tenax, rebelle natura, non secùs ac limaces aluntur & crescunt viscido succo adacto. Continentes & castos illa depingimus, qui medio igne non incalescunt, nec flammarum medio æstuant Salamandræ more, humore frigido timoris inferni, & mortis ignis passionum restinctiuo præsenti memoria. Amantes proclamant, se sentire ignem ingentem, eoq; medio, intimis medullis æstuãtibus viuere, salamandraque igne vt temperatur, fouetur que, maximã vt vtilitatẽ capiat, ex eo beneficiũ summũ, tandẽ quæ interiit igne exusta, eodẽ amatores, nõ secùs modo delectari affirmãt igne, incendio,

vt dispereant tandem flagrantes, exusti. Virgilius Æneidorum 4. *Est mollis flamma medullas.* Suauis & placida inspectio non aliter ac Salamandra igne quo est peritura fouetur, delectatur, voluptate affectata. Communissimæ sunt Salamandræ in locis frigidis, in Bellunensi agro, refert Pierius lib. 16. c. 9. Salamandras stellionibus æquales inueniri, & Crocodilis terrestribus facie persimiles, variatas puncturis variis, non secùs ab autoribus depinguntur. Quo animanti Ægyptij homines igne illæsos, & eos qui incēdia vrbium & cladium liberi effugissent, significabant. Eo Vlyssem bilis incendio, iræ æstibus subiectum minimè annotarunt alij. Nazianzenus constantiam hoc animanti commendabat, cùm ignem suffe-rat patientissimè, quo exuruntur, & irritātur omnia, absumuntur, & deficiunt, hæc tamen longiùs aliis illum sustineat, & supportet. Nazianzenus cum Basilio gloriatur, se Athenis in igne perfidiæ Atheniensium versatos, incolumes euasisse, sustinuisseq; patiētissimè, citra id quòd eo alterarētur; quinimo ignem illum professione sua, atque constantia restinxisse. Omnia coinquinantem, euertentemq; secretò & subitò Salamandra exprimebant antiqui Chaldæi, quòd hæc arbor ascendens, fructus omnes inficiat, pomū præcipuè, omnia vt inficiat poma, pomi vnius solo contactu, descendensque in putei profundum, aut in fontem recepta officiat omnibus qui ebiberint aquas, communis noxæ origo & veneni; notauit Plinius loco adducto, & alij, Sextius lib. 7. c. 60. Infecit serpens ille Salamandra, quæ medio igne detinetur, modò pomum primum arboris scientiæ boni & mali, quo nos omnes coinquinauit in posterum; decidit in puteum Salamandra illa, Apocalypsis 20. Serpens antiquus diabolus, qui ibidem dici-

tur.

tur, seduxit vniuersum orbẽ Angeli virtute cõclusus, infecit aquas putei, concupiscentiã nostram, quibus restinguere paramus sitim, terrestres, densas, crudas, nullo spiritu ventilatas, crassas, subire nequeuntes penitissima quibus æstuat animus, flagratque desiderio insatiabili, quæ extinguere nequit puteus Samariæ, ex quo violentia, labore, aqua hauriebatur. Vi enim ex infernis locis ascendit aqua, dilatabitur, ex fonte perenni, suaui, blandóque decursu, ad fontem aquæ viuæ Christum eundum, hauriamus vt aquam cum gaudio de fontibus saluatoris, vbi Salamandra nequit decidere, eam imò porcis superandam tradidit Christus, dæmones in porcos coniecit, Salamandrasque has, vt præcipitarentur in mare, in porcos superatas, & deuictas abiecit. Quid mirum, quòd Salamandra igne non exuratur? vt nec illa, quæ sanie, aut sanguine huius animantis fuerint intincta, cùm sint plurima igne inustilia, lib. 1. monstrauimus. Suntque fœminæ notissimæ in regione Faliscorum quæ super ambustam igne struem ambulantes, non exuruntur, vt dicti Hirpi cognomento, liberi omni censu, & tributo immunes, qui viuunt, & vixere semper, Pierius refert eo loco adducto, se Romæ vidisse Teutonicum quendam natione, speculorum fabrum, qui per medias incedebat flammas lentissimo passu, sine capillorum adhuc nocumento, vidisseque alium refert, qui plumbum liquefactum illæsis manibus recepisset vnguento quodam priùs inũctus. Varro de Hirpinis idem. Virgilius imò iis, *premere vestigia pruna Vidit.* & alia. Compluti retulit veracissimus noster, piissimusque pater Gregorius Camærensis inculpatæ memoriæ, cui sit æterna fœlicitas, vt credo est, vidisse hominem nudis pedibus metiisse ferrum ignitum, medio foro, sine læsione

 adi

aliqua, exardescere lintea illæsa, aqua vitæ imbuta, expermur omnes, laricem, lignum igne non vri itidem, nisi longissimo temporis interuallo, quò Cæsar Castellum vocauit larignum, quod flammis non cesserit minutum alioqui lignis laricis, quæ flāmā edere nō norūt, exustas adhuc; impediūt imò reliqua ne exurātur si cum aliis concremētur, vt cohibet Salamandra ignem. Vitantque iusti aliorum incendia, correctione, & exemplo. In Quadragenaris annalibus legitur lib. 6. c. 90. oblinitam alumine materiam vri non posse, Sylla bellante in Archelao cōprobatum, Pausanias alumen fissile, linumque Carpasium igne nō comburi sustinet, lychinaque ex eodem parata perpetuò ardere ante Mineruæ simulachrum, quod cœlo demissum vulgò in Acropoli visebatur. Adamantis lapis ignescit, vt pruna fiat, qui si manum admoueas ignito adhuc, caloris nil persenties; millies sum expertus.

De Iconismo pacis ex natura Lacerti.

CAPVT IV.

14 AElianus loco adducto sues Salamandram edere impunè satis, eaq; mansa, si quis talium porcellorū carnes vorauerit, pœnas luere, veneno atrocissimo & diro recenset. Lacertus omnis immundus est, cuius est species Salamandra, præcipuè quòd memoria omni destituatur, vt diximus; quò nec caudæ reminiscitur dum aufugit, hancque extra relinquit, ea capitur, & venatur facilè, ea pereunt inutili cauda caput, viscera, cor, principesque animantis partes, huius solùm oblitus, quam ore suscipere nequit, erodere, dentibusve elimare,

cùm

tùm ſerpentes poſſint apedes, & pedeſtrium reptilium reliqua: ſumma euerſione pedum, inflexilique corporis dorſo, ad latera inualidus illam niſi nimio conatu allicere, ad os vſque, quam ſi rabie percitus arripiat, pectinatis dentibus ſic illam apprehendit, & tenaciter mordet vi ſumma, apponens conatus extremos difficultate nimia in latera euerſo, vt circulo actus capiatur nõ rarò, dentibus tenacibus, cum quibus quæ ſemel ſuſcepit, remittit nunquam, quàm anteà extrahat arreptam portionem, denteſque iniicit, inſtigatus, inter caudæ oſſicula, cum quibus adeò intricantur ſpongioſæ & tenacis naturæ, inſtar ligni ficulnei, & ſuberis, vt iniectos euellere cùm nõ poſſit, ligatus, vinctus, ſuomet capite, & cauda venetur facilè, vt ſit illi mortis, ruinæque occaſio, ſecùs multò ac Cercopitheci dicti Simiæ ſpecies, *Micos* Hiſpanis, caudas qui erodunt, quas alioqui longiſſimas obtinent, quibus vtuntur in eſcam, vorántque, & vlcerant, vt dolore perciti excitentur, quo minùs harum obliuiſcantur, horumve immemores venentur: ruminant imò vltima ſui, finemque meditantur quaſi. Hinc faciles iudicamus perdices, & inſcias, quòd ſolum caput cùm occultent, ſecurè viuere ſuadentur, toto palàm facto, vt manibus, non alio capiantur multoties, quæ laqueis, volatilibuſque rapacibus, non facilè captarentur; contrà ac liberaliſſimi leones, qui dum periculum ſentiũt, propria domicilia ingredientes, poſteriora priùs recondunt, præuident, euerſi ſpeluncam ſubintrantes anteà, quàm reliqua corporis tueantur, qui poſtremitatibus præuident, & cõſulunt, vltimoque ſui & fini. Qui ſunt leones, Chriſticolæ iuſti, ruminãt, erodunt, mortem lacerant, dentibus premunt, in os ante oculos trahunt, comminuunt, vt deglutire poſſint præ-

paratam, digestam, eglutireque mortis haustum facilè, quæ pòst sunt, qui ad anteriora reducunt, considerationis ope, & si laboriosa, tristi & amara, lacertorum instar, labore nimio, qui hæc moliuntur vt serpentes prudentes, caudam ore apprehendentes, circulo acto, qui iis præuident priùs, vt ingenui leones, & vt astuti cercopitheci; iis non mors inopinata, aut immatura continget, nõ subita, non ex tempore, præuisa imò, matura, & facilis, præparata; nec sic dentibus premunt, vt premunt stulti, qui hac circumuoluti, vt lacerti circulo acti, in excidium veniunt; nec enim sic tenaciter postremitas apprehendenda, vt ibi sistat, diuelli vt non possint considerationis vires, & dentes; vltrà imò eundum est, transeundúmque ad reliqua semel morte apprehensa, morte iam Christo superata, quæ erat anteà vltimum malorum; nam & mors sequebatur æterna, vt finis mors sine fine esset, mediũ est iam modò, vitæque principium, non vltimum, via in vltimũ imò, in finem vltimum, fælicitatemque summam. Est mors peccatorum pessima, psal. 33. quòd sit illis mors vltimum in quod sistunt, vt nunquam vita succedat ampliùs, mori imò perpetuum, mors æterna, auelli non possunt de mortis vltimo, nec aliud quàm mori datur iniustis, vitæ decursu, secùs iustis; quorum dicitur Prouerb. 14. *In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte.* Est iustis mors somnus, quo expergiscuntur in vitãm æternam, est spes vitæ, est medium, via, non vltimum, non finis; sperant in morte: iniusti timent seruili timore, speratur bonum, timetur malum. Expelletur ergo iniustus in malitia ab spe mortis, iustus verò sperabit in illa: mortis malitia discedet impius. Hinc iustis promittitur Oseæ 13. c. *De morte redimam eos, de manu mortis redimam eos.* Deus enim mortẽ non fecit

fecit, Sapientiæ 1.c. iustisque somnum fecit mortem, impij mortem efficiunt, mortē quæ est somnus alioqui, Deus iustos in vmbra morti sedere dixit, requiescere scilicèt, spiritus Deus, in morte adumbrata, in vmbra mortis, nō vera morte, mortis solùm effigiem retinente. Mirabile est huius animantis illud, quòd cùm reliquis serpentibus dentes dentibus obstēt, & obsint, superni infernis; & contrà, vt diximus, exertique sint aliis ad extrà, lacerti Chalcidici in se recipiant dentes, pectinis modo diuisos, viridesque lacerti compellati aliquibus, cauos subintrantes quosdam, qui suscipiunt intra se reliquos, vt hoc vinculo pacis, hac vnione diserti & plicati, quæ semel apprehendunt, remittant nunquam. Fine potiti morsus iniecti, non obstāt dentes dentibus, non obsistūt aut repugnant, dentes dentibus confrictu non atteruntur, vt in reliquis, non contritu minuuntur, quassantur, decidunt lacertis, nunquam sine iis integris lacertus visus (dictu mirabile) secus ac animantibus reliquis accidit, quæ senescere dum incipiunt, quando dentium vtilitas maior, maiorque vsus erat, calore debiliori existenti iam, confectione alimenti maiori dum erat opus, attrituque maiori, tunc dentes deficere incipiunt, erosi, infirmi, debiles; ij verò dentes in senectutem quasi seruare videntur, naturæ lege & peculiari conditione animantis, quando opus est dentibus; & eorū necessitas maior. Pacis iconicus, tropusque elegantissimus, & illustris conueniētiæ, & concordiæ, qui diuidunt & dissidere faciunt inter se quæ arripiunt, & cōtrectant vitia, lacerant, & discerpunt, occidantque & comedunt vitia, & immunda quæuis, populi Doctores, confessores, concionatores sacri, instar Petri occidant, & manducent, Actuū 10. non se impediant, obstent, ne atterantur, & decidāt,

æmulatione, detractione, dentes dentibus attritis rubigine inuidiæ, & maledicentiæ. erosi solidi dentes alios cauos, vacuos doctrinæ, inanes repleant amicè, recipiant, doceant, instruant, non rigidè absterreant, conterant, vt atterantur simul dentes sectores, & diuisores dicti, pax, vnio commendatur maximè hoc animanti dentium oppositorum natura, situ, & officio, vnione & concordia, quæ maiori facta facere tenentur sacri verbi concionatores, dentes; qui sunt cōfessores, pœnitentiarij, quibus occidere, & discerpere, mordere, atterere populi vitia, ex officio impendet, ij qui conterere tenentur venenata quæuis, suctuque venenum allicere Psilli & Marsi populi, Dei, vt homines extrahebant illi suctu, ij non se impetant, obstent, Dei dentes, latrantes canes, qui in vitia dentes iniciunt, exeruntque, nō canes muti, non potentes latrare, gallique muti, & aphoni, quales inueniuntur in Niba Macedoniæ, quo prouerbio dicitur de impossibilibus rebus, fient quando gallus Niba cantabit, aut latrabit canis regionis illius, natura muta animantia ea in parte, sic Ælianus lib. 15. cap. 24. de quibus intelligitur locus ille Isaiæ 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti, non valentes latrare.* Sui iuris tantillum remittāt conditionis rigidæ homines, flectantur pauxillum, solidi vt dentes iis contorquentur, vt cauos alios replere possint, & recipere, quò solida vnio, & firmus nexus struatur, vt quæuis possint difficilia discindere pace concordes, informent cauos, flectantur parum, & caui recipiant, seruent, obseruent, pace insolubili doctrinam. Pax, quam si non aliud commendaret hominibus, ipsa sese commendaret, Trinitatis indiuiduæ symbolum, Caballa sancta est, hoc nomine obumbrata Trinitas, tribus solùm literis latis. P. patrem

trem inſignire videtur principium Trinitatis totius
primò conſtituta loco, hoc nomine ideo, ſecunda li-
tera A. perſonam ſecundam Trinitatis ſacræ anno-
tat, dixit de ſe ipſa. Ego ſum alpha & omega, dixit 15
Chriſtus Apocalypſis 1. principium & finis, à quo
omnia, & in quem omnia tendunt, mediumque vl-
trà, per quod omnia, Ioannis 13. *Ego ſum via, veritas
& vita*, cùm ſit mediator inter nos & patrem, aduo-
catus apud patrem. Paulus dixit ad Timotheum 1.
cap. 2. *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & homi-
num Chriſtus Ieſus*, cùm ſit via & medium eſt, *prin-
cipium & finis*, cùm ſit α & ω, quòd via meritò pacis
nomine medium tenet locum, ſecunda huius no-
minis litera, Verbum, ſecundaque ineffabilis Trini-
tatis perſona mediator: litera media; A. enim alpha
tribus ſtruitur lineis, Chriſtuſque ipſe, linea diuini-
tatis, animæ linea, corporis vltrà: quibus Chriſtus
alescit: tertia litera hoc nomine eſt. X. ſemicirculo
duplici plicata nexu inſolubili, duplici conſonanti.
C. duplicato, lineæ ſimplici annexo, eſt nexus ſpiri-
tus Deus Patris Filij; eſt amoris vinculum, conſo-
nantiaque vtriuſque, Patri & Filio aſſonat, duobus
ſemicirculis; Circulo æternitas Deus inſignitur æter-
nus, circulo principio, medio, & fine carens Deus:
*Exinaniuit verò ſemetipſum factus homo formam ſerui
accipiens, habitu inuentus vt homo*, habitu, inquam,
vt perſona vltrà illo inueſtita notaretur adeſſe, ſub-
ſiſtens tamen ſuppoſito æterno, vnitaque natura
humana, eſſe ſubſtantia, & ſuppoſito Verbique vnio-
ne. Patri conſonat Spiritus Deus, Filioque itidem
ſpiratus vtriſque, qui ſolus non producit perſonam,
nec generat ipſe; Pater generat Filium; Pater & Fi-
lius Spiritum Deum producunt: Spiritus non pro-
ducit perſonam, nec generat aliam. Hinc duplici.

C. con

C.connexo notatur,ineffabili,euerso, illa respiciens è quibus procedit,in se sistens,non vltrà producens, cùm duæ annexæ consonantes mutescant omninò, nec Spiritus generans est; Vox prolatio in consonantibus, cùm non vltrà ad aliud ordinetur, ibi imò sistat, consonanti ineffabili, nec ad aliam ordinatur personam, nexus & amor reciprocus Patris & Filij, ab vtrisque spiratus, consonans vtrisque, tertia Trinitatis persona, tertiò est X. pacis nomini adactum. P. propter A. profertur, est P. consonans, proferri nequit alio quàm A. Verbo, & cum eo refertur, quis nouit Patrem, nisi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare? Est Verbum Patris Filius, quo fari potest, consonans illa per se ineffabilis, neque A. cum alio fari potest nomine pacis, quàm cum P. Patre, quis nouit Filium, nisi Pater in pace, & vnione spiritus? Consonantia hac prima persona refertur cum secunda, Pater cum Filio genito assonant in Spiritu; Filius cum Patre, P. cum A. sistúntque in X. in Spiritu consonant. P. linea recta & semicirculo constat. IↃ. coniunctis, plicatis, Pater, Filius. A. lineis tribus intercisis, applicitis, & ω mega semicirculis duobus. Spiritus linea I. & x. duplici hac figura est videre. x. vt sint in Patre linea Filij, ex qua venit, circulus Spiritus, amoris circularis omnium. In Filio cum linea Patris, tum corporis temporalis linea generationis, & animæ vltrà linea, quibus tribus assistit. A. Filij, & Omega vt circulis. ω. cum Spiritu assentiat, & Patris circulo, æqualis Patri secundùm diuinitatem, lineáque cũ linea Patris & Spiritus linea, in x signata, Spiritúsque cum vtrisque linea & circulis, cum iis Filij vt lineis, & semicirculis Spiritus vnificetur in essentia cũ aliis personis, & amore reciproco circulari in vtrosq; tendat, Patérque, Filius, quælibétque persona alteri

& aliis

&c aliis vni tertiæ ſimilis inter ſe eſſentia eædem, Filius cùm ſit ω eſt circulus cum Spiritu & Patre, & eſt A. linea cum Patre linea, & linea Spiritus amoris in Patrem redit. Spiritus amore reciproco, & circulo ex ſemicirculis, in Spiritu conflato, linea recta generationis Patris, & de linea recta Patris veniens Filius, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, qui eſt. A. lineis ſtructa omnis, lineæ. P. Patris & ω ſemicirculorum Spiritus iniunctorum vnione eſſentiæ vnius & linea, qui in perſonis euerſi erant relatiua diſtantia, vt ſunt in Spiritus. X. ſemicirculis in eſſentia conuerſis ad ſe circulo in vno Deitatis coaleſcentes. O. circulo. eſt Chriſtus α & ω, quæ inter ſe coniuncta, per ſectiones & ſciſſuras qua patent diſſecta, tres circulos perſonarum conſignant, vt eſt hic videre, ω, α enim ſi ω megæ extremis inſeras, tres circulos adſtrues, tres æternas perſonas. Circulus auulſus Chriſtus α, duobus ω megæ relictis, quaſi perſonáque auulſa circulus abſciſſus. Iſaias 53. *Generationem eius quis enarrabit? qui abſciſſus eſt de terra viuentium, propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, quaſi de æternitatis circulo euulſus, de Chriſto ſcilicet circulo auulſo, & Omega, circulo amoris Spiritus, duplici C. coniuncto X. O. in eſſentia Deitatis, etſi in perſona ſpiratus ab vtriſque ſit (euerſis illis conſtituto X, nexu lineæ ligatum) ſpiritus, in tribus eſſentia vna perſonæ diſtinctæ, quilibet eandem Deitatem numero indiuiſam complectens, perſonam aliam. Hæc ſunt in pace, pax hæc continet ſacramenta, & myſteria, qui pacem habet Deum Trinitatem poſſidet per gratiam, & poſſidebit per gloriam.

De myſti

De mysticis ex lacerti historicis.

Caput V.

DIscissum viuere lacertum, reuniríque facilè & coalescere iterum, medietatemque per se quãlibet ex quadrupede bipedem factam, vitam protrahere monstrosè, indicauimus suprà, autoribus, experientiaque comprobauimus, immundum animal, sine capite, vitam agere discissum, pectorísque corpore medio inter quatuor crura inter illa, vt hæc medietas sine capite, illa sine corde consistat, sine cauda, sine vltimo, sine fine, quasi nõ in finem ordinetur, sine principio, sine influxu capitis, viis influxus impeditis, discissis: hæc, sine respiratione, spiritus via, interclusa, & rescissa altera, coire tamen facilè, sine corde partẽ, cum ea quæ est sine capite pars sine fine, nõ ordinata in finẽ, cũ ea quæ sine capitis influxu viuit, ediximus. In corpore mystico nõ secùs coëũt vecordes homines, cũ deordinatis malitia & peruersis à fine debito, & cũ vecordia, malitia. Omnis peccãs est ignorãs, cũ iis quibus non est finis ratio, in quã ordinentur, brutis imò viuunt irrationaliores, quibus caput deficit, in pœnam tantorum criminum, influxusque peculiares, eisdem abusi toties, vt caput in pœnam influere cesset, specialibus donis, viis spiritus, gladio malitiæ diuisis, & dissectis. Isaias 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter me, & vos. Caput hominis Christus, caput Christi Deus*, Paulus. Hæc discontinuat malitia mortalium, iniquitasq; discindit. Cum vecordibus ignorantibus facillimè coëunt, & cum iis qui sine corde viuunt, & sensu legis, sine intelligentia, spiritu omni,

lege,

lege,& viuendi ratione ſoluti,malitia, abuſu auxilij, & ſpiritus,legem,rationem tandem, fidem amittentes,diuiſi,ſine capite,ſine Chriſto hominum & angelorumcaput,ſine ſubſtituto capite Eccleſię,tandē ſine corde & ſpiritu intelligētiæ legis,pſalmographus ſacer introducit pſal. 136. dæmones proclamantes, qui ſubditos & peruerſos homines exhortãtur miniſtros eorum ; ſuntque aliis excidio & ruinæ exemplo & opere corruptelæ vitiorum : *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Exinanite animæ dona,virtutes, dotes , vſque ad fundamentum , vſque ad fidem , vnimini qui ſine capite eſtis cum iis, (inquiunt dæmones)qui ſine corde,lege,& fide,non ſecus ac lacerti coëunt inter ſe. Iis trucidauit Dauid armigerum, quòd mortem Saul reuelaret , opuſque deteſtabilę,ne aliis eſſet exemplum tanti delicti , illud facinus cōmiſſum Regis,maioris populi Dei,tātumque homicidium ; immundiſſimum numeratur animans Leuitici citato,quo ad ſignificationem ſpectat,quo ad naturā attinet,iā diximus;Sic imò coëūt, vt cicatrix diſpareat omninò,vt difficulter coiiſſe iudicentur,vnumque eſſe indiuiſum vndique.Eſt hæc ſtrages Saul Regum 1. c.13.vbi ſic dicitur : *Venerunt Philiſtiim,& inuenerunt Saul , & expoliauerunt eum armis,& præciderunt caput Saul,vt annunciaretur in templo Idolorum , & in populis , & poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth , corpus verò eius ſuſpenderunt in muro Betſan:*Aſtaroth , idem eſt quod legis tinea , Hebræis, Idololatria , vecordia , cordis atque ſenſus defectus,legis abditorum,corticis ſolum,& externorum ſenſus,nō cordis & viſcerū,intellectus non ſpiritus, Saul Hebręis idē quod ſepulchrū,mors, diuiſio cordis & capitis, linguæ & cordis, verbi & operis.Cōſtitutū in idololatriæ tēplo Aſtaroth caput:corp⁹ in

Bet

Betsan, id est, in domo mutationis, aut somni Hebræis: mortuus Saül diuisus est, separatúmque è corde caput; idololatria, & mutatione legis tinea, & corruptione, peccato interceptus. Caput & cor diuidit, diuisa coëunt in vnum, cadauer fœtidum, vt coiere in Saül eo loci; posteà caput & corpus in sepulchrum tandem corruptione sepultus. Refert Aristot. locis allatis, Theocritus l.1.c.7. Pierius l.14.c. de vipera, & interpres Theocriti eo loci, dissectos lacertos viuere, eosdémque exsiccatos tandem tempore squallentes & aridos (mirabile satis) in viperas cõmutari, húncq;
17 secundum ortum viperis adscribunt: diuisi, qui non corde vno consentiunt, vnóque capite, progenies viperarum vocantur ab Spiritu sancto, vt de subdolis & malitiosis Pharisæis, corde & capite diuisis, hypocrisi & simulatione dixit Matth. 12. & 23. & Lucę 3.c. geniminàque viperarum vocauit, non sobolem communi ortu natam ex vipereo genere, diminutiuè verò genimina, secundo modo orta ex lacertis, vocauit diuisione viperinos, anteà fortes, dentibus potentes, oris doctrina, & subintrantium dentium opere iustitiæ, ideò priùs generationem prauam, & adulteram appellauit, ex illicito semine & concubitu natam, lacertorum diuisione. Est ea imperfectio naturæ, cõfusio partium in insectibilibus animantibus, vt anima quauis parte vitæ opere exerceat sufficiẽter, vbique cor, caput vbique, in quauis parte notatu digna, quælibet sine alia viuit, plus minusve, prout fuerit pars rescissa; quędam vsque ad occasum Solis perdurant, fotę calore viuifico Solis, eiúsq; benigna influẽtia; eo deficiente deficientes, motu & aliis viuere manifestato, vltrà alię lacerti partes inter brachia rescissę, non minùs quàm totum ipsum, si degant siccissimis locis, in viperas commutatę satis vltrà quàm in toto

in toto vixissent, viuunt imò, diuiso enim toto dispositione materiæ præsenti in iis, non secùs aç in plantis, alia anima producitur, cælo effectrice, pro materiæ ratione & dispositione relicta in partibus 18
dissectis, speciei eiusdem, ab alia quę præerat licta, in principalioribus partibus diuisæ substantiæ, non secus animantis discissi segmentis, vbi cor residet rescissis semel. est cor vitæ fons, eiusque origo, quo viuo non emoritur anima, & si alia deficiant, eo mortuo animās periit, viuit primò; vltimò emoritur cor, sic Aristot. 2. de generatione animalium c. 4. & alibi sæpè, anima inducitur eisdem dispositionibus eadē lictis in præcipuis partibus, vbi cor, caput supersunt, insectilis generis: Si verò per medium æqualiter diuiderentur, vt cor, caput, reliquæque omnes dissecarentur partes æqualiter à supernis ad ima, anima corrumperetur in iis præcipuis partibus, & instrumentis, vitiatis vitæ primordiis; in iis reuiuiscunt insectilis partes omninò dissectæ duplici anima producta, singulę medietati nullius ob facilem apparatū quem exigunt, & dispositiones materiæ, eæ vt possint ideo produci leui negotio, reseruatis partibus præcipuis, animæ sedes; natura & cœlo agentibus, & cōcurrētibus materię dispositionibus, virtute relicta ab anima, & prægresso generāte, non secus ac impertitur semini, vt concurrat ad fœtum; sic partibus iis relinquitur ab anima vegetatiua virtus, quas vt semē fæcundat non minus generans, hancque totius, partiumq; substantiā in nutritione, vt reddit fæcundas, vt ad eandem formam sese disponant, quam in eodem toto suscepere, cuius sunt partes, vt iis & ad aliam eiusdem, alteriusq; speciei possint aptari, dispositionem aliam nactæ; vt lacerti vipereæ substantiæ nanciscantur formam, æquiuoco ortu, horū virtute

principiorum, contento effectu, alteratis illis quibus in toto recipiũt animam, in insectorum partibus efficiẽtia, vera materiæ dispositione concurrẽte in suo genere instanti generationis, cœlo, virtute operis totius prægressi, eiusdem materiæ animantis, quæ erat, non secùs ac elementa, non solùm materialiter, efficienter imò mistum generare valent, & efficere, disponereque ad eius formam in mistis, quando ex misto generatur mistum iterum; animam enim omnem indiuisibilem constituit, vnamque actu, hocque solùm modo potentia plures, quòd possit facilè multiplicari; at non diuidi. Diuus Thomas 1. p. q. 66. art. 8. vbi cùm omnes animas indiuisibiles constituisset, subdit, præcipuè verò quæ animalium perfectorum sunt. Est ergo horum adeò imperfecta natura, opera eorũ vt imperfecta adeò, quasi cum nulla diuersitate partium fiant æquè bene, possintque saluari integra, vbique caput, cor vbique, officio & si non figura consistit, cordive proportionale. Non secus ac plantis inest; Aristoteles lib. de vita & morte c. 3. lib. de plantis cap. 4. Summa confusio, summaque subuersio Reipublicæ, sensus, & rationis peruersio, cordis & capitis dissonantia, linguæ & cordis dissidẽtia, vt Pharisæis versutis & duplicatis aderant, notatis insectili lacertorum, ex viperarum genere, immũdicia, versutie. Iis exprimitur vafrities, calliditas summa. Lacerti ergo immundi vocantur ab Spiritu Deo Leuitici 11. c. iisque patet ille locus allatus, *immundi homines discedũt morte fallaci, crudeli mortis genere, mollesque homines deliciarum medio, & voluptatum dispereunt*, vt lacerti collo Ciconiæ obuoluti, plumarum mollitie illecti, in altum superbè elati. Sic Balthasar Rex Chaldæorum Danielis 5. capite, superbia
19 elatus in luxu & deliciis, in medio epularum & concubinarum

cubinarum medio, abutens Domini vasis templi in Ierusalem, rationis vase, & sensus, quibus Deus colitur ibi, illi luxurianti scriptum est. *Mane, Thecel, Phares*, interpretante Daniele in spiritu. *Mane, numerabit Deus regnum tuum.* Certus erit Mane numerus regni tui, non vltrà porrigetur. Terminus erit Mane tui imperij & dominatus. Finientur manè, numerabuntur, morieris manè. *Thecel.* Inuentus es minùs habens, appensus in statera, nec enim regnum integrum obtines vt accepisti, numeratus & minùs habens. Cum exemplo & corruptela vitiorum vastaueris rempublicam, diuisus est populus malitia tua, & regnum succisum est, non integrum; si minùs habens inuentum est, diuisum est, lacerti more capita plurima, corda multa, malitia copulata, & hærentia, diuisa inter se. *Phares*, diuisum est regnum tuum, & datum Medis & Persis, vt pullis Ciconiæ, qui lacertos allatos parentum cautela, & maiorum artibus rostro obliguriunt, & gliscunt, & iis quibus vehebantur ad sidera, deprimuntur & deponuntur ipsis, turpiterque abiiciuntur, repelluntur que tandem ciconiis immundi lacerti. Omnes excedit naturæ ritus, modulosque omnes, quod locis adductis autoribus grauissimis de lacerto est receptissimum, senio confectum, caput caducum, languidum, & vanidum deponere, sibi oneri, vsus nullius, innixu nimio cónuersioneque facta illud excutere, & à se repellere, cùm possit sine illo transigere, vt dissectis patet, medio corpore, mirabile dictu. Capite virtute tali illis substituto, non secus ac nobis vano capite Adami reiecto, caduco, & leui, oneri & labori qui nobis erat, substituto capite Christo, hominum & Angelorum caput, vt hoc capite virtute, & officio, illo abiecto veteris hominis

renascamur, balneo adhibito, languido nostro qui erat, in aquis baptismatis sacri abluto & roborato.

De Crocodilo.

Capvt VI.

Leuitici 11. capite sic: *Hæc quoque inter polluta reputabuntur, de his quæ mouentur in terra, Mustela, & Mus, & Crocodilus, singula iuxta genus suum.* κροκόδιλος Græcis, Latinis Crocodilus, Hebræis Tsah, non à croco cuius suffumigium fugit, & colorem æmulatur, trahit appellationem, imò à κρόκη Græcis, arena Latinis, & δῆλος nobis manifestus, quasi arena manifestum animans, quòd in Nili arenis, ripisque fluuiorum manifestetur, & prodeat, dubiæ & amphibiæ naturæ, modò in aquis, in terris modò vitam gerens. Inde Crocodilus venit, eo nomine animal, quasi manifestans se occultus priùs in vndis, in arenamque prosiliens, vastissimum viuens. Est animal hoc sanguineum, vt & omnia alia quadrupeda ouipara. Quadrupeda enim omnia terrestria quæ oua pariunt, sanguinea sunt, & quæ pariunt oua apedia omnino, vt serpentes veri, & si intra se pariant primò, vt vipera, vt & quadrupeda viuipara, & inter volatilia plumea, & cutanea, & multipeda. Secùs crustrata, multipedave reptantia, vermipara; Testudo enim ouipara est, & alia sanguinea & crustata: at nõ vermipara. Omnibus quadrupedibus ouiparis inest lingua, Crocodilo excepto. Refert Aristoteles 2. de Historia c. 10. non secùs enim ac pisces, lingua perfecta destituuntur, & absoluta, quòd non respirent, vocesque ideo effor-

ma

imare lingua non valeãt. Vſus præcipuus linguæ, ſpineam & ſerream ſolùm ſubſtantiæ portionẽ ore retinentes, qua cibos conficiant, non linguam veram: Crocodilus ſic lingua integra deſtitutus, in vaſtiſſimo ore, ſolũ minutiſſimam pro ſua corporis mole poſſidet ſubſtantiæ partem, ineptam motui, ferè immobilẽ, minimè oris latera cõtingentẽ, elingentéve oris ambitum, vt quæ alimenti partes decidere, colligere non poſſit, in oſve reaſſumere, euoluere ora, percurrere, ſi quæ dentibus hæreſcere, legere, aut extrahere, vt quæ dẽtium terminos exceſſere in illud reuoluere non valeat; quaſi nõ lingua, & hoc, quod in aquis degat, quibus abluuntur omnia, ſine linguæ elinctu, ſi velit. Dentes habet ſerratos, caninos vltrà, magnos & exertos, oculos ſuis, vngues robuſtos, corticoſam cutem, cruſtatam, oſſe duriorem in omnes ictus. Eſt illi viſus in aqua hebes, acutiſſimus extrà: Dies (inquit Ariſtoteles eo loci) in terra agit, in aquis noctes, cauſa prædæ terreſtria & volatilia diu agitãtur, mouẽtur, quieſcunt noctu; cõtrà aquatilia, quòd lumine oculorum videant, & luce, vt occultiùs noctu prædam ſurripiant; hinc animantia quæ noctu vident, lumine innato captant, noctu diſertiùs multò, vt feles mures, & alia itidem. Cuncta percurrit ingluuiei ſummæ & voracitatis cauſa. Fugit pericula diu terris viſu per aërem, hinc venit in terras eo tempore prædæ ſollicitus, noctu vndis immerſum, & obuolutũ vndiq;: pedes in plures digitos ſcindit, diſtinctos, ſimiles omnino lacerto, de quo anteà. Eſt huic animanti præter omnem naturam inditum, Ariſt. nouit 1. de Hiſtor. c. 11. quòd cùm omnia animãtia moueant maxillam inferiorem, ſuperiori immota, Crocedilus ſolus è contra in natura omni ſuperiorem agitet, quieſcente inferna, quod fluuiatili Crocodilo

solùm accidit, non terrestri; de quo infrà, sed amphibio dicto, & naturæ dubiæ. Idem repetit 3. de historia capite 7. cuius reddit rationem 4. de partibus animalium, cap. 11. his: Cùm caput in partes duas diuidatur, superiorem, & inferiorem maxillam, homo & viuiparæ quadrupedes imam sursum, deorsum & in latera mouent, pisces verò, aues, pleraque quadrupeda sursum, & deorsum solùm Psittacho dempto, qui vtrasque agitat supernè & infernè, & si non in latera, & Scinco Crocodilo terrestri itidem, de quo infrà: ex eo quod huiusmodi motus vtilis ad mordendum, secandumque est; qui autem in latera agitur motus, ad cibum molendum conficiendumque agitur. Quæ ergo dentes habent maxillares, iis motus in latus inest, quibus molares maxillaresve desunt, deest & motus in latera; quò cùm homo, &
21 viuiparæ quadrupedes dentes molares obtineant, in latera maxillas dimouent; solidoribus enim cùm vescantur cibis, vt pote terrestribus, loca terrestria habitantes, vbi cibum captant terræ nascentium & motorum, etiam si & aliorum vltrà, at horum præcipuè alimoniam, egent molaribus dentibus, quibus eosdem conterant, atterant, solus Crocodilus maxillam mouet superiorem, quieta inferna inter quadrupeda ouipara; nam cùm pedes inutiles ad capiendum retinendumque cibos obtineat, vt caput, prædam illis contentam non possit attingere, summa mole corporis id prohibente, pedumque summa breuitas; cùm inquam eisdem retinere non possit, vt ore discerpat, impetus erat necessarius in apprehensa semel, vt subitò comminuerentur, impetu facto in arrepta quæuis, quo cum impetus grauium è supernis veniat, non ex infimis, mobilis illi maxilla superior est concessa, vt magnos quos erat absumpturus

cibos,

cibos,animantiaque grandia tereret ſubitò, & quaſſaret, antequàm ſubterfugerent illa os animantis; hinc ſuperiorem mouet maxillam malleoli inſtar, quieta inferna, more incudis, quibus atterit & conterit cibos,non ſecus ac Cancri mouent forcipes ſupernos, vt ictu facto conterant, transfigantque quæ retinent vtilia ſibi.Sexaginta oua excubat ſimul hoc animans,maiora paulò anſerinis.Solinus in polyhiſtoria c.35.hæc terræ committit lacertorum, & Salamandræ more,dixit Ariſtoteles 5.de hiſtoria cap.33. Ælianus lib. 10. cap. 22. Plinius, Galenus & alij ex Ariſtotele referentes, oua excubat continuo, vbi aquæ inundationes venire non poſſint,naturali quadam præſenſione, quo qui velit prænoſcere illuuiones Nili,quò ſint venturæ,nidos attēdat horum animantium,nam infra eos meta eſt. Eo loci dixit Solinus, qui vltrà addidit. Eſt huic morſus ſumma cum tenacitate terribilis, ſtipante ſe dentium ſerie pectinata,vt dentes ſubeant dentes,& intricentur morſu; Eſt,inquit Ariſtoteles,huic animāti os, manus & os, illo retinet, mordet:& quæ Cancri duobus moliuntur,hic vno, forcipibus retinent Cancri duobus,ore conterunt, hic ore vtrumque præſtat. Teſtes habet Crocodilus intus repoſitos lacertorum more, contrà ac piſces eiſdem deſtituti cap. de lacerto & lib.1. monſtrauimus, docuit Ariſtoteles 2. de hiſtoria capite 7.Plinius libro 8.capite 25.Dioſcorides libro 2. capite 59. Galenus 10.ſimplicium, Ætius, Paulus, & reliqui, qui ex Ariſtotele recepere omnes. Vnum hoc animal terreſtre, & ſi aquatile ſimul, linguæ vſu caret, nullum ex minori mole in maiorem exoleſcit magnitudinem; excedit enim plerumque duodeuiginti cubitos; refert Plinius lib.8.capite 25. Solinus cum Æliano, Ariſtotele. Stupendum eſt, quod

Ælianus refert lib.2.cap.33.Crocodilum emortuum degenerare in Scorpiones, quorum caudas veneno atrociſſimo repleri teſtificatur,venenoſum eſſe ſubſtantia, & natura, ſuccoſque crudos progignere, ſenſum hebetantes, & obſcurantes nimis, immun-
22 dum animans. Exemplo docet Apollonopolitæ regionis, cuius Incolæ eiſdem veſcuntur, compreхenſoſque ſemel, ſuſpendunt ex arbore perſea,quos fletu lugubri,triſtique vlulatu ingementes, permulta verberatione caſtigant, vt poſteà conciſis, veſcantur eorum eſu: facillimè in hydropedem morboſque aquatos prolabentibus,quibus vetabatur eorum eſus in Scriptura ſacra populo Hebræorum, vt latè c. de Stellione de immundis diximus. Hæc Ælianus lib. 10. cap. 22. narrat, Ombitas Ægyptiorum populos colere non minùs Crocodilos, dierum celebratione quadam,qua certamina Olympica celebrabãtur antiquitùs,ſuoſque liberos Crocodilis rapi mirificè exoptabant,matreſque ex eo incredibili affici gaudio, magnificè & amplè de ſe ſentientes,quòd Diis cibaria peperiſſent.Eſt numeri ſexagenarij amantiſſimus Crocodilus, ſexaginta dies ventrem ferunt, oua pariunt ſexaginta, ſexaginta diebus pariunt, ſexaginta incubant, extra aquas educationis tempore, eorum ſpina ſexaginta vertebris completur, neruis ſexaginta, perficitur fœtus ſexaginta, viuunt ſexaginta annos,totidem dentes obtinent, totidem dies ſine vllo cibo in latibulis quieſcunt. Fiũt domeſtici & vernaculi,& ſe appellantes cognoſcere ſciunt, Plinius loco allato,& Ælianus tenent. Hoſtiarum capitibus eoſdem alère Ombitas Ægyptios in viuariis vbi alunt domeſticos, refert idem eodem 22.10. Odio habere, eoſque recludere, diſcerpere, ſuſpendere planctu Apollonopolitas,quòd Typhonẽ furiã,hanc

formam induere credant Pſamítis regis viri iuſtiſſimi, quæ filiam Crocodili ſpecie arripuit: hinc poſteros eos execrari; non enim omnes Ægyptij Crocodilos cultu proſequebantur, nec venerabantur deos, ſed ſolùm Ombitæ, vſque dum idololatria irrepſit vltrà, & infecit Ægyptum, iis & aliis variis & deformibus idolorũ generibus. Eſt illud admiratione di- 23
gnum, inter alia huius animantis mira, cadauera quæ ingeſſit ſemel, intra tres dies reddere vomitu, ſecùs reſtituere nunquam, hæc ſolùm tertia reiicit die, non anteà, tunc integra & qualia accepit, poſteà fætida, corrupta, tetra, in vermes conuerſa, ſi reddit integra rariùs, pòſt rariſſimum, frequentiſſimè retinet, intra tertiumque emittit diem. Notauit Plinius lib. 8. cap. 25. Ælianus libro 10. cap. 22. Solinus in Polyhiſtoria cap. 35. Ariſtoteles & reliqui. Suſtinent ij autores Tenteritas inſulæ Tenteritæ accolas mole minimos animi præſtantia in hoc tantum vſu mira, naturali potentia ſuperare Crocodilos, domare, frænare, vincere; hæc enim bellua fugientibus terribilis eſt, fugantibus mitis, timida, hoſque ipſos ſuper illos fluminibus equitare, vocibus priùs perterritos, homunculiſque illis ſuperatos, claua ori infixa, fræni inſtar, vtraque manu apprehenſa amnibus vehi quò velint, vaſtum hoc & immane animal, miræ magnitudinis, quaſi omnia potens ſubuertere, eius eſt naturæ & conditionis præter omnia viuentia & quæ anima conſiſtunt, vt nullo ſatietur incrementi termino, meta nulla, quamdiu imò viuit, inoleſcit, augetur, non vt alia quæ nutriuntur ſemper, & augentur quandoque, vſque ad vltimum ſenium, imò ad finem vſque increſcit, nouamque comparat magnitudinem, Plinius dixit, Ælianus, Solinus, Galenus, reliqui, Ariſtoteles 5. de Hiſtoria, cap. 33. cùm ta-

men ipſe ad certum tempus creſcere viuentia omnia dixiſſet, nutriri ad omne, 2. de animo capite 4. perfecta nutritione quæ ab anima eſt, non pinguedinis cumulo facto, quæ ſanguine oleoſo, frigore congelato contingit, non ſecùs ac pinguia concreſcunt ſine anima, ſic Crocodilo, ſenes imò & fœminæ deſidioſæ, ocio & deſidia pingueſcunt, in molemque maiorem corporis protuberant ſeneſcentes magis, quæ anteà macilentæ erant, exuccæ, & flaccidæ:
24 Hoc inquam animans, interminabilis quaſi molis duo habet per naturam, antipathia & diſſidio contraria & inimica acerrima animantia, debilia alioqui, inermia & imbellia, Delphinum, & Ichneumonem, de quo capite de Aſpide latè, quantum ad pugnam quam cum eo init, diximus, hîc vero ad Crocodilum dicendum, Delphinus qui eo venit, vbi & Crocodilus in Nilo eſt videre, in Gange aliiſque fluminibus, Ælianus dixit libro 12. capite 39. Plinius & alij. Hic ergo mole diſpari cum illo, tantam ſtragem hanc hominum vlciſcens, vindicans, Crocodilum monſtrum mortalium amantiſſimus delphinus, ludicrus primò cum illo, & oblectans ſubmittitur in ventrẽ vſque molliſſimum, quem obtinet Crocodilus ille, debilem & inermem, dorſi alioqui inſuperabilis, rigidi, reliquis omnibus aliis naturæ animantibus, cutiſque oſſe durioris, hac delphinus ſubmittitur, armato dorſo, curuo, horrido, enſiformi ſubmiſſus, ventrẽ pinna diſcindit, ſecat, aculeis nouacularũ inſtar ceruicis diſiicit pronus, vſque dũ ille euertitur ſupinus, exanimatus, exanguis, quo vno hoſte veſcuntur deuicto animantia cuncta aquatilia, volatilia, & terreſtria, ore euomente diſciſſo ingluuiem quam vorauerat, non minùs de præda contendentes; ſe ſimulat fugere delphinus, ſeſe ſubmergere

vndis,

vndis,exterritus quasi subit aluum, illam secat, spinaque fatiscit sectili,acuta, vt dissectus ore reiiciat quæ ingessit,ille nauseans, mortisque actus anxietatibus,euomat in terram ad fluuij ripas,anxius mortis angone, inquietus,terras inuisit,aquæ mala effugiés; in hoc enim callent omnia animantia læsa, sciuntque non solùm sua modò commoda, verùm & hostium aduersa, norunt sua tela, norunt occasiones, partesque diffidentium imbelles. Sed illud est mira- 25
bilius multò quod recenset Ælianus lib. 10.c.30. de Ibi,de qua anteà tot tanta attulimus; auis notissima Ægyptiis, Ciconiæ persimilis, serpentium & venenatorum omnium vorago,& vastitas Ægypto vtilissima (ex Cicerone & aliis adduximus)hanc cantu & sono submisso, pennisque permotis, Crocodilum alarum plausu sopire enarrant, in profundissimúmque deuehere somnum,volitantem desuper, consopireque altissimè volitatu illo,ore hianti, aperto, latissimoque stertere tandem, rimatum hæc Ichneumona, speculatum, tempus captantem ore submitti in amplissimumque ventrem Crocodili dilabi,viscera erodere,mollissima,facillimaque vndique,tenuissimis ligamentis contexta,prædaq; vsum libera omni integra, quam ingesserat ille, inconfectamque & retinet,ingluuie, voracitate nimia,prodire liberum, victorem spoliis, triumphis Crocodili, illustrem & clarum saturum semel,qui minimus alioqui cùm sit Mus,ore receptus tanto,conteri nequit, minor spatio relicto oris constricti animantis, tertiaque die liberum & integrum virtute propria euadere, præda vsus, refectum & illæsum. Censet Plinius adductis locis,Aristoteles, Ælianus, Theophrastus, Theocritus; consentiunt omnes.

De mutuis officiis Crocodili & Trochili; diſsidio Ichneumonis, de Ibis fallaci diligentia.

Capvt VII.

26 CVm iis quæ ſibi adminiculum important, etiam fera & indomita animantia gerunt pacem, & fædere deuinciuntur ab ingenito ſibi malo ſeſe exoluentia, & remittentia virus, cuiuſmodi Crocodilus remittit, & frænat cruorem cum Trochilo aue dicta, iuxta Ariſtotelem 9. de Hiſtoria c. 6. & Ælianũ lib. 3. c. 11. Solinum cap. 35. Polyhiſtoriæ, Plinium 8. lib. cap. 25. In hunc enim inter natandum hirudines, ſanguiſugæ, inhiantem, oreque patentem irruunt, radiis Solis verſus quos innat, ore illuſtrato, referciuntque animantis os, impinguntur, hærent, ſanguinem extrahunt, exugunt vndique, quod illi maximũ eſt diſcrimen, quòd ſit oris nimis exanguis animal, acerrimo vt inſtigetur dolore, refrigerato illo ſanguinis defectu; id ſentiens immane illud iterum ſe radiis Solis exponit in ſicciſſima arena, quò fulgeant ſanguine plenæ ſanguiſugæ, & ſplendeant, dehiſcenti ore, quas cum Trochilus auis conſpicit lumine notas, non ſecùs ac luminoſa quæuis expetunt aues inſectilia, quod melius videantur, faciliùs, inuitentque magis alites, in aëra lõgè errantes, vt alutæ, formicæ, muſcæ, & quæ alulis micant lumine recepto, alarum diaphano volatu concitato, veniunt in os crocodili Trochili aues, roſtrumque quod habent prælongũ, & porrectum nimis, emittunt in ora, faueſque animantis, vbi moleſtæ hirudines reſident, quas extrahũt, & deſigũt amicè, ingeruntq; roſtro diſciſſas, quæ

pati

patitur Crocodilus,& fert blandè, auxilium ſentiés, vſque dum Trochilus ſatisfactus diſcedit , illo noxa libero , & periculo graui, præmio qui computat alito tanti beneficij collati , nil illi mali impertiiſſe, commiſſo capiti , gutturi belluæ illius grandis, non ſecùs ac lupus ſtrangulatus Ciconiæ beneficium detracti oſſis , ouis arreptæ ingluuie euorato , æſtimauit indolentia , ſatisfactum debito impatrato flagitio, dixit Ariſtoteles de Crocodilo. 9. de Hiſtoria capite 6. ſic & de Throchilo : Crocodilis hiantibus Trochili aues inuolantes depurgant dentes, quos facilè replent alimenta,pectinatos cùm habeāt, & diſiunctos nimis , quo maximam moleſtiam perſentiunt , corruptis & alteratis reliquiis alimentorū, extergunt Trochili , quaſi Crocodilorum dentiſcalpia conſtituta à natura,quo munere & ipſi aluntur , & Crocodilus ſentiens ſecum commodè agi; nil nocet , ſed cùm egredi auem vult , ceruices mouet , ne comprimat caſu maxillæ ſupernæ. Magna 27
continentur in libro ſcripto ſacramenta & myſteria obſtupenda,& rara,in libroque naturæ,per naturalia imò,ea quæ ſunt legis ſcriptæ, & gratiæ notificantur nobis ; *Cœli enarrant gloriam Dei , & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Ordinatur natura in Scripturam ſacram , Scriptura in gratiam , gratia in gloriam,ſenſus literalis in allegoricum multoties,hic in anagogicum , lex naturæ in ſcripturæ legem , lex ſcripta in legem gratię,& hæc in gloriam,honorem, & præmium,vt militia in pacem, & in placidam labor quietem. Quæ de Delphino enotauimus, dorſo Crocodilum diſiicieti, Chriſtum præfigurant paruulum alioqui,cuius imperium & vis eſt in dorſo,Crux enſis ſuæ potentiæ , & victoriæ qua Crocodili Dæmonis,& inferni ventrem vbi continebamur,dirupit

&

& disiecit; est in dorso eius imperium & robur, est Delphinus armatus dorso & humeris, Isaias 9. cap. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocatur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saculi, princeps pacis.* Paruulus hic Delphinus incuruatus dorso curuo ensiformi, eminentia dorsi, ventrem Crocodili fatiscit, carcerem & infernum, peccatum & mortem, vbi continebamur eglutiti, ob de-
28 glutionem esus pomi acerbi discidit Christus morsus inferni. Oseæ 13. c. *morsus tuus ero, inferne, mors tua ero, ô mors.* quò euomere fecit dirupto ventre, dorso incuruato cruce, quæ retinebat Crocodilus immanis. Isaias cap. 2. de Christo. *Et incuruauit se homo & humiliatus est vir. Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola conterentur*; de morte Christi ad literam, vbi Deo de Christi morte Patri gratias reddit genus mortalium, eleuauit Deum, solique Deo gratias tanti facinoris reddit, qui filium suum vnigenitum tradidit, sine hominum merito; quo dicitur datus nobis gratiosè misericordia Dei, sine eo quòd in hominum mentem incideret, ideo solus Dominus eleuabitur summis laudibus in die illa. Paralipomenon 2. capite 29. de iustissimo Ezechia rege, dum solemnitatem sacrificij referret Spiritus Deus inquit: *Cumque finita esset oblatio, incuruatus est Rex.* Vt Christus incuruatus est oblatione finita, qui inclinato capite misit Spiritum, *misit*, non abiit; erat in Christo persona diuina, Verbum Deus qui mitteret, ideò dicitur *misit.* nulli alteri concessum, præterquàm ipsi, abiit solum è reliquis animus, ille persona Deitatis misit, qua subsistit humanitas. Ioannis 19. capite. Incuruauit se, vt sacerdos hic in

æternum gentem magnam eniteretur in ſpiritu pro-
miſſam Abrahæ. Regeneramur Chriſto & renaſci-
mur, Iob ideo 39. *Incuruauerunt ad fœtus, pariunt; & rugitus emittunt.* De vẽtre Crocodili extraxit nos, dorſi
& crucis potentia, iis tot tãtiſque ſubleuamur modis
mediiſque leuamur. Conqueritur Deus, tædetque
abuſum tantæ pietatis mortalium Pſalm. 128. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Iis abutuntur, iis confiſi peccata dila-
tauerunt, abominationes, vitia, delphinis dorſo, cru-
ce abutentes, cùm tamen vſus non abuſus ferat vir-
ga iuſtitiæ, cruxque virga ſit, non ſolùm baculus,
rigidiſſima imò. Iob de hoc Crocodilo capite 10.
Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. homines educet de ventre, & morta-
lium genus ibidẽ recluſum; Vocat ſuas diuitias Deus
homines, quos pretioſo ſanguine redemit, ſummè
ſapiens qui cùm ſit, falli nequit, ſumméque bonus 13
exiſtimauit homines eo pretio (gratiosè) dignos, qui
cùm Dei ſanguine ſolum emi poſſint, ſunt Dei di-
uitiæ. Eſt in homine quid, quod niſi velit homo nec
obtinebit Deus, qui cum hoc ipſum, vt & omnia ho-
minibus impertierit, repetit ab homine, omnibus
aliis neglectis, & relictis, hæc quæ & ipſe erogauit,
quòd hoc nec aliter poſſit Deus habere, quale eſt il-
lud, niſi velit homo, hominis vt illud ſit quod expe-
tit arbitriũ, quod cogere, vimve cui inferre nequit,
aliàs non arbitrium, naturam imò referret, liberam
voluntatẽ depoſcens. Hæc verò quæ ſua eſſe, & non
eſſe poſſunt, eodẽ fautore & autore eorũ, emere vo-
luit qualia ſunt cooperationẽq; noſtrã, vt Dominus
omniũ ſit, qui eſt verus Dominus veritatiſq; cauſa, &
gratiæ, vt dæmon nihil, & peccati; quò vocat diuitias
homines, nõ ſolũ quoad bona naturę, quoad illa imò

propriùs

propriùs quæ per volũtatẽ molimur. Est hic Ionas in ventre cæti, Prou. c. 2. de Christo & de inferni ventre. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Lucerna Patris Verbum est, in
32 quo vidit omnia; est Christus Verbum, & spiraculum, hominum est vita, alimentum, halitus, inuestigat secreta ventris Inferni, & Crocodili. Nitebatur infernus ventre cõmutare hæc retenta, & in se retinere, eduxit de carcere retentos, & redemit ipse. Diximus, cuiusmodi beneficio Trochili aues Crocodilos afficiant, Herodotus tamen lib. 2. c. 6. Ælianus lib. 8. c. 24. historia Ægypti lib. 3. c. 7. locis adductis Aristoteles, Solinus, quorum tantorum autorũ sufficeret vnus, referunt, Trochilos aues incolere fruteta, circa ripas fluminum errare, cibis fortuitò obiectis vesci, aliorum animantiũ, Crocodili præcipuè reduuiis dentium, hos scalpere & expurgare pretio
33 alimẽti recepto, gratos adeò ob beneficium susceptum, vt magnis officiis compensent munus, gratiosè recipiant, quasi trochili; Vigilantia enim, & diligentia ad ipsius dormientis custodiam aduigilãt, Ibi aue consopito, plausu laterum, illum in somnum prouocante, accuratissimè, vt præda qua vescitur inter dormiendum relicta vtatur liberè, vt illa, & Ichneumõ, illum verò deliciosa aura consopiri, nil de Ichneumone pertimentẽ, docent signati autores locis adductis. In eius ergo custodiam ganniunt dicti trochili, quod ore hianti amplissimo dormiat, Solem versus; Crocodilis mos, dictus vt Ichneumon mus ille potentissimus Nili Indicus suprà, ore & dentibus, (dictus Enydrus, & Enydros, quòd sit aquatilis mus, ὕδρα, hydra enim aqua est græcis, & ἐν inter, quòd inter aquas degat) occasionem arreptus, dum insidias parat vasto animanti, ore vt dilabatur, hærescatque

que gutturi, illum vt suffocet animans, Trochilos gannitu vitare, & clangoribus beneficij memores, alimenti suscepti illius nares percutere, rostrisque è somno excitare, in hostemque exacuere consulentes oris clausuram.

De Christi allegoricis, ex Trochilo & Ichneumone, infernique ex Crocodilo.

CAPVT VIII.

COnsopitur Crocodilus Ibi alite alarum motu desuper facto, excitatur è somno Trochilo in- 34
stigante, & vociferãte, ne Ichneumon viscera erodat, suffocetve animãs sui oblitũ omnino, vt efficere solet ille, diruptisque visceribus illius triduò intra commoratus liber exire, suprà satis. Trochilus Græcis τρόχιλος à τρόχος dicitur, quòd corporis forma, trochum puerorum, seu turbinem repræsentet, qui scutica à pueris ludo agitatur, aut chorda, *Trompo* nobis *Peon*, quo die Diui Sebastiani eludunt pueri, sagittas quòd, ludo quantum conceditur, referant repræsententque, quibus fuit ligno Crucis affixus martyr Dei, Deus alter amoris sagittis, oculisque velatis, Christi crucisque æmulus, amoris Dei qui mori voluit ligno affixus: Ichneumon verò Græcis ἰχνεύμων, ἰχνέω nobis resono, & μῦς, mus nostris, quibus Ichneumon mus resonans venit, quod fortiter strideat dentibus hoc animal, resonetque nimis potentissimus mus hic, Nili præcipuè soboles. Superbus dæmon, Crocodilus ille, qui mouit maxillam superiorem malitiæ, superbiæ, contrà ac animantia reliqua mouent, in Deum ipsum superbiens; hic consopitus est aue cæ-

lesti Angeli nuntiantis, Aue scilicèt Maria, Aue gratia plena, hoc cantu aue volitãte desuper obstupuit, admiratione plenus, Crocodili instar, aue Ibi consopitus cecidit, neruis omnibus potentiæ resolutis, sensibus omnibus cognitionis ligatis, fructus promissionibus matris Deiparæ Virginis, Aue cœlesti ibi dicta venenosa absumens Euæ; hoc cantu stupefactus in veternum incidit, sopore correptus altissimo, grauiq; cataphora ligatus vndique, quando exaudiuit, gratia plena, benedictus fructus ventris tui: hoc somno oppresso, Ichneumõ irruit minimus Christus ipse pro nobis paruulus & minimus, qui exinaniuit semetipsum, Verbum breuiatum Pauli, dirupit viscera, carceres Crocodili immanis, abrupit ventrẽ, genus mortalium redemit, extraxit de ventre inferni, nec voces Trochili suffecere, quin priùs viscera ob-
53 tinuerit potentissimus ille, quæ dentibus erosit, & lacerauit, proclamantibus Trochilis mundo, & carnis passionibus, malitia, ignorãtia, vt os recluderet, quominùs pateret aditus Ichneumoni expẽsis Crocodili altæ, & reduuiis inferni, iis quæ ex Dæmone supersunt serpentis extrahit Deus, detraxit Christus de vẽtre Crocodili clangentibus iis, sanctos, iustos, confessores, Doctores, martyres reliquos, qui ex originalis vitij infectione in illius ventre continebantur deglutiti, hos traxit, redemit, liberauit Ichneumõ minimus hic noster, de quo minimo Isa. 60. de Christo. *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimã; Ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud.* Vbi generatio, & successio magna Ecclesiæ promittitur, virtute Christi futura, hoc minimo reputato opprobrium hominum, & abiectio plebis, constituit Deus Christum suum in mille, & in gentem fortissimam, quam redemit Crocodilo superato, Trochilis mundi,

mundi, & carnis delusis, qui aluntur casu, abiectis alimentis, non debitis, lege indebitis imò & prohibitis, frutices habitantes, præcipuè altiores, & eminentiores sua conditione, & natura, non secùs posset Crocodilus deprædari Trochilo Christo, qui reduuias dentium limbi scalpsit Crucis dentiscalpio, quæ in ore eius, non in ventre continebantur, detentos, non damnatos, non pœna capitis damnatos, debitores imò, pro quibus pretium persoluit sanguinis Dei, qui dentibus & ore, non ventre profundo retinebantur, consopito illo priùs aue cœlesti perterritus, & attonitus anteà, nuncio & paranympho Gabrieli, Aue Maria, & alite Gabrieli nunciata. Fuit enim Christus Trochilus hominum, qui eosdem è somno vitiorum excitauit, mediis vocibus rhetorum sacrorum Euangelij, & concionatorum Verbi Dei: Crocodilos vitiosos excitantes & peccatores, vt resipiscant, & caueant ingressum Dæmonis, mundi, & passionum carnis, ne Ichneumones ij minimi, Christi victoria deuicti iam, viscera virtutum erodant, & lacerent exenterentque mortales. Apprimè infernus Crocodilo significatur, mors, peccatũ, peccator. Hoc animãs caret meatu alui, quo excrementa deponere possit, vt hinc apud Ægyptios crapulã notarẽt, quòd ore euomat quæ excernit è gutture, non ventre, vomitu, non deiectione. Valerius docuit lib. 29. cap. de Crocodilo. Infernus lege ordinata remittit nunquã ex ventre quæ retinet semel, ore & faucibus limbi Patres euomuit Christo Ichneumone instigante fauces; morsus ideo dictus inferni, non alimentum, at ventris fæces, contentos in ventre remissit nunquam, nec enim è ventre aditus patet, nec quæ ibidem recipiuntur, extrahuntur ordinata lege. Traianus enim Gregorio Pontifice expetente,

lege absoluta extractus est (in vita Gregorij legitur) Crocodilo dirupto, non hiatu patenti naturæ legis sancitæ. Sunt animantia multa quæ carent deorsum, partéque illa qua deponuntur excrementa alui, Ascarotides dicti vermes, qui generantur in ventribus animantiũ, docet Galenus 7. simplic. c. de Calamintha, & Aristoteles lib. 5. de Historia cap. 19. quos lumbricos vocat, Ascalabos Plinius lib. 30. cap. 6. sunt enim immunda adeò animantia hæc, vt nil excrementi reliquant, imò omni alimento, & tale quale est illud nutriantur, citra id quod depuretur aliquo, aut secernatur aliquid, omni imò & quale est illo vtuntur, immunda omninò. Ideo ergo infernum præfigurant, impuros, scelestosque homines, qui vitia retinent, vt nulla ex parte vitiis expurgentur, nec impuritatibus quibus abundant, aditus pateat, sed vitia quæ semel ingessere perpetuò retineant, omnique modo eisdem vtantur, nulli excessui indulgentes aut vitio nulli Crocodili instar.

De Crocodili silentio & vltione mysticè & historicè.

CAPVT IX.

36 LIbidinem exprimere volentes Ægyptij, Crocodilum depingebant, quòd dentes maxillæ dextræ eiusdem alligati dextro lacerto brachij, incompescibilem lasciuiam inferant. Recensuit Plinius lib. 28. c. 8. & de Crocodilo terrestri dicto Scinco Dioscorides lib. 2. c. 9. Galenus loco adducto, Solinus, Plinius, Aristoteles, Ælianus, & præcipuè Plin. lib. 8. c. 52. notissimum est, quantũ in venerẽ stimulet hic Scincus

Scincus Crocodilusq; terrestris, mole minimus, lacertulæ quātitatis & mēsuræ, nō secus ac Cātharides, si caro illius, vt Dioscorides refert, quæ circa renes est animātis, pōdere drachmæ vnius vino soluta ebibatur; impotentes vtuntur commodissimè, & frigidi coniuges; norunt medici omnes. Aluntur floribus ij Crocodili terrestres, quorum cutis vsta, aceto illinita, sensum obstupefacit & remittit maximè, magnitudine lacertularum & lacertorum communium. Iuxta Nilum veniunt, & minores alibi, & ibi amphibij, locisq; aliis, non secùs ac fluuiatiles, iuxta mare rubrum, & Apuliā, Lydiam, Mauritaniam, apud Indos Orientales, & Occidentales visuntur communes ij & illi; iidem autores referunt locis adductis. Est horum Scincorum illud mirabile, quòd non secus ac Psittaci maxillam vtramque promoueāt supernam, quò Aristoteles mouere supernam quieta inferna, Crocodilo solùm fluuiatili adscripsit; venitque hoc modo intelligendus, aliàs ipse & cum eo reliqui errassent planè. Scincus verò appellatur ille græcis σκίγκος ab σκίνναξ agilis, saltabundus, Græcis, quòd motu agilissimi sit, vt vix capi possit. Iis ergo libidinem significabant, & salacitatem immoderatam; iis & antiqui philtra & amuleta parabant, vt patet eisdem autoribus. Cauos obtinet Crocodilus dentes, lacerti instar, Plinius retulit lib. 28. c. 8 Solinus locis adductis narrat è Crocodilo, & scinco pocula parari narcotica, & sensuum mortificatiua, non secùs ac venere mortificantur homines, & venereis obstupescunt actibus, sensumque & rationem amittunt; inquinant tandem luxu, ebrietate, & temulentia. Inter tot mala Crocodili laudabile est illud, quòd fabas fugiat, & omninò vitet, dicente Plinio libro 18. cap. 12. sic: In Ægypto fabæ nascuntur spinoso

nimis caule, quas Crocodili oculis timentes fugiunt nimis. Crocodili oculos eminentes nimis obtinent inter animantia omnia. Ægyptij ortum significare rerum cupientes, geminos Crocodili oculos depingebant, quos habet eminentes, & emissitios. Sunt salacissimi, qui oculos emissos & protuberantes retinent, quòd humor frigidus in oculos declinauerit, interim quòd efformabantur illi homines, ingenei, vt testiculi supersint, cum quibus oculi maximam communionem obtinent, Aristoteles docuit 4. sectio. problematum latè: fabas enim effugiunt maximè & odio prosequuntur intensissimo Crocodili, quòd earum petulantiam, inflationem & elationem ingenitam percalleant; flatus enim excitant tot tantosque, vt illis mansis intra suam pellem contineri nõ possint, dirumpãtur imò, & crepẽt eisdem ingestis illi, quò inflantur, superbiunt, excandescunt, furunt, iis deglutitis robur amittunt, & cauda in qua iis vis residet, maior quàm in ore multò, vinctu &
37 ligatu (Solinus retulit & reliqui) eneruatur, languescit, vt superentur facilè eisdem deglutitis, torpidi & ignaui, tumentes, tumidi, sese euoluere impotentes, vertere, flecti, & in orbes agi; desides sunt, fabæ flatulentæ substantiæ, ideo salaces, melancholicæ, venereæ, libidinosæ, narrat Galenus, Paulus, Ætius, Dioscorides lib. 2. c. 93. Plinius, Theophrastus. Tumefaciunt & vltra quàm decet, distendunt edentes, inflant (superborum conditiones) sese excedere faciunt, nónque termino proprio contineri, superbi vt faciunt, & arrogantes, vsque ad caudam eneruãt, & debilitãt appetitum. Fabis antiquitùs albis & nigris magistratus & officia, dignitates dispensabãtur, suffragiis albis approbantibus, reprobantibus nigris nominatos semel. Aristoteles 2. magnorum c. 6. Plutarchus

tarchus commentario de liberis instituendis, Laërtius lib. de fabis, hinc Pythagoras dixit, *à fabis abstine*, significans dicterio hoc, abstinendum esse à rerum publicarum negotiis, ambitione, siti immoderata honorum, & dignitatum, onera consideranda, non solùm honores, onera imò, instituta imò dignitatum: secùs atque illi qui non negotia, sed ocia considerant. Iussit Deus Moysi ex fine serpentem accipere, factaque est virga recta iustitiæ, si ex fine apprehendatur; dum verò è manibus decidit, extitit coluber, Mosen deglutire tentans, quæ erat virga, ex fine apprehensa & baculus quo subleuatur homo. Ex cauda & fine pendet serpens, officium, ob capitis serpentis pondus, contrà acceptus ex capite, honore, & eminētia, onus delitescit, & pōdus obscuratur. Ideo Moysi ex cauda arriperet dictum Exodi 4. cap. Magistratus virga, faba, fauores dicti, quòd fabis veniant suffragantium voto; baculi sunt virgæ gubernationis, & regiminis subditorum, quæ si è manibus decidant, stertentes virgæ, vigilantes si non sint, serpentes voraces fient eorum, è quorum manibus cecidere, Moysi contigit. Idem Cicero de fabis retulit, de diuinatione lib. Didymus, Plato in Io, seu de furore poëtico. Ideo ergo Crocodili fabis abstinent, & cùm Deorum sit munus, homines edocere, & extrahere ab iis noxiis & perniciosis rerum generibus, & id maximè quando specie boni splendescentis & apparentis venenum latet, iniustitiæ, ambitionis, superbiæ, in officiis & dignitatibus vt latitat, ideo Crocodilum in Deorum numero collocarunt Ægyptij, quòd roboris tanti, viriumque tantarum cùm sit, finis & caudæ potentissimæ, & ferè insuperabilis, vt ex fine errare, deficereve illi non contingat, à fabis omnium maximè tamen abstineat,

negotiis, officiis, quaſi permiſceri neget, renuat, vitetque fabas, quod re vera Deorum eſt, homines edocere,& facere reſipiſcere. Eſtque in Deorum numero repoſitus, quòd ſit dorſi inſuperabilis, & ventris molliſſimi, quaſi iuſtitiæ rigor, & miſericordiæ clementia in vno Deo commorentur: viſceraque molliſſima, lumbi fortiſſimi & humeri, onera ſuſtinentes, & geſtantes, Chriſti diuinitatis dorſum, & humanitatis venter, viſceraque piiſſima his latent. Vltrà, & quòd precibus acquieſcat, hominumque pollicitationibus. Refert Solinus libro polyhiſtoriæ cap.35. Plinius lib. 8. cap.25. Ariſtoteles 2. Oeconomicorum, Ælianus locis adductis, Ægyptios Apis natalē celebrātes Deæ, non lædi Crocodilis ſeptem diebus. Apis erat illis alio nomine Serapis dictus Bos, quem pro Deo colebant. Alexander ab Alexandro ſentit libro 6. capite 2. Dum ergo hunc aquis immolabant, Crocodili nil mali inferebant mortalibus. Scripſit ſic Solinus eo loci: Apis natalē Memphitici celebrant iactu aureæ pateræ, quam proiiciunt in Nili gurgitem; hæc ſolemnitas per dies ſeptem peragitur, quibus diebus cum ſacerdotibus quaſdam Crocodili inducias habent, nec attrectant lauantes, octaua die ceremoniis peractis, velut reddita ſæuiendi licentia, ſolitam reaſſumunt atrocitatem.
39 Sed ideo maximè dij iudicabantur, quòd lingua ſint, vt monſtrauimus, deſtituti. Pythagoras hoc ſolum cum Diis homines commune obtinere dixit, taciturnitatem, Deus enim ſub longo ſilentio mortalium opera examinat, pro re, loco, & tempore ſingula moderatur, cùm omnia videat, & contempletur viſu perſpicaciſſimo, cuius eſt ſymbolum Crocodilus elinguis, alti ſilentij animans, viſus acutiſſimi in aëre, & ſi in aqua hebetiſſimi ſit. Eſt

Deus

Deus in aëre, in vanitate, in ſuperbia hominum perſpicaciſſimi viſus, in aquis verò, in lachrymis, in humilitate cæcutiens, & hebes, nec defectus lugentibus & corde humilibus qui in aquis degunt imputat, ſed iis qui in aëre & ſuperbia intumeſcunt. Nomen imò illud ineffabile Tetragrammaton hæc notat, nomen ſine lingua, Deumque nos fari non poſſe, ſine linguaque eiſe; vt eſt ipſe, ſolo Verbo æterno fabilis; *quis nouit patrem niſi filius? aut quis filium niſi Pater, aut cui reuelauerit filius?* Matthæi 11. capite. Deum enim ſolum ſilentium decet, & ineffabilitas, omnia alia fari, comprehendi & concipi queunt, Pſalmographus ſacer. *Te decet ſilentium Deus in Sion.* Iſaias 8. Iudæis afflictiones renuncians, quòd verum Deum ſilentij reliquiſſent, ad garrulos mentitoſque Deos confugiſſent: *Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Rhaſin, adducet ſuper eos aquas fluminis fortes:* id eſt, afflictiones; capite 30. ſic: *Quia hæc dicit Dominus Deus Iſraël; ſi reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis, in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra,* in Deo ſilenti. Elias ſignum ſuggerens tertio Regum, capite decimonono, aduentus Domini, inquit: *Non in turbine Deus, non in commotione Deus, non in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis,* in ſilentio. Tuncque Dominum adeſſe cognouit præſentem, quando ſiluere omnia, ſpirante ſolùm aura tenuiſſima, non enim in potentia magnatum Deus, non in turbine & tonitruo facto operum hypocritæ, tuba exclamante ambitionis, non in igne ſuperborum, & excandeſcentium furore, & ira, imò in ſilentio ſpiritus mitis & humilis Deus; ſilenti Moyſi dixit Dominus; *cur vociferaris Moſes?* non enim in ſtrepitu labiorum, imò in ſilentio ſpiritus. Deum conſuluit Helias co-

ram ſacerdotibus Baalis, ſilentio ſpiritus, & humilitate. 4. Regum decimo octauo capite Anna Samuelis mater ſilentio impetrauit filium à Domino, Publicanus garrulus mercedem non reportauit, neque enim oris ſilentium datur aliis præterquàm Diis. Nec iis preces vocales ſanctiſſimæ prohibentur, conſulitur imò iis oris confeſſio ad ſalutem neceſſaria, laudatur ſilentium, & in ipſo ſermone taciturnitas, hypocriſis vetatur, garrulitas, oſtentatio, loqui ad homines, propter hominum inanem gloriam, ſilere imò ob id, vociferari verò in Deum, non labiis, vt dixit Iſaias ſolùm, corde imò verbo, opere, ſilentes omnibus aliis, ſilentium ineffabilitatis venerentur, Deitatis ſilentium, æternitatem, quietem, incomprehenſibilitatem, immenſitatem. Eſt Deus in ſilentio, ſibi loquitur, intra ſe, in Verbo qui ad extra loquutus eſt ad creaturas, ex bonitate immenſa, Plato in Timæo nouit, ſilet, ſibi ſolùm loquutus ad intra, quò Ægyptij Deum elinguem Crocodilum conſtituere: lingua externa loquutione indigentem minimè, vt nec creaturis Deus. Diſsident maximè natura Scorpio, & Crocodilus, diximus ſuprà, quorum vterque vim habet in cauda, & cùm Scorpiones generentur ex Crocodili cadauere (ſuprà) iure hæreditario ſuccedunt in bona Crocodili eo defuncto, conſanguinitatis lege, amicitiaque, quæ conciliari nequiuit eo ſuperſtite, cùm in Scorpiones abierit, firmatur, corrupto iam eo, & fætido. Sunt Scorpiones Scorpionibus amicitiæ vinculo ſtricti nimis, & quòd animantia eiuſdem naturæ ſint, & peculiari ratione, quòd ſeſe caudis nectant, & vinciant, dum contingere non poſſunt illa, quæ icere cupiunt (capi-

te

æ ſequenti.) Crocodilus qui noluit inire amicitiam incorruptus & integer,in ſcorpiones permutatus, & degenerás iniit. Sunt huius conditionis & legis ſceleſti , impuríque homines, ſcorpiones venenati, qui interim dum viuos , vitalíque halitu , atque ſpiritu vtentes inſpectant , & ſentiunt , ſanctimoniæ legibus adſtrictos , virtutémque ſectantes , odio habent integros , & incorruptos moribus , remiſſè aut nunquam conuerſantur , diſſidentes moribus , & ſi illis vinculis & obligationibus mille addicti,dum tamen vitia & ſcorpiones abiere familiares , vinculo conuincti malitiæ fiunt,arctantúrq; animo communi vitiorum , hanc vocant amicitiam veram , qui ſtudiis diſſidebant, & conditionibus priùs,qui non anteà in vitia communia degenerarunt , quàm & eſſet vtriſque anima vna , conſenſus vnus , familiaritas , animus , quòd in ſcorpiones abierit alter vitiis irretitus. Semel ac Pilatus in vitium Herodis incidit , Chriſtúmque perſequi , in carcere aſſeruari , flagellis cædi iuſſit , remiſit , Lucæ 33. capite. *Facti ſunt amici ex illa die* ; reddit rationem Spiritus Dei iis. Anteà amici non erant , inimici imò ; Eo ergo quòd in ſcorpionem Pilatus abiit , in Herodem , amicus corruptus ſemel , & inquinatus ; Iſaias 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum , familiam familiæ nectitis , agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci , nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ* ? Quaſi dicat , væ qui domum ad domum in malitia copulatis , & amicitiam initis , & agrum agro quaſi communia omnia vobis , vſque ad terminum loci ; vltrà enim extenderetur malitia , ſi vltrà eſſet locus , ſpatiúmque ſi ſuum terminum tranſigeret;habitabitis vos ſoli nunquid in terra ? erítne iniuſtorum hæreditas Domini ? venient

alij,

alij, & accipiet alter quod vitiorum vinculo retinebatis, hæreditabunt alij, & Scorpiones fortaſſis, vobis ſuccedent filij impij & ſceleſti, in pœnam delicti, vt de iis malè acquiſitis rebus, iniuſtitia & dolo retentis, non gaudeat tertius hæres, Scorpiones ſuccedent Crocodilo. Mirabile eſt illud huius animantis, vaſtiſſima hęc moles, ponduſque iners, ictu Scorpionis caudæ leuiſſimæ, caudam percutiente Crocodili, qua tot animantia interfecit, hoc minimo ſolum animalculo ictum, monſtroſum animal concidere ſubitò, vita defunctum, ex cauda veneno impertito animanti ingentiſſimo, cauda Scorpionis vltrice, vindicante caudæ Crocodili delicta, & ſæuitiam immanẽ, nullo alio qui petit Crocodilũ, quàm cauda, non icit alio, nec vulnerat, caudam pręter, hac qua peccauit ille, punitur, caſtigatur, luitque pœnas, vt per hæc ipſa puniatur, per quæ peccauit, Sapientiæ 11.c. *Quòd quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc torquetur*; quæ cohærent cum iis quæ dicuntur 10.c. eiuſdem, vt in iis quæ peccauerunt, nec latere potuiſſent, iis enim cognitis ad pœnitentiam conuertentur delictorum commiſſorum, tum in præcautionem futurorum excitabuntur, noſcentque in quæ erant præſentia, vt ſatisfactione præteritorum, & pręſentium conuerſione ad Deum, & futurorum præcautione, non ſecùs ac ægrotantes priſtinæ ſaluti reuocentur. Torquetur ergo per quæ peccauit quis, vt Crocodilus cauda nocet, punitur & cauda. Extat præclarum exemplum huius, inſigneque monumentum Regum 3. cap. 21. Cùm enim Achab Samariæ rex vineam Naboth Iezraëlitæ expetiiſſet; vt ex iis quæ illi neceſſaria erant ad

vitæ tutelam, communémque familiæ victum, sibi hortum deliciásque pararet superfluas, renuente luxum Naboth, quod à Domino in hæreditatem suæ tribus accepisset illam, indignatus rex, vxorem consuluit reginã Iezabel, quæ testibus duobus inductis testimonio fallaci, ipsum lapidari decreuit, & sanxit innocentem, vt è paterna abiiceretur sorte, spoliaret vt insontem Naboth, vltor Deus atrocissima vt morte & Achab & Iezabel reges punierit, sanguine eorũ canibus elincto, vt promiserat, quod Naboth iniustè cõdemnassent crimine lęsę maiestatis imposito. Reg. 4. c. 10. vt edixerat Dominus, delictũ adhuc in filios Achab vlciscente, quos Iehu Rex Israël vt securus regno esset, trucidari iussit principibus Samarię, apud quos retinebantur filij Achab, educabantúrque, qui capita eorum regi Iehu immisere, non alio (obstupendum hoc est) quàm in cophinis vuarum vindemiæ (ibidem dicitur) cùm enim delictum vineæ occasione esset patratum & scelus, in cophinis fructus vineæ acerbos collegit in filiis vindicta reptante, & repetito delicto vineæ in successores adhuc, in iis ideò iniustitiæ fructus recepit, & filiorum capita in cophinis vineæ fructus, cophinis vindemiauit vineam, & filios simul, per quæ peccauit vt puniretur, in quibus & deliquit, torqueretur ille. Serpentes adorabãt Hebręi (Ægyptiorum idololatria infecti) serpentibus illis supplicium venit. Absalon stragem parabat capiti patris, coronæ, capillis capitis obiit suspensus, suomet gladio Goliath caput amisit, tot tantos quo trucidauit; qui gladio perimit, & gladio peribit. Hinc Esther c. 7. Aman suspensus est in eodem patibulo, quod parauerat Mardochęo, non alio. quo psalmographus de iniusto & impio Psal. 7. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Non secus ac

arti

artifex ille, qui cùm maius tormentum hominibus disquisiisset, & taurum æneum coram Dionysio tyranno struxisset, vbi mortales eo extorquerétur exusti, querelis, & querimoniis tristibus, vt tyranno gratum redderent sonum, in hoc ipso priùs tyranni iussu periculum fecit artifex, incidítque primus in laqueum quem prætenderat aliis.

De symbolo iustitiæ ex Crocodilo eliso.

CAPVT X.

43 MOrtem antiqui significabãt cauda Crocodili, & funeralia, & tenebras: quòd mortis instar superet, & vincat omnia, reponátque in vmbra mortis. Valerius lib. 29. c. de Crocodilo ex Chaldæis tradit; numismatáque plurima huius rei signum suggerere videntur, quibus inest ex vna parte Crocodilus religatus ad palmam, cum hac litera. COL. ÆG. id est, Colonia Ægyptus. Ex alia, facies duæ insculptę, vna ad Orientem spectans corona nauali insignita, inscriptio IMP. imperatores. Imago vna Agrippę est, altera Augusti Cæsaris, de quo Virgilius; *Tempora naualis fulgent lustrata corona.* Victoriam enim morte non perituram notabat palma, inclytã, in onus obliuionis insurgentem, quarum est feracissima Ægyptus, cui alligabatur Crocodilus victus, mórsque superata victoria. Visitur hodie Romæ in campo Martio itidem statua huiuscemodi. Sunt & alia numismata Crocodilum continentia, vt Ægyptum superatam exprimant. Crocodili tergus hominem inuictum prænotabat, quòd sit cutis & ossium impenetrabi

trabilium ferè, sed vt hominem ferocem mansuefactum iam, humilem, & domesticum, Crocodilum pennam Ibidis supportantem struebant; & cùm animans nullum ex minori principio in maiorem molem attollatur, eos qui ex minimis & obscuris principiis, in nobilitatis fastigia, honorésque & officia illustria fuere euecti, Crocodilo maximo simul cum ouo minimo lineabant, ex ouo magnitudinis anserinæ. Viginti vlnas æquat Crocodilus iuxta Solinum locis adductis, quæ amplificat fabella illa Æsopica non illepida, de Crocodilo generis nobilitatem, sua & antiquorum præclara facinora vulpi referente, multáque alia egregia & præclara facta, cui argutè illa respondit, ex cute optimè tua antiquitas prodit, te tacente: ex dura & obstinata pelle, ex cute prodit, excedit superbia molem, vltra cutē it, ex cute & ambitu antiquitas itat. Est huius animātis increscere vs- 44
que ad vitæ terminos vltimos, contrà ac omnia quæ anima constant, ex minimo ortus principio crescere non desinit, quādiu viuit; huic solùm naturæ concessum, quod non vera nutritione fieri monstrauimus suprà, vitiosa imò & concretione potiùs excrementorum immundorum, quàm coctione alimenti, & permutatione vera; pinguedine imò, frigore concrescente, sanguinis oleoso congelato in frigido animanti, quo obesi nimis, & pingues visuntur, nec enim excrementa remittit, toto imò vtitur alimento, nec habet qua excernat excrementa meatu destitutus, quo ipsa deponat, iam suprà; & cùm huius sit conditionis, & ortus, immundúmque adeò, nullum est animans superbiens adeò, petulantius nullum, maxillam superiorem mouet in superna, elatum contrà, ac animantia reliqua putrida vligine ortum. De limo terræ formatus homo, de puluere ille in tan-

tam

tam bonorum animæ & corporis naturæ, gratiæ perfectionem euectus, vt nullus minori ex principio in maiora venerit, Crocodili instar, superiorem maxillam mouit superbam. gulæ pomi esu, cõtra præceptum & legem impositam, superbiens eo; *cur vobis præcepit Deus? eritis sicut Dij*, increscítque vsque in vitæ finem deformitatibus, vitiis, morum corruptela. Ieremias 31. capite. *Vsque quò deliciis dissolueris filia Sion, filia vaga, quia creauit Dominus nouum super terram?* vsque quò incresces vitiis, & iniquitatibus? interrogat Dauid psalmo 93. *Vsquequò peccatores Domine? vsquequò peccatores gloriabuntur*, & vt alij, *increscent?* sic alia litera. Regum 4. capite 20. Ezechias dixit Domino offerenti vtrùm vellet, vmbra cresceret decem lineis, an decresceret in signum promissionis victoriæ, facilè est vmbram crescere decem lineis. Occidente enim Sole prolongantur vmbræ facilè, iam deciduo, quòd basim nostram feriat lumen, & infima nostra, quò protenditur vmbra lumine impedito magis, omni corporis mole, subitóque crescit nimis illa Sole Occidentali, quo situ erat Sol, dum hęc petiit Ezechias, quò decem lineis retrò vmbram imminui expetiuit, & vt dies superesset, lúxque maior pacto & conuenientia; tum facile est vitia cumulare in decem præcepta, & peccata, priuationes, & vmbram rectitudinis, difficile verò est retrocedere, conuerti retrorsum decem lineis, lucísque augmentum, vmbræque remissio hæc voluit, non illa. Crescere vsque in finem facillimum est obscœno Crocodilo per decem lineas, at corrigi, decrescere, emendari, difficile vndique, illud se solo potest incrementum, inordinatúsque excessus, mensuræ debitæ transgressio, iusta meta, terminus, conuersio, se solo nequit, Deo imò ipso non minus est opus. Redire ergo in lucem,

retro

retrocedere lumen, opus Dei est, facilius est imperfectum perfecto, malum bono, malitia rectitudine, ex quouis defectu vmbra, malum, priuatio, ex integra causa bonum, lux, habitus: dissoluuntur deliciis, increscunt vltra legem ij Crocodili, omni vtuntur alimento, & luxu, sine discrimine aliquo, nilque illius in excrementum relegant, excrementis imò alũtur, non minùs pinguescunt, augẽtur, vomitu obscæna excrementa reiectant ore, continuo eiectu, tanti ingesti alimenti in mole tanta destituti deorsum, & inferno secessus loco, recrementa maledicentiæ, & blasphemiæ ore reddũt in proximos; quæ ingurgitarunt, immoderato suscepto scandalo, & dato, vtilia quę essent si moderata ingessissent, vt corrigerẽt, non infamarent vomitu in alia facto. Furit in se hoc animal prædæ spe frustratũ, se verberat, & castigat cauda, si subterfugit sperata præda. Ægyptij cladem & calamitatem, ex furore subsequutam eo sese cauda affligentem prænotabant; Latrocinium illo depicto exprimebant, negotiorum impedimenta, & insidias. Typhonem in Crocodilum obiisse prædicabant, vt ex Æliano tradidimus, negociatoribus enim Crocodilum insidiari tradunt historiæ Ægyptiæ lib. 6. cap. 2. Valerius lib. 39. Bercorius, Erasmus, Rhodiginus, Solinus; quo genere latrocinij Typhonem infamem referunt historiæ. Hinc Typhoni consecrarunt Deo latronum Crocodilum & asellum equumque fluuialẽ Hippopotamum dictum: vt placaretur Deus iis ingenio similibus hippopotamo & crocodilo astutis, essetque vt mitis asello simplici, precabantur: non versutus Deus vltor, vt asellus imò Typhoni Deo latronum consecratus. Inualuitque vsus ideo, vt in asello vapulent fures. Hinc in ciuitate Apollinis è Crocodilo omnes vescebantur

 die

die sacra Osiridi, quod illatam iniuriam Osiridi à Typhone vlciscerentur, in crocodilo abdito qui virginem apprehendit, crocodili carnium esu significantibus, non secùs carnes Typhonis dilacerare cupiisse, quos certa die tenebantur conuenari, & quos caperent interfectos ante templum prosternere. Est famis insatiabilis animal, vt Diodorus retulit l. 3. c. 7. rapacissimum, est visus acutissimi, vultus seueri, inflexile nimis, & rigidum, nescio an ideo extiterit iustitiæ symbolum; suspicor, aut præsentis iustitiæ, quæ modò exercetur ministris corruptis saltem, quòd rapax & insatiabilis famis sit; an eo quòd rigidus & seuerus. Rhodiginus l. 29. c. 26. eo quòd sit iustitia perspicacissimi visus, Crocodilo significari dixit: Crocodilus maximè est visus perspicacis, vegetissimi oculi, totius corporis obseruator & custos; iustitia enim oculatissima esse fingitur, acie perspicaci, cuncta perspiciens, quam Chrysippus lib. 3. cap. 9. effingi solitam prodidit aspectu formidabilē, luminibus oculorum grauibus, acribus, neque humilis, neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam tristitiæ dignitate. Idem Plato 9. de legibus, Aristoteles, & reliqui docuere, ideoque Crocodili insigniri iconismo, quòd huius conditionis sit, & quòd iustitia capite intra cœlum recondito depingatur, vt Crocodilus caput recondit reliquis relictis, animantia vt cauda apprehendat, visu horribili capitis vt non perterreat. Hinc & illum Deũ antiqui constituerunt, quòd
46 facie ad faciem inspectari non possit, per caudam imò, per vltimũ, & per effectus solum, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia cognoscuntur,* dicente Paulo. Abscondit caput iustitia, quòd non acceptent cœlestes & æternæ leges personas, capite imò intra cœlum demisso, suspicor, ne videat hominum

mali

malitiam, facinora & scelera, caputque recondere, velare faciem, vt depingi solet; imò ipsa iustitia sic depingitur Isaiæ 57.cap. vbi dicitur de populo. *Propter auaritiam & iniquitatem eius iratus sum, & percussi eum, abscondi à te faciem meam, & indignatus sum, & abiit vagus in via cordis sui.* Velat faciem Deus, caput abscondit, rigorem exercet, misericordiã occultat, faciem abdit quandoque. Est Dei facies misericordia, facie enim Principis visa, venia impetratur, cessat rigor, dixit Sertorius ille. Nullus à facie Principis tristis discedat; & Traianus dixit. Hinc velarunt faciem Domini Marci 14. Lucę 9.c. permisitque Deus velari facie, vt intelligerent detestabile adeò facinus, & immane, neque Dei ipsius oculos suffecturos videre scelus tãtũ, alapas, subsannationẽ, derisionemque: quo ipsis nolentibus iustitiam esse, & iudicem, fassi sunt facto ipso, facie velata, & virga in manu eius arundinis reposita; nam & si calamus erat, notabatur misericordia Christi præsentis iam, qui non virga ferrea rigoris antiqui, imò arundine facili, & leui eosdem corrigere veniebat in lege gratiæ, quo de Ioanne dixit præcursore Matthæi 11. *Arundinem vento agitatam existis videre*, id est, prædicantem iustitiam arundinis facilè ductilis, legis gratiæ, leuis & facilis, suauis & mitis; *iugum enim meum suaue, & onus meum leue.* Non dixit, iugum vestrum, aut onus, Dei enim est, qui & nobiscum fert onus, imò ipsius est totum, solùm nostra cooperatio, cùm & per ipsum nos simus oneri suffecturi, feramusque iugum. Arundinem ergo vẽto agitatam, spiritu Dei moram existis videre, non virgam ferreã. Hic imò calamus, ingenio sacchari, & gratiæ Dei expressus destillauit sacchrum cãdoris purissimi, vt simul lac albedine sit, & mel sapore, vt Christus

cor hominum edat iis condita ex se insipida, gratiosa iam auidissimè quæ ingerat.

De lachrymis Crocodili, natura, & symbolis.

CAPVT XI.

47 IRrepsit vulgò dicteriũ & parœmia Crocodili, tritum satis, & vulgatum, neque ideo difficile minus; Crocodili lachrymæ, dictum de iis, qui cùm sint crudeles, & feroces, misericordiam & compassibilitatem simulant sub pietatis specie, alios aliosque discerpere machinantes. Referunt ij autores Crocodilum inspecto homine lachrymari priùs, mox verò deuorare illum crudeliter, cum quo dissidium maximum inter omnia animantia tenet (Dei vltor) ingratissimũ hominem castigans: vlulat, & singultit, planctu simili puerorum luctui, vt existimantes puerum afflictum homines succurrant, obuiam vt factus latens voret, & laceret, callidissimum animal. Fallit, illudit planctu simulato, & ficto, super quos elachrymat, antequàm deuoret, planctu largissimo: notat Rot. Erasmus chiliade 2. cẽturia 4. Calepinus verbo Crocodilus, Solinus loco allegato, Valerius l.6.c.9. Bercorius, Basilius Magnus, Plinius loco adducto sic: Lachrymatur dum quosdam perdere vult ipse priùs, vt fecit Bassianus Imperator, quoties Getę fratris quem occiderat imagines speculabatur. Est apud Spartianum videre. Referunt ij autores, Crocodilum fame stimulatum, os aqua replere, hancque effundere lubricissimæ mucilagini immistam, circa vias & semitas, quibus nouit animantia, aut homines aquatum venturos, quos elapsos ob lubricum descensum

corripere,& deuorare, capita quorũ ossea posteà lachrymis macerat, humore oculorum plurimo, quo abũdat vdus natura, quæ madefacta emollita ingerit tandem. Lachrymas verò Crocodili dici reor, quòd, vt diximus, ab incolis deploretur suspẽsus, antequàm ingeratur, quod ex Solino c. 35. retulimus, & Plinio, quasi inutiles, & crudeles lachrymæ fictitiæ, & subdolæ, non secus ac fœminarum faciles, & inutiles, leues omnino, quæ in perniciem effunduntur, vt technas suadeant, & figmenta alioqui, quæ cum animanti nullo dissidium maius obtinent, ac cũ homine fœminæ, Crocodili instar; supplicium, vltio, flagellum, pestis mortalium, cum quibus serium nihil, vana imò solùm tractari queũt, nænię, ludicra, vt hoc solùm animanti sit opus, quando non est viro sui opus, estquę extra se, quando non vir. Plinius lib. 6. cap. 2. sic scripsit de Horatęæ regionis Indiæ ciuitate munitissima Horatęa, pulcherrima est vrbs Horatęa, pulcherrimis munita fossis palustribus, per quas Crocodili, humani corporis auidissimi, aditum nisi ponte non dant: lugent homines, quorum mortem omnimodò procurant. Dixit de iis Crocodilis Spiritus sanctus Ecclesiastici cap. 12. sic ad literam: *In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam; in oculis suis lachrymatur inimicus, & si inuenerit tempus non satiabitur sanguine, in oculis suis lachrymatur, & quasi adiuuans suffodiet plãtas tuas:* quasi adiuuans, nolle malum quod infert noscatur, vsque dum illatum foret specie subuenientis, lachrymans. Lachrymæ Crocodili mendaces, & fictæ. Qui securus & illæsus inter Crocodilos versari voluerit, nullo alio securiùs ibit quàm si Crocodili adipe perungatur. Inunctus enim adipe illius, illinitus poterit inter Crocodilos conuersari, & per eorum

medium discurrere. Docuit apprimè Firmius nomine, Ægypti tyrannus, qui oppressus ab Aureliano transnatauit fugiens Nilum, liberque euasit Crocodilis, quibus Nilus abundat, adipe vnctus, impuneq; flumen percurrit, teste Aurelio Festo l. 6. c. 3. & Vopisco lib. 4. c. 9. Valerio lib. 29. c. 11. Plinio 31. c 5, Imò perunctus fele, aut adipe colubri aquatilis, securus Crocodilos aggreditur, Ælianus, Plinius, & Solinus locis suprà adductis; timidissimū animal fugit persequentes, prosequitur fugiētes, molestè nimis (suprà.) At etsi perunctus adipe Crocodili securus innet inter Crocodilos, impetitur scorpionibus, Crocodili odore notus adipe, ij autores recensent, Delphinis, Ichneumonibus, Enydris, quibus dissidium cū Crocodilo est: qui nisi lignis perseæ arboris suffumigentur, oppugnantur, non secus ac qui maiora pericula vitarunt, deuincūtur multoties facilioribus. Si ligno crucis non muniantur, charitatis calore exhalante, suffumigio aromatum Christi, est perseę arbori illud fructus formæ cordis vt afferat, foliis instar linguarum prædita, vt lingua cum corde consentiat, veritate sine simulatione, & dolo multoties, qui incōmodum vnum aufugiunt, à rectoque calle non deuiāt, mille aliis impetuntur, affliguntur que rerum ærumnis, & calamitatibus variis. Tres dies transigit sine cibo Crocodilus ingesto cadauere hominis, & dum euomere cogitur, non ante tertiam vomit (suprà.) Christus tribus diebus in visceribus terræ depositus resurrexit tertia, coëgit vt reiiceret Crocodilus, Ionas vt è ventre cæti tertia euasit liber, & integer. Vincitur dæmon facilè viris constantibus, euincit timidos, & pusillanimos superat. Terrestris Crocodilus deponit excrementa, mundus est magis aquatili, qui cùm in medio aquarum degat, excrementa omnia

omnia retinet. Plurimi in medio aquarum Ecclesiæ sunt deteriores Ethnicis, & publicanis, cùm illi medio aquarum baptismatis geniti viuant voto addicti, obligationis lege, aliis sterili terra ortis, sicca, & inermi Pharaonis. Miratur Deus medio fluminum recubãs ausus dicere: *Ego feci meme, mea sunt flumina, lucifer alter*, Ezechielis 23. cap. Detergunt maximè Crocodili terrestres immunda excrementa, è facie pannos, maculas, fæditatem omnem. Et si immundus sit ille, cui facies detergitur, splendet illinitis cum melle scincorum excretis. Galenus locis adductis, Plinius, reliqui sentiunt cum Dioscoride, Paulo, Ætio; spurcus cùm sit, mundificat plus multò omnibus aliis totius naturæ animantibus, & plantis; metallis, liquoribus, lapidibus, terris. Nec ideo contemnendus, quod immundus sibi, cùm reliqua plus multò reliquis extergat omnibus, symbolum eorum qui etsi moribus inculpatis non viuant, tamen officia publica exercent, & munera cõcionatorum, sacerdotum, qui alioqui immundi, extergere valent vitia populi, & subditorum labes; quò non abiiciendi despiciendive ideo; aliis imò quandoque magis Deo actore, vt hæc Dei esse mortales noscant, opera grandia moliuntur, conuersionemque animarum in prouentu maximo. Crocodilus satur, plenus cibis, repletus & abundans alimentis, maximum subit periculum, deliciis affluens, grauissimo tunc veterno, somno quòd corripiatur. Ille in arenam venit, somno, vt diximus, altissimo & crapula consopitus, ore hianti, faucibus sanguine plenis, quòd indiscretè cibos ingerat, hauriatque potũ, putrescit facilè, tanta quam ingurgitauit ciborum copia, vermibus repletur venter horridus, dormit tamen quietus ille ore aperto ad radios Solis lumini expositus, venit auicula rex

auium dicta, Trochili species, alia à Trochilo communi, longissimi, procerissimique rostri, porrecti nimis, illabitur in ventrem animantis ore amplissimo dehiscenti, faucibus horridis patētibus, latissimis, expurgat ventrem, vermes absumit, emundat animans, ore posteà iterum peruolans in aërem redit, quam si Crocodilus sensit, tot obligationum vinculis adstrictus, immemor omnium, os obserat, auem vt captet, retineat, voret; ea verò detenta, offensa ingratitudinis percita, rostro dirumpit viscera, facillima erumpi Crocodili, diruptisque visceribus peruolat immunis, & libera noxa omni, peritque ingratus Crocodilus vermibus, & sanguisugis afflictus, satur, somno oppressus, dicta aue rege, visceribus confossis; Enydro vltrà, Delphino, Ichneumone (dictis autoribus suprà omnibus) quòd sibi alimentum copiosissimum sperent suscipere, polliceanturque, eo interémpto, aggrediuntur plenum, quod grauis & ineptus sit bello satur, somnolētus, tardus, ex Isidoro 12. Etymologiarum lib. Seneca lib. quæstionum naturaliū; vbi ex Babylo Ægypti præfecto hæc ipsa recenset. Physologus lib. 3. c. 7. Plinius, Solinus, & locis allatis suprà, Speculum naturalium lib. 4. c. 8. Bercorius lib. 10. c. 28. horum quosdam aphonos constituunt, sine voce Crocodilos, alios lugentis instar vociferantes, plangentes. Ad Solis iustitiæ radios conuersi, expurgantur, Trochilis, regibusque auibus sacramenti pœnitentiæ. *regale sacerdotium*, peccatores, criminibus & vitiosis recrementis, quibus scatebant, deterguntur, illabuntur confessores in ventrem per os pœnitentium, & confitentium, horrida ora hiantia subintrant, quæ si conserant, & concludant, à volatu ex ore eorundem facturi in cœlum, desistunt eæ aues regales, veniam vt impetrent, Crocodilis infectis, os

si

ſi obſerent,& cõcludant peccato aliquo retacito,occupatione detenti indiſcreta, ſi occludant, immemores tanti beneficij, vt non ore, viſceribus imò diruptis conſcientiæ concluſo ſemel ore diſcedant,regiæ auiculæ, vt crepuit Iudas medio è corpore, mutus os quòd recluſerat. Hæc & de Chriſto regali potentia ſuperante infernum, & de obſtupenda eius glorioſa reſurrectione intelligenda veniunt (dictis iam.) Sunt in medio deliciarum pericula maiora, & eorum qui pleni abundantes rerum copia, omni obliti cura,& officio dormiunt, non euigilant,quaſi nullo iam egere videantur; inopinata illis mors vt adueniat, inſtar Holofernis ſopori mortem qui aſſociauit,Iudith 4. cap. Iob de iis 20. *Qui cùm habuerint, quod deſiderarunt, non poſſidebunt*, morte præueniente. Vt paſtores intelligant, & principes, reſipiſcantque, accepti officij & obligationis vinculum quo tenentur præintelligant, maiuſque ſubire periculum, cùm ſaturo Crocodilo & pleno, inimici plures obſunt famelico aut egenti: officiaque eſſe rationem beneficiorum collationis; beneficiũ enim propter officium eſt, alioqui iniuſtè afficiuntur dignitatibus, & miniſteriis, hæcque iniuſtè retinent, qui ocio & deliciis viuunt,obliti officij,ſolùm beneficij memores,& dignitatis,honoris,& gloriæ ambitioſæ. Corde ſublato monſtroſè nimis Crocodilus viuit, contrà ac animantia reliqua, vt lib. de natura rerum 6. inuenitur cap. de Crocodilo,etiam ſi Ariſtoteles, & hoc ſenſerit de Teſtudine lib. de iuuentute, & ſenectute cap.1. Tanto tamen temporis interuallo viuere,eo auulſo, vt Crocodilus viuit, nulli alteri conceditur animanti,ob quæ merito immundus vocatur figuratiuè: nam hiſtoricè iam immundam continere naturam prædiximus anteà,ideoque

Leuitici loco allato computatur inter immunda animantia, illiusque esus prohibetur, cùm tamen ab Ægyptiis, & Indis ederetur, vt suprà retulimus, aliisque nationibus plurimis. Babylones enim & Ægyptij omnes plurimis vescebantur antiquitùs, à quibus prohibentur, arcenturque Hebræi, qui cum illis commorati ritus plurimos, obseruationes, & præcepta obseruabant, idololatrias & superstitiones vulgo Iudæorum acceptas, quo illis præcipitur, locustas, bruchos edere, id est, edere posse, vt Ægyptij commendabant condita hæc salsamentis variis, Crocodilos & alia serpentia minimè; & si ederent Ægyptij ob naturam vitiosam dictam c. de Stellione, & ob significationes vitiosas morum corruptorũ eorundẽ. Vecordes Cocodili, sine corde viuunt, sine lege, sine præcepto, & cõsiliis, populus iners, cęcus, & sine Deo; neque cor habent vbi legem suscipiant, Ieremias hic iis: *Audi popule stulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis.* qui corde carent, vitalibus operibus destituti, discedũt, & obeunt, vecordes, sine sensu, & intelligentia, quæ est legis cor. Nabuchodonosor Danielis 5. cap. cum bestiis positus esse dicitur, & à rege impio extractum cor, sine cordeque vixisse, Crocodili instar. Lucæ 21. cap. *Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra*, id est, superueniat repentina mors, vt ibidem dicitur. Quando enim cor grauatur, mouere desinit, vt docet Galenus 5. de locis affectis 2. cap. quo syncope, repentinaque morte discedit animal. Hoc vel ex crapula, aut ebrietate, aut animi passionibus, & curis, quò eo loci sic scriptum est 5. Lucæ cap. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra*, in crapula, ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Prouidentia Dei

opus

opus summum hoc animanti Ægyptiis notabatur, quo Deum venerabantur, quòd non excubet oua, vt monstrauimus, alio, quàm vbi crescentis, & inundantis Nili bis anno, aquæ eadem lædere non valeant, naturæ instinctu, & geometria insita. De hoc animanti mirificè tradit Plinius lib. 8. cap. 26. vbi inquit; Primus quinque Crocodilos Romæ ædilitatis suæ ludis Marcus Scarus, Scaurusve Euripo temporario ostendit. Lib. verò 20. & 22. c. 25. Eruum mansum manè summo iuuare maximè morsibus serpentium, & Crocodili præcipuè, lienemque absumere libro 26. cap. 8. Potamogeton vtilissimum prædicat morsibus eorundem, & contusum appositum, & mãsum, Seneca eadem lib. 4. quæstionum naturalium c. 3. Strabo Geographiæ lib. vltimo cap. 6. Pausanias in Corinthiis.

De Scorpionis in natura mysticis & symbolicis.

CAPVT XII.

ECclesiastici c. 39. *Ignis, grando, fames, & mors; omnia hæc ad vindictam creata sunt: bestiarum dentes, & Scorpij, & serpentes & rhomphæa vindicans in exterminium impios.* Cap. verò 26. sic: *Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam; qui tenet illam, quasi qui apprehendit Scorpionem.* Deuteronomij 8. c. sic fatur Deus populo ingrato: *Et ductor tuus fui in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & Scorpio, ac Dypsas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxi riuos de petra durissima, & cibaui te manna in solitudine.* Hæc, & alia, vt hoc capitis discursu elucescent, de Scorpione extãt in 49

sacris

sacris scriptis loca non facilia explicatu. Scorpio Latinis, & Scorpius, græcis σκόρπιος, Hebræis *hacrah*, vnde Hispanis *Alachran* venit ab Hebræis *hacrah*, dictus est à σκορπακείζω, damno & odio prosequor, & σκοπίζω, spargo nostris, quòd prosequatur odio mortales intenso nimis, spargatque venenum, quà nullum aliud animans expuit, & fundit (infrà dicetur.) Hoc verò nomine varia deriuatiua compellantur, & metaphorica. Dicitur Scorpius militare quoddam instrumentum spiculis refertum, quibus Scorpij instar mortem infert, Scorpionis quòd similitudinem habeat forma, cùm hinc atque illinc chelarum similitudinem præ se ferant spiculæ caudæ eius, quod appellant alij arcuballistam: tum. Scorpius genus est tormenti, instar rubi aculeati flagelli genus; scutica habens glandes plumbeas in summitate, quo genere tormenti martyres plurimos legimus afflictos: refert Plinius lib. 22. c. 15. lib. 7. c. 56. vbi sic. *Et in tormentis Scorpiones Cretas inuenisse ferunt.* Imò iis intelliguntur loca illa non facilia Scripturæ sacræ. 3. Regum c. 12. & 2. Paralipomenon cap. 10. vbi Roboam iuuenum consilia sequutus, non senum, aut maiorum appetitui magis, quàm rationi negotium credens, cum Ieroboam, simúlque populus omnis conquereretur de durissimis impositionibus Salomonis, respondit. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, & nunc pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum, pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos Scorpionibus.* Idem eodem c. & Paralipomen. 2. cap. 10. hæc loca non de Scorpione animanti intelligenda veniunt; de flagellis imò Scorpionibus. Nec sunt apti Scorpiones, vt flagellare illis possimus, aut flagella struere, breues, corpore minimi, & qui verberanti officerent

rent verberato magis, arrepti ſemel, nec impetúm ſuſciperent; quo aëre intercepto, vi excluſo verberaſſent, corpore breues, exiles, tum cùm additio in eodem genere rei ſit, ibique addere iugum, & flagella augere promittat; dicitur enim, *pater meus cæcidit vos flagellis*, ego autem addam & flagellabo vos Scorpionibus. De flagellis, non de animantibus locus venit intelligendus, de eoque tormenti genere dicto; quid opus eſt metaphora, vbi literalis emergit ſenſus, & conſiſtit? proprius enim erat dicere; Icam vos Scorpionibus, quàm flagellabo, cùm de flagello Scorpione dicto ſine metaphora, flagellabo, dicatur. Dicitur vltrà Scorpius cæleſte ſignũ Zodiaci, quod Sol ingreditur 14. Calendas Nouẽbris, qui propter magnitudinem mẽbrorum in duo ſigna diuiditur, quorum vnius effigiem noſtri librã cõpellarunt, Scorpionem alium. Orion iuuenis nimis venatui deditus dixiſſe fertur Dianæ & Latonæ Deis, ſe omnia quæ ex Dea terræ Cerere prouenirent, valere interficere, illamque inſtigatam, Scorpionem immiſiſſe maximum, quo cum Orion iniuit duellũ, Iouem verò vtriuſq; animum admiratum, Scorpionẽ victorem ſimul cum Orione vita defuncto, & victo, inter aſtra repoſuiſſe, vt eſſent hominibus monimentum, ne quis ſibi nimis de re aliqua confideret, factumq; eſſe, Diana poſtulante, oriente Scorpione, Orionem occidere, ne iterum ira excãdeſcerent ambo. Dicitur 50
Scorpius piſcis adhuc iuxta Plinium lib. 32. c. 11. & Ariſt. 5. de Hiſtor. c. 9. Tum herba Scorpio, & Scorpiuros, Plinius lib. 22. c. 21. Dioſcorides lib. 4. c. 194. Gẽma adhuc eo nomine innoteſcit. Scorpio animal, varius eſt natura, cuius Ælian. lib. 6. c. 19. ſic ſcripſit. Mares Scorpij infeſtiſſimi habentur, fœminæ multò remiſſiores; nõ enim virus tantæ acerbitatis habent.

Eorum

Eorum nouem ſunt genera, album, fuluum, fumo-
ſum, nigrum, viride, ventricoſum, cancri ſimile, in-
feſtiſſimum, hoc flammicum appellant, genuſque
alatum, & aliud duplici armatum aculeo, aliud quod
ſeptem habet internodia. Scorpio inſectile eſt ani-
mal, præcordiis ſcilicèt præcinctum, ſanguineum, vi-
uiparũ, neque oua Scorpius, fœtus imò viuos in lu-
cem edit. Ariſt. 5. de hiſtoria c. 26. Quin & Scorpio-
nes terreſtres vermiculos, ouorum ſpecie, & forma
pariunt complures, & incubant, mox vt prolem per-
fecerunt, pelluntur ab ea ipſa, ſicut & araneis accidit,
& interimuntur ſuiſmet liberis, magno numero. Sæ-
piùs enim vndenos pariunt fętus. Notatu ſatis dignũ
eſt, huius animantis, quòd ſit duplicis ortus animal;
vermiculis enim iis communi ortu progignitur, &
vltrà emortuum mas in Scorpiones abit, ſi putreſ-
cat caloris æſtu. Quò & ſunt Scorpionis viui fætus
& mortui; non minùs ſoboles habet viuus ſucceſſo-
res, & mortuus poſthumos, quòd poſt humatum pa-
tris, & mortem veniant. Refert Ælianus lib. 6. c. 19.
hos natos mortuo parente ſatos, & poſthumos or-
phanos, matrem ſuſcipere viduam, pudicam, lugubrẽ,
quòd ſint mariti emortui progenies, eoſdem ſub pe-
tra conſtitutos ibidem alere, petræ tutela, frigore ob-
ſeruante, eorum viru calidiſſimo frænato, hoſque
ſemper ſubditos viuere verę ſoboli paternæ, ortu na-
turæ progenitæ, verme ortiſque Scorpionibus, fate-
rique obedientia, reliquos naturales ſucceſſores de-
functi patris, adoptiuos ſuſceptos, quaſi ſe, & ſubdi-
tos fatẽtes: nulla obligationis lege educatos, & altos,
gratia imò, adoptione, & liberalitate educatos matris
51 piiſſimæ. Fuit Scorpio antiquorũ Deus cultu, & ob-
ſeruatione habitus maxima inter Deos omnes Ægyp-
tiorum, qui omnia venenoſa colebant, venerabantur-
que

turque in Deos, summa obseruatione, & cultu, quod cùm potentissima essent, mortaliumque excidium, placarétur cultu, & religione obseruata. Scorpio verò veneno non inferior alicui, peculiari quadam lege in Deorum numero reponebatur, quòd cùm potentissimus esset veneno, non ore, non facie, virus contineret, eiaculareturve cruorem facilè instigatus quolibet, imò sui vltimo, cauda, quasi in suæ cōpagis remotiorem sedem, vbi vltrà longiùs ire non datur, nec conceditur vltrà, remotiusve ire, vbi si non resideret venenum, Scorpiique virus iam non esset, id continet animans, Dei conditio summa, cui opus est indignatione, instigatuque nimio, vt indignetur, puniat excandescatq; ipse, qui vindictā detinet, sperat ampliùs, & ampliùs fert, sustinet, excitat, minatur, defert, differt, in vltimum suppliciū, protendit, dilatat, vt Dei nō esset vltio, si vltrà differretur, iustitiaque deficeret si prorogaretur ipsius. Scorpio ore minatur, & cauda tandem, vltimoque icit, Deus ore minatur, increpat confessorum, doctorum, concionatorum, conscientiæ stimulis, vltimò pungit, ferit vltimò, priùs excitato homine, & minis concitato, sæpiùs icit, punit tandem compulsus violentia quasi, & iustitia; est illi supplicium violentum ferè, ex violentia in legem facta cogitur punire, & castigare; cogitur, quasique obligatur, quantum miseratio naturalis. Est extra Deum supplicium & pœna, est ipse præmium & misericordia, homines minatur, vt eos in pœnitentiam reuocet, nesciens quasi eosdem affligere & castigare, minatur imò, vt asseruentur & caueant quo minùs puniat. Deuteronomij 32.c. vt conuerteretur populus rebellis ne illos pœnis affectaret, antequàm de illis vlcisceretur, quærit. *Vbi nā sunt? cessare faciā ex hominibus memoriam eorum.*

eorum. Minis & comminationibus, vt eosdem exterreret, eo loci enunciante plurima, & afflictiones illis venturas ob contumaciam & perfidiam, quasi inscius & ignorans quærit: Vbi sunt inobedientes, ingratique illi, vt hæc illis mala incutiam? illos ignorare simulat, sciscitatur, vbi, ac si sine illo possent alicubi esse, sine eóve quòd vbi erant reposuisset, ipse quæritat; vbinam sunt? non secus ac piissimus pater qui filium fugere cupit iras paternas, ne illum supplicio afficiat, vbi sit, quæritat, vociferatur, vt fugiat venientem, simulat, se ignorare, minatur, comminatur, clamat, vt discedat ille, ne lædat amantissimum filium propriis visceribus satum, quæritatque, vbi, vbi, vt fugæ detur locus, cùm tamen vbi sit maximè calleat; minatur nō aliter Deus mortales, propriumque populum ibidē, vociferatur doctorū ore, vt fugiant vitia & flagitia detestentur, vt auertāt supplicia pœnitentia & dolore compuncti, vbi, sciscitatur, sunt, eo animo solùm, vt nō inferat & ne cōfisi patris affectui piissimo labascāt in eadem iterum, aut deteriora crimina, referántque vltionis leuamen non in affectum illum paternum, in id verò quòd non inueniat delinquentes gnatos pater piissimus. Sic noster qui in cœlis est, à quo est paternitas omnis & amor, sciscitatur de filiis inobedientibus, vt differat supplicium prorogétque vltionem, non secus ac Scorpio ore minatur, & vltimo tandem icit, quando nil iam Scorpionis superest ad vltimum, ad finem, aculeo, & termino vltimo, pertransactis terminis omnibus monitionis, contumaciæ rebellis, eo loci, imò infra hæc verba, sic dicitur eodem cap. quibus bellissimè allegoria elucescit. Semel enim ac minas fecit populo rebelli, quasi differret vltionem & prolōgaret, non amore eorum illectus quo flagrabat,

(bonitas

(bonitas summa) ne nimia cõfidentia scelera denuò patrarent flagitiaque committerent eadem, aut maiora, aut alia, inquit: *Sed propter iram inimicorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent, manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*; ne scilicèt sibi adscriberent populi supplicia, & afflictiones contrarij, dicerentque non à Deo illatas, sed vi eorum, & potentia, gloriarenturque inimici populi Dei (summa bonitas) quærit Deus occasionem facilem quamuis, vt flagella & supplicia auertat. Quid quod gloriarentur inimici? quid quod exultarent oppressis Hebræis? vt offensæ deesset vltio. Non pluris est honorem resarcire illatæ noxæ? est, at difficile qui punit, facilè quouis quæsito colore desistit. Dei conditio. Legitur Regum 4. c. 20. Isaiam enunciasse Regi Ezechiæ ægrotanti, altera die moriturum, quòd diffidisset de euentu belli, visa Assyriorum multitudine, cùm tamen pro illis pugnaret Dominus, nuncio facto, Ezechiam ad parietem versum domus, quòd templo esset coniuncta, ad Deumque conuersum fleuisse amaro animo, Deumque illicò vocasse Isaiam per quem fuit sententia promulgata, dixisseque antequam atrij dimidium excederet, *reuertere, dic Ezechiæ duci populi mei, audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam*, lachrymam inquam, non lachrimas adhuc; *& ecce sanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos*, propter lachrymam vnam, suspicor si lachrymas effudisset, vt fudit lachrymam, victurum vsque modò & vltrà proportionis lege, vltor maximus criminũ, qui plurima lachryma placatur, terminos prorogat, præmia imò porrigit, ac si non sufficeret dixisse, cum signo imò, regressu luminis per decem lineas, cum electione vltrà eius spontanea, velit magis retrocedat vmbra, an antecedat, vt certã

credat sibi salutem promissam, elegit ille ludicrus quasi luminis aduentum, non tenebræ, & peccati: recedit vmbra in lineis Horologij, luminis retrouersu, Christi & gratiæ legem, lumenque retrouertere voluit, Deum hominem fieri, & quasi retrocedere illum de immensitate & infinitate, finitum humanitate, mensum breuem limitatum. Paulus ad Romanos 9. Isaiæ verba repetens: *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram*, Christum scilicèt, qui *exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, habitu inuentus vt homo*, per decem lineas retrouertere voluit decem attributorũ, & decẽ nomina Deitatis quasi reprimerẽtur hæc, & retrocederẽt humanitate cõpressa. Est ergo hæc conditio Dei, vt vlcisci ferè nesciat, nisi iam vltimo, & quando priùs voce, ore prophetarum, & ministrorum legis permonuit, commonuitque prius septuaginta septies. His Scorpionẽ Deũ coluere antiqui: propter hæc maximè inter potentissima naturæ animantia veneno & viru: soboles illa petra munita, emortui parentis progenies, obedientia & cultu prosequitur legitimam sobolem, viribus illa, potentia, & natura inferiores, qui si mortuum vorant legitimæ sobolis Scorpionem, si obiit, viribus, & potentia pollent rara, alimenti robore alti virtute suscepta è congeneri illo emortuo, facti participatione naturæ illius animantis legitimi quasi filij, energia & agendi potentia robustissimi; icunt, superant, vincũt animantia reliqua, tunc instar sobolis naturalis, non vt spurij, vt legitima verò scorpionis successio iam. Iidem autores locis aduectis. Deus Scorpio habitus antiquitus, causis adductis, minimè vltor, indultor verò criminum maximè, duplicis sobolis est pater. Christi natura & substantia, est Christus filius Dei viui, fassus est Petrus Matthæi 16. cap. est pater no-
strûm,

ſtrûm, qui ſumus filij Dei mortui: Vitæ actione eſt Chriſtus filius Dei viui. Mortis, paſſionis nos filij Dei mortui, vitali actione ad intrà eſt per naturam Chriſtus filius Dei viui, Verbum, nam per naturam, nos mortali paſſione filij Dei mortui per gratiam Chriſti; per mortem ad extra geniti, huius Dei piiſſimi naturalis ille, adoptiui nos, alti inſtar Scorpionis filij ſumus, petra muniti, Chriſto, virtute accepta ex petra filij, deuorantes fratrem, qui obiit, ſacramento Eucharistiæ, filij adoptione, gratia, miſericordia, filij expoſiti ad ianuas miſericordiæ Dei, per Chriſtum, filij actione ſuſcepti, eo vorato, mẽbra Chriſti, vera Dei ſoboles, robuſta, grãdis, Chriſticolæ, Chriſtificati, Deificatique, Chriſti quaſi, ille per naturam virtute propria caput noſtrum, filius primogenitus, vnigenitus naturæ ortu, generatione poſt humatum patris nati eius relicto vitali principio, ſacramentis ſacris, vitali nos, eo mortuo orti poſthumi, filij eius, qui & pater eſt noſtri, & frater ſimul, poſt humatum eius orti in lucẽ, liber ille, nos per illum liberi, filius viuentis Patri, poſthumi nos poſt humatum Patris nati, & renati illo aqua & ſpiritu. Oſtentat Scorpio cauda vltionem tardam, & vindictam lentam, quòd ſeptem poſt nodos, & ſpondilia, quibus aſtruitur tota, aculeus emineat, vltio, & ſuppliciũ, non aliter quàm vindicta renunciatur Deo ipſo hominibus, poſt lapſum numeri ſeptenarij, remiſſio, indulgentia, intra ſeptenarios conſtituitur, extrà verò ſupplicium & vltio, vt eſt huic vltra ſeptem internodia ſpicula venenata. Dicitur Matthæi 18. cap. & Lucæ 17. *ſi ſepties, & ſi ſeptuagintaſepties peccauerit in te frater tuus, dimitte ei*, eo numero miſericordiam ſine numero præfigurans, non alio, & quòd numero vitiorum capitalium reliqua,

 con

continineantur alia; quod est ac dicere, si in septem vitia frater meus inciderit, quid faciam? respondit Christus Petro, si septuaginta septies peccauerit, remitte ei, non solùm si septies, petiit Petrus septies; reddidit Deus septuaginta septies, septenario numero vitiorum omnia comprehendens reliqua inferiora vitia. Est ergo post septem nodos spicula, & vltio Scorpionis, & post vitia omnia, quasi vindicta. Septem habere nodos experiẽtia docet, Aristoteles, Ælianus, Valerius 16.c. de Scorpione, Nicander in Theriacis nouem dixit continere, pro multis, eo numero sumpto. Accipitur & nouem pro multis, nam & ipse de iis qui armantur duplici aculeo, dixit nouẽ habere eo loci nodos, cum quatuordecim astruãtur, septem quauis cauda, duas etenim habent illi, & quamlibet septem nodis constructam. Significat nouenarius numerus multitudinem, & loco plurimorum apponitur passim. Tibullus, *Viuere cornices nouem dicuntur in annos.* Versum Arati referens, qui dixit, viuere cornices multos annos. Hesiodus nouem noctibus Iouem cum Mnemosyne iacuisse refert, id est, plurimis.

De vafritie Scorpij mystica & naturali.

CAPVT XIII.

53 FRaudulenta est natura Scorpij, & subdola nimis. Notauit Valerius 16.lib.6. docet Sophocles lib. 5.cap.3. Hinc abiit in prouerbium, *sub omni lapide insidiatur Scorpio*, vbi periculum est in omnibus, de quibur agitur, Nicander in Theriacis. *Scorpius insidias parua sub cute tetendit.* Apuleius morum acerbitatem

Scorpij nomine notat, dixit: Nosti quẽdam Barbarũ Decurionem quem Scorpionem præ morum acritudine appellat vulgus: & nos dicimus de maledicis *Scorpiones ore reiectare.* Sidonius lib. 2. c. 6. de fortuna inconstanti & dira, quæ pòst sequitur fælicitatem dixit: Quæ virum vt Scorpius vltima sui parte percussit. Mathematici imò, Ambrosio in hexameron teste, insidiosum in horoscopo Scorpionem habere ascendentem sustinent, callidum vafrumque conditione. Christus Apostolis Lucæ 10. c. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & Scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Ecclesia in anathematizationibus solemnibus, cibum excommunicatorum in Scorpiones verti in contumacibus visceribus petit ob rebellem inobedientiam. Scorpiones & venenata omnia vim amittunt, & virus diluunt in aquis, quæ in locis siccis venenum torridum, acre & vstum possident; calore & squallore æstuantis loci, perniciosiusque multò est locis squallẽtibus venenum. Latè lib. 1. quò in aquis venenosa ferè nulla subsistũt, & quæ in terris venenata degebant, in aquis remittuntur, & contrà quæ in aquis temperabãtur veneno, si extrà viuãt, acuunt virulentiam. De Chersydro serpente monstrauimus, & aliis. Hinc calcandi in terra dixit; tum dedit potestatem calcandi Scorpiones in aqua baptismatis submersos priùs, & insidias frænandi; quò dixit cum iam aquis sacri baptismatis venenum esset extinctum, vt hæc notaret Marci 1. *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, biberint dixit, non ederint, vt vim aquarum sacri fontis exprimeret, doceretque Deus, in aqua extinxisse venenum insidiantium Scorpionum, posséque securè calcari, conterique capita posse iam serpentium, pro-

missum in lege gratiæ per Christum, Geneseos 3. c. nudos pedes percutit minùs Scorpio, carnis calore, & blanditie illectus, quàm soliis calceamentisque frigidis, & duris. Ælianus lib. 6. cap. 22. autoresque relati, instigatu algescentis naturæ, vt hinc sint insidiarum animantis securiores nudi, & pænitentes, vt fuere Apostoli relictis omnibus Deum sequuti nudis pedibus, relictis retibus, calcabant securiores insidiantis carnis passiones, mundi, & Dæmonis, quæ vltimo sui, & morte percutiunt. Transfigit ferrum aculeus animantis huius, & reliqua perforat vngue caudæ; & spicula; hacque venenum diffundit. Veniunt communes viæ è vesica fellis huius animalculi, quæ terminãtur in aculeũ, & caudam, quibus dum excandescit, & furit, contractus semel compressione viscerũ, exprimit bilem, & venenum eiaculatur, præcordiis pressis per caudam moto veneno in vnguem remittit spiculæ, per vias communes, porosq; aculei, quibus est refertus, vt cruor pellatur orificio vngulæ patenti, & conspicuo, pressura facta bilis vesicæ, cum præcordiis simul retractis, iis reiicit, non secus ac Viperas diximus dentibus obtinere anfractus, quibus fundunt saniem dentium cauitatibus, vesicularumque, officulis gingiuarum, quas possident, reseratis, rabie percitæ, compressione dentium facta, semel ac furunt. Contrahimus nos viscera & præcordia irati, nos colligimus, vt possimus securiores irruere in hostes vniti & firmati in nobis. Hinc præcordia in excandescentia & ira retrahũtur, intumescunt flatibus compresso ventre: labia erodimus, dentes comprimimus, repleturque caput bile, biliosis vaporibus, compressione elatis in altum ira. dixit Horatius: *Væ mihi, difficili bile tumet iecur*, ob zelotypiam anxius; hinc mens obcæ-

catur

catur nebulis illis ascẽdentibus bilis, perturbãtibus rationem, distemperatis organis sensuum, malitia & acrimonia, irritatione & molestia illata, instigata natura obiecto contumeliæ, quo excandescit, furitque animans, semel illo instigato contẽptus indebiti. Est illud mirabile satis, quòd insidiis machinantur scorpiones Lybici, exceditque omnes malitiæ & fraudis limites, & modulos, Lybici incolæ eorum multitudine vexati, venenum vt arceant, perniciemque tantam vt vitent, omnia machinamenta parant, artes omnes, soccos ferunt in lectis longè à pariete remotis, in altum celsumque collocatis, fulcrorum pedes in hydrias aquæ plenas reponunt, omni modo impedientes accessum vafri animantis, securi vt indulgeant somno, quibus machinamentis se quieto lecto teneri dum arbitrantur, contrà succedit, Scorpio enim si quid vnde semetipsum tecto suspendat, inuenit, reptans ascendit fastigia, parietibus tripudiat, brachiis tecto inhærescit fortissimè, semel atque hac illave ille via tectum ascendit; inhæret, exerit aculeum, protenditque, quo secundus reptet, descẽdatque, ex primo pendeat deorsum catena facta, flagellis ex aculeo primi dependet secundus, deiicit tertio reptanti per ipsa caulem, secundo tenetur tertius, tertio quartus, eo quintus, similem ordinem seruant reliqui, deinceps omnes hærẽt ordine vsque ad dormientem attingant, feriuntque tandem, postremus, primo, ab illo secundus, si datur locus, si non expergiscitur ille, ab hoc ipso tertius, reliquiq; sese subducuntur, quoad velut catenam soluentes, inter se omnes subtrahant. Ælianus lib. 6, c. 22. Est venenosis animantibus dulcissimum, & placidissimum suum proprium eiaculare virus, molestantur acri, & pruriginoso veneno bilioso, & irritanti detento, tor-

refacto iræ æstibus sensu pruriginis: in eiaculatione nerui titillant, per quos venit, & decurrit illis, nõ secus ac parastatæ vasa seminalia dicta, delectantur pruritu seminis, dum emittitur flatuosa materia irritata titillanti natura, quò in emissione molestantis causæ voluptas emergit. Hinc icere venenata cupiunt, & appetunt virulaginem, & quod rabie agitata æstuet, molestetque animans, vltrà & quod ore aut spicula abundet, vt grauentur excandescentibus, vt deponere pondus, & copiam expetant, tãdem vt natura ducantur reiectare in hostes, quæ habent, oreque cùm solùm obtineant, manibus, & pedibus destituti, reiectant quod habẽt, vt nos in faciem expuimus ore irati, si alio non datur hostem percutere & offendere, excrementõ quasi illum dehonestãtes. Scorpiones ferunt aliis alios officere inter eiusdem speciei animantia, calore partium delectãtur, vt nõ icant, applicent imò frigidam spiculam, & temperent sine læsione; frigida feriunt aculeo frigido expetente calida, & si calido veneno præcordia æstuent, delectantur calidorum contactu, vt locis calidis delectantur aculei animantium, natura flatuosi & frigidi, vtero, calore naturali temperãti, cùm frigidi supersint spiritibus amissis, cum excreto semine, quo temperari calore cupiunt partis contactæ, in quam excreuere, catena mirabilis, inaudita animantium connexio, & vnio, nouissima cautela, & vafrities mira: meritò insidiosus ideò vocitatus, si non alio, præcipuè cùm non alio sese occultet sub lapidibus, nisi vt necem inferat dolosus, occultus, caueat vt quilibet minùs latentem, minimus mole, veneno maximum animans terribile, vt dicterio irrepserit, & paræmia; *sub quouis lapide latet Scorpio*, dictũ ideò quòd abdat se vbique, vt inferat noxam, & fæcundissimus natura

natura sit. Arist.8.de historia, c.29. docet in Scythia magnos esse duorum cubitorum, qui se sub petra non valent occultare,inueniuntur qui facilè, patentes,petræ tegumento destituti,capiuntur. Reliquos paruos constituit experientiæ vulgaris, perniciosissimos vocat Scythicos hos,quorū morsus oris & dentium lethalis est,non solùm caudæ ictus mortiferus, contrà ac omni Scorpionum generi accidit, cùm sola cauda lædant reliqui. In Pharo docet eo loci Scorpiones esse absque noxa, & veneno, lædereque nihil, etiamsi percusserint. Sues imò in Scythia euadere non posse Scorpionum venenum regionis illius, & si omnium virulentorum animantium aliorum morsus effugiant,nigrosque porcellos citiùs interire Scorpionibus iis punctos, celeriùs tamen, si aquam post virulaginem hauserint.4.de historia animalium c.7. scripsit Arist. sic. Habent aculeos item plurima insectorum, vel intus conditos, vt apes, & vespæ, vel extrà prominentes, vt Scorpio, qui solus inter insecta,id est præcordiis cincta animantia,longo spiculo armatur, iis brachia quinque ex quauis parte,bisulcis detenta forcipibus: subdit;Creatur in libris bestiola similis Scorpioni. Vocat libros arbores illas ex quibus cortices, & folia detrahebantur, vt libri antiquitùs pararentur: folia dicta, & nostra librorum in eorum recordationem vsque modò.Cicero 1. de natura Deorum:Trunci obducuntur libro aut cortice, quo sint à caloribus, aut frigoribus tutiores.Plinius lib.13.c.11.Palmarum foliis primò scriptitatum, posteà quarundam arborum libris corticibus. Columella lib.5. c.10. ita librum arboris inolescere finito. Virgil. ecloga 10. *Nec si cùm moriens alta libraret in vlmo.* Erant arbores dictæ populi hodie, quorum corticibus nunc & scribimus;alba po-

pulus dicta, planæ corticis & politæ, Phaëtontis sorores dictæ poëtis, iuxta ripas fluminum consitæ, tritæ, & notæ, in quorum corticibus hodie scriptitamus, scalpro discissis. 4. de partibus cap. 6. Aristoteles. Scorpio quod non volatu, sed gressu se moueat, caudam sortitus, aculeum caudæ gerit adiunctum pugnæ inutilem, ore enim dimicat priùs vsque dum occasione spiculam mouet, præsente, & icit illa dolo, & fallacia, à pugna se simulans desistere, huncque à vipera vesci docuit 8. de historia. c. 29. iis: Sed omnium venenatorum morsus grauiores sunt, si alterũ ederit alterũ, vt Scorpionẽ deuorari à vipera certum est.
55 Esse vtilissimũ Scorpionem suismet ictibus superimpositum contritum iam priùs, aut vstum in puluerem redactum, & ebibitum, docet Dioscorides l. 2. c. 11. Nil huic catenæ Scorpionum similius est, quàm peccandi occasiones, quando enim occasio vna non sat est, iterata eadem cõsuetudine, & familiaritate, annexa vna alteri, conuersatione continua, catenæ instar, vt occasio occasionem recipiat, vt recipit in illa annulus annulũ, vsque dum vltima tandem icit virtute priorũ. Contingit hoc plurimis qui per initia securi, sine labe, & dolo, incautè tamen confabulabãtur simplici vsi familiaritate, vsque dum tandem inpræuiso malo se percussos, infectos sensere, iis è quibus sperabant minùs occasionibus, cõsortio, & colloquutione, Dauid cæco igne Bersabeæ, si non inspectaret, nõ caperetur, si semel atque iterum nõ oblectaretur, illam inspectans nudã lauacro: hinc tot scelera patrauit posteà. Confabulatio Amnon, conuersatio cum sorore Thamar fuit causa incesti, & flagitij commissi, necisque Amnon Absalon vltore, Regum 2. c. 13. Aman in Esther irruere est ausus, quòd familiaritate abuteretur. Esther. 7. catenam hanc

hanc opus est soluat Deus; ferè impotens homo soluere, peculiarissimo concursu indigente, summáque conditoris pietate, Deus ne vltimo annulo ligetur homo catenæ huius. Ieremias 40. capite. *Nunc ergo ecce solui te hodie de catenis quæ sunt in manibus tuis; præueni te.* Scilicet ne rueres, ducebatur catenis vinctus per Nabuzardan militiæ principem in Babylonem, soluitur tamen antequàm in Babylonem eat, Dei ope, præuentione Ieremias: Nabuzardan effusus à Domino Hebræis est, Babylon confusio, siue commistio. Antequam ergo ab effuso extra rationis lagem peccato in confusionem traheretur, catena illa occasionum præueniente Deo, solutus est de captiuitate in quam ibat. De iis Isaias capite 58. *Inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet; ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quòd non prodest.* Occasionem si vitaueris, & lapsus, ruinæ initia, & semina. Plurima sumpsit Plinius eorum, quæ de Scorpionibus Ælianus scripsit, & vterque ab Aristotele; non minùs Solinus. Spatio trium dierum necat scorpio, effundit ille venenum album, quod Galenus statuit frigidum in 4. Methodi medendi lib. 4. cap. 3. & 3. de locis cap. 7. 6. de locis cap. 5. quod probat ex sensu ægrotantis, qui eo ictus sentit quasi grandinem frigidissimum vulneri applicitum, viru eiaculato parte læsa, dolor intentissimus inest, obstupor partium, vomitus, anxietates, cordis tremores, palpitationes, inappetentiæ, deliria, pulsus, asphixiæ, syncopes, intestinorum tormina, vrinæ suppressiones, excrementorum euacuationes inuoluntariæ, conuulsiones, mors tandem tertia die, si non succurratur veneno, qui vt crudeliter nimis affligant non subitò, non citò interficiunt, vt venenosa reliqua; more imò tyrãni lẽta & prolixa

mor

morte. Galenus ſcorpiones non ab eodem opifice creatos, à quo homines dixit de fœtuum formatione c.6. Non eodem actu, quo hominum conſeruationẽ intendit hominum autor, creatio illorum, ſed quo voluit homines punire, perfectionémque vniuerſi integrare, alio actu dedit eis poteſtatem calcandi ſcorpiones, & ſerpentes, vt ſuprà diximus, non natura, ſed gratia, & dono. Excandeſcunt viſceribus, æſtuántque ſcorpij, quo refrigerio totius delectantur, & gaudent, etſi frigidæ ſpiculæ calore tepido lapidibus, & petris abdantur natura frigidis, oblectẽtúrque eiſdem, ſemel verò ac venenum (dentem quẽ vocat Plinius l.1.c.25.) contigit, & percurrit per caudam frigidiſſimam natura, egelaſcit, & incraſſatur, in liquorémque aqueum abit, alterato ibidem in nodis caudæ & vertebris, quarum ſex veneni remiſſioris ſunt, ſeptima veneni atrociſſimi, vt eo loco Plinius, Ælianus, Solinus, Galenus & reliqui; emittúntq; venenum frigidum quod ſymptomata & accidẽria frigida ægrotis infert dente, & vngue, in plurimis nullo patente foramine excluſo, eiaculato vaporis, & inſenſili via caudæ, quo Galenus locis allatis ſubſtantiam ſpiritalem ſolam, ſpirituſve alteratos, veneficos effundere multoties aſſeuerauit, ſine ſucco alterantem, quæ inficit efficaciùs multò ſucco ſolo, nam paſſim ſine ſucco emiſſo accidentia ſæuiunt in iis læſis & ictis, non minùs; imò magis multò illo eiaculato, & ſi magis, ſi ſuccus ſimul cum ſpiritu & vapore reiiciatur; tunc enim ſæuiora accidentia contingunt vtriſque commiſſis, quàm ſeorſum quouis, dixit Galenus eo loci, & eſt faſſus ipſe, ſubſtantiam ſaltem ſpiritalem, id eſt, aëream ſcorpionem effundere, quæ & via eget inſenſili poris ad minus; ſcimus enim, emortuę viperę dentes officere, & ſpiculam

Scor

Scorpionis,& ſi non adeò ac viuo animãti,nec multo iam pòſt tempore, quòd virtus exoluta abierit, ſpinamque Scorpionis piſcis, vt refert Dioſcorides lib.2.c.12.& 13.Galenus,Ætius,Paulus,& alij à Dioſcoride acceptis itidem, tum Draconis marini piſcis, & aliorum ſpinas venenatas eſſe demortui animantis,non ſolùm viui alterato aëre intra poros ſuſcepto, infecto,& venenato,vt ictu facto poſteà calore partis læſæ allecto, & tracto veneno, vulnere illato priùs,vt ſanguinis calore diffluat, alliciaturque cum ſanguine ſimul,& alimento in totum,in cor,arteriarum continuo tractu, incluſus aër in poris harũ partium animantis virulenti infectus, contactu virtutis veneficæ, vt & contactu eodem inficiuntur & alterantur ictibus animantia læſa, qualitate producta ſimili ab ſpica & dente, ſæuiſſima iam vt excitet ſymptomata,mortemque inferat.

De puncturæ Scorpionis ſignificatu multiplici.

CAPVT XIV.

SCorpiones refert Apollodorus lib.6.c.5. Plinius l.11.c.25.Ælianus,& Galenus locis aduectis,Pauſanias in Corinthis, & Lucilius apud Noniũ l. 10.c. 60.Lacuna lib.2.c.11.ſuper Dioſcoridem, non icere animantia exanguia,ſi icant verò,non lędere,ſanguinea verò & pinguia maximè officere,& afflictare,nõ pœnitentes & exangues Scorpio pungit;plenos imò, & delicioſos homines, peccatum & Dæmon icunt vltimo ſui,cauda,morte tandem.Ij ipſi autores à quibus Plinius ſuſcepit, recenſent omnes, Scorpiones virgines ſi lædant lethali ſemper ictu afficere,pernicioſoſque

ciosósque esse magis multò fœminis in totum, quàm viris, matutino tempore infestissimos viris, fœmellis vespertino: sæuiores magis primo ictu: minùs secundo, quanto plus icit priúsve, profundè magis, faciliores morsus curatu inficere posteà, leuiores, minores. Torpescunt stellionibus exanguibus visis, Plinius eo loci sustinet & Apollodorus. Inficiunt virgines, & cum eisdem dissidium maius & antipathiam seruant, quàm cum puerperium passis, maiorémque quàm cum viris. Est inimicitia inter semen serpentium, & fœminas, fœmellarúmque semen, Geneseos 3. c. dicitur. Pleniores sunt virgines sanguine corruptis, & fœminæ viris, sanguinea verò icere solùm renunciauimus, quod aculeus frigidus tepido calore foueatur. In iis menstrua fluunt fœmellis mense quouis, vt fœminas plus sanguinis continere viris constet, vt hinc plures inficiantur humores veneno scorpionis, ideò deterior morsus, humorésq; omnes versus cor impetũ capessunt in virginibus, & superiora versus, quo rubent verecundiæ affectu facilè, nec partubus, aut vteri gestatione in inferna succi venere, corruptæ secus & corrupti homines inferna versus. Terentius optimè; *Erubuit, salua res est*, integer est & verecundus; quò cùm humores iis in cor facilè abeant sanguinis leuitate, secum virus afferunt, ideóque noxa maior virginibus, corruptis verò; vel puerperio, vel coïtu inferna petunt attritu, & motione in ima facto. Hinc minùs punctura cor inficitur. In cor virgines mouent, quæ habent in Deum cor, & centrum creaturæ omnis, ictúsque scorpionis acerbior iis, si semel eo officiantur, plus amittunt reliquis multò, pluris est virginitas, integritas, mundities aliis, illorum qui æstibus propriæ carnis sacrificia adolebant Deo munda, & libamina. Remedio

sunt

ſunt ſcorpij emortui contriti reduuiæ, reſiduúmque animantis, morſui quem infligit ille veneni tetri, monſtrauimus ſuprà. Magni medici remedia parant eiuſdem veneni, virui illato iis ipſis quæ venenum intulere, de vipera diximus. Magnus ille noſtræ ſalutis medicus, ſalutaris noſter, imò ſalus mortalium Chriſtus, reduuias peccati, pœnalitates, effectus iam extincti cõtritione petræ, Chriſti robore, remedium ſtabiliuit veneno culpæ, vt culpa corrigeretur eiſdemmet pœnalitatibus, emendetúrq; cruoris virúſq; ſuſcepti. Paul. ad Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinẽ carnis peccati, de peccato damnauit peccatũ.* In ſimilitudinem pœnalitates ſuſtinens, & dolores, miſerias, cùm tamen nulla eſſet detentus macula, aut culpa; de peccato ſumpſit exuuias, pœnalitates, hos attriuit ſcorpiones, ſacramento pœnitẽtiæ, tritu, impoſuítque culpæ, vt virus culpæ extraheretur euocãtibus iis auxiliis admotis, vt ceſſaret infectio, & contagium, de peccato damnans peccatum in carne paſſibili noſtra, quibus & venenum ſuperamus. Scorpio ſi icerit priùs, & quãto plus altius profundiuſve icerit, imbelliùs poſteà, remiſſúſque ferit. Chriſtum icit, Patris altitudinem, omne virus in ipſum depoſuit Dæmon, peccatum, Iſaias 53. cap. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra; liuore eius ſanati ſumus. Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum*, quo depoſito homines icere, debile nimis valet. Eſt Chriſtus Patris altitudo, & profunditas, *altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei*, profunditas, profundum icit. Eccleſiaſtes 7. capite. *Cuncta tentaui in ſapientia; dixi, ſapiens efficiar, & ipſa longiùs receſſit à me multò magis quàm erat, & alta profunditas, quis inueniet eam?*

de Christo sapientia Patris inaccessibili, sapiētia humana,& viribus naturæ,quis inueniet altam profunditatem sine eo? ipsum qualiter inueniemus,cùm sit ipse via,& veritas, lumen & vita, in quo viuimus, mouemur,& sumus? Pammenes antiquissimus lib.6. de venenatis animantibus, c. 9. Megasthenes lib.3.c. 11. & iis omnibus antiquior Polycletus lib. 12. cap. 31. Nicander in theriacis, Ælianus lib.16.c.41.& 42. Plinius lib. 11. cap. 25. Solinus in polyhistoria, c.20. Theophrastus lib.3.cap.9. Aristoteles locis adductis, alatos oriri scorpiones in Ægypto recensent,aliisque regionibus, vt & de serpentibus reliquis latè superque diximus;alatos ea in regione oriri, loci humiditate, ob Nili inundationes continuas, quibus instar formicarum suboriuntur alæ, tempore calido, & humido,Zephyro spirante,imbrium tempore,aliculas erumpere vagineas, vt videmus eisdem, quibus peruolant,vehuntúrque in altum,icunt liberè, & fugiunt scorpiones ij quò velint, esséque horum volatilium quosdam duplici aculeo, & spicula duplici armatos,non secùs ac terrestres dicti quandoque duplicata hæc possidét, alis destitutos esse,& huius generis in India scorpiones maximos Megasthenes nouit,trium cubitorum & maiores vltrà, lib.9.cap.60. scorpionibúsque venenum augeri omnibus media die recenset, & iis præcipuè siti hiantibus lenta, continuo ore hiulco,& hianti,dehiscenti. quo & virus reiectant siticulosum nimis,& lethale,& si cauda deterius eiaculentur venenum, cùm Sol superiorem cœli partem tenet meridiani,quorũ siti hiulca squallentium venenum, exusto & recocto incendio caloris,& æstus deterius iudicant multò, summéque detestabile in locis siccis, summámque inferre perniciem, esséque exitium extremum mortalium, ho-

rúm

rúmque noxam ſitientium irreparabilem, potu inexplebiles ſupereſſe læſos, per tranſuerſum percutere, non rectà, obliquo ictu & inflexo. Hos imò aſſeuerant caudam iugiter agitare, & exercere, venenum motu allicientes continuo, quam in altum porrigunt perpetuò, ne, quando adſit pungendi occaſio, imparatos arripiat. Iis intelligitur locus ille Deuteronomij 8. c. *Ductor tuus fui in ſolitudine vaſta atque terribili, vbi erat ſerpens flatu adurens* (de quo lib. 1.) ſubdit, *& ſcorpio, ac Dypſas, & nullæ omnino aquæ.* De Dypſade libro 1. capite proprio, de ſcorpione
hic: *& ſcorpio, & nullæ omnino aquæ:* figura exaggeratio- 59
nis vſus ſpiritus Deus. Nam cùm ſcorpiones ſint ſummè exitiales, ſiti acti, locíſque ſquallidis, & ſiccis ij præcipuè dicti detenti deteriores veneno, & malitia ſæuiores; plus eſt è locis ſiccis ſcorpiones fugare, eorumque vitare noxas, quàm è reliquis multò, locis enim vdis non feriunt ſæuiter, leuiter imò, & innocuè, plurimis vt ideo regionibus lædant nihil, ſi icant, in plurimiſque non icant humiditate loci, vngue molli, & flexili, tenero & facili; quò in Pharo, in Italia, multiſque aliis locis, Sicilia & aliis innocuos eſſe Plinius teſtatur, & reliqui locis allatis, in Hiſpaniæque partibus aliquibus nouimus. Sicca amant, expetuntque loca veneno ſæuiores, quòd ſint potentiores natura, vtque ſint robuſtiores & potentiores in hoſtes, & animantia alia ferunt ſitim, tolerántque. At in locis calidis, vt Aſiæ regionibus, præcipuè in manſione 35. deſerti, vbi dum ducebatur populus, ſerpentiũ morſus contigere, circa mõtana fælicis Arabiæ, in Salmonach ad meridiem gradibus 64. ſcorpiones ſæuiſſimi extant veneno inſuperabiles. Lucanus dixit libro 9. in Africa ob caloris æſtum ſæuiora eſſe veneno multo. *Tu qui flagrantem*

minacem incedis scorpio cauda. ideo vt summam qua tenebantur obligationem intelligerent Hebræi, Dominus eo loci, inquit: *Vbi erat scorpio, & nullæ omnino aquæ*; quo liberaui vos à maiori periculo, summeque graui, quòd essent deteriores veneno & malitia, eduxi vos de periculo vbi erant Scorpiones eo loci terribiles, & Dypsades, & aquæ nullæ, ideóque terribiles veneno recocto, & vrenti, squallore loci, & siccitate nimia, ob aquæ defectum, & eduxi riuos aquæ, vt mitigaretur venenum, frænareturque eorum animantium, in posterum in memoriam facti irrigata vsque modo, humectata regione illa riuulis prolabentibus, riguisque locis, quibus & satiaui vos, ne siti extorsi, paratiores veneno essetis, vt sunt sitientes paratiores multò, quòd partes imbibãt arefactæ humiditatem quãlibet veneni, alteriusve humoris cuiusuis, vt sicciora imbibunt auidiùs humida quæuis. Hæc Deus ingrato recenset populo, vt accepti beneficij memores conuertantur in Deum; hæc illis ob bonum eorum refert, repræsentat; non vt repetat beneficia antiqua qui continuò suggerit noua. Aristoteles lib. 5. de historia cap. 26. Plinius libro 11. c. 25. Apollodorus lib. 7. c. 4. scorpiones eius esse veneni referunt, & conditionis, vt mansuescant nunquam, cùm tamẽ aspidas domesticas, & viperas, dracones, & reliquos venenosos serpentes conspexerimus multoties, lib. 1. latè docuimus, docet Galenus de cognoscendis, & curandis animi morbis c. 7. & docuere alij. Scorpio imò non secus ac vrticæ, si blãdè tractetur, percutit & icit; si comprimatur fortiter, intrepidè colligitur, non ferit; totus calcandus, si spiculam aliàs potest exerere, & vibrare, percutit illa, quem si apprehendere cupis, si retinere vis, pungit, & venenum effundit, si desinas fugere, non minùs

dum

dum fugit, icit, & in fuga pungit, si semel in illum incidas, nisi premas, vt conteras omnino; summa miseria, aut vni, aut alteri mori licet, summeve offendi hic, vt diximus. Iis & locus alter elucescit, Ecclesiastici capite 26. *Mulier nequam, sicut iugum boum quod mouetur, qui tenet eam, velut qui apprehendit scorpionem.* Iugum boum super caput illorum com- 60
muniter vincitur, & locatur, alligatur eorum capiti, non ceruici, vt aliis animantibus, quòd robur capite maius eis sit, difficilisque anhelitus boui, ne ligatura impediatur, respiratusque viæ, vehitur capite super, non ceruice, vt aliis imponitur animantibus, si non stet, moueaturve laxè alligatum, non solùm oneri gestando non iuuat, impedit imò, estque illi impedimento nouoque oneri iugum, caput lædit, pertundit, & lacerat animantis, rumpit nodos, lora & habenas, quibus conuincitur, non secùs mulier nequam, & si super caput viri supportetur, super oculos, vt dici solet, non iuuat onera matrimonij gestanda, impedit imò, fidem, nodosq; sacramenti, obedientiam soluit, rumpit, disiicit, sicut iugũ boum quod mouetur, iugũ matrimonij non stat, volutatur, voluitur, lędit imò caput, maritumq; contundit vociferationibus, rixis, querimoniis, clãgoribus, opprobriis, maledictionibus lacessit & impetit virum, & qui tenet eam, velut qui apprehendit Scorpionem, submittit caput Scorpio, vt cauda petat virulenta, submittitur, vt cauda superbiat ille, mitescit, vt caudæ appetitus, motus prosequatur, non secùs ac vxor illa Socratis rixosa Xantippe. Qui tenet eam, velut qui apprehẽdit Scorpionem, qui mansuescit nunquam, vt diximus, non mitescit aut deponit iras, venenum, sese occultat, simulans obedientiam, vt scorpio qui caput submittit, vt caudam exerat, dũ officere vult,

actriùs vt pungat famam, honorem, simulat fugere, vt cautiùs percutiat, & occultiùs feriat, qui apprehẽdit eã, & detinere vult, ne in vitia effrænis illabatur, icitur ab ea, si violentia vtatur malè, si blãditie, deteriùs, tãdem pungit vltimo veneno infamiæ, notaque turpitudinis, opprobrij & maculæ honoris, vni aut alteri mori licet, aut offendi impensè, ea est nequam fœminæ malitia & cruor. Vocat Paulus virũ mulieris caput, Christũ caput viri, Deum Christi, 1. ad Co-
61 rinthios c. 1. Est illud notatu dignum quod refert Apollodorus l. 6. c. 9. Polycletus lib. 3. c. 6. Megasthenes lib. 9. c. 7. Plinius lib. 11. cap. 25. Oppianus libro 3. cap. 9. Solinus & alij locis allatis, Scorpiones fœtus proprios vorare, & gliscere, vnumque solum progeniei totius partus cuiusuis multoties superesse ex septem & pluribus quos enixu vno in lucẽ emittũt, huncque aliis solertiorem, & callidiorem esse, qui matris ventri hærescit, tutum à cauda & morsu rigidissimæ matris, interim ac reliquos trucidabat, hocque Scorpionibus maximis Indicis cõmune nimis, vltor posteà reliquorum fratrum, qui tandem matricida, illam conficit senescentem, senioque debilẽ, vlciscitur fratres, sumitque supplicium parentum filicidorum, pœnas repetit abdens se, & retrocedens, humilis, fictus, quos pungit, fugiẽs quasi, sese occultat totus hic grandis Scorpio rimula & terræ hiatu, caudam solùm patẽtem relinquit, qua inuitat aues, esca credita, & animantia, quæ inficit veneno, dolo incredibili. Plautus in Cassina. *Recessim cedam ad parietem, imitabor Nepam*; Lingua enim, vt Festus notat, Africa, Nepa est Scorpio. Cicero 3. de finibus. *Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videas boues, Nepas aculeis, suam cuique naturam esse ad viuendum ducem.* Manilius libro 3. *Pietate*

tate ad ſydera ductam Erygonem , ictuque Nepam, ſpolioque Leonem. In latibulis parietum deliteſcit, & cùm aliquid ſenſit , retrocedit capite , cauda emiſſa icit virulenter. Lucilius apud Nonium. *Muſcipulæ vt tentæ, ac vt ſcorpius cauda ſublata.* Nepam & vocat Auicenna lib. 4. fen. 6. tractatu 5. cap. 3. & 4. Ætius, & Paulus capitibus propriis huius animantis, & ſi Auicenna c. 4. Nepam vocet gibboſum ſcorpionem , ad morſum cuius mors ſequitur cum riſu nimio , & voluptate maxima , vt eo loci videre eſt. Ortus Chriſtus mortalis nõ ſecus ac reliqui homines, paſſibilis, mortis legibus ſubditus, quia voluit , *habitu inuentus vt homo,* ventre mortis contentus, de iuriſdictione mortis, quæ vorauerat omnes Chriſti fratres, aculeo, falce, peccato, ſui vltimo. Paulus dixit, fortiſſimus hic ſolertiſſimuſque frater primogenitus noſter, ventre tetrę mortis receptus, cuius inerat ventri abditus , vt eius venenum icere , peccatum ſcilicèt, Chriſtum non poſſet , Oſeæ 13. c. tandem legem veterem mortemque ſeneſcentem iam confecit ipſe, abſconditus & latẽs terræ rimulis triduo, vires exercẽns per caput diuinitatis , ex quo in humanitatem venit robur tãtum in vltimum ſui, & caudam quaſi, quo mortem icit & vicit. Hinc Paulus deridet mortem, & deridet peccatũ, quæ ſtimulis & aculeis percutiebant anteà , qualiter hoc ipſo Domino ventre mortis contento & terræ viſceribus , mors ipſa ictu perierit eius , quem ipſa ſuo gremio portauerat, non ſecus ac fœmina ſcorpio illum tenet , à quo occiditur tandem, ventreque occluſerat, quò inquit, *vbi eſt mors victoria tua ? vbi ſtimulus tuus ? ſtimulus mortis peccatum.* 1. ad Corinthios 15. c. *abſorpta eſt mors in victoria Christi,* hoc fratre maiori vlciſcimur de morte, & vindicamur nos ſcorpionis filij , eo ipſo fratre ro-

busto. Reg. 4. cap. 11. Athalia regina regnandi cupiditate auida, regnum vsurpauit, extincto omni regio semine, seruato solum Ioas clàm & occultè nesciente Athalia, per Iosabam filiam Ioram qui Athaliam trucidauit, & expoliauit omnibus imperij iuribus, vita tandem, posteà in templo sedens super tribunal maiestate, pompa & apparatu, potentia & robore, vnus Christus superstes de omni semine Adæ, Athaliam Hebræis tempus, vicit, longamque expectationem patrum, dum tempus fuit, mortẽ fratrum nostrorum occisorem euicit, subegit, destruxit, dixit Paulus, victor Christus vindictam sumpsit de morte, peccato, & Dæmone, qui erat sapientia Patris, solertissimus omnium, ipsaque sapientia & sciẽtia, in tribunali, araque crucis, maiestate, potentia dimittendi peccata, vt dimisit latroni Dimas iustificato, ipso Christo Deo & homine, Iosabam potentiâ Deitatis asseruato Hebræis dicitur.

Quo ex natura Scorpionis, Scripturæ sacræ spiritus locis plurimis elicitur.

CAPVT XV.

62 DIximus, Galenum loco adducto noluisse Deum Scorpiones procreasse, eosdemque non ab eodẽ opifice à quo homo, factos Ethnicum credidisse: quę si vt decet intelligantur, assonant cũ iis quæ adduximus Ecclesiastici 39. capite. Ibidem enim hæc & alia mala creata esse in pœnam delinquentium asseritur, & in exterminium impiorum, non quòd quæ mala vocamus, creentur per se, cùm nihil & priuationes sint, consequutiuè imò, nõ in rigore creata sunt mala,

la,consequuntur imò ad illa. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt bona valdè.* Geneseos 1. Si enim vidit, intellexit, si intellexit, entia, si entia, bona; *Vidit quæ fecerat,* iudicauit, non temerè fecit, videns imò, & iudicans, priùs quasi nostro intelligendi modo præuidens fecit. *Vidit quæ fecit, & erant valdè bona.* formaliter in se, causaliterque ad alia, quoad omnia opera, & si consequatur aliquid priuatiuum ad hæc, malum illi, quod priuatur eodem. Scorpio, Vipera, & reliqua alia, quæ mortem inferre queunt violentam satis, aut morbos, in se bona, bona & in opere sunt, sequuntur verò eorum opera, & actiones priuationes & mala, quò bona formaliter & hac serie, causaliter mala. Mala non ab eodem opifice sunt facta à quo homo, & positiuum, positiui est causa Deus, sed consequuntur ad illa naturæ incompossibilitate & pugnantia, Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim, vt essent omnia. *inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & per peccatum mors,* Sapientiæ 2. cap. Paulus ad Romanos 5. cap. nos mortem fecimus; & nihil nostrum peccati, annihilauimus nos imò, & mala in nos fecimus, in se bona. Non ergo fecit hæc Deus, sed ea ad quæ hæc sequuntur nobis dehonestantibus illa, quibus ansam dedimus flagitio & scelere, in Deo enim viuimus, mouemur, & sumus, per quē omnia facta sunt; quò non est idem opifex, neq; eadem opificij ratio; hæc verò permisit fieri, consequique ad alia, in exterminiũ impiorum, vt pœnis afficerentur & supplicio debito. Nam & si vt positiua 63
sint hæc à Deo, vt eius bonitas, sapientia, potentia, & perfectio elucesceret, tamen vt mala & lethalia, vt mortis causa in exterminiũ impiorũ sunt à nobis: ignis quo excidia, mortes, ruinæ contingunt, cruciatus

temporales, & æterni, grando qua tempestates, subuersiones domorum, fructuum vastationes, ruinæ, fames, mors, bestiarum dentes, serpentes, Scorpij, rhomphæa, longus scilicèt gladius, hoc enim ῥομφαία est Græcis, Hebræis *romach* framea dicta Latinis, telorum genus oblongum etiam notans, Valerius Flaccus lib. 6. c. 3. Ezechielis 2. c. sic dicitur, vbi roboratur Propheta, exterritus, vt intrepidè arguat filios Israël rebelles, & confirmatur à Domino iis: *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum Scorpionibus habitas, & vultus eorum ne formides.* Vbi ad literam satis, iuxta naturam scorpionum, metum excutere prophetæ prædicitur, vultusque eorum ne pertimescat, consiliatur Deus. Neque enim vultu, & si deformi & horrendo, scorpio ore, aut dentibus, rictuve, sed ictu vulnus infert, spargitque venenum, cauda, non ore, quo vultus filiorum Israël, opprobria, increpationes, execrationes, non sunt ab eo viro pertimescendæ qui cum scorpionibus habitat. Scit enim talis, quòd scorpio ore non continet virus, ideò rationem affert spiritus Deus, ne timeas vultus eorum, quia cum scorpionibus habitas, caudam imò eorum time, vltimum eorum & finem, mortem, infernum, quò vt resipiscant (fratres enim tui sunt) ab inueteratis peccatis eis consule, misericordiæ lege, & charitatis officio, finem eorum pertimesce, non faciem, posteriora eorum expauesce, postremitates, non vultus, non os corruptum, & deforme, sed illorum supplicium, vltimumque illorum. Infert enim ex natura animantis obligationem Lucæ 11. c. sic: *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit? aut si petierit ouum, nunquid porriget illi*

scorpio

scorpionem? Scorpiones oriri ex putrefactis quibusdam diximus suprà, ex eisdemmet putridis renasci, & ex ouis corruptis, & putridis Basiliscos procreari monstrauimus cap. de Basilisco latè diffuséque nimis. Imò docet Auicenna locis adductis, Ælianus; Dioscorides lib.2.c.citato, & lib.2.c.11.& c.130. Plinius lib.10.c.12. Gesnerus lib. de peste c.6. Galenus de theriaca ad Pisonem c.4. docent, serpēte appenso Scorpione, coram pauone, auibusque incubantibus super oua, serpentem oriri ex ouis, intuitu assiduo, vt vnde oua sperabant, & fætus, Scorpionem recipiant, non secùs qui attentè & affectatè vident venenata fugacia bona, suspensaque & alta reptilia, & serpentia venerantur, & colunt intuitu iugi & cōtinuo. Scorpiones procreari ex ocymo communi nostro masticato, & soli exposito, manipuloque ocymi olenti Scorpiones vocari, & in vnum conuenire odore illectos Holerius in obseruationibus recēset, odoratu nimio ocymi Scorpionem subortum Lutetiæ cuidam fœminæ intra cerebrum, quod dissectione cōstitit, grauissimis interempta cruciatibus prius, Galenus idem de ocymo, Paulus, Ætius, & Theophrastus. quò cùm eo loci Christus homines petere à Domino docuisset intrepidè, & confidenter, cùm à patre expetamus per aduocatum Christum; quem apud patrem habemus; cùmque dixisset Lucæ eo loci 11.cap. *Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis; omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperitur:* subdit; *quis patrē petit panem, & lapidē dabit illi?* negabitne alimentum pater filiis, qui naturæ legibus tenetur alimenta filiis conferre liberalitatis & misericordiæ affectu? *aut piscem, & dabit serpentem?* quis condimentum, & suauitatis aliquid legis (est Dei iugum suaue

& leue onus) quis aquarum & deliciarum miseri-
cordiæ aliquid, piscem, & dabit serpentem, rigo-
rem, & vltionem? quis ouum & semina, doctrinæ
principia, quibus vt paruuli instruamur in lege, vt
tandem viri simus; quis successionē & filiorū propa-
gationem, & scorpionem porriget parricidam, filici-
damque, quo cessat posteritas, & successio? Dedit
Dæmon lapides pro pane Christo esurienti. Mat-
thæi 4. cap. *Dic, vt lapides isti panes fiant*, at Deus pro
lapidibus panem, lapidibus exclusus Christus. Ioan-
nis 8. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum*, panes
obtulit Ioannis 5. *Ego sum panis vitæ*, & 6. capite. *Pa-
ter meus dat vobis panem.* Marci 12. *Et accepit panem in
sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit, & fregit de-
ditque* Deus alimentum quo resarcimur, Dæmon
excrementum, quo inficimur, Deus piscem dat,
lætitiam, delicias, dedit Tobiæ capite quinto,
quò & videret & fugaret Dæmonem, lætitiam,
quòd lumine desiderato perfunderetur. Dæmon
serpentem, venenum, tenebras, quibus inficimur,
& imus in prædam mortis, serpentem dedit, Ge-
neseos 3. capite, qua lapsus, ruina, excidium no-
bis venit, calamitas, condimentum expetimus,
leuamen; venenum offert, dat Deus ouum, suc-
cessionem, posteritatem, spem futurorum, Deu-
64 teronomij 22. capite. *Si ambulans per viam in arbore,
vel in terra nidum auis inueneris, & matrem ouis in-
cubantem, non tenebis eam cum ouis, sed abire patieris,
captæ tenens oua, vt bene sit tibi, & longo viuas tempo-
re.* Dat oua Deus, concedit illa virtutum, operum,
& actionum semina, excitanti gratia, fœtus vult
educat homo, comitanti & consequenti coope-
retur, oua retineat vult, non auem, relinquens
eum in manu consilij sui; dæmon verò Scorpionem

porri

porrigit. *Scorpio & Dypsas, & nullæ omnino aquæ,* Deuteronomij 8. c. Minus malum & noxium est minus, non dare, quàm noxia dare; dat ergo dæmon panis, piscis, ouique loco, petram, serpentem, Scorpionem, vt decipiat iis quæ videntur talia boni specie, pessima quæuis, mortifera, & venenata, vt porrigat; quò dedit panis loco, lapides qui colore & figura panem repræsentant, soliditate substantiæ, locique ortu. Inter saxa triticum venit, communitate, & frequentia similantur, cortice & mica, coloris varietate internorum, & externorũ apparentis panis, tũ quòd panis reseruetur inter lapides, & conseruetur natura, quòd inter saxa farina fiat, & coquatur in saxis pauimenti furni; sunt & genera frumenti, triticique plurima, quæ inter lapides vberiora fiunt. Recenset Plinius lib. 18. cap. 11. panes dicti lapidarij, quòd lapides repræsentent, & lapides dicti panifici eadem de causa. Plautus in Cassina, & Festus eo loci. Pisces cum serpentibus affinitatem obtinent ortu, quòd, vt dicitur Geneseos 2. aquis vtraque pullulauerint; sunt vtraque reptilia, apedia, reptantia, quò serpentes in aquis non minùs omnes, quàm in terris degunt, & iniectæ in aquas viuunt: oua scorpiones producere corrupta itidem monstrauimus, vt & ocymum, & alia producunt. Vt ergo affinibus, apparentibus, similibus, Christus doceret nos, dæmones decipere, non veris ipsis rebus, hæc interrogauit eo loci. Iis & intelligi potest Apocalypsis locus ille, vbi sic legitur c. 9. *Et de fumo putei exierunt locustæ in terrã, & data est illis potestas, sicut habent potestatem Scorpiones terræ, & præceptum est illis ne læderẽt fænum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantùm homines qui non habent signum Dei in frontibus suis, & datum est illis, ne occiderent eos, sed vt cruciarent*

mensibus

mensibus quinque, & cruciatus eorum, vt cruciatus Scorpij dum percutit hominem, & habebant caudas similes Scor-
65 *pionum, & aculei erant in caudis earum.* Ex igne putei fumus ibidem subortus est, quòd stella cecidit in puteum, vt ibidem dicitur, quæ cùm putei aquas contigisset, fumum leuauit densum, & caliginosum. Plurimi Rabbinorum de stella Magorum duce locum hunc cum sequenti contextu interpretantur, temporisque longo interuallo fuisse in Bethlehem puteo illam; est hoc tamen deblaterare planè, & figmenta astruere; eam enim cometam fuisse miraculo factam reor, creatamque dum licuit, euanuisse posteà, nulloque modo in puteum contra suam naturam, sine nullo expetente incidisse, stellam imò hanc Apocalypsis, lumenque illud esse intelligo hæreticorum superbum iudicium, & lumen sibi adstrictorum, suo captu, & intelligentia, altissima, & recondita credentium cœlestia arcana posse deplicare, rati conscendere imò in cœlum, vt lucifer alter, soliumque ad aquilonem suum ponere, ad aurã spiritus Dei, opponere imò se vniuersali Ecclesiæ, similesque esse posse sese altissimo, qui ex se, non alio ex capite sancit, & stabilit, sic illos viribus propriis, iudicio suo, lumine proprio sine capite: se imò caput iudicantes, cæcutientes malitia, cecidere in puteum abyssi. Estque illis data abyssi clauis obstinationis, vt alios secum retineant, quos induxere sua malitia, & eorum ignorantia culpabili, fictæque clauis Ecclesiæ creditus permissus in pœnam eorum ob flagitia & scelera commissa; fumus errorum caliginosus ascendit eo lapsu è cœlo demissis, vbi eorum superbia aspirabat, restincto igne vrenti luminis fuliginosi, Solis lucem, & stellarum interturbantes, quo fumo simul cum vaporibus aquæ putei densis

densis & putridis, cum vitiis spiritus aura cœlesti non difflatis, stagnatis imò, cœnosisque aquis, locustæ immundæ fuere subortæ. Suboriuntur enim immunda plurima fumo aquæ permisto, vt multoties papiliones oriri videmus, lucerna in aqua extincta volitantes & leues, diuersa pro diuersa proportione & mistione vtriusque, & in fornacibus Cypri interim dum aduritur chalcitis lapis, pyrigonia dicta animalcula progigni, igne ingenti, aqua fornaci iniecta, docuit Aristoteles 5. de Historia, capite decimo nono. Ælianus libro 2. capite 11. Rhodiginus libro citato, Plinius & alij. Locustæ ergo putredine ea subortæ in terram irrepsere, quibus data est potestas Scorpionum: primò vt quinque mensibus solùm homines affligant, vt Scorpiones affligunt eo tempore solùm, ideo ibidem dicitur, vt cruciarentur mensibus quinque, ab æquinoctio enim ad æquinoctium venenata affligunt hæc, caloris tempore, quo vrgentur illa calore instigata quinque mensibus, parte Arietis, Tauro, Geminûm signo, Cancro, Leone, & Virginis parte, quæ & Scorpionem amplectitur & Libram. Vis eorum quinque mensibus est fortis, & robusta, nam mẽse Martio toto, & Aprilis parte torpida viuunt, cauernas egressa, vt non icant, & Nouembris mense, reliquisque hyemis sequentibus torpescunt, & latitant cauernis, vt ex Aristotele, & aliis 2. cap. 1. lib. latè monstrauimus. Quinque ergo mensibus affligunt conatu, & rabie, non vltrà, mortales, quinque mensibus oppressos, quinque ætatibus vitæ, vitæ scilicèt decursu, infantia, pueritia, iuuentute, consistentia, & senectute, non vltrà exercendi homines, potestatemque circa corpus, non circa animum habentes, circa vitam temporalem quinque mensibus solùm, peruertentes vniuersum,

&

& homines percutientes locuſtæ, vt & immunda alia de genere ſerpentium facilè oriuntur putredine quauis, vt & de ſerpentibus omnibus diximus anteà, vt & monſtroſa & deformia huic generi accidere plus aliis aliorum animantium itidem diximus; quò locuſtæ Scorpionis plurima monſtroſè obtinebant. Ideo ſubdit Spiritus Dei, *& data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem Scorpiones*, vt primò diximus. Tum cauda, morte, & vltimo, tum in tempore percutiendi, ſecũdò, nam vt Scorpiones quidam icunt voluptate, & riſu, vt ſuprà monſtrauimus, ſic ij lege appetitus, deliciis, & voluptatibus, ſoluta & libera viuendi ratione, & licentia ſine lege & præcepto, appetitus & ſenſus, ſolùm impoſitiones ſenſuum obſequẽtes, tracti in obſequium paſſionum, & carnis, interficiunt genitores, præceptores, & legis Doctores, aſſertoreſque fidei, corrumpentes ſenſum legis, adulterantes ſcripturam, non ſecus atque Scorpiones, vorant parentes, & progenitores, lacerant, icunt cauda, vltima portione appetitus, vili, & abiecto ſenſu, inficiuntque alios.

De peculiari Scorpionum ictu, quo plurima Scripturæ ſacræ loca deplicantur.

CAPVT XVI.

67 SCorpiones manus palmam, cutemque volæ manus dictam, non icere (mirabile dictu) neque icere poſſe docet Iſidorus 12. etymologiarum cap. 4. *Bercorius libro* 10. capite 92. antipathia & contrarietate, virtute occulta & abdita partis illius, quod temperie amicabili demulceatur, nec irritetur amica, & propitia illius, inter omnia corporis membra, quam

quam Galenus temperatiſſimam inter omnes corporis partes conſtituit 1. de temperamentis, cap.5. de compagine membrorum. cap. 2. de anatomia viuorum. cap.3.6.de vſu partium. capite 6. quòd ſit tactus inſtrumentum, quo tangimus exquiſitiùs vola manus, & digitorum pulpa. Hinc oportuit temperatiſſimam eſſe, vt mediocritate conſtituta ſumma (*imò* ad pondus vocat temperatam) exceſſus tactus poſſet perſentire, & iudicare omnes collectiua perfectione, omnes ſcilicèt ſentir, ad quos eſt impotentia, cùm non mutetur ab iis quæ actu habet, docuit Ariſtoteles 2. de animo c.de tactu. Temperata ergo Scorpio non icit, nec homines temperati afficiuntur Scorpionibus, impetunturve iis, luxui imò & gulæ dediti, locuſtis acquieſcentes (qui harum conditionum ſunt imitatione, eo loci Apocalypſis dicitur vltrà, quæ vſque in hoc caput diſtulimus, ne longum & prolixum præcedens afferret tædium caput) ſenſuumque legibus boni fugacis. Eſt ergo poteſtas Scorpionum data iis locuſtis dictis, poteſtate ſcorpionumque conceſſa ibidem, intéperatos vt vorent, vrantque ſegetes, & fructus, ſcorpionũ more; imò quidam cùm ſint Scorpiones aculei duplicis (monſtrauimus) dicitur: *caudæ earum ſimiles ſcorpionibus, & aculei erant in caudis earum,* gemini ictus erant & aculei duplices, alatique ſcorpiones locuſtarum more, vt diximus eſſe plurimos, qui breuiter vitia diſſeminant, & aculeo voluptatis, & ambitionis percutiunt & inficiunt. Iſidorus loco allato hypocriſim ſcorpionis natura depingit, qui vultu miti, & facili adacto, caudam exerit, & ſupra caput conſtituit ſimulatè icens & percutiens ſubdolè, vt ſcorpionem ſolùm ſanguinea animantia percutere diximus, ſanguinis vditate illectum, ſpicula ſquallenti, ſicca,
&

& torrida veneno vrenti, neruorum humiditate in illam decurrentium, sic hominem plus cæteris impetit, quòd sanguinis sit copiosioris, excellentiorisque multò, tẽperatiorem naturam quòd obtineat, ideóque tactum perfectiorem cæteris, iuxta Aristotelem 2. de animo. c. de tactu, delectenturque Scorpiones spiculæ, & aculei immissu intra sanguinem humanũ, terrestes vt iis fugiat, volam manus, & si temperata, quòd non sanguinea, exanguis imò consistat. Hinc eo loci Apocalypsis dicitur: *data est iis locustis potestas Scorpionum terræ*; sunt enim duplices Scorpiones, terrei & aquei; suprà diximus de Scorpione pisce ex Aristotele, Plinio, Æliano, & aliis, quò eo loci de morsu locustarum dicitur, *& cruciatus earum vt cruciatus Scorpij dum percutit hominem*, plus enim homo læditur Scorpionis ictu, quàm animantia reliqua, ob sanguinem puriorem, & depuratiorem quem habet, tenuiorem, & faciliorem, maioresque sentit cruciatus reliquis omnibus, quòd sit tactus perfectissimi & acerrimi reliquis cunctis, acriorisque; tum torpescit homo illicò in actionibus tardus, & stupidus, calidi vis extinguitur, charitatis feruor cessat. Solùm homini erecto, & celso potest venenum impertiri huius animantis, autores iidẽ allati norunt, reliquis animãtibus cubãtibus, & obliquis, rectis verò hominibus potest, quòd inermes pedes obtineãt, & plantas nudas, reliqua verò animantia, vel vngue lato munitas, alto & solido, vel pilis tutas & refertas, hispidas, vt in rapacibus animantibus est videre; homo nudus pedibus, non vnguibus solidis vallatas, non pilis hirsutas; quò si rectus stat, impetitur ea parte magis, cùm quòd calceamenta transfigat facilè, secùs vngues solidos solipedesque partes pilis in aliis, quòd arceatur tactu aspero & inæquali

pilorum

pilorum frigore & ſiccitate ſquallenti, quæ fugit, tum quòd irritetur pedum preſſura, & vltrà in hos ſibi propinquiores quòd irruat faciliùs, vt hinc ſtantes, homines rectos plus aliis aggrediatur, pedibuſque magis reliquis. Dictũ enim eſt Geneſ. 3.c. *Tu inſidiaberis calcaneo eius*. Vt latè 1. cap. 2. Calcaneo ergo impetimur, & recti magis homines læduntur illo, quòd tunc calcaneus terram contingat plus multò: rectos ideò, iuſtos ſtantes impetunt magis, quò cruciatus earum, vt cruciatus Scorpij, dum percutit hominem, maiores, acriores, iuſtis magis rectis ſtantibus, hos inficere tentant, lædere, & corrũpere, quod ſint maioris prædæ aliis, vt Scorpio dum hominem inuadit, rectum quærit & celſum hominem, vt plantã pedis ſubtus calcaneũ icere poſſit. Diximus enim ea parte cauitatem eſſe, qua ſerpens poteſt lædere mortales, quo pedem faciliùs terræ æquamus anteriori parte, quàm calce; ex ea enim parte ſubſtituuntur nobis talones ſolarum, vt æquet pes ſui reliquo, & difficiliùs hac terram contingimus, quàm alio, imò decidit corpus ſi calcaneo inſiſtamus in motu facilè, ſecùs ſi anterioribus pedis inſiſtamus, moleſtiamque inferimus maiorem, dum pauimentum calcaneo comprimimus, tremoremque omnium cauſamus, quòd labentes quaſi calcemus; contrà verò leuiùs multò pedis reliquo & ſine moleſtia aſſiſtentium, fædamurque magis luto, ſi calcemus, calcaneoque comprimamus, quàm ſi prioribus pedis partibus ambulemus. Catenam aſtruere Scorpiones, vt hominem icant, diximus anteà; ea eſt cupiditas percutiendi mortales, quæ vt alia feriant animantia efficiunt nunquam: Eſt cum eo pugnantia & diſſidium, vt pleraque alia inter ſe diſſentiunt natura; quò dicitur peculiariter cruciatus earum,

vt cruciatus scorpij dum percutit hominem. Catena facta vitiorum peccata ex peccatis propendentibus, Plinius libro 29. cap. 4. Proprium est Scorpionibus, quòd manus palmam non feriant, nec vbi pilos attigere, morsum incutiunt, desistunt imò à morsu eorum contactu, quo hominis pedes & plantas expetunt maximè, quòd minùs omnibus aliis pilis vestiantur animalibus, & calcanea icere, quòd minùs adhuc ea parte. A quo Isidorus loco allato, hominis plantas quòd pilis destituantur, feriunt vngue lato non fultæ, & libro 2. 25. Plinius. Scorpiones icunt ictu obliquo & inflexo homines subdolè, & cautè icunt ij, non recto calle, non via recta, imò obliqua vitiorum via, crudeliter infectant ficta hypocrisi, & simulata virtute, sese in Angelos lucis transfigurantes (Christus dixit) doctrinam erroneam, errores imò, & deliramenta habentes, veneno serpentis infecti alios inficere conantur, inducere sectas, & paradoxica quæuis. Mollitie carnis humanæ allectus scorpio lingere ore tentat priùs sugereq; per poros sanguinem, vt sugunt insecta alia, muscæ, culices, pediculi, chimices, plurima, lenit suauiter priùs; at dum minùs allicere quàm illi est opus sensit, hominem pungit cauda crudeli, dira, virulento dente caudæ, cùm oris dentibus nequiuit, quátum illi sat erat extrahere alimenti nostri, & sanguinis humani, vt vulnere illato sugat copiosè. Ij omnes autores prædicant, suprà retulimus, ore lingunt, cruciatus eorum, vt cruciatus Scorpij dum percutit hominem, ore leni & placido, priùs blando, vltimò cauda & veneno, dente Scorpionis venenato. Tandem locustæ eæ, facie humana & cauda Scorpionis insignitæ erant, vitiosi, tetrique homines non minùs quàm de dictis pseudoprophetis locum

enat

enarrantibus, se præparant declinantes à recto, vt Scorpio cùm hominem percutit, qui à recta declinat via & tramite priùs, quàm morsum illi infligat tetrum, corrumpentes sese priùs, & alios posteà, caudasque similes Scorpionibus ideo habentes, quæ suomet æstuantes veneno, ideoque in alios reiectare quærunt. Scorpio libidinem antiquis Ægyptiis notabat, vt prædicat Horus l. 5. c. 7. & Cyprianus lib. 7. cap. 9. Scorpioni enim cœlesti signo, ex humani corporis partibus pudenda sunt dicata, sensere mathematici omnes, Ptolomeus, Alfabarius, cui signo Mars dominatur adulterij infamia notatus, hinc milites mulierosos Aristoteles vocauit. Huc spectat Hieronymi illud dictum de Virgine ad Auitũ: *Caue ne arcuato vulnere Scorpij, & spicula vulnereris,* ne inficiaris libidine. Africam significabant antiqui Scorpione, quòd sit eorum copia ibidem maxima, vt cuniculo Hispaniam, equoq; Italiã ostentãt. Terræ est icon Scorpius pictus. Aiunt iudiciarij mortẽ Scorpione signo cœlesti obuenturam illis, quibus Mars in signo hoc ortui præfuerit sexto gradu, terra sepeliendos, quò terra illo exprimebatur. Victoria Scorpionibus insignitur cautelosa. Est numisma in quo Scorpio est sculptus, simul cum capite lauru ornato ex vna parte, ex alia quadrigæ: sunt cum victoria & eæ litteræ. Q. EL. IVLI. BVRSI. Quintus Ælius Iulij Bursi. Scorpio vincit cauda debili, & leui arte, quæ ore non superaret voraci & horrido, quò victoriam obscuram significabat, arte, & cautela partam. In Scriptura sacra fit sermo de regione quadam dicta, Ascensus Scorpionis, Deuteronomij 8. c. quòd obliqui ascensus sit, instar viæ Scorpij ascẽdentis. Numer. 34. hæc sunt verba: *Terra Chanaan iis finibus terminabitur, pars meridiana incipiet à so-*

litudine Sin, quæ est iuxta Edon, & habebit terminos contra Orientem, mare salsissimum. qui circuibunt. Australem plagam per ascensum Scorpionis, & alibi etiam: Iosue 15.cap.Iudicũ 1.capite idem. Dicebatur enim ascensus Scorpionis pars ea terræ Chanaan, quæ ad meridiem spectabat, in qua est Senna & Cades Barne, regio verò, illa Hebræis dicta Maale acerabbin in terra Palestinæ australis plagæ, in confinium Amorrhęorum, Acrahitenes dicta, quòd Scorpio Hebræis sit dictus hacrah, vt monstrauimus suprà; abundat enim eisdem ea regio & ea parte ascendũt volantes vento Africo aduecti simul cum aliis serpentibus volatilibus, de quibus 2.c.1. lib. & capite de vipera latè ex plurimis autoribus diximus, quò cum ascendant in Palestinam secundùm eam regionem ex Ægypto Scorpiones, qui veneno sunt, & malitia potentissimi, ob paruitatem occultissimi, quibus aliis maius periculum imminet volitantibus, ideo ascensus scorpionis ea pars appellatur. Horrent virus huius animantis venenata & proficua animantia, fugiuntque semel ictos ab hoc animanti, & odio habent: tribus diebus si non liberentur, discedunt icti homines, & si saluentur aliquot animantia solo auxilio naturæ, suæ præcipuè, quos non lædit venenum (suprà retulimus ex Aristotele & aliis.) Apes non icunt, nec Vespæ in posterum, quos cecidit Scorpio semel, Plinius lib.28.cap. 4. Sunt enim tantæ immunditiæ aliqui, vt & dæmonibus non percutiantur, consuetudine & vitiorum assuefactione, debiles adeò, vt tentationibus nõ sit opus, præcipuè si libidinosi, salacesq; vixerint: quasi Dæmones dedignentur illos impetere iam sui iuris, vitiorum corruptela & consuetudine in naturam permutata, immundi, & obscœni, quibus non secus ac suibus

anima

anima eſt data pro ſale, ne fœteant, & corrumpantur carnes; ſic iis anima eſt ſal, nec munus aliud præſtat, quàm ſeruare corpus illud, & pondus iners, nec opus aliud eo in corpore exercet, ob multitudinem enim vitioſorum excrementorum quibus ſues abundant, Scorpio reſpuit eoſdem petere; ſi petat, non altè, (odore tetro) leuiter imò. Eſt hoc mirabile ſatis, quòd Scorpio guſtus ſenſum dente caudæ obtineat, nõ minùs quàm ore, perfectiorem imò; quò Plinius l.11.c.27. de dentibus animantium ſcripſit ſic: Dentium tria genera, ſerrati, continui, exerti: ſerrati pectinatim coëuntes, ne contrario occurſu atterantur, vt ſerpentibus, piſcibus, canibus, continui; vt homini & equo: exerti Apro, hippopotamo, elephanto, continuorum quæ digerunt cibum, lati, acuti, qui conficiunt duplices, & qui eos diſcriminant canini dentes ori, palato, caudæ animantibus inſunt, ſerpẽtibus duo, inſuper à parte dextera, læuaque longiſſimi, tenui fiſtula perforati, vt aculei Scorpionum, quibus effundunt venenum; eſt venenum ſerpentium bilis è veſica fellis, venis ſub ſpina ad os peruenientibus effuſa, aut ad dentem caudæ, vt diligentiſſimi autores, inquit Plinius, ſcribunt, quò reſupinantur cùm mordent, vt contractis virus excutiant viſceribus, Scorpionis caudæ ſimiles dentes inſunt, vnus & duo, & tres quandoque. Cauda ergo Scorpius dẽtes 70
guſtumque obtinet, quò delectatur maximè caudæ ictu, & magis quàm oris: vt non ſolùm vindictæ cauſa venenum rabie affectatus compreſſis dentibus, venenoſaque animantia eiaculentur, viſceribus retractis, quò bilem fundant, ſeſe in hoſtes colligentes, & virtutem, ſpirituſque reficientes, imò & voluptatis cauſa venenum aſpergant, cùm & vt virus à ſe irritans acre, & mordax, moleſtans, expellant, vt & alia

dum excremẽta emittimus voluptate afficimus animantia, tum vt guſtus liberior, expeditior ſuperſit ſpuitione facta, & viru bilioſo, & amaro, guſtus inſtrumenta inquinante: tum quòd vrens venenum aperiat viam, qua ſanguis ſugatur commodiùs, cuius ſunt auidiſſimi ſerpentes omnes. Dẽtes ergo cauda exerit Scorpio, præter omnis naturæ animantia omnia, guſtumque in cauda nulli alteri viuenti datum, præterquàm huic. In plurimis tamen Scorpionibus, & ſerpentibus, non apparent cauitates eæ, ſed poris ſolùm venenum expurgant, humorem, ſpiritumve infectum, aëremve alteratum, veneno inquinatum, alterante eorum virtute venenoſa, & venefica, vtraque parte inficit Scorpio, & lædit ore, & cauda, ore parum leniendo, ſenſu blando excitato, dentibus & aculeo caudæ truculentiſſimè. Eſt os illi vndique, vt loquacibus & garrulis vaniloquiſque hominibus, non ſecùs ac piſci Meluæ dicto contigit iis, qui ore totus diffluit & liqueſcit, niſi alto capite ſuſpenſus teneatur, & tunc receſſu euaneſcit totus, ore vtrimque hiatuve liquefactus & fluens, Merulam vocant alij; omni ex parte læſio, mors, & venenum Scorpionibus ineſt, & maius, vnde ſperatur minus: dentes omni ex parte exerit, & vibrat ore & cauda, corruptiſſimos quoſque perſcribens, & notans homines perditiſſimos omnimodò, omni ex parte virulentos, & tetris moribus imbutos.

De vermibus in genere dictis.

CAPVT XVII.

71 IOb. 4. cap. *Numquid homo Dei comparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſer-*

uiunt

uiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis ij qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à Tinea? Cap. verò 27. sic: *Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum quam ab omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo sepelientur interitu, & viduæ illius non plorabunt. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta, præparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocens diuidet, ædificauit sicut Tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum.* Isaias 50. cap. *Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur. Tinea comedet eos.* Hæc & alia sunt in nouo & veteri Testamento de Tinea loca. Et de Ærugine, vt dicitur Matthæi 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt, & furantur,* & sæpè alibi. Reptilia serpentesque veros primo prosequuti, varia naturæ eorundem deplicauimus, reptilibus communiter dictis hos duos vltimos dicauimus, vbi de iis quæ corpore reptant, & si pedestria sint, sermonem teximus, priùs inter hæc de illis doctrinam sectantes, qui vestigium sensile relinquunt motus in reptu, vt de vermibus tandem sermo institueretur, qui sunt varij natura ortu, & actionibus, inter quos tinea est reliquis omnibus mirabilior, pedibus omninò destituta, & si vermes sint pedestres plurimi. Sed quoniam de hoc est sermo peculiaris in Scriptura sacra; ideo & si de aliis, caput de hoc inscripsimus, de reliquis dicturi. Varia est satis vermium generatio, diuersa, & non sibi constans. Quidam generantur putredine qua-

rundam rerum, ſemine alij, mediatè qui ex ſemine, illi ſine medio, mediatè vt animantia, vermes ex ſemine fati eiecto in fæmellam, vt Bombices, ſericique vermes, papilione ſuppoſito. Ex verme ſuccedunt immediatè alij, vt corrupta eruca, vermiculi veniũt. Vermes enim nulli coëunt, nec ſexu diſtant maris & fœminæ, ſemen aut fundunt, vt oriantur immediatè ex verme, vt quæ coëunt animalia ſeminis iactu, vt certo & determinato cum careant ortus principio, varia extent eorundem genera, & formę variæ, incertæ, & diſsidentis naturæ. Qui ex putredine veniunt, quidam toto corrupto, & forma amiſſa præexiſtenti ſuccedunt, quidam ſolùm partibus alteratis, corruptiſque, quibuſdam in ipſis, è quibus fiunt reliquo perfectiori plus multò quàm anteà, vt vino depuratiori, caſeo, & aliis accidit, corrupto animanti vermes oriuntur putridis carnibus, mollibuſque eiuſdem putribus, demptis partibus ſeminalibus dictis, oſſibus, neruis, cartilaginibus, cute, ligamẽtis, venis, arteriis, membraniſque corporis, quæ putreſcunt, & vermes non generant, ſed in cineres, terramque reſoluuntur, & halitus: alia in vermes diſcedunt alterata, & corrupta. Ob ſiccitatem enim & miſcellam tenacem ſuperſunt oſſa, & reſoluũtur illa, frigidiori & ſicciori parte ſeminis conflata: ex miſtis corruptis vermes oriuntur putreſcẽtibus iam, Ariſtoteles docuit 4. meteororum, c. 2. & 3. non ſolùm toto corrupto, ſed parte putrida, vt vlceribus aduenìunt, aliiſque partibus, putredinis ope: nõ quòd putrefactione cùm ſit corruptio, eſſentia, & natura oriatur aliquid, aut generetur: ſed quòd hæc exigatur, præſupponaturque ad generationem horum animalculorum priùs, vt interim dum corrumpitur cadauer, parſve aliqua deeſt, miſtioque ſoluitur animantis, aut miſti,

calidæ

calidæ partes & humidæ ſubſtantiæ, quæ ebulliunt, & ferueut, vt diſſipentur, ſeparenturque è miſto, diſſoluaturque vt miſcella, calore coëant autore miſtionis omnis, vt eo loci Ariſtoteles prędicat, qui cogit, formiat, vnit abeuntes illas, miſcet, & diſponit quantum poteſt, ſemper in bonum, & eſſe, generationemque tendens. quòd inſtrumentum miſti formæ natura ſit, vt ſi altiorem formam non poſſint ſuſcipere, illam tamen quam poteſt calor virtute agentis, cuius eſt inſtrumentum inducere, recipiant illa, actione æquiuoca, modo illo relicto in calore ex calido miſti, cuius erat inſtrumentum priùs miſto perfecto, cœlo vel cõcurſu aſtrõrum, materiæ apparatu, vt viuens hoc ſubſtantiaque animata hæc vermis oriatur, aut illa, diuerſo opificio, & ſubiecti miſcella, virtute eorum quæ adſunt, & præceſſere; quò non putredine, coctione imò denuò facta, & illa ſuppoſita putrilagine, non corruptione, ſed miſtione vera earum partium, quæ miſcentur & conſtant, in totius putredine, aut partis, animalcula hæc ſuboriãtur, miſto ſoluto, hoc modo putredine ſuppoſita, vt generentur vermes, prębeantque ſubiectũ, quo illi oriantur terra, aqua, bitumina, ſales, mineralia, lapides, virentia, plantæ, animantia, ſucci, eorum partes, humores, excrementa, iiſque confecta & conſtantia. Aër verò & ignis ſecùs; aër ob tenuitatem nimiam qua nequit ſolidum efformare corpus animalculis miſtis, ſolus, ignis vrenti qualitate, & æſtu, quo abſumit humidum animantis requiſitum. Pura elementa nullum miſtum ſolùm ſeorſum, quoduis poteſt efficere, miſta vt modò ſunt; poteſt terra & aqua; ignis & aër nequeunt, quòd ferueut naturæ ſimplicis multum, aër tenuitatis, ignis tenuitatis & æſtus, quibus abſumeret humidam portionem, vt ſolueretur

mistum, in pulueremque vt abiret, vt nec aër consi-
stētiam præstaret. Terra putrida vermes generat plu-
72 rimos, varios, & dissidentes lumbricos, terræ intesti-
na dictos, & alios diuersos, aqua plurimos, qui su-
peruehuntur illa, innantque; albos & rubros, nigros
& pallidos; bitumina generant ærugines, tineas, sales
teredine euanescunt; & putrescunt tandem, vt ad
nihilum valeant vltrà quàm vt eiiciantur foras, &
conculcentur ab hominibus, vt dicitur Matth. 5.c.
Homines enim cōculcant propriè, qui talo elatiori
à terra calcant, maiorem quò impetum inferunt, ob
distantiam. Quæ enim impetu mouere cupimus, di-
stantiora efficimus priùs, vt aër maiori ex distantia
motus, maior eius copia impellat, motumque iuuet.
Mineralia putrescunt tardiùs alia aliis, at omnia pu-
trent, tardissimè tamen aurum, generant eorum ali-
qua vermes, tinea, teredineque vitiantur, cuncta sal-
tem ærugine, vt vitriolū, alumen, sandaraca, argen-
tum viuum, & alia: lapides cōmunes, & pretiosorum
aliqui omnes tardè, non secùs ac metalla, etsi ferant
æruginem aliis tardiùs. Virentia in vermes disce-
dunt, ocymum masticatum soli expositum in ani-
malcula, & Scorpiones degenerat, cap. præcedenti
monstrauimus, & reliqua dum putrescunt: brassica
enim, oleraque erucas varietate mira colorū gene-
rant, vaporib. putrescentib. ad extrà eūtibus, partium
humidarū earū rerum, natura humidissimarū, præ-
cipuè locis satiuis, & riguis cōsita, sata loci humidi-
tate, plantis itidem accidūt, succis, animalibus, eorū
partibus, humoribus, excrementisque confectis &
constantibus, vermes accidunt, vestibus sericis, & si
tardiùs teredo quàm laneis adueniat, quòd eæ hu-
midæ, illæ siccæ natura sint. Imò in cadaueribus ani-
mantium, postquàm recentia vermes sua humidi-

tate

tate generarunt, ſalita iam, & areſacta, poſtea tineæ iterum abſumuntur, carie & teredine, carnes ſalitas ſuillas teredine videmus abſumi, antiquas vermiculis ſubortis, Polilla vulgò, & alia. Nix imò tineas creat, quæ vetuſtate putreſcit. Ariſt. docuit 5. de hiſtoria 19. iis: In iis quæ putredinem nullam poſſe recipi exiſtimamus, animalia veniunt, vermes in niue vetuſtiore, hirti pilis, & rubidi generantur, inquit Ariſtoteles, quoniam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit, in niue mediæ terræ, candidi, & grandiores inueniuntur, torpent omnes ac difficulter mouentur. Quibus & locus ille Ieremiæ 4. Threnorum cõſtat; vbi ſic dicitur de peruerſis iam Nazaræis, *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores, denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Candida enim & alba vetuſtate rubeſcunt, ſanguineumque colorem ſuſcipiunt tempore alterata, pinguedines albiſſimæ rubent & pallent tempore reſeruatæ longo, rancida, butyrum, caſeum albiſſima, porphidi, alabaſtra, oſſa, rubeſcunt tandem temporis tractu, lac vſtum igne ſuper papyrum iniectum rubeſcit, papyrus ipſaque vſta, & alba omnia: rubra contrà dealbantur, vt corallius lapis vſtus albeſcit, rubraque omnia in cineres abeunt candicantes. Ideò agni ſanguine ſtolæ lotæ ſunt feruentis charitatis igne dealbatæ, pòſt vt eſſent maculis liberæ, vt ſanguine intincta lota, & igne exſiccata impenſiùs albicant, Apocalypſis 22. c. candicant albedine ſumma, igne depurantur, & exterguntur Salamandræ more continentes, iuſti. Ebur ergo, & nix candicant vetuſtate, quò dixit; ebore antiquo rubicundiores Nazaræi. In igne animalcula generantur non ex igne, quorum Ariſt. meminit eo c. vt nos prægreſſo retulimus. De fumo enim & fuliginibus

Chalcitis

Chalcitis lapidis dum exuritur interim, vt de aliis mistorum partibus generari diximus, fiúntque ideo in vino vermes, in caseo, vestibus, cadaueribus recentibus, marcidisque & exsiccatis iam adhuc, sericis, & aliis plantarum, animātiúmque succisis, & partibus, excrementisve dictis, in lignis, seminibus, & aliis dictis, comprehensisq; generibus suprà, putredine media ex partibus substantiæ eorundem. Tum fiunt semine totius immediatè discisso, vt locustæ se totis putridis semen locustis præstant, vermibus quibusdā dictis sui ordinis, in terra sepultis priùs ante earum obitum, qui circa autumnum est capite ab alia rescisso, exerto à terra, quæ ad inuicem capita sibi detruncant illæ, vt corpus totum in dictos vermes degeneret, quando non in locustas, tempore immutatæ, alatæque, aliter ac locustæ exigunt, illi vermes ex toto subueniunt, vt & veniunt locustæ ex toto corpore animantis, quod putridū in oua degenerat, & posteà in locustas communi ortu earundem, non immediatè, sed media alia natura geniti animantis alterius, vt vermes Bombices, postquàm sese intra Bombiliū, & cuculum collegere, papilionem creant, qui posteà semen generat in congressu cum fœmina sui generis papilionea, quod fœmina ex vtero pellit, impertita iam virtute prolifica, quæ emoritur illicò, superéstq; semen prolificum vermium, quod posteà alteratum calore Solis accedentis, in æquinoctio verno, fotum calore quouis altératum, vermes suscitat denuò similes præcessoribus illis, pręgressisque parentibus. Non minùs muscæ, bruchus effundunt alteratum semen, quo vermes oriantur in vitibus, carnibus, dicti *Queresa* nostris, & *Chersea* Latinis, & Gręcis. Phœnicé oriri dicunt vstione sui, vermiculo genito crescente in posterum in auem longæuam, & illustrem. De volatilibus

bus Deo dante dicetur: Exodi 16. de manna, vltrà quàm præceperat Moses mensura collecto sic: *Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque manè, scatere cœpit vermibus, atque cōputruit, & iratus est cōtra eos Moses.* Deuter. 28.c. legis transgressoribus pœnas statuens inter alia inquit: *Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam, quoniam vastabitur vermibus*; dictis scilicet. Iudith 16. *Dabit enim ignē & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum*, de impiis. Quibus vermes in plantis oriri, in roscido manna, in partibus corporis comprobatur. Ecclesiast. 19. *Et qui se iunxerit fornicariis, erit nequā, putredo, & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius*: & c.10. *Cùm enim morietur homo hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* Toto corrupto scilicet. Iis & aliis patet, vermes dictis generari rebus, sine semine aliquo, nec speciei eiusdem agentis virtute & opere, aliunde imò. Christus vermem se prædicat in Scriptura sacra, vilem, abiectum, humilem. Non constitit Christi corpus semine virili, non viro genitore naturæ eiusdem, spiritu imò Deo, piissima omni labe genitrice immuni Deipara Virgine, matris verò officio functa veræ matris, mater vera, hominis veri, & Dei. Psalmo ideo 21. dictum: *Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis*; vbi, & abiectum se prædicat, & despectum. Quò Isaias: *Vidimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo.* Vilem hominum, & despectum virorū, cum iniquis reputatum, locis allatis. Non hominis opificio factum, vermis imò instar, alio ortu, cœli virtute, quæ superuenit Virginem, & obumbrauit; obumbrauit, etiam si lumen erat, virtúsque spiritus ignei Dei illuminantis, ex se substantia sua illustrantis omnia, tenebras, vmbrámque vt fugaret omnem peccati,

peccati, nullo æstu ignis percita, vmbra & tutela spiritus vallata. Tum vmbrauit, vt ea vmbra alarum Dei, & spiritus protegeretur contra mundi, gentiúmque inscitiam, malitiam & dicteria. Ideo ergo de se dicit, *Vermis sum, & non homo*, & propter homines, *opprobrium hominum, & abiectio*, non solùm populi, & nobilium, plebis imò & vulgarium hominum. Sunt variæ vermium species, formæ, & naturæ, vt & serpentium sunt variæ, omniumque eorum animantium quæ putredine oriuntur, quòd sint facillimi ortus, adeò vt ex eadem materia, ex cadauere eodem, varij & dissidentes nimis nascantur, plus minusve alterata materia, tempore, & loco; aëre circũstanti, adiunctis aliisque quæ alterant variè, flante Africo alij, Aquilone succedunt diuersi, hac terræ specie ij, illi alia, quo certo numero contineri nequeunt, cùm quod imperfectum, & corruptiuum ex quouis defectu contingat, vt bonum ex integro, malíque materia sit infinita, ideo non vna, pluribusve oriuntur speciebus, & qui vnius naturæ, monstrosæ frequentissimè, facillimè vt euarient maximè, multitudinéque nimia vt prorumpant. Hinc feruere vermibus dicimus, & scatere non minùs, vt de manna dicitur corrupto Exodi 16. cap. vt suprà retulimus.

* * *

De Tinea

De Tinea, & Christo vermiculo.

CAPVT XVIII.

TInea vermis est, Teredo, & Caries, dicta Grecis σὴς. De qua Aristoteles quinto de historia c.19. vbi & de vermibus omnibus latè edisserit, à quo Plinius; Nicander eadem in theriacis refert. Dicitur verò multis modis Tinea, & non vno. Primò enim Tinea significat vermes illos in excrementis animantium subortos, intra animalium cauitates retentos. Eo loci Aristoteles docet, dicti sunt lumbrici communes, qui ventribus animaliũ progignuntur, putredine excrementorũ contentorum ibidem, quorũ extant tria genera, Latum, Teres, & Ascarida dictum. Ij omnes vermes Tinea communi nomine vocitantur. Tũ tinea vulgò *polilla*, vermis genitus vestibus, lignis, alimentis quàm multis, alueariis non minùs, fauis, seminibus. Vermiculantur enim hæc omnia carie, teredineq; afficiuntur, & alia itidem, vt & de vermibus suprà monstrauimus generari iis & aliis rerum generibus, vt c.citato Aristot.docet, exedíque Tinea hæc, & alia suprà retulimus. Horatius Epistola 1.21. sic ad librum suum. *Aut Tineas pasces taciturnus inertes, aut fugiès Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.* Hanc libris tabulatis, & laneis vestibus frequentissimam scimus, Aristoteles docet 6. de historia, cap.32. vbi sic: Quinetiam aliæ generantur bestiolæ, vt dictum est, tum in lanis, & quibusuis lanificio confectis, vt Tineæ quæ lanis puluerulentis præcipuè oriuntur, atque etiam magis, si araneus vnà includatur, viuátque eodem loco; si quid enim humoris in- 74

est,

est, hic absorbens ampliat siccitatem. Nascitur & in tunicis hoc ipsum vermiculi genus, tum in cera vetusta, & in ligno, vbi animal gignitur candidum, quod omnium animalium minimum æstimatur, nomine Accarus, nec non alia in cartis, aut iis proximis, quæ in veste, aut scorpionis effigie, sed sine cauda generantur perquàm exigua. Omnibus propè dixerim vel siccis humescẽtibus, vel humidis siccescẽtibus creari animal potest. Nascitur & vermiculus quidam, cui nomen à corrumpendis lignis Xylopthoros, quasi ligniperdens dixeris, caput enim suo putamine exerit varium, pedes in postremo habet, vt alij vermes, reliquum corpus tunica araneosa integitur, suóque tegumento hærentes festucas gerit, ita vt fortè eas, casúq; sibi contraxisse dum ambularet videretur, verum ipsæ natiuæ inhærent tunicæ, & vt limacibus testa, sic tota huic vermiculo adhæret lignea; id nec decidit vnquam, sed euellitur vt natiuum. Quod si hâc eius tunicam detrahas, expirat, paríque modo atque limax, testa detracta heberescit. Processu vtique temporis id quoque in Aureliam transit, seu papilionem paruum, vt Eruca, atque immobile viuit, vt bombix in cuculo. Quidnam ex eo animalis pennati oriatur posteà, non est compertum, neque enim ex iis papilionibus generatur quidpiam in posterum; hæc Aristoteles. Tum tinea generatur in partibus animantium viuorum, præcipuè in capite, vbi vermiculi oriuntur multoties, & pediculi varij, carie capite affecto, vt in vlceribus, fauis dictis constat, quorũ Galenus, Paulus, Ætius, & reliqui capitibus propriis curationem moliuntur, vt est videre 3. Pauli capite 1. 1. de compositione per locos, Galenus capite 1. & alij, aliis variis in locis, per similitudinem ad hanc. Tinea & ærugo idem notant, significántque

cariem

cariem ipsam, non solùm vermes, sed putredinem lignorum, lapidum, ossium, ferruginemque ferri, teredinem, & putrem substantiam, vbi solùm substantia disponitur, vt vermiculos producat & alat semel substantia ligni alterata, & creato vermiculo totum quod superest, alterat, erodit, terit, vt maxima quæque ligna eo minimo erosa & exesa, alioqui grauia & nullo robore vectilia, facilia in posterum, leuia, & sine onere leuentur, vt à quouis asportari possint facilè illa, sitque quilibet oneri suffecturus hoc minimo si exesa sint vermiculo. Est illius naturæ & conditionis tinea, vt creetur anteà multò perfectioribus, depuratioribusque rebus, quàm aliis. Pannis, lignis maioris pretij tinea aduenit, antequam cōmunibus multò & vilioribus aliis, vino vetustiori, generosiori, caseo antiquiori, pinguiori, aliorūque aliis partibus, maturatioribus fructibus, tritico feraciori. Quādo enim hæc summam sunt nacta perfectionem, eo tempore quo sunt coctiora, perfectiora mista, temperatiora magis, minùs humidi crudi obtinētia, partes aliquot putrescere incipiunt, quæ priùs maturari cœpere, vt quando omnes iam perfectiorem dispositionem sunt nactæ, putrescant illæ, rancidæque fiāt, vermes vt generentur. Tinea & teredo hinc pannis pretij maioris. Tinea priùs purioris & perfectioris lanæ, quòd constet sicciori, & minutiori. Exsiccatur anteà cùm minutior sit, resistatque minùs causis alterantibus, tenuiora enim resistunt minùs, & minora maioribus, & crassis, paribus cæteris, docuit eadem Plinius libro 11. 35. Ælianus, Solinus & reliqui animalium Scriptores, Galenus edocuit 7. simplicium, vbi Cedream Tineas non consentire refert, fugare imò aut longissimo temporis tractu, vt & oleam, & palmæ lignum. Ex olea nauigij partes

astruunt, naturæ quod sint minus obnoxiæ tineis:
Theophrastus docet capitibus propriis horum li-
gnorum, Buttonius lib. 9. capite 218. Theodorus,
Dioscorides libro 2. capitibus harum arborum,
Galenus, & reliqui omnes, Nicander in theriacis,
Columella, Plinius. Christus de se psalmo 21. *Ego sum*
vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio
plebis. Fuit enim cum iniquis reputatus, & generi
hominum opprobrium, & dedecus creditus,
quòd reputatus iniquus mortalium genus infama-
re videbatur, flagitiosus homo creditus. Hæc tulit
Deus pro hominibus, huc eius amor peruenit, vermis
scilicet factus, abiectus, & nouissimus virorum, vlti-
mus & despectus. Isajas 50. cap. eodem dicto. Isaias
41. de Christo: *Noli timere vermis Iacob, qui mortui*
estis ex Israël: Ego auxiliatus sum tibi, dicit Domi-
75 *nus, & Redemptor tuus sanctus Israël.* Humanita-
tem Christi Pater alloquitur æternus, vocatque fi-
lium vermem, mortuumque ex Israël. Hic est vermis
ille Ionæ capite 4. qui hederam erosit, mundique fi-
duciam, ad cælestiaque homines aspirare edocuit, si-
mulque misericordiam, & pietatem: nam si Ionas de
hederæ erosione doluit, cur, inquit Deus, de Nini-
ue non miserebor? Vermis hic crucis lignum alio-
qui grauissimum sic erosit, exesit, vt & si naturæ
viribus teredine affici non ferret oliua, cupresso, &
palma constructum, tineis quæ affici nequeunt, viri-
bus tamen Deitatis sic erosit, teredineque affectauit,
vt posteà leue, facile, à quolibetque ductile substi-
tueretur, nobisque offerretur, Christo gestabile iam,
& ductile, quilibet vt possit crucem tollere, illum-
que sequi; Crux iam facillima & leuis, onus leue,
& suaue iugum, onus, merces pretiosissima, qua cœ-
lum emitur, iugum, quo vehimus onera cum Christo,
qui

qui infinitæ potentiæ cùm sit, nil quasi nobis ferendum reliquit, quæ sibi crux sola, opprobrium, dedecus fuit, nobis onus, merces, iugum, cum Christo eodem iugo vincti, succedit gloria & honor, quæ illi dedecus, infamia grauis, difficilis, facilis nobis, leuis, non sola, cum Christo imò, non integra, sed erosa, & exesa, hoc vermiculo terebrata: qui non secus ac phœnix generosa, & illustris lignis iis appositis, Sacerdote secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum sacrificio obtulit, propriumque corpus, & sanguinem Deo. Fuere hæc quæ Melchisedech obtulit Geneseos 14. Abraham, Rex Salem, & Sacerdos simul. Lignis iis strueque lignorum superposita loco Caluariæ, igne charitatis flagrauit, ex seque rediens vermiculus hic, in æternum Phœnicem commutatus abiit, vi Solis diuinitatis, paratis lignis odoriferis ad Orientem diuinitatis versùs. Machabæorum 2. cap. 9. de scelerato Antiocho diris cruciatibus, & morbis ob sua flagitia à Domino percusso sic dicitur: *Nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestã Dei virtutem in semetipso contestans, ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in dolore eius carnes scaturientibus vermibus effluerent.* Consumunt vermes ea ex quibus generantur, consumit tinea alioqui minima, & teredo molis pusillæ, ligna vastissima, ingentis molis, cùm & duræ, solidæque substantiæ, cùm sit tenerrimus omnium vermiculus, & mollissimus secundùm interiora, & si durissimus extrà, testa constantissima obductus; Aristoteles eo loci recensuit, Plinius, alij locis adductis. Quibus assonant verba Dauid Regum 2. cap. 23. illa quibus inquit, enumerans Dei viros fortes qui prælia gesserant, & cum eo dimicauerant prælia Dei. *Hæc nomina fortium*

David, David sedens in Cathedra, sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno, post hunc Eleazar post hunc Semma. Dauid Christum significat. Dixit ipse eodem capite, vbi sic: *Hæc sunt verba quæ dixit David filius Isai: dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob.* Iste ergo tenerrimus vermiculus ligni est Christus, qui lignum crucis durissimum confecit, erosit, exedit diuinitatis vi, interioribus mollissimus, misericors, piissimus, qui secum festucas ligni fert crucis insertas, & innatas quasi, testa obductus incorrupta, & durissima, ventris virginei matris Deiferæ, sine labe, integra, & insuperabili testa vallatus, humanitatis inculpatæ; vt sit crucis teredo Christus, & ligni tinea, mortis, inferni, peccati & culpæ, pœnæque nõ minùs. Hęc erosit, terebrauit, exedit, vt leuia, & facilia superessent, possetque imbellis quilibet facilè pertractare exesa & terebrata, ferret vt quilibet facilè hæc omnia. Hac in Cathedra sedens Dauid erosit mundi cathedram, sapientiam confudit mortalium, ignorantiam probauit, stultitiam, & quæ stultitiam iudicabant gentes (Paulus dixit) crucem, & scandalum iustificationem stabiliit, doctrinam, scientiam salutis, veritatem, sapientiam. Vermē hunc immobilem superesse genitum semel atque ex eadē materia subiecti Aureola peruolauit illo congenita, aditu quà vermis parauit viam, parte erosa, & exesa, hacque elata erodere cessare, requiescere, anteà exedentes erodentesque continuè, sine intermissione.

De

De Tineæ mysticis ex natura animantis in scriptis sacris.

CAPVT XIX.

DOcet eo loci Aristoteles, Nicander, & Plinius, 77
reliqui autores dicti, Tineã in lignis procreari plenilunio recisis, quòd humiditate vitiosa, succoq; excrementitio abundent, luna plena eo tempore, vt putrescunt magis, carieq; afficiuntur plus multò, quã lunæ decremento aut silente luna; norunt agricolæ, qui vites decrescente lumine, arbores omnes amputant, non alio, ligna rescindunt, aliàs teredinibus replentur, eroduntur q; facilè, euanescunt & putrẽt. Ligna crucis, plenilunio Martij resecta, excrementitio humore plena, referta vitioso succo nostrorum criminum, populique inuidia rebellis, luna plena, in oppositione ad Solẽ iustitię, lumine scripturarũ pleni, luna, mente peruersa, malitia vitiorum soluti, & humidi affluentia rerum, Martio deliciarum verni tẽporis, concupiscentiæ furẽtes, eo vt animantia furũt, instigata feruore: exesa sunt vermiculo, teredine, Christo, erosa, lacerata, cuius virtute facilia supersũt & leuia, onus iam leue. Eo imò tempore plenilunij est noxium arboribus amputare surculos, quòd humor diffluat resecta parte eo tempore nimius, vt cum eo alimentum dilabatur facilè; abundant omnia humore, lumine aucta luna in ossibus, humidisque medullis, cerebro, & aliis est videre, maris fluxibus, & refluxibus. Tinea erodit, perpetuò absumit, conficit, media putredine ortus vermiculus, non cariem, non putrem materiam, sanam imò, liberam, integram. De

hoc dicitur Machabæorum loco citato, de corpore impij vermis, de vitiorum putrilagine, vitij, & luxus, molli, & humida viuendi ratione, vermes conſcientiam erodentes ſine intermiſſione. Tum de impuro, obſcœno, & inquinato corpore, tetris humoribus referto, inclinationes corruptæ, & vitioſæ, *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*, affectat paſſionibus ſubortis, vitio corporis tetri impetit, lancinat animum, vt hac ex parte labaſcat faciliùs, vitiiſque inquinetur, ex quo ob humorum putrilaginem, & cacochimiam, vermes, putredo; vermes hinc ex corpore impij. At ſanam eius portionem & partes vaſtãt orti ſemel ex aliis obſcœnis, & ſpurcis; cõtrà ac iuſti qui corpus ſuum non coinquinauerunt, vermibus non lacerantur, *neque enim dabit Deus ſanctum ſuum videre corruptionem*, corporis adhuc ſi opus eſt, quòd non coinquinauerit carnem ſuam vitiis, & immunditia; priuilegium iuſtorum dum decet: nulli ſceleſtorum hominum conceſſum, ſine arte & fucis; imò quando ab hoc vermis genere excuſarentur impij, à Tinea illa, quæ conſcientiæ tabulam erodit, qua naufragium fugere potuerunt, ſubmerſionem imò, non liberantur, afflictione ſumma, & dolore viſcerum acutiſſimo, Marci 9. capite de verme & tinea hac conſcientiæ impiorum. *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, de damnatis ſubmerſis, Iſaias 51. *Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic comedet eos tinea*; vbi vermem veſtimento, & tineam lanæ aptauit. Lana enim peculiarem vermem generat dictum Græcis λίτα & λύτα, qui & tuberculis ouium, & abſceſſibus factis, ſolet progigni, lanæ prouenit, pinguiori eius parte genitus, frigoris impatientiſſimus, & cùm lana & pilis muniatur, à frigoriſque iniuriis vindicetur,

in

in gratiam tanti beneficij accepti, lanam exedit, miseras oues destituit velleribus, vt rigeant frigore, & algeant ipse & ipsæ. Sibi excidium tandem vt paret, lana & munimento destitutus, frigore rigens in pœnam commissæ ingratitudinis. Vestimentum vermibus absumitur, qui perfectiores eius demoliuntur partes, depuratioresque latè diximus anteà. Exeditur, vt integer cùm videatur, nil sit aliud præter puluerem & cineres, & cùm consistere credatur, caries sola, putredóque subsistat. Haud secus impij consumentur sicut vestimentum à tinea, ad sydera euecti, superbi, & elati succedere omnia ex voto cùm sperabant consistere, puluis, tineis vitiorum erosi, lacerati, discedent iis eisdem quibus gloriabantur, vitiis ipsis quibus erant conuoluti, iis quibus fuere educati amicis, creati fauoribus, & in altum euecti, muniti artibus, occulti occasionibus, sicut lana subdit Iob, eo loci, Tineis, antequam vestis fiat & habitus vitiorum scilicèt, primis liminibus malitiæ, antequàm vota impleant, in lana erit tinea absumens percussa quæuis, iis eisdem vitiis dissipabuntur, vitiaque cum illis simul, ne supersit aliis tantæ nequitiæ exemplum, depascentur propriis sceleribus, quæ suæ carnis procrearunt passionibus, vt munimentis destituti ipsi, & vitia alta deficiant, conscientiæ verme erodantur iugiter; lacerabuntur vsque quò Aureola euolet in cœlum papilioque, suspiria, voces, ore reserato spiritus, quo illa aditu facto ascendat spiritus, vt hoc remedio vermis quiescat, erodereque desinat (iam suprà.) Quàm paucissimi sunt vermes, qui Aureolam non pariant, papilionesve magnos, aut paruos ipsis emortuis, vel viuentibus, à quibus solùm accidentibus euariat alata progenies, non essentia. Quàm minimè verò, & id rarò figura.

Arist. retulit quinto de Historia animalium capite 19. Plinius libro 11. capite 22. & 23. iis seruata tamen natura, & substantia, specieque, solùm accidentibus alia, cùm easdem omnino actiones, naturæ eiusdemque seruent ritus vniusque speciei opera, qui-
79 bus identitas, diuersitasve naturæ est pensanda. Vermis sericinus dictus Bombyx, & Bombylis: posteà post primum somnum Necydalus compellatus, vltimò vermis adhuc figura seruata Bombyx, & susurro, vsque dum Aureola nuncupatur tandem in papilionem ascitus. Semen Bombycinum calore alteratum, in minutissimos vermiculos discedit, dictos Bombylios, qui post diem quintum ab ortu, saturi foliis mori, die vno & dimidio, sexto & dimidio septimi dormiunt altissimè, vt posteà somno excusso, veste priori nigra deposita, sese repleant iterum eodem cibo natura parato, vt transacto septimo denuò sopiti, trium dierum spatio quiescant semimortui animantes, decimo ad initium vndecimi Necydali quasi morte liberi, eo tempore compellati, vsque dum Bombyces post tertium somnum decima tertia actum ad principium quarti decimi veniũt, cibo iterum pleni, vndecima Bombyci, quòd Bombos edant, ordirique incipiant è visceribus detractis filis, cuculos astruant, obstupendum, & superbum sepulchrum eorum, in quo tandem reponuntur, ab ortu mortem ruminantes, tractantesque de sepuchro & tumulo, nati semel, primum & vltimum eorum opificium, docti moriendi scientia, & doctrina, struentes ab initio feretrum, sepulchrum, in quo nullus fuerat repositus somno tridui transacto, vt ascendat Aureola, vna natura, & substantia, defuncta cum verme, semenque vermium relinquat, congressu mutuo albo supposito linteo, vocatur ab Arist.

Eruca

Eruca Bombyx, posteà vermis, tandem aureola, papilione; ore net opificium mirabile, permutatus vsque ad Aureolæ exortum, tunc verè emortuum, propria virtute relicta à se ipso cadaueri proprio, post triduũ leuatus in Aureolam, speciei eiusdem, naturæ vnius, sata semine eiusdem animantis, virtute eadem propria, sine alio agente, sese imò, disponente semine materiam propriam diuersis suis partibus, vt illa resultet, solùm accidentibus varia, recluditurque vermis, emoritur, vt resultet illa, voluntariè inclusus, oblatus quia voluit. Vermem se prædicat Christus, vermis Bombycinus, humanitatem pertexuit, cuculum, vbi abdidit sese, sepulchri triduo, somno illo tridui Aureolam excitauit, gloriosus resurgens, mortuo priùs, semimortuusvè Bombyx diuersarum substantiarum virtute, immortalis secundùm diuinitatem, mortuus & si Deus carne, humanitate mortali, & passibili, peruolauit ad æthera virtute propria, *non rapinam arbitratus se esse æqualem Deo*, sese de somno excitauit, regeneremur vt nos homines ipsius partes, & naturæ eiusdem homines, & adoptione Dij, gratia, vt in sua virtute resurgere possimus emortui iam. Leuauit se, virtute propria suscitauit, nosque hac accepta è capite nostro Christo propria virtute excitamur, mystici corporis, vt & resurgat homo propria virtute sui capitis, post somnum, mortemq; & reuiuiscat. Dormit Bombyx intra cuculum cõtextum, de cuculo sepulchri vbi nondum quisquã fuerat sepultus surrexit, tela nostræ redemptionis ordita, nostræ iustitiæ, iustificationis nostræ, priùs mortuus, vt magnam prolẽ generaret, Aureola in albo Eucharistiæ, vnione Christi nobiscum facta; communione ideò dicta. Tinea etiam inuolucra net quibus euoluitur, similia telis araneis, telulis quibusdam perlucidis

verborum optimorum, & compositione, ac figuris iam non quæsitis, sed sponte, & ex reposito velut thesauro se offerentibus. Cicero 1. de oratore. *Thesaurus rerum omnium memoria.* Tobias 4. capite. *Quomodò potes, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude, præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis*, vbi thesaurus bonorum operum vocatur cumulus. Amos 3. capite. *Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus suis.* Paulus ad Romanos 2. *secundùm autem duritiam tuam, & impænitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Thesaurus ergo omnium est, idemque cumulare, thesaurizare. Varia ergo Tinea significat scriptis sacris, morbum enim capitis ad modum tinearum, fauorum mellis, de quo suprà; dictus *fauus* medicis, & *melicerides*, quòd emanet, tineæ illius laceratis locis, succus quidam mellis instar. Signa Esdræ 4. lib. capite 8. vbi iustorum statum depingit iis: *Radix mali signata est à vobis, infirmitas & tinea à vobis absconsa est, & in infernum fugit corruptio in obliuione.* Radix mali signata est à iustis, vt vltrà non crescat, nec germinet; hoc est, signari: de impiis enim Iob 4. *consumentur velut à tinea*, iis ipsis vitiorum generibus, quæ procrearunt, iis punientur, vt per quæ peccarunt, torqueantur, vt vestis corrumpitur, & exeditur suismet progenitis, & exortis, & iis quæ nutriuit, & produxit. Quò capite 13. dixit: *Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Corruptibilis ab intrinsecis principiis homo, contrariis elementis conflatus, ratione & sensu contrarius, potentia potentiæ, lex legi repugnans, iis intrinsecus altis, & nutritis propria substantia, iis corrumpendus sum, & quasi putredo, & caries cõsumendus,

mendus,putredo enim conſumitur, & ceſſat morte, quæ viuo contigit animali; morte conſumendus ſum, putredo enim totius,aut partis, morte totius, aut partis, prout fuerit,ceſſat reciſione partis putridæ.Filo ergo vitæ præciſo conſumendus ſum, vt putredo,& ſicut veſtis,quæ comeditur à tinea, intrinſecis genitis paſſionibus & contrariis principiis internis paulatim, & inſenſibiliter, aliàs ſi ſenſibiliter fortaſſis corrigeretur vitium, & corruptela. Quò maius malum eſt hoc, à tinea corrumpi,viuendumque cautè & vigilanter.

De Æruginis & Tineæ tropis in ſcriptis ſacris.

CAPVT XX.

ECcleſiaſtici 42. *In medio mulierum noli commorari, de veſtimentis enim procedit Tinea, & à muliere iniquitas viri.* De veſtimento, de habitu, de conſuetudine Tinea, & de Eua viri iniquitas, imò commorari noli,nam otium,diſſidium, contrarietas,tineam cauſant, corruptionem, & cariem. De veſtimento procedit tinea.Eſt mulier, & de veſtimento viri, de corpore viri ſumpta, de veſtimento, de carne noſtra Tinea paſſionum, & originalis, actualiſque peccati tinea & teredo. Noli ergo in medio mulierum commorari;veſtes enim quæ in medio illarum ſunt, facilè tineis afficiuntur, quòd ventilentur,& difflentur minùs,omni ex parte impedito ſpiritus flatu, & inſpiratione cohibita ſpiritus Dei. Noli commorari in medio mulierum; de veſte viri, de veſtimento enim, de carne noſtra tinea, peccati labes, & infectio procedit; de appetitu, de paſſionibus noſtri habitus, & carnis, & de muliere iniquitas viri, de car- 81

ne,

ne, de sensu; de appetitu; rationis iniquitas, & auersio, cõuersioque ad commutabilia bona, mala maiora, è muliere, & earũ occasione vitium, iniquitates, commercio, & familiaritate. Isaias 14. c. vbi vaticinium de Iudæorum consolatione, à Babyloniæ captiuitatis liberatione, punitioneque Pharaonis profert. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum subter te, sternetur tinea, & operimentum tuum*
82 *erunt vermes.* Est summa corruptio, quando iam tinea deserit subiectum ex quo progenita est, quòd sint absumptæ omnes partes vtiles; adeò vt non sit quo pascatur; ideò deserunt summam corruptioné, odoreque grauissimo cadauer tetrum, deciditque summa putredine illa, demolito subiecto, vt tinea adhuc cótineri non possit, quo subtus volutatur, loca quærens tutiora, & calidiora, minus difflata & perspirabilia, vt eadem dispositione putredinis, qua est suborta conseruetur, quo subtus corpus cadauer sternitur illa, & colligitur magis, reconditur; summam notans putredinem & cariem, putremque statum. Cùm enim sint erosa interna omnia, & deciderit exeso toto, cutem erodere vltimò tentat; cariosa enim omnia cutem vltimò, tinea exesam remittunt, cutisque vltimò exeditur, quòd frigida sit & densa, compactaque magis, afficitur carie ideò minùs, & putrilagine: ossa tardiùs, quòd frigidiora, putredini resistentia magis, caloriq; putrefacienti densiora, vt hinc antiquissimis cadaueribus ossa, & cutis reseruentur. Iob dixit alio: *Operimentum* (subdit) *tuum erunt vermes.* quòd ex humidioribus, mollibusque partibus nascantur abundantioribus in misto, quòd vita in calido, & humido consistat, ex sicçioribus tineæ copia paucioribus: hinc *vermes operient illum, & tinea subtus eum sternentur.* Imò puluis qui è partibus vestium,

earumve rerum quæ tineis ſcatent, partes, inquam, illæ in puluerem verſæ, deciſæ iam,& prolapſæ corpore alterato eodem, puluiſque ille quo eſt illa ſubſtantia referta,& ſubtus illam pondere reſidet, in tineas abiit natura conſimili, quæ ſemel genitæ, & cadauer lacerant, & exedunt, impetuntque ſemel natæ, vermibus conſperſo, mollium partium ſummæ putredinis nota & corruptio ſumma. Hac minatur Pharaonem Iſaias eo loci dictis ſatis iuxta naturam huius animalculi verbis. Vitia vitia corrumpunt maiora minora, tineæ vermes alimento ſublato & conſumpto ſubiecto, Martem deſerunt, vt incumbant Veneri, iram, rixas, ſeditiones, vt laſciuiam,mollitiem,luxuriã ſectentur,pacifici & molles fiunt, fœminei, quieti, vt laſciui, & vt appetitus concupiſcibilem proſequantur partem, iraſcibilem remittunt. Vermes, tinea, corrumpentes, & malo contagioſo, & maiori corruptione,alium vitiantes. Chriſti ſanguinis expenſis ceſſant inimicitiæ Pilati, & Herodis, *in illa die facti ſunt amici*, ceſſant rixæ,& contentiones, ſacrilegio & crimine læſæ maieſtatis, iniuſtitia & malitia, Deicidio & homicidio, tineiſque vermes, & capite 50. Iſaias. *Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me? ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.* Qui & ſi ad literam ſenſus figuratus de Chriſto eſt, tamen tropologicus extat ibidem contentus. Deus miſeretur, accuſat neminem,vt remittat, accuſat, non vt incuſet, vt abſoluat imò, dimittat, Dæmon vt pœna afficiantur, & ſupplicio puniantur mortales, Deus vt conuertantur. Ioannis 8.mulieri adulteræ; *Vbi ſunt qui te accuſabant? nemo te condemnauit? neque ego te condemnabo.* Vitiis deterſis,& pœnitentia ſalutari detritis, non cõdemnat Deus;vbi vitia

quæ

quæ accuſabant, non adſunt. Sequentibus verbis de patriæ ſtatus ſecuritate verba texens propheta, inquit, *quæ condemnabant me paſſiones carnis*, appetitus leges, dæmonis ſuggeſtiones, mundi occaſiones, *quaſi veſtimentum conterentur*, cum hoc corpore mortis huius, vt Paulus dixit, ceſſabunt & finientur, quaſi veſtimentum hoc, & caro, corpuſque mortale, & cum eo ſiſtent hæc, Tinea comedet eos affectus, vt comedet veſtem cuius erant ij colores, & affectus carnis, vt ſim liber, immortalis, ſecurus patria, quaſi veſtimentum conterentur, ex ſe ipſis, ex carne genitis, ad carniſque cõſumptionẽ deficient, carnẽ, veſtẽ ipſam lacerantes, & conterẽtes, ex qua fuere orti. Tinea, vitiumq; illud quod in paſſionibus ex eadẽ carne fuit natum, hoc & carnem abſumet, vaſtabit. Vitia enim omnia cùm exceſſus ſint moderati & iuſti, in natura adhuc corporea cõſtituta meta & proportione, tẽperiẽ labefactant noſtrã, & mediocritatẽ, pariũt morbos, ægritudines cauſant, affectuſq; quibus natura corrumpatur, & deſit genitis & congenitis ſemel. c.15. ſic Iſaias; *Sicut enim veſtimẽtum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic comedet eos Tinea.* Vbi vermem vocat tineã ipſam viuentẽ, animalculumq; tineã dictum. Tineã verò cariẽ ipſam, rubiginemq; & vermẽ dictum *Lyta*, qui lanam & abſumit (ſuprà retulimus) in ouibus procreari ante tonſurã, Oſeæ 5. c. minatur Dominus Iſraël iis: *Et ego quaſi Tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.* Cùm enim malitia Ephraim eo increſceret, vt vero Deo relicto ad Deos falſos, regis naturalis obliti, ad Reges & tyrãnos cõfugiſſent, inquit Deus; *Et ego quaſi Tinea Ephraim.* de Chriſto intelligo minante Synagogam rebellẽ; ex eadẽ enim veſte de carne noſtra ortus vermiculus abſumet vetera omnia, & erit Iudæorũ tinea Ephraim, quò conterentur

contexta, vt & vermes alij more secundinarum, quibus infans vtero continetur, aduenitunt in seminibus variæ, & dissidentis naturæ, gurgulio tritico, fabis, ciceribus, castaneis aliæ & aliæ. Est illud tamen notandum, semel ac domicilia fabricauit, erosis seminibus Tinea, labore tanto, cura & sollicitudine, medulla omni exesa, quò amplior domus, latior superfit, & pateat magnificentior, illustrior, quæ vt fiat, non solùm sufficiens alimentum è medulla discidit, absumpsitve tantum quantum victui esset satis, imò superbæ domui consulens, medullam omnem terit, desicit; cogi magnificas semel ac astruxit ædes, penuria alimenti, deserere alióque commeare, quas tãto temporis dispendio struxerat, cognitã inscitia, alimenti iacturæ, ostentandi occasione irrogatæ, domũ quam alimenti proprij prodigalitate, aliorumque fabricauit iactura, finiat non prius, quàm deserat. Quibus locus ille Iob. 27. c. cõstat, quo dicitur: *Ædificauit sicut Tinea domum suam, & sicut custos fecit vmbraculum*, de impio. Quò loci, eorum quæ acquisierit, non fruiturum prædicat, instar custodis, qui facit vmbraculum, vt custodiat fructus alienos, quorũ sibi denegatur vsus, solúmque auarus obseruat, vt expendat alter. Et sicut custos qui fecit vmbraculum, vt à calore & æstu, Solisque inclementia tueretur, quod tandem Solis ardore absumptum, æstuque exsiccatum postquàm fructus capessère alij, quos custodierat ipse, igni committitur, qui Solis æstus defenderat, vitaueratque incendia, ardores, sic impij sanguinis expensis aliorum, substantia, & alimento domos magnificas erigentes, templa imò, delubra, coguntur discedere subitò, vltore Deo, dissipata substãtia pauperum, pupillorũ, viduarum, mitteturq; vmbraculũ illud in ignem, qui medio vitiorum igne, vmbracula deli

deliciarum pararunt, vt deliciosè viuerent, exuretur igne adaucto voluptatibus, igne tandem inextinguibili, & æterno. Tinea, & ærugo non semper viuum notant aliquid, cariem imò, substantiam putrem, & exesam significant multoties, sine viuenti aliquo congenito; velut ferruginem, & æruginem, quasi æris genitum, aut ex ære genitum putre quid; rubiginem vocant alij, muscumve, Plinius lib. 34. cap. 9. Æra extersa celeriùs rubiginem trahunt, quàm neglecta, nisi oleo perungantur. Imò & segetes rubigine affici, muscove hoc, docuit Theophrastus lib. 4. de causis plantarum, c. 7. Est ærugo incidentis segetibus humoris putrefactio, quo vitio spicæ marcescunt, & in pulnerem fœtidum abeunt, confriatilesque supersunt. Significat ærugo & pecuniam ex ære conflatam. Horatius & Iuuenalis docent, & Seneca lib. de breui vita. Metallis ergo ærugo & Tinea hæc accidit, & si Tinea aliis multis, quibus non ærugo, vestibus & aliis dictis. Thesaurus non solùm auri summam notat, sed quarumuis rerum pretiosissimarum copiam, imò & non solum pretiosarum, sed & rei familiaris multitudinem, & prouentum copiosum, obseruatum & repositum, siue vestium, siue communium aliarum rerum. Quo significatu thesaurizare idem est, accumulare, & seruare rerum copiosam supellectilem. Thesaurizantur hoc sensu triticum, lana, semina, segetes, fructus, & alia. Imò & in malam partem sumitur non minùs, vt thesaurus stupri, & mali thesaurus. Plautus in Amphyt. *Teneo thesaurum stupri.* Idem in Mercato. *Quid enim thesaurum hunc apportasti mali?* Est *thesaurus* quasi Θεός, Deus, aurum αὖρος, aurum Dei, quòd fortè fortuna inueniatur Deo elargiente quasi, docet Quintilianus lib. 2. cap. 7. iis: *Abundabunt autem copia*

verborum

terentur vermiculo hoc, non ſecus ac attrita eſt vermiculo hedera illa vitioſa Ionæ. *Eritque Deus Tinea Ephraim*, caries, putredo, qui aura placidiſſima illis extiterat, qua vindicabantur à putredine, & corruptione vitiorum, erit illis corruptio, & labes permiſſione flagitiorum, tradenturque in reprobum ſenſum, permittente, & puniente Deo malitiam eorum, orieturque nimio luxu & mollitie illorum, vltor & vindicator criminum, non ſecus ac Tinea putreſcentibus veſtibus, laniſque vdioribus & oleoſis magis prouenit multò, ſic adueniet tinea Ephraim populo delicatiori, & molliori, propter humidam eorum, mollem, & delicioſam viuendi rationem, putredo & tinea illis aderunt, Deuſque ipſe, qui aura ſpiritus placida, & ſuaui difflabat, quo minùs putreſcerent ventilati aura ſpiritus Dei; ipſe erit ventus exurens, putrefaciens, & corrumpens omninò, non aura ſpiritus, imò turbo obcæcans & corrumpens, ſubuertenſque omnia. Baruc. 6. c. vbi vaticinatur, Iudæos apud Babylonios captiuos poſt ſeptem generationes liberandos, hortaturque vt ſibi ab idololatria caueant illorum, ex plurimis oſtendens imbecillia eſſe idola, ac vaniſſima, inquit; *Coronas certè aureas habent* ſuper capita ſua Dij illorum, vnde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum, & argentũ, & erogant illud in ſemetipſos; Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant, & iterum cùm receperunt ipſum à meretricibus, ornant Deos ſuos. Hi autẽ non liberabãtur ab ærugine & tinea. Opertis autem illis veſte purpurea, extergunt faciem ipſorum, propter puluerem domus, qui eſt plurimus inter eos. Satis ad literam iuxta huius animantis naturã dictum, cùm puluis, loci ſquallor, & puluerulentia; quæ ideò puluere

plena,quòd non difflentur;si enim difflarentur,pul-
uis tenuissimus , & facilis excuteretur omninò , qui
generat putredinem,vt Arist.4.Meteororum edocuit
c.2.& Galenus 1.de differentia febrium c.3.& 8.me-
thodi c. 2.& 3. & tineas generent calore , aëre non
subintrante,nec exsuflante contenta eo loci,quo ve-
stes exponuntur auræ frigidæ,ne tinea atterantur,&
quas cupimus carnes seruare diutiùs aëri frigido ex-
ponimus,locisque calidis & puluerulentis in cineres
abeunt,& pulуerem, & tineis eroduntur illæ.Tinea
ergo conterentur,cùm puluere abundent tales, do-
musque eorum puluere sint refertæ , meretricibus;
carne è puluere formata,passionibusque carnis,me-
retricibus,carne ex puluere eodē formata ac vir , ex
viro mulier,ex costa viri obliqua natura,costa fragi-
li,sine medulla,à recto deuiās.Puluis est mulier,obli-
quaque costa, non recta.quo puluere scatent squal-
lidi,& immundi , & faciem extergunt verecundiæ,
cum medio pulueris dormiant fornicantes,& adul-
terantes,faciem mundam ostentantes , & veste pur-
purea induti,immundi,& squallidi omnes,hypocri-
si nimia;faciem depurgant toti immundi,quòd eam
in propatulo exhibeāt,occultis reliquis puluere ple-
nis,aliàs nec detergerent faciem in hominum com-
mendationem ; faciem , non interna , & si videat
Deus,tineam tamen & æruginem non effugient.Nā
cùm tinea vestes laneas præcipuè atterat, & si omnes
inuadat , & puriores magis , depuratioresque lanas
priùs,si non seruentur cura , sollicitudineque maio-
ri;si enim de iis curetur minùs reliquis , tinea affi-
ciuntur citiùs multò,ideo de iis dicitur,veste purpu-
rea cocco tincta,& puluere coccino obducti,domos
habitant puluerulentas,regali veste,& insignia puri-
tatis,

tatis,& perfectionis maioris gestātes, medio puluere vitam agētes, tinea inficiētur, & ærugine, illi qui in exēplum aliorum cōstituebātur aliorum duces, Ecclesiastica bona dispendētes meretricibus & adulteriis. Sacerdotes legis, Magistri, Doctores purpura in- 84
duti, Cardinales, alij, tinea afficientur, & ærugine, si medio puluere viuant, coronis sacris, sacerdotio si abutantur, & coronas, Ecclesiastica bona erogent si meretricibus, veste purpurea ornati, nil enim æquè ac purpura Tinea eroditur, laceratúrque, quòd lanis purissimis constet, & quòd puluere coccino ex vermibus cocci gnidij intingatur, qui vermium est productiuus facillimè, quasi naturam redoleat suam pristinam. Dei aurum, & argentum dum dissipant, & meretricibus condonāt, & recipiunt iterum turpem quæstum. Matth. 6. Lucæ 10. thesaurizare iubet Deus in cœlo, quod ærugo & tinea non possit demoliri ibidem reposita, cùm aura, spirituque Deo difflentur omni ex parte, cocta prius, & omni humiditate superflua, exoluta eodem igneo spiritu, qui posteà temperat, recreat, reficit, conseruat, depurat, quò ibi difflata, & spiritu perpetuo flante flata, æruginem aut tineam contrahere nequeunt: In monte æternitatis difflata, humida lachrymarum, hic secus regione hac & valle hac, quò putrescant, tineaque, & ærugine afficiantur, in valle hac miseriæ & lachrymarum nostrarum passionum, tot tantisque impedimentis non ventilata spiritus aura, Iacobus 5. c. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis, diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vestrū vobis erit & manducabit carnes vestras sicut ignis; Thesauri-*

zastis vobis iram in nouissimis diebus. vbi thesaurum vestium,& metallorum congeriem,rerumque aliarum vocat. Diximus tardiùs , citiúsve omnia putrescere posse igne dēpto,nisi hic vi astrorum, eminentia calidi putreat , quòd alteretur illis remisso in calore, iam impuro elemento aut tenuato, vt partes solum supersint crassiores,corrumpaturque ideo vi cæli,ex Arist.4.Meteor.c.2. & 3.Est putredo calidarum partium misti exolutio à calore externo ambientis facta,& extrinseco rei quæ putret , quo mistum soluitur,& miscella;vt latè Arist. 4. Meteor. & Galenus locis suprà adductis, partibus tenuibus misti exolutis,calore alteratis,& tenuefactis,putrescit,& soluitur mistum,vt vina calore acescunt , in acetumque abeunt,& fugiunt , acuuntque , & quæ putrescunt, frigida supersunt,iam putrida,& si interim dum putrescunt, caleant amplius;quò ignis cùm à nullo calescere possit,cùm sit omnium calidissimus,putrescere nequit vera putredine,præterquàm à cælo iis modis.Est hæc passio mistorum coctio , cruditasque. Arist.docuit Meteor. 4. 2.c. omnia verò eo dempto possunt modò de facto,vt sunt in natura,citiùs hæc illis,aurum,argentum,& alia rancida fiunt,& putrescunt tandem,æruginemque contrahunt;Videre est in auro,& argento, quæ mundantur , vt splendeant multoties , insensiliter rubigine alterata substantia detersa,quo tandem desinunt , & deficiunt,vt margaritæ senescunt,&.temporis tractu marcescunt rācidæ,æruginem verò,rubiginemque , virtutem exedentem, & causticam obtinere , epuloticam Græcis dictam,dixit Galen.3.Metho.c.6.7.simplicium.2.per locos,Diosco.lib.5.c. 48.Plin. Paul. Ætius capitibus de ærugine,Arist.Quò secundùm naturam æruginis

satis

ſatis eſt dictum; ærugo theſauri veſtri carnes veſtras exedet, & cauſtica, igneaque, & exurenti virtute comedet carnes veſtras, abſumet, & teret, ſicut ignis. Hac eadem extorſi eritis, vitiumque illud auaritiæ veſtræ, ærugo hæc depopulabitur carnes veſtras igne inextinguibili. Vermis ergo tinea eſt, & ærugo idem quod tinea aliquando. Quandoque tinea, caries, & ærugo ſunt, quæ cum tinea inuenitur, putriſque materiæ. Ærugo rubiginem ſignificat multoties, & tinea puluerem rei laceratæ, vt patet dictis. Vermis verò huius, & animalcula, notabile quod rei illius cuius ſubſtantia alitur, colorem repræſentet, ſit viridi viridis, albus albis, ruber rubris, lumbis & reliquo, præterquàm ventre opacus, hic enim omnibus vermibus perlucet, plus minuſve. Aliquibus imò adeò, vt Noctilucæ, & Nitidulæ, Zinzindulæ, Lampyri, Pyrolampidi, vt non ſecus ac animantia plurima luſciola oculorum fulgore victum noctu quæritant; ſic hæc ventre perlucido, & fulgore. Venter idem ac appetitus & ſenſus, corrupti omnes lumen & cognitionem, vt ventri inſeruiant, poſſident, ſenſui & appetiui, quorum Deus venter eſt, obſcuratis & tenebroſis aliis omnibus eo elucent, lumen ventris cauſa obtinentes, cui inſeruiunt & parent, de quo ſuprà libro 1. c. Vermium ſunt ſpecies variæ eruca, Tinea agreſtis, Ouidius: *Quæque ſolent canis frondes intexere filis Agreſtes tineæ, res obſeruata colonis, Ferali mutant cum papilione figuram.* Aureolæ enim volatiles ex erucis corruptis oriuntur; de Bõbice diximus. Acari vermes in ligno naſcuntur, vt diximus, dicti & teredines, & tineæ, & xilopthori, aut ligniperdes iam ſuprà; Coſſes & coſſi, ſunt vermes rubri in ligno prognati, capite maximi, toto corpore maiora capita qui habent,

ligna erodunt, & terebrant potentissimè. Christus vermiculus est ruber, lignum crucis in suo sanguine erosit, capite maiori reliquo. Caput Christi Deus, suprà, ex Paulo, apprimè ex his vermiculis esse dictum, qui lignum crucis erosit, ruber sanguine
85 vermiculus, & capite reliquo toto maiori. Imò mirabile dictu: vermium horum genus est, quod sanguine toto exudat, lignum vt emolliat, vt faciliùs erodat, & terebret capite, posteà dentibus, & capitis impulsu facto. Madefecit crucis lignum Christus sanguine effuso, erosit capite diuinitatis, vt facilis, leuis crux superesset, asportabilis. De reliquis vermibus iam diximus, cùm nomina eorum ex quibus oriuntur retineant, siue ex fructibus, siue ex aliis nascantur, vt iam suprà.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ hisce libris veniunt deplicanda, iuxta ordinem librorum veteris nouique Testamenti.

PRIMVS NVMERVS LIBRVM notat, secundus caput, tertius numerum marginibus insertum.

Iob.

Psalm.

Psalm.

Prouer

Deus

INDEX
LOCVPLETISSIMVS RERVM MEMORABILIVM,

quæ hisce sex libris Scripturæ sacræ reptilium animantium continentur, primus numerus librum notat, secundus caput, tertius numerum marginibus insertum.

Æni

cruce.

lia

Equus

Homo

Iordanis

Ser

Serpen

Superbis

FINIS.



re circumſtetit. Cumque beneficus, & liberalis Epiſcopus eſſet exhauſtus, & nihil haberet, vnde tam multorum paupertati ſuccurreret, neque, vt inanes dimitteret, adduci poſſet, mente, & animo fluctuabat, omnia luſtranti, atque animo reputanti, pecunia illa venit in mentem, quàm ſuus ille ex ſorore nepos vendito equo ſeruarct. Ergo thecam reſignat, pioq; illo furto pecuniam acceptam lætus diſtribuit egentibus. Conſtantius reuerſus, arcam reuiſit theſauri cuſtodem, cordiſque captiui: vacuam vbi reperit, non alium, niſi Epiſcopum, illius furti ratus authorem, foras ſe proripit, fremit, bachatur, omnes illa in domo beatos eſſe, ſe vnum miſerum, atque infœlicem indignabundus exclamat. Bonifacium alijs vitalē, ſuæ ſororis filio ſemper eſſe mortiferum vociferanti, accurrit Epiſcopus cum vniuerſa familia, & efferatum Conſtantij animum orationis lenitate mitigare conatur: cum ſtomacho preſbyter manſuetum accuſat auunculum, illud ſemper ingeminans: omnes hic viuunt, vnus ipſe mori cogor: cuncti tui liberè agunt, ſolus Conſtantius tuæ ſororis filius duram ſeruit ſeruitutem. aurum, au- (inquam) reddito meum. Epiſcop- cacibus querelis, & vulſans hon-

cuderet:is(quia pessimus erat hostis Ecclesiæ Catholicæ)ferreo malleo magna, vt incipit contundere faciē statuæ, & blasphemo ore dicere: sic coercenda sunt idola Papistarum,&c. & subito excęcatus est,& mendicus mansit vsque ad mortem.

§. 200.

EVtrop. lib. 21. rerum Rom. scribit: Paulus Diaconus cum Iconomachus quidam conspecta statua B. Virginis lapides in eam iecisset, eamq; comminuisset, per quietem Virginem ipsam ab eo visam terribiliter his verbis comminitantem, in caput tuum hoc fecisti. Deinde paulo post eundem ingenti lapide percussum atq; ita contusum esse, vt ipse statuam comminuerat. Theophanes ait: Constantinus quidā Strator Artabasdi videns imaginem Dei Genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam proiecit,& contriuit,& cum cecidisset calcauit (lapidis eam iactu deiecit, deiectamque pessundedit.) Et vidit in flammis (somno sopitus) astantē sibi domi-...am,& dicentē: Nosti quam for-...n in me operatus fueris? (scisne ... mihi præstiteris,& quam de me ...umphaueris?) verū contra ca-... (hauderit impunita...

Eutrop. lib. 21. rerum Rom.

Vindicta.

enim ad Euboeæ promontorium,
lophagum appellant (naues enim co-
ctas ex ligno demergit) peruenisset m
giũ audacissimus pyrata fecit,marin-
ctus diuinę vltionis ministri,nefariũ
nem,hostemq; sacrorũ penitus obru
exemploq;fuit,quã illis perperã res
qui in Virginis dona conantur inu

§. 197.

Michael ab Isselt lib.14. M Ichael ab Isselt lib. 14. M
Gallobelgici ex Frãco fide
licę aduersario.Quidã,ait,in oppid-
Vindicta. tani(vt 15.Septem.scribunt)ausus-
cto gla io statuam beatæ Mariæ
ferire,è ulnere mox sanguis efflu
cũ multi cæci,surdi,claudi, & qui-
tijs,& morbis laborant sanãtur. E
prædictus Michael ab Isselt hanc
esse imaginẽ,de qua virum magni
Spira scripsisse asserit. Impius qu
de dicta imagine,& ijs,quæ ab illa
cebantur.audisset,vt illuderet illi
tum oculis captum o add
restitui petiturus,be
illusori adimitur.

§.

Bulliam, & Annuat, facr. Lru